


DE MVLTIFORMI HOMINIS STATV.




PROTEVS
ETHICOPOLITICVS
Virg. 4 Georg.
NOVIT NAMQ; OMNIA VATES
Æ SINT, QVÆ FVERINT, QVÆ MOX
VENTVRA TRAHANTVR

PROTEVS
ETHICOPOLITICVS
SEV
DE MVLTIFORMI HOMINIS STATV
Ad normam virtutis concinnato.
LEGES
VARIÆ DOCTRINÆ
Ad omnium ferè Artium, Diſciplinarum, ac Scientiarum notitiam inſtitutæ.

A IOSEPHO MARIA MARAVIGLIA
CLERICO REGVLARI MEDIOLANENSI
Inter Venetos Ciues Veneti Senatus beneficentia adſcripto.
Atque in Gymnaſio Patauino Moralis Philoſophiæ publico Profeſſore.



VENETIIS, Apud Valuaſenſem. MDCLX
SVPERIORVM PERMISSV.

MAIESTATI AVGVSTISSIMÆ
REIPVBLICÆ VENETÆ
SERENISSIMO PRINCIPI
AMPLISSIMIS PATRIBVS.

I. M. MARAVIGLIA P. P.

MVLTIFORMIS virtutis regnum, quod olim Spartæ, & Athenis concreditum eſt, redditur vobis (Sereniſsime Princeps, Ampliſsimi Patres) in hoc opere, nouo, ſed meliori patrocinio fortunandum. Par erat dicari vobis, quod veſtrum eſt; nam ſua quoque redduntur Cælo, dicantur ſua Cæleſtium Numinum Maieſtati. Æquum erat reddi vobis regnum, quod, licet aliena dudum vſurpatum induſtria, nunquam fuit opus alienum. Redditur tamen nouitia elaboratum in arte, quemadmodum Domino Orbis Macedoni artefactus in tabula oblatus eſt orbis. Proteus ipſe regnorum Parens, ac Præſes dicatur vobis, cum vos ipſi multiformis virtutis imperio vbique regnetis; qui etiam cum Proteo per multiformem rerum prouidentiam commune habetis Elogium

——— nouit namque omnia vates Virg. 4. Georg.
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

& in Proteo Pallas ipſa adorabatur Athenis, modo ſcilicet peplum induta, modo togam, modo clamydem, &

lori.

loricam: eo intercedente discrimine, quod ibi Pallas aureo reuincta compede tenebatur inuita; in vobis verò multiformis Mineruа stetit semper libens, & adhuc exsoluta libenter otiatur velut in delicio: ac si Respublica vestra esset Apollinis Cella ad Palladem ipsam simul cum Musis sospitandam extructa, ex qua fertur, vniuersa regnorum, ac regnantum imperia corriuasse; quò etiam semel ingressa

Phil. Poet. *—— voce strepente Cicada*
Mox rugiente rediit facta Cicada Leo.

aurea siquidem Cicada, quæ olim Atheniensibus fuit supremæ nobilitatis insigne, in Leonem aureum vestris Athenis cernitur mirabiliter conuersa: quin Venus ipsa in vestra Sparta cincinnos exuta, nudata pigmentis, arrepto clypeo, & hasta videtur ad debellandos hostes in Martem concessisse. Eiusmodi miracula, quæ nec prisca dedere sæcula, nec videre, ea me impulerunt, vt hoc opus, qualecumque sit, vestro inscriberem nomine, vestrisque ad spem vitæ, aut famæ capiendam, munirem auspicijs; idque eo libentiùs actum est, quo paruæ rei oblatione paruam saltem supremæ illi beneficentiæ rependerem gratiam, qua me ortu exterum, casu vestræ hospitem vrbis, aggerato beneficiorum cumulo, ciuium vestrorum albo toto annuente Senatu adscripsistis, eodemq. plaudente inter publicos vestri celeberrimi gymnasij professores connumerastis. Viuat in æuum tanta Maiestas.

LE-

Lectori Humanissimo.

AD. S. K. M. tertiò tibi Legislator, Humanissime Lector; nouasque condere doctrinæ leges edocuit benignus ille auræ fauentis afflatus, quo alias leges [illegible], iam quartò editas, prosequutus es. Si præsentes quoque non aspernaberis, erunt in promptu aliæ [illegible] tibi indicendæ, non minus ad animi oblectamentum, quam ad vtilitatem. Has interim humaniter excipe, & si quid tibi in eis dissonum videbitur, cogita [illegible] quandoque poeticè, quandoque more Veterum scribentem; atque inter Protei varietates, mentem suspice immotam in fide, ac catholicæ veritati deuotissimam. Si etiam errores tibi præter numerum occurrerint, potiùs Authori parce, qui typis adesse non potuit, quam Typographo, qui munere sibi delato, non accuratè perfunctus est. Vale.

Noi

Noi Reformatori dello Studio di Padoa.

HAuendo osseruato per fede del P. Inquisitore non vi essere nel Libro intitolato, *Proteus Ethicopoliticus*, cosa contro la santa Fede; e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, ò buoni costumi, concedemo licenza che possi essere stampato, douendo osseruarsi gli ordini, & esserne presentate due copie vna per la predetta Libraria di Padoa, e l'altra per quella di questa Città.

Data dal Magistrato nostro li 14. Agosto 1659.

(*Andrea Contarini Cau. Proc. Reff.*

(*Nicolò Sagredo Cau. Proc. Reff.*

Alemante Angelo Donini Segr.

D. Augustinus Bozomus Congreg. Cleric. Regul. Præpositus Gener.

HOc Opus, cuius inscriptio *Proteus Ethicopoliticus*, à P. D. Ioseph Maria Marauiglia Theologo Congregationis nostræ compositum, & à Patribus, quibus id commissum est, recognitum, & approbatum, vt typis mandetur, quo ad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & solito nostro sigillo munitas damus. Romæ die 25. Nouembris 1658.

D. Augustinus Bozomus Præposit. Gener. Cler. Regul.

D. Nicolaus de Lino Secr.

VAriæ doctrinæ leges, *Protei Ethicopolitici* nomine inscriptas, exactè rimati de mandato Superiorum, eas luce dignas percensemus; in nostri iudicij fidem aduocata mira quadam ipsius operis eruditione, atque elegantia, ex qua fortassis non erit opus orbi terrarum omnino inutile, aut incelebre. Sic arbitramur.

D. Franciscus Maria Pencinus Sac. Theol. Professor.

D. Bernardinus Bencius Sac. Theol. Professor.

VIR-



VIRTVTIS QVERIMONIA

Ex Baptista Mantuano.

FORTVNAE domitrix ego sum, scelerumq. flagellum;
Vtque hominem tuear, superumque in tecta reportem
Incolumen stygias omnes demolior artes.
Ars mea mortales ad olympica regna, Deumque
Hortari, monstrare vias, quibus itur in altum
Aetera: sum medium dirimens inter orbita recto
Limite: qua monstrantur adhuc vestigia patrum:
Qua veteres cælo digni petiere tonantis
Limen: vbi nitidis sunt lactea flumina campis.
Nescio delicias; nullum insidiosa voluptas
Mecum fœdus habet: mihi lis de limite regni
Cum vitijs, multumque inter contraria pugno.
Namque meos inter regnum mihi contigit hostes.
Me labor assiduus validam facit, ocia frangunt;
Et quotiens opus est, armis exterrita nullis
Congredior, vinci, & succumbere nescia; si quod
Pondus ab aduersis iniectum est casibus, æqua
Mente fero. Ipsa hominem doceo, variasque per artes
Erudiens: paucis Dijs immortalibus annis
Persimilem reddo: & tandem super ætera tollo.
Ipsa feros hominum docui componere mores.
Fons ego Castalius, Pallas ego: nomina plura,
Res eadem; non sum morbo confecta, nec annis:
Incorrupta, virens, immortalisque superstro.
Cælestes etenim nihil in me motibus orbes
Sydera nil radijs possunt, nil lumine Titan.
Post igitur tantorum operum experimenta, fidemque
Deferor, ignotis errans ingloria campis.
Patrono mea causa caret: quia pectora plena
Perfidiæ, fastuque animos tollente superbo.

Sceptra scelus rapuit posuit custodibus; omnis
Scrutator regni fines, aditusque tuetur.
Religio contempta iacet, spretusque Deorum
Cultus abit, tritaque fides iam pallida veste
Infirmis titubat pedibus, pessundata legum
Maiestas. Tot monstra pios immania mores
Inuasere. Silet probitas. Pudor exulat omnis.
Sed videt, & iusta librat Deus omnia lance:
Et me (vbi tempus erit) ipse in mea regna reducet.

Vtinam nostro æuo.



IN-



SERENISSIMA VENETORVM RESPVBLICA

MVLTIFORMIS VIRTVTIS REGNVM.



X quo Virtutis quærimoniam regni sui iacturam plorantis audiui apud vatem celeberrimum Baptistam Mantuanum, statim animo hæsit, meisque fuit votis Regnum eiusmodi inter Orbis Imperia quæritare, inuentum describere, atque delineatum exponere; quo fieret, vt quilibet homo tam pulchræ regionis captus amore, eò sine mora, aut vitæ domicilium transferret, aut saltem mentis admirationem. Hæc diù meditanti occurrit Serenissima Venetorum Resp. hominibus, opibus, legibus, armis, consilijs cæterarum omnium nobilissima; & cum in ipsa spectandum mihi multiformis virtutis regnum obtruderetur, hic substiti gaudens, atque virtuti gratulatus, rediuiuum in Veneta Rep. Virtutis Regnum venerabundus agnoui; eoque vi gaudij rapiente deductus sum, vt eam crederem Regnum propè diuinitati conterminum: Eam namque esse diuinitùs conditam, imò Deos ipsos posuisse ad ostentandum diuinæ potentiæ opus industrium, ad exerendum ingeniosum Numinum artificium, testantur satis diuina illa miracula, quæ apud Venetos in augustalium ædium structura, in fulgentissimo Nobilium regentium ordine, in præstantissima regiminis forma conspiciuntur: Fatetur etiam Templi Apollinei monumentum, vbi duæ Aquilæ è diuerso diuinitùs ad volatum emissæ, obuiæ inuicem sibi factæ constiterunt; Ad cuius similitudinem Veneta moles occepit, è diuersis regionū vrbibus, velut ex condicto vno agmine nobilitatis flore ad Veneta cunabula conuolante; vt non ex Vestali probro incesta proles, non feralis Caluariæ horror, aut Æquinum caput, quæ Romæ, & Chartagini initia fecere, sed lectissima Procerum capita lætum, ac propè diuinum darent auspicium. Ita quoque diuina dicitur Venetæ gentis origo, vt adhuc sub iudice lis sit, an ipsa virtuti, quæ diuina est, natalia dederit; vel à virtute acceperit; & primi illi Venetorum Proceres, quos ceù diuinos venerabatur orbis, ita peruetusta suæ propaginis agnouere principia, vt quodammodo æternitati per seriem illustrium atauorum longissimè ductam viderentur affinia.

VENETORVM RESPVBLICA.
Regnum Religionis.


ILla duo, quorum cura potissima ex Aurelio Victore in quacumque Rep. habenda est, vigent maximè in Veneta Rep. nimirum sanctitas domi, in castris fortitudo; & quemadmodum primum fuit eorum obsequium apud Romulum iacta basi Romanæ molis augustæ; sic primus semper Venetæ Reip. nitor fuit pietas, & religio, quibus in æuum iam dici potest eius solidatum imperium; nam vbi dumtaxat inquit Seneca in Thyeste sanctitas, pietas, fides est, stabile regnum est. Colitur in hac Rep. Deus velut summus omnium Pater, cuius tantum amore tot bona publica percipiuntur, tot ordines cohærentes seruantur immoti semper in rectum collimantes. Colitur Deus Iustissimus per inuiolabiles iustitiæ leges, colitur Deus sapientissimus incomparabili reguninis prudentia, colitur Deus fortissimus armis, & bellis constantissimo animi robore pertractatis, colitur denique Deus temperantissimus per summam rerum omnium moderationem, quæ omnia in hac suprema Rep. ad fastigium magnitudinis iam euecta mirabiliter dispiciuntur; atque ea tantum de causa Veneta Resp: Romanæ tempora excessisse perhibetur, quod constantior illa fuerit in cultu, & nunquam in religione defecerit; cum iura pietatis, & religionis ea sint, per quæ durant imperia nulla aduersa tēpestate interitura, hisq. veluti vinculis, ita Veneta Resp. semper adhæret Deo, vt nunquam velit esse sine Deo, à quo omnia rerum initia, omnes pacis, vel belli euentus auspicatur; indictis ad agendorum consilium, & fortunam semper publicis precibus, atque Eleemosynis; in qua re præsertim ex eo commendanda proponitur, quod vbi Romana nihil decernebat inconsultis Auguribus, vbi Atheniensis ad externas tantum cultus ceremonias in periculis confugiebat, ipsa potius votis orationibus, ac sacrificijs studium impēdit, quam armis, ipsa sola nihil citrà diuini Numinis cultum prosperè contingere posse sibi persuadet. Neque eò dementiæ rapta est Veneta Resp. quò alia infeliciter deuenere, vt vnquam putaret principium iuris dominij illud esse, nimirum, nullum Dei sensum habere, nullam supremi Numinis venerationem, nihilque cum Deo, aut cum diuinis rationem status congruere, eiusmodi namq. regiminis errores plusquā palmares semper est auuersata; quin religionis cultu nunquā intermisso politicos omnes commonefecit, nihil boni esse in Rep. auspicandum, nisi à Deo; Sola namque Veneta Resp. præ cęteris eo insignitur honore, vt præcipuos Magistratus instituat in fidei diuinæ, honorisq. diuini patrocinium; vt summis impensis (animo per vota Deo litante) augustissima extruat templa; vt denique ipsa sola sit, quæ Clauo Petri semper affixa, & hærens ad fluctuantis Cymbæ salutem excubet indefessa, velut omnium regnorum Palinurus. Neque fortasse Christiana adhuc staret Resp. nisi ipsa sola aduersus fidei, & Ecclesiæ hostes perduraret inuicta. VE-

VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Sapientiæ.

EX eo dicta est Venetorum Resp. non vulgaris sapientiæ schola, omnium gentium Athenæum, totius orbis Gymnasium, quod ex ipsa à Superis electa, vt Cælum sapientiæ inter aquas splendidius rutilaret, possent omnes quidquid vellent addiscere, siue ad priuatum, siue ad politicum regimen spectans. Ob id etiam ipsius sapientiæ primogenita simul, & parens est compellata, cum ipsa nationes omnes, & Resp. optimos quosque traxerint modos benè regendi. Quod si licet cæteras Resp. cogitatione simul & admiratione percurrere, in hac sola dabitur Vetustioris, ac clarioris sapientiæ vestigia rimari; in hac sola tot Dynastharum intuitu assidentium clauo priscam omnium disciplinarum peritiam, quæ ad optimam instituendam, vel regendam Remp. consentanea sit, dabitur admirari; cum hic tot rerum sapientissimè gestarum experimenta omnium oculis subijciantur, quot sunt ipsarum rerum euenta quæ videntur ad sapientiam, & consilium Areopagi deducta. Atque dici non potest quantus ingeniorum feruor exardeat in hoc sapientum ordine ob authoritatem grauissimo, ob dignitatem splendidissimo, ob sapientiam prudentissimo; equidem ij sunt, qui cum in amplissimis honorum gradibus sapientissimi sint, omnis tamen sapientiæ fructum ponunt in virtute; qui in studijs tanti sunt, vt ipsius sapientię ingenium quam maximè excellant; qui cum sapientiam sine virtute non agnoscant, virtutem tamen sola sapientia exercent; qui gestiunt potius rectè agere quam scire, scire etiam quam sciri, modestæ sapientiæ causa. Hic denique tanta maximarum rerum monimenta in viris ab ipso ortu sapientia præditis coruscant, vt ea quæ ex mutis literarum opicibus per libros velut per vmbras addiscuntur, facilè ac sine velamine insueto stupore omnibus patescant. Si Cebes philosophus ille Thebanus, vbi lineata sapientiæ simulachra proposuit, Venetos esset contemplatus, hos tantum tamquam sapientes veros intra virtutis septa conclusisset; Eosdemque si intuitus esset Epicurus, non dixisset in sola Græcia sapientes nasci, vbi homines Iouis conturbernio dignantur, sed etiam in Veneta Rep. vbi præcelsæ Venetorum mentes ita à natura erudiuntur, vt queant omnibus senticosum regiminis iter explanare. Adeo vt Venetus Leo ille apud Ægyptios dici possit, cuius capiti Noctua auis Mineruæ sacra imponebatur, cum tantum sit in Venetis sapientiæ studium, vt non inconcinnè dici possit in Veneti Leonis capite Noctua, hoc est sapientiam omnem consedisse.

VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Prudentiæ.

SPectant Resp. omnes Venetam, non solum tanquam renatam imperij Romani maiestatem, sed etiam velut orbis politici centrum, vnde recti regiminis lineæ ducuntur ad ipsas in exemplaria; nullibi siquidem melius, quam in ipsa imperandi ars pertractatur, nullibi melius optimè administrandæ Reipub. disciplina percipitur. Diuina propè est Venetorum prudentia, excelsa nimis illa ingeniorum vis, quæ ad omnia benè regenda feliciter pertingit; & hinc nullo aptiori nomine Venetorum prudentia commendatur, quam nauticæ, seù maritimæ acus, cuius ductu quæcumque Cæli facies facili negotio innotescit, quæcumque scilicet sint exterorum regentium consilia, quæcumque Rerump. arcana licet abditissima reuelantur. Ideo lectissimæ prudentiæ dictaturam soli sibi meritò vendicant Veneti, cum olim semper habuerint, & habeant etiam nunc politioris literaturæ magistros, & politicæ eruditionis Antistites, quorum consilio, & directione semper Reip. faustiora parantur. Nemo nescit prudentiæ domicilium meritissimè dictam esse Venetam Remp. vbi Romanæ, Sparticæ, & Atheniensis prudentiæ medulla in prudentiora regimina recocta est. Sciunt omnes, qui ad benè regendam, vel instituendam Remp. collimant, sibi esse ad Venetos magistratus, ad Veneta vexilla confugiendum, ne ab ipsa benè regendi meta deerrent. Quæruntur etiam à Veneta Rep. potiora militaris prudentiæ rudimenta, quibus Martis seminaria ad gloriæ frugem rediguntur; cum ibi sit omnis militiæ disciplina, omnis magistratuum ordo, omnis futurorum prouidentia, omnis malorum declinandorum solertia. Ex quibus meritò Sol Rerump. appellatur Veneta, dum cęteris velut inferioribus astris sua effundens lumina ita splendescit in orbe, vt si ipsa non extaret, iacerent reliquæ in tenebris consepultæ, esset Italia summo destituta ornamento, res Christiana præsidio, Ecclesia perfugio, natura miraculo careret.



VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Iustitiæ.

Nihil est quod Veneti ciues suspiciant magis, magisque venerentur, ac colant quam bonum illud, siue priuatum, siue publicum sit, quod Iustitia parit; Iustitiam enim velut virtutum omnium præstantissimam prædicant, atque Ciuitatis, & Reip. animam dicunt; imo omnium legum præsidem, & iudiciorum tutelare Numen; Agnoscunt Veneti sublata legum institit, ac Ciuium æquitate imperia infirma esse; neque esse ætatem latura. Quod vero quod apud Venetos præclarius est in summo Iustitiæ cultu, illud est, quod non solum Veneti satagunt populis suis legumlatione, aut institutione præesse, sed etiam legibus ipsis subesse, earumque obseruatione cæteros prodesse, cum illud Vlpiani ipsis notum sit, etiam Ius dicentem iuri pareat oportere; Sciantque non iustum esse tantum imperare, sed iustum esse Iustitiæ, & legibus obtemperare. Dignior est inter imperantes Venetorum maiestas, quod legibus Iustitiæ sponte alligetur, id Themistocle ad Simonidem testante, vbi omnium imperantium vinculum vocat Iustitiæ legem. Iusti sunt Veneti, qui ea tantum volunt, quæ optima sunt; iustum namque id tantum esse, quod optimum est, aiebat Democritus. A Venetorum benè imperantium regimine orta est Iustitia in sæculo illo, in quo moribus incorrupti, natura adhuc insonte eorum imperio dominante, omnia dirigebant in fas, & æquum; propterea solius Venetæ Reip. Stemma Iustitia est, quæ, licet à quibusdam Astrea vocetur, quod exul ab orbe inter astra se receperit, melius tamen eo nomine insignita perhibetur, quod eam Veneti ab astris vi quadam ad orbem suum iuris, & æquitatis subnixum polis detraxerint. Floret ideò maximè Veneta Resp. quoniam ius suum vnicuique tribuit, ac præsertim in æqua præmiorum distributione, & iusta pœnarum irrogatione; ornant siquidem Veneti virtutem honoribus, & præmijs cuiusque merita pro æquitate compensant posthabito omni priuati animi affectu; parique iustitiæ consilio malè merentibus pęnas infligunt, & supplicia, cum optimè calleant omnem Remp. præmijs, ac pœnis velut æqualibus libratam ponderibus in se ipsa benè consistere.



VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Fortitudinis.

APud Venetos lis illa diù à politicis agitata dirimitur, an præstet bellicæ togata fortitudo, cum vtraque in ipsis omni æuo fulgentissimè rutilauerit. Non est in Veneta Rep. quemadmodum fuit in Græca, quod Nestor Achilli, vt in Romana, quod Tullius Cæsari, vt in Atheniensi, quod Aristides Pericli præferatur. Æquales sunt in hac Repub. Nestores, & Achilles, Tullij ac Cæsares, Aristides, & Pericles. Superant Veneti etiam constantiam Spartanam, dum oppugnantibus, atque in diem magis confligantibus fatis non cedunt, sed immota, atque inconcussa virtute resistunt. Nullum firmius aduersis exundantibus in Veneta Republica constituitur repagulum, quam animi robur, constantia, & æquanimitas. Vigens, & sanè constans Venetorum animus est, qui de hostili potentia, licet summa, nihil omnino trepidat; eminet namque Veneta Resp. quasi montis apex, extra omnem hostilis fortunæ iactum. Supra fortitudinem Achillis extollitur Veneta, qui in exigua pedis parte vulneratus occubuit, hæc licet in pede, scilicet in regni parte sauciata, vegetior est, ac fortiùs pugnat. Insita Venetis est hæreditario iure fortitudo, qua debacchantia Barbarorum incendia per vires deuastent. Alacriori siquidem animo in Martis amplexus feruntur Veneti, quam in Veneris delicias; neque ad trucem mortis aspectum vnquam animo procumbunt. Nullam fortunæ inconstantiam, nullas fluxarum rerum vicissitudines formidant Veneti, qui in instabili, ac refluo salo adamantinam fixere sedem, æternum ac coæuum superis in regione procellarum, ac turbinum posuere. Pugnant indefesso Marte cum summa regnantum potentia, cuius etiam narrant triumphos, vt agnoscat orbis, nihil prorsus in orbe esse, quod possit Venetorum animos, ac vires prosternere. Romani, quorum Martium virtutis robur, & libertas ipsa in Venetis rediuiua reflorescit, sæpius cladibus debilitati, sæpiùs prælijs vsque ad deplorationem victi, bello tamen prostrati sunt; non hactenus *V*eneti, neque in posterum fauente Deo. Adhuc Ægei fluctus *V*enetis illustrati victorijs sonoro murmure *V*enetam concinunt fortitudinem; adhuc *V*enetorum armorum crepitus totam Dalmatiam peruagatus non in vnius voce tubæ *V*enetum robur decantat; vbi etiam extant elogia, quibus *V*eneti dignè commendantur, vt fidei Custodes, & Altarium seruatores, vt Religionis Assertores.

VE-

VENETORVM RESPVBLICA

Regnum Temperantiæ.

SI alicubi vnquam omnia ad certam menſuram ſumptuarijs legibus redacta ſunt, hoc maximè omni æuo factum eſt in Veneta Rep. vbi neque Romanis Curiorum tempore, neque Arcadibus ætate Pſophidij, neque Thebanis ſæculo Epaminundæ, nec denique Spartanis annis Lycurgi inuidendum eſt. Omnes ætates, regiones omnes Venetorum temperantiam laudant; atque in rebus omnibus moderationem admirantur, cum multiplici lege apud ipſos ſanctum ſit, ſuperuacaneos ſumptus non eſſe admittendos, exceſſus omnes ſiue in victu, ſiue in veſtitu, ſiue in nuptijs, ſiue in conuiuijs, ſiue in aliarum rerum, ac ſeruorum apparatu eſse deuitandos. Deprædicant omnes Venetæ vrbis, præſertim antiquæ, frugalitatem, obſtupeſcunt omnes admirabilem Venetorum moderationem. Non placent hic Antonij conuiuia, Sullæ, & Luculli cœnæ, Sybaritarum deliciæ; Non placent Sardanapali luxus; condita iura Smydiridis, amictus Cræſi, Cambyſis periſtromata; hæc enim omnia per leges, & ſtatuta ſæpius iterata exploduntur à Venetis. Placet hic quo honeſtè, & decorè viuatur, at ſine exceſſu; Placet hic non profundere, ſed rei familiari optimè pro egeſtate conſulere. Ipſa etiam Veneta magnificentia intra certos terminos, & fines recipitur, extra quos euagari non licet; magnus ſiquidem eſt nuptiarum apparatus, ſed ita coercetur, vt probrum illud declinet, Nil ſponſis ſupra cœnam; ita enim nuptiarum res agitur apud Venetos, vt aliquid ſponſis vltrà menſam relinquatur; magna quidem ſunt in certis euentibus publicæ lætitiæ ſigna, at non ita, vt omnia portentoſo luxu conſumantur. Magnus denique exequiarum ſplendor, præſertim in Procerum, ac Principum funeribus, at non ita ſepeliuntur mortui, vt etiam cum mortuis opes omnes videantur conſepultæ. Erogant quidem diuitias in patriæ auxilium, in pauperes, in pia loca, in Eccleſias, at non proinde in largitione ab honeſtatis meta deflectunt. Vbique ſumptuariæ leges conſtituuntur, in omni rerum vſu, etiam Cymbarum promulgantur, licet ſæpe ſæpius non exactè impleantur.



VENETORVM RESPVBLICA

Regnum Munificentiæ.

NOtum est illud de Venetijs iactatum
Vt mare nil nisi aqua, Cælum
Nihil nisi Stellæ
Sic sunt Venetiæ nil, nisi diuitiæ.

ex quo, cum in erogandis diuitijs liberalitas versetur, coniectandum venit, quantum istius virtutis Venetis inesse possit, qui tot possident opes, qui tot pecunias in beneficentiam possunt elargiri. At suprema sunt liberalitatis officia, quæ apud Venetos exercentur, atque in ijs exercendis, vt de se ipso fatebatur Cyrus apud Xenophontem agnoscunt Veneti se aliquid habere diuinum, quo Deum ipsum in beneficentia imitantur; homo quippe sicut per auaritiam fit Deo dissimillimus, qui in omnes bona sua erogat, ita per liberalitatem fit homo homini Deus; quod si inexhausta perhibetur diuina largiendi facultas, hoc idem de Venetis Deum per liberalitatem imitantibus affirmari potest, quibus nullus est largiendi modus, nullus limes, aut finis; aptius siquidem de Veneta Rep. dici potest, quam de Romana quod sit velut mare in largitatem semper exundans, sed sine murmure, & fragore, cum non quærat in largiendo iactantiam, sed solam bene merentis, & fusè largientis dignitatem. Quænam orbis plaga est, quæ Venetæ Reip. muneribus non oblectetur? quinam Principes, vel Dynastæ huc accedentes etiam incogniti qui honorarijs Venetorum elargitionibus non perfruantur? Quinam literarum Proceres, qui Veneta liberalitate non gaudeant? Tolluntur laudibus ad sidera Athenienses, quod magnam auri, & argenti vim in Gymnasiorum sumptus plusquam regia liberalitate profuderint; at quò aliò fortasse profunderent, non habebant. Veneti verò Musarum ædes etiam inter buccinæ clangores, ac bellorum strepitus auro semper illustrarunt, nunc etiam in concitatissimo militarium procellarum æstu magis exornant, teste splendore, quo Augustale Sapientiæ Emporium Gymnasium Patauinum splendidissimo animo prosequuntur, semper in disciplinis propagandis magis incensi, semper maiori conatu rem literariam etiam summis impensis promouentes.



V E-

VENETORVM RESPVBLICA

Regnum Magnificentiæ.

LIberalitati, quæ ſplendida virtus eſt, ſplendidiorem adnectunt Veneti Magnificentiæ virtutem; cui à rebus magnis, atque præclaris nomen inditum eſt; ac propterea meritò Veneti in rebus magnis ſemper ampliſſimi præ cæteris Magnificentiam oſtentant; præſertim in ædificijs, quæ ſunt regia propemodum palatia, in templis, quæ ſunt auguſtiſſima, in plateis, quæ ſunt velut Romana Amphiteatra, in Mauſoleis, quæ Aſſyria ſuperexcellunt, in alijs denique omnibus, quæ ſuperant Pompei nobiliſſimos Porticus, Auguſti Cæſaris ſacraria vaſtiſſima, Athenienſium ædes celſiſſimas, Ægyptiorum denique Pyramides, & Obeliſcos; Qua fortaſſe de cauſa cum Venetias appuliſſet Henricus Quartus Imperator, ac tot rerum magnificentiam circumſpexiſſet, dixiſſe perhibetur, Inter Venetos ſitum eſſe magnificentiæ regnum; extat enim præter cætera in vrbe armamentarium tantæ molis, ac magnitudinis, vt nullum aliud, quod ſub cælo ſit, ſiue maritimum, ſiue terreſtre amplius, atque illuſtrius habeatur, cum in hoc vno Reip. toto orbe potentiſſimæ collocatum ſit robur, & decus. Aſſeruatur hìc tanta belli apparatus copia, tantus armorum præmicat ordo, vt ſupra quingenta hominum millia facile poſſint armari. Sunt hìc etiam triremes innumeræ, quæ non impuriſſima Domitij Neronis ſpectacula potiùs ad omne laſciuię, quam magnificentiæ genus effoſſa commonſtrant, vbi triremes ipſas nudæ mulieres nocturno tempore ad incenſos cereos remis agebant, ſed ſemper inuictam Venetorum potentiam nunquam mari profligandam, ſed ſemper admirandam omnibus indicant. Silentur cætera, quia ſpectantium oculis magnificentiſſimè ſubijciuntur.



VE.

VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Maieſtatis.

TAnta eſt Venetæ Reip. Maieſtas, vt ſi Cyneas Epirotarum Orator eam intueretur, melius quam de Romana Maieſtate proferret, Adſum Deorum templo, Regum domicilio. Conſtituunt hic Venetam Maieſtatem magnorum Heroum, magna germina, magni Senatus, magni Proceres, magnæ Reip. magni Senatores, quam ſpectantes Principes ipſi, intimo quodam naturæ impulſu venerantur, vt aliquid in ipſo orbe, in ipſa natura ſupremum. Obmuteſcunt ſæpe, palleſcunt, obrigeſcunt, totis artubus contremiſcunt viri etiam merito, doctrina, natalibus ampliſſimi, cum ipſam adeunt allocuturi, cæleſtia quædam Numina, ſed more hominum purpurata eò demiſſa obſtupeſcentes; cum tamen Veneti homines ſint, ſed in conſilio grauiſſimi, in ſumma grauitate potentes; in ſumma poteſtate rectiſſimi; tam magno decore magiſtratuum gradus ſuſtinentes, eorumque munera obeuntes, vt merito dictum ſit, aliarum Rerump. dignitates licet à Lycurgo, Minoe, ac Solone inſtitutas, aut cum Veneta non eſſe conferendas, aut cæterarum palmas ſoli Venetæ eſſe deferendas; cum nihil tam magnum fuerit in reliquis, tam elegans, & honorificum, quod in Veneta Maieſtate omnium intuentium oculis ſtupendo miraculo non protrudatur.

VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Humanitatis.

VEnetias adire opus eſt eos omnes, qui humanos, ciuiles, àtque vrbanos geſtiunt induere mores; vbi generis nobilitas licet illuſtrior ſit, copioſior, numeriſque omnibus abſolutior, quam alibi gentium, vel locorum, habetur tamen ibi, quo ſtatim iudicetur, Venetos ad humanitatem, & vrbanitatem non factos eſſe, ſed natos. Exeruntur ſiquidem à Venetis erga exteros, & aduenas, licet cæli inhoſpiti accolas, mille beneuolentiæ, ac benignitatis indicia, quæ ſunt humaniſſimi animi characteres. Si cum Venetis inſtituantur colloquia, tanti amoris proferuntur illicia, vt tot vinculis, quot verba adhibent, colloquentium animos deuinciant; & quod magis mirandum eſt in tanta vrbanitate, ita ſemper loquuntur Veneti, vt nihil vnquam temerè, vel abſque conſilio loquantur,

VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Magnanimitatis.

QVanta sit istius virtutis magnitudo, ex ipsa vocabuli notione coniectare fas est; nomenque ipsum Venetis magna satis portendere, iam omnibus notum est, cum Veneti illi sint, qui semper magna, semper grandia moliuntur, semperque sublimia meditantur. Magnanimi quidem Veneti sunt, qui semper in grandia collimant, qui semper magnis dignos se iudicant; at non propterea ita dicuntur elati, aut superbientes, vt se intra suæ magnitudinis fines non contineant; ea namque præsertim de causa apud omnes in pretio habentur Veneti, quod licet suam eximiam dignitatem agnoscant, non ideo constitutos propriæ magnitudini fines videntur vnquam excedere. Affectant quidem honores Veneti, sed à viris, ac Principibus emerita tantum virtute fulgentibus, in hac re Iphicratem Imperatorem optimum imitantes, qui nulla re magna in sui decus exposita gloriabatur, nisi à sapientissimis, atque laudatissimis viris Atheniensibus proueniret; Indeque fit vt à Venetis, viris verè magnanimis honores illi contemnantur, qui à vulgaribus feruntur, cum honorantium humilitas tantæ magnitudinis apicem non sit digna pertingere. In ea verò re potissimum excelsi animi virtute splendescunt Veneti, quod potiùs gaudeant beneficia conferre, quam recipere, exemplo Thebanorum, qui in id vnum vnanimiter collineare solebant, quo possent alijs bona sua ex animi magnitudine conferre.

VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Beneuolentiæ.

PRæclara beneuolentiæ officia erga omne personarum genus indiscriminatim exercent Veneti, quod est supremum virtutis ornamentum. Satagunt Veneti omnes amare, omnibus etiam exteris dilectionis signa exhibere, vt ipsi ab omnibus diligantur, summo à cunctis excipiantur obsequio. Prisci Romani eò potissimum intendebant, vt omnium patres beneuoli dicerentur; in id fortiùs contendunt Veneti semper in aliorum beneficia velut patres effusi; Quis enim est qui aliquid peroptet, aut petat in Veneta Rep. & non obtineat? Insito quodam præcelsi animi impulsu, impellente quodam diuinæ maiestatis afflatu in aliorum bona iugiter conspirant Veneti; idque dumtaxat in aliorum leuamen non agunt, quod agere nequeunt (si tamen aliquid est, quò eorum beneuolentiæ celsitudo

non

non pertingat.) Hinc nemini inuident Veneti, nec aliquid est, quod ipsis sit inuidendum. Nulla æmulatione concepta, nullo liuore exagitantur Veneti, cum in ipsis tantum sit, quod possint cæteri æmulari. Abest à Venetis semper inuidia, quæ res est abiecta, & senilis; ijsque tantum possunt inuidere, qui possunt in alijs bona potiora iudicare, quam sua. Supra se se ipsos erigere non possunt Veneti, ac propterea extra Venetam gloriam, extra Venetam magnitudinem nihil superest inuidendum.

VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Clementiæ.

NAtura in apibus regem sine aculeo esse voluit, vt esset id ingens principibus clementiæ exercendæ exemplum. Adeo propria Venetorum virtus est Clementia, vt nihil magis in subditos, & etiam exteras gentes, cùm contingit, exerceant; quo beneficijs potius, quam seueritate omnium ingenia experiantur; lenioribus siquidem officijs, ac consilijs ampliora Reipub. emolumenta parari solent; nec adeo arces benè munitæ, montium latera, fortissima mænia, multiplices turres seruant Remp. incolumem, vt facit Reip. moderatorum Clementia. Ad extollendam Venetorum clementiam ferendum erat illud Senecæ Elogium

Pulchrum eminere est inter illustres viros
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cede abstinere.

Adhibentur seueræ animaduersiones in Rep. vt delinquentes corrigantur, vt ciuium probitas augeatur, vt facinorosi tollantur. Hæc omnia facilius assequuntur Veneti per clementiam, quam per tortores exhibitos, cum adhibita clementia facilius excitetur delinquendi in posterum verecundia, eosque pudeat deliquisse, qui tam facile delicti veniam inuenere; plures namque meliores clementia fecit, quam pæna. Ita tamen clementiam profitentur Veneti, vt licet sæpè delinquentibus, nunquam tamen delictis ignoscant; & quemadmodum moderata seueritas in eis maiestatem præstat, sic non omnium gestiunt videre supplicia, nec facilè punientes, nec facilè ignoscentes, licet sciant veniam facilius ciuium amorem conciliare, quod est firmius potentiæ munimentum, quam punitionem; Illud namque Taciti in Agricola sæpe memorant, omnia scire, non omnia persequi, paruis peccatis veniam, magnis seueritatem commodare; nec pœna semper, sæpè pænitentia contentum esse.

V E-

VENETORVM RESPVBLICA

Regnum Solertiæ.

NOn commendantur hic Veneti tamquam Solertes ex illa tantum ingeniorum industria, perspicacitate, subtilitate, & acumine, quæ ipsis à natura indita sunt, sed ex illa prudentiæ parte, qua Veneti ipsi ad illa coniectanda, quæ ad optimum agendorum consilium spectant, dicuntur ingenio acres, celeres, ac veloces; licet enim summa sit Venetorum prudentia, non ea quæ eligenda, aut facienda sunt aperta ratione viderent, nisi quodammodo ex ingenij perspicacitate per solertiam diuinarent. Ex qua res agendas sic benè rimantur, & acutè introspiciunt, vt etiam in rebus Reip. grauioribus, ac maximè dubijs, medium facilè, & confestim inueniant; sic optimo consultationis genere in agendis non semper celeri deliberationis motu festinant, nec semper mora, ac tarditate consilij cunctantur, sed modo cunctanter, modo celeriter agunt, prout res ipsæ postulare videntur, & à Fabij Maximi cunctatione, & à Iulij Cæsaris celeritate suæ solertiæ laudes capessentes. Antequam verò agant Veneti semper solertissimi, & præterita per memoriam recolunt ex experimentis, & futura per prouidentiam anteuertunt, & ea, quæ res ipsas agendas comitantur, per circumspectionem vndique peruident; & ad exactam reuocant trutinam; in eo namque situs est Venetæ prudentiæ, ac solertiæ vsus, vt singula metiantur quæ rem circumstant suscipiendam, quid sequendum, quid fugiendum, quid prodesse, quid obesse, quid commodi, vel incommodi existere possit, diligentissimè explorantes; Sicut enim optimus gubernator plagas omnes cæli circumspicit, vt ad omnem ventorum vim, ac tempestatum motus paratus adsistat; sic Veneti per solertem circumspectionem omnes aduersantis fortunæ impetus facilè eludunt, Martis dolos ac furores ingruentes strenuè declinant, nihil denique pœnitendum per inconsultam temeritatem operantur.



VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Disciplinæ Politicæ.

VEnetorum Remp. ad summum magnitudinis culmen euectam esse sola disciplina politica apud omnes est in confesso; qua etiam dicitur semper præstitisse Cretensibus, Lacedæmonijs, Atheniensibus, Chartaginensibus, & Romanis; hanc enim non solum diuinitùs conditam acceptum habemus, sed etiam Deos ipsos posuisse, atque optima politicæ disciplinæ institutione in æuum firmasse satis exploratum est; ex quo postmodum tantum gloriæ consecuta est, vt & gentis vetustate, & ciuium nobilitate, & intemeratæ libertatis prærogatiua, & rerum gestarum claritudine, & classium viribus, & victorijs, & Patrum moderatione, & legum sanctitate Resp. omnes vetustiores antecesserit; cum inter cætera Venetæ Reip. instituta quæ in miraculum vsque excreuerunt, id potissimum summa admiratione conspiciatur, quod præstantissima politici regiminis forma, licet multiplici Procerum ordine constituta, nullam afferat confusionem, nullas ciuiles discordias, nullas insidias, seditiones nullas, nullas coniurationes, sed semper constans, atque inuiolata legum sanctitas, semper magistratuum integritas, & obseruantia perseueret. Quo etiam factum est, vt sanctiora omnium Rerump. statuta in solam Venetam deuenerint, vt perennitatem nanciscceretur; & licet etiam Romanis ars benè regendi, & orbi imperandi à sola virtute data sit, cum Numa, qui ex Cassiodoro primus extitit apud ipsos politici regiminis institutor, vnam omnibus colendam proposuerit virtutis legem, indito primùm religionis obsequio meliori tamen modo in sæculorum decursu orta est Veneta felicitas, quæ nullam primis temporibus vnquam admisit viuendi turpitudinem, nullam vitiorum labem, nullam operum fœditatem, quibus ars imperandi, & politici regiminis forma solet contabescere.



VE-

VENETORVM RESPVBLICA
Regnum Gloriæ Militaris.


VEnetorum armorum magnitudo tam latè per orbem fusa, atque militaris ipsorum gloria iam orbis fines excedens ex eo semper est accersita, quo summa prudentia disposuit bella, inuictum robur suscepit prælia, incensus sanguis irrigauit palmas. Habuere semper Veneti Scæuolas suos, Curtios, Horatios, Fabios, Scipiones, Annibales, Epaminundas, & Themistocles celeberrimos bellorum Antistites, quorum gloria fuit aut vincere, aut mori; ad tubarum clangores semper impauidos, ad hostium clamores semper imperterritos, ad irruentium cateruarum incursus semper inflexos, ad telorum aliarumque machinarum fragores, & boatus semper inuictè gestientes. At nunc præsertim temporis videntur Veneti omnem armorum gloriam sui nominis fama superasse, qui tot annis tot mundos bellatores à Turcis in aciem productos non solum infracto animo, inflexis viribus sustinuere, sed etiam omni extranea ope deficiente, sæpe sæpius profligarunt, atque in extremum discrimen adegerunt; quo virtus Veneta militaris ad tantum maiestatis culmen euecta est, vt ascendere altiùs nunquam possit. Etsi inter Venetos adnumerare fas esset strenuissimos belli duces, quos tempora nostra priscis Heroibus, aut pares tulerunt, aut superiores; emergerent profectò viri omnibus sæculis, omnibusque Rebuspub. inuidendi. Superstites fama, ac merito adhuc sunt duo illa fulmina belli, duo armorum miracula, duo Æquoris Martes, qui proprio interitu Venetam Remp. immortalitate donarunt, qui rerum modico quidem tempore, sed gloriosissimè gestarum laudibus orbem totum vsque ad redundantiam impleuerunt; qui nihil propugnarunt, quod pugna peremptum sit; nihil oppugnarunt, quod captum non fuerit, nullam iniere pugnam ex qua victores non decesserint. In quibus tanta fuit animi vis, tanta laborum patientia, tam excellens fortitudo, tam inuicta constantia, tam graue consilium, vt ex ipsorum hostium confessione essent duces semper amandi, semper metuendi, semper admirandi. Hos tandem iniquo fato sublatos plorat Veneta Resp. sed non ideo Venetum nutat imperium, non ideo recedit à Classibus victoria, quæ in dies, & prædas, & regiones, & mancipia adauget, dolente Turca, inuidente aliorum Principum fortuna.



VE-

Regnum Beatitatis.

CRetensium regnum legimus olim ideo fuisse beatitate donatum quod esset augustale Virtutis Emporium; vbi etiam sacra quæ erant rependenda Ioui, ex sola virtute Minois in obsequium vertebantur. Par regno illi, quod modo Venetum est, Venetæ Reip. videtur decus deferendum, vbi omnia plena virtutis sunt, omnes homines ex virtute beati dispiciuntur; beatitudo namque, teste Solone, soli virtuti ab initio congenita est, quod est innuere, non soli Reip. Atheniensi; sed etiam Venetæ cæteris eximia virtute præstanti. Felicem quamdam, ac beatam quærebat olim Charilaus Remp. in qua essent ciues virtute præstantissimi; Si Venetam adiuisset, ab inuenta beatitate nunquam abscessisset; ibique confessus esset, posse Resp. omnes, licet miseriis conflictatas, licet procellis concussas, sola ciuium sapientia, & probitate ad portum salutis semper enauigare; in portu beatitatis conquiescere, exemplo illius Atheniensium nauis ad Flamines transuectandos institutæ, quæ licet sæpe fluctibus iactata, nunquam interijt, superstite inter procellas, & tempestates imo magis coruscante illius gloria.



INDEX LEGVM.

Ad

Ad

F I N I S.

LEGES DOCTRINÆ

Ex toto Opere excerptæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. I.

Ad Astrologos.



Strologia nunquam ab Astronomia seiungenda.
Astrologia velut appendix Astronomiæ adnectenda.
Astrologia non semper damnanda tamquam Veritatis larua.
Astrorum Scientia seù Ars necessariò admittenda.
Astra fixa, & errantia æquè Astrologis obseruanda.
Astrorum vis ex euentibus potissimùm dignoscenda.
Ab Astris quidam euentus certò expectandi.
Ab Astris arcenda fata.
Astris corpora tantùm alliganda.
Astris nullo modo subijciendum rationis imperium.
Astris inferendum bellum, quo tuta sit arbitrij libertas.
Ad Astra non sunt humana flagitia transferenda.
Astrologorum Oracula non semper audienda.
Astrologis perrarò fides adhibenda.
Astrorum dominatus præsertim in mare relegandus.
Astrorum impulsu æquora rotari, & in gyrum circũagi pro certo habendũ.
Astris dumtaxat aquarum fluxus, & refluxus adscribendus.
Astra fixa, & errantia Astrologici characteres censendi.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. II.

Ad Genethliacos.

GEnethliaca Astrologiæ pars in solis hominum genituris constituenda.
Genethliaca Astrologiæ pars præ cæteris excolenda.

Gene-

Genethliacorum dignitas ex pretio vetuſtatis deſumenda.
Genethliaci ex perfecta mundi ſuperioris, & inferioris cognitione laudandi.
Genethliaci neque ſuprà orbes, neque ſuprà naturam euehendi.
Genethliaca Aſtrologiæ pars ex euentuum incertitudine non improbanda.
Genethliacorum prædictiones vt plurimùm deridendæ.
Genethliaci redarguendi velut ſplendidæ fraudis opifices.
Genethliacorum auaritia potiùs, quam prædictio metuenda.
Genethliacis Natiuitatis tempus, & Poli altitudo præſertim inſpicienda.
Genethliacis Aſtrorum, & Planetarum complicationes maximè aduertendæ.
Genethliacis momentum natiuitatis velut diuiſibile accipiendum.
Genethliacis non eſt natalitium erigendum Thema cum incertitudine momenti natiuitatis, vel conceptionis.
Genethliacis triplici incedendum via, cum ipſis contingit natiuitatis momentum ignorare.
Genethliacis potiùs à natura, & educatione quam ab Aſtris inquirenda hominis malitia.
Genethliacis non eſt Mars incuſandus, quod quis gladio pereat.
Genethliacis euentorum circumſtantiæ ſemper ignotæ cenſendæ.
Genethliacis etiam experimenta velut fallaciſſima contemnenda.
Genethliacis ex eadem Cæli conſtitutione ferè nihil certò iudicandum.
Genethliacis etiam in Cælo rerum mutationes diſquirendæ.
Genethliacis regionum leges, ritus, ac mores potiſſimum in genituris ſpectandæ.
A Genethliacis non ſemper fauſta fauſto cælo prænuncianda.
A Genethliacis non eſt ſolis aſtris hominis cura demandanda.
A Genethliacis in præcauendis malis ſola prudentia commendanda.
A Genethliacis expectandæ miſeriæ ante miſeriam.
Genethliaci mortis prænunciatores velut homicidæ damnandi.
Genethliaci velut omnium aduerſorum miniſtri odio habendi.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. III.

Ad Mathematicos.

A Diſciplina Mathematica ampliora regnorum, ac Rerump. commoda cognoſcenda.
Mathematicæ facultatis dignitas etiam è rebus vulgaribus, & mechanicis deducenda.
Mathematica velut nobilior Philoſophiæ pars æſtimanda.
Mathematicæ Aſtronomia, Geometria, & Arithmetica deuouenda.
A Mathematica quærenda exacta temporum ſeries, & viuendi ratio.

A Ma-

A Mathematica doctrina accipienda benè agendorum regula.
A Mathematica Artes omnes eruendæ.
Mathematica velut vis animæ purgatrix adhibenda.
A Mathematica capienda virtutis norma.
A Mathematica potior animi pulchritudo extrahenda.
Mathematica velut punctum, & centrum aliarum scientiarum reputanda.
Ex Mathematica rationis domicilium in homine exædificandum.
Mathematicis punctum dumtaxat velut potiùs obiectum præscribendum.
Mathematicis illustriora suæ artis miracula ex punctis ostentanda.
Mathematicis ne dum terrestria, & elementaria, sed etiam cælestia puncta adeunda.
A Mathematicis cælestes Poli habendi velut duo puncta in orbibus latitantia;
A Mathematicis, & Astrologis eadem appellatione Poli nominandi.
A Mathematicis quatuor Cardinalia puncta in Zodiaco numeranda.
A Mathematicis etiam linearum studium exercendum.
A Mathematicis nedum notissimæ lineæ indagandæ, sed etiam mixtæ, versiformes, atque in infinitum productæ.
A Mathematicis vna directionis linea quamplurima dirigenda.
Mathematicis etiam harmonicæ lineæ accuratè considerandæ.
A Mathematicis omnis temporis mensura in lineis constituenda.
A Mathematicis Astronomiæ Ars per lineas disponenda.
Linearum dimensio ad quæcumque ardua ac remota à Mathematicis dirigenda.
Vniuersi volumen vnica linea à Mathematicis explicanda.
Ipsius vitæ linea ad Mathematicam redigenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. IV.

Ad Cosmographos.

EX Cæli ac siderum dimensione; ex mundi partium, atque Elementorum commensuratione perficienda Cosmographo Virtutis regula.
In duas partes ac regiones secandus à Cosmographo hominis animus.
Sphærica mundo figura à Cosmographo adscribenda.
In Cosmographia præsertim Caldæorum, Ægyptiorum, & Græcorum doctrina amplectenda.
Tota mundi figura in nulla situs differentia collocanda.
Arbitrariæ tantum situs differentiæ mundo concedendæ.
Cosmographis ritus Poetarum, Philosophorum, & Theologorum quandoque excipiendi.
Cosmographis ne dum regionũ situs, sed etiam populorũ mores disquirẽdi.

Nullus

Nullus aeris aut regionis influxus in liberis hominum actionibus à Cosmographis admittendus.

Populorum leges etiam Cosmographis obseruandæ.

Pro regionum diuersitate diuersa corporum temperies Cosmographis decernenda.

Quatuor Hæmisphærij fines à Cosmographis constituendi.

Non vbique locorum hominum habitacula a Cosmographis constituenda.

Quorumdam Antiquorum errores à Cosmographis vitandi, & irridendi.

Triplex regio ab Æquatore ad Polum æquali ratione à Cosmographis diuidenda.

Ex variè affectis regionibus variæ quoque Cosmographis coniectandæ populorum conditiones.

Validiores virtutes ibi a Cosmographis animaduertendæ, vbi infirmiora dispiciuntur corpora.

Vbi robustiores virtutes, ibi etiam vitia potentiora à Cosmographis dignoscenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. V.

Ad Geographos.

GEographiam à Philosophis ortum duxisse pro comperto habendum est.

Telluris globus in duas partes necessariò discriminandus.

In terra habitata potissimum Geographo versandum est.

Etiam Antipodum habitatio à Geographo lustranda.

Antipodes non omnino à Geographo reijciendi.

Neque Antipodum casus Geographo metuendus.

Nobis & Antipodibus æquè Cælum velut suprema mundi pars concedenda à Geographo.

Gradus ad Antipodas non omnino inhibendus in Geographia.

Geographo fatendum quasdam esse regiones, quas nemini adire fas sit.

Terræ diuisio per varias Zonas à Geographo facienda.

Non omnes terræ Zonæ habitabiles censendæ sunt.

Non est Geographo sistendum in vna telluris descriptione.

Terminus terræ habitatæ non solus Oceanus præscribendus, sed etiam terra ignota.

Terra vt plurimum tripartita diuisione est Geographo secernenda.

Non est Geographo negandum posse totam Africam circumnauigari.

Terræ figura rotunda ac sphærica à Geographo delineanda.

Sphericæ figuræ ratio ab ipsius telluris latitudine petenda.

Eiusdem figuræ orbicularis ratio sumenda etiam ab orbiculari circumnauigatio-

gatione ab Oriente in Occidentem.
Plana terræ figura non omnino à Geographis improbanda.
Geographiæ dignitas ab hominis dignitate desumenda.
Geographicæ tabulæ studiosis exponendæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. VI.

Ad Genealogos.

Non facilè humanæ conditionis repudium Genealogo admittendum.
Damnandi à Genealogo qui ortum à Dijs sibi vendicant.
Insania etiam notandi qui genituras alicui solo affixas ostentant.
Genealogo Indigenarum vox omittenda.
Omnium populorum origo apud Genealogos à Chaldæis petenda.
Etiam omnium artium, & scientiarum origines in Chaldæos referendæ.
Regioni Chaldęorum seruatum humani generis seminarium adscribendum
Prima quoque loquendi idiomata à Chaldæis deriuanda.
Athenienses Asiaticis priores fuisse non omnino res firma à Genealogo habenda est.
Græcos ab Asiaticis, Ægyptijs, & Phœnicibus oriundos esse absque errore sustineri potest.
Italorum origo à Græcis, Gothorum à Gallis deducta credenda est.
Gallorum origo à Troianis, Germanorum, & Gallorum cōsanguinitas æquè anceps habenda.
Genealogo non tantum corporum, sed etiam morum, & animorum propagationes disquirendæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. VII.

Ad Chronologos.

Recta annorum computatio, & recta rerum per tempora digestio velut potior Chronologiæ regula amplectenda.
Examen temporum ab ipsis temporum characteribus Chronologo petendum.
Ab ijsdem characteribus cuiuslibet historiæ series auspicanda.
Prima temporum ratio ab orbe condito haurienda.
Chronologiæ exordium ad homines Troianis antiquiores referendum.
Ægyptiorum errores in Chronologia non admittendi.
Annorum ratio, numerus, & vsus à Chronologo potissimùm spectanda.
Omnis motus ac temporis regula à Lunæ ac Solis conuersione præsertim capienda.

Inde

Inde duplex annus Solaris nimirum, & Lunaris Chronologo instituendus.
Solaris ac Lunaris annus sæpè à Chronologo permiscendi.
In quacunque Chronologia certus ac fixus annus statuendus.
Anni quidam ab inuariato cursu aberrantes à Chronologo reijciendi.
Philolai, Democratis, ac Cæsaris anni erroris pleni censendi.
Vsus annorum, qui erat apud Hebræos,& Ægyptios,nec omnino accipiendus, nec omnino abolendus.
Annorum initia apud Græcos, Arabes, Chaldæos,& Persas obseruata Chronologo obseruanda.
Tria præsertim tempora in Chronologia recolenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. VIII.

Ad Historicos.

Nihil in vita iucundius censendum studio historico.
Nihil vtilius quærendum historia ad comparandas omnes ferè disciplinas.
Rectæ vitæ præceptor Historicus existimandus est.
Historia quandoque ipsi Philosophiæ præferenda.
Nulla impietatis atque infidelitatis nota Historicus culpandus.
Potior lex Historico indicenda sit Veritas.
Nulla de causa Veritas ab Historico temeranda.
Nihil addendum aut minuendum Historico.
Historico cauendæ narrationes aut digressiones insertæ dumtaxat ad proferendum acumen ingenij.
Ab Historico non ità facilè adhibendus in exemplum Tacitus.
Ab Historia id potissimum deducendum, quod est appetendum, quod est fugiendum.
Exempla virtutum, & vitiorum ab Historico frequenter proponenda.
Purior ac simplicior stylus ab Historico probandus, & vsurpandus.
Asiaticus, & Laconicus stylus æquè in historia improbandus.
Historiæ metro exaratæ non omnino deroganda fides.
Maior adhibenda fides historiæ soluta oratione conscriptæ.
Historico multarum rerum vsus, & scientia comparanda.
Deterius Historicorum genus illud habendum, quod est omni rerum vsu, scientia, & eruditione destitutum.
Non sunt solæ virtutes alicuius ab Historico proferendæ, sed etiam vitia, si quæ sunt, fideliter recensenda.
Non tamen Historico obtrectatoris nomen aucupandum.
Non est Historico de Principum moribus more Philosophi disceptandum.
Nuda, & simplex est vnicuique historia proponenda.

In

In conscribendis historijs temporum cura, ac ratio semper habenda.
Ex opinionum incertitudine non est incerta, ac nutans reddenda historiæ veritas.
Aridi temporum fontes à Græcis inuenti in conscribenda historia omnino relinquendi.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. IX.

Ad Physiognomos.

QVædam velut inscrutabilia à Physiognomo relinquenda.
Externi quidam characteres à Physiognomo examinandi.
Inuestigandæ Physiognomo quædam interiores animi propensiones.
Exploranda per corporis notas etiam animi sensa.
Physiognomia velut fenestra Socratica adhibenda.
Exercenda Physiognomia tamquam ars purè coniectatoria.
Mentis habitus ex statu corporis discernendus.
Ex oculis præsertim hominum mores iudicandi.
Similitudo linearum in fronte cum septem inerrantibus stellis comparanda.
Pars Physiognomiæ potissima censenda est Metoposcopia.
De abditis, ac retrusis animorum arcanis non est Physiognomo ita facilè diuinandum.
Nec Chiromantibus tuta ars diuinandi ex notis manibus inscriptis.
Error eorum putandus est, qui omnino Physiognomiæ, eiusque partibus se credunt.
Non semper redarguenda Physiognomia, tamquam peccatis obnoxia.
Melius corporis quam animi affectiones ex Physiognomia disquirendæ.
Bona corporis valetudo ex linearum dispositione præsertim coniectanda.
Non semper Zopyri iudicium in Physiognomia admittendum.
Non sunt intimi cordis recessus adeundi ex externo vocis, ac sermonis charactere.
Fallacissimum putandum est vocis indicium, ac iudicium.
Neque ex reliquis corporis signis certò arguenda animi conditio.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. X.

Ad Physiologos.

PRimum Physiologo constituendum munus, & officium naturæ admiranda scrutari.
Forma, & materia velut cardines naturæ à Physiologo constituendi.
Elementa velut rerum omnium primordia in natura dignoscenda.

E rebus contrarijs vniuersi harmonia concilianda:
Non omnia quæ sunt in natura cognatione, vel affinitate deuincienda.
Ex rerum varietate spectandus potior naturæ ornatus.
Non est totius mundi sistema primo opifici cœterorum faciendum.
Vnum tantum Physiologo admittendum rerum omnium principium.
Improbandæ Physiologo omnes de Principiorum multiplicitate sententiæ.
Non omninò reijcienda plura rerum principia, si ab vno omnia originem ducere censeantur.
Ea debet Physiologo affulgere veritas vt rationalem animam interiùs incorruptibilem, immortalem, atque à solo Deo creatam fateatur.
Non est tempus animæ concedendum, antequam in corpore recipiatur.
Non sunt ad pocula lethæa, neque ad alias fabulas Pythagoricas animæ ammandandæ.
Omnes causarum actiones, agendi modi, & effectus Physiologo perpendendi.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XI.

Ad Meteorologos.

Omnia corpora imperfectè commixta Meteorologo discutienda.
Tres præsertim aeris regiones à Meteorologis distinguendæ.
Effluxiones, exhalationes, & vapores aeris regionibus accommodandæ.
Præter Solis calorem admittendus etiam calor ignis in Meteororum formatione.
Omnia meteora aut calore accendente, & rarefaciente, aut frigore addensante, & congelante progignenda.
Nubium gignendarum modi tres tantum à Meteorologo admittendi.
Nubes etiam in aere grauitantes subsidere, nec deorsum ruere pro certo Meteorologis habendum.
Pluuia duplici tantum modo è nubibus demittenda.
Æquè per compressionem, ac transmutationem pluuiam è nubibus efformari credendum est.
Anceps ac valdè dubia habenda illa doctrina, quæ animalia è nubibus decidisse ad modum pluuiæ testatur.
Omnis ventorum origo vel ad terram, vel ad aquam, vel ad aerem referenda.
Nugæ Poetarum de loco ventorum irridendæ.
Varijs mundi plagis venti varij adscribendi.
Incertus adhuc ventorum numerus censendus:

Fulmini, fulguri, & tonitruo ignea natura deputanda.
De fulmine sine nubibus exorto nihil Meteorologo credendum.
Dubitandum Meteorologo an admisso sereno cælo possit fulmen, & fulgur admitti.
Non minus de Cometis Meteorologo inquirendum, quam de niue glacie, grandine, rore, pruina, & reliquis meteoris.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XII.

Ad Theologos.

Fides, & ratio tamquam potiora Theologiæ directoria adhibenda.
Deus cum omni sua perfectione à Theologo cognoscendus.
Dei vnitas à Theologo potissimum demonstranda.
Dei vnitati cætera Diuina attributa à Theologo adnectenda.
Non omnis Societas à Diuinitate excludenda.
Mundi regimini non sufficiendi moderatores plurimi.
Numquam Deorum nomina à Theologo excipienda.
Nullus limes in aptitudine ad locum Deo præscribendus.
Nulla etiam durationis meta in Deo statuenda.
Nullus finis in diuina infinitate à Theologo proponendus.
Nulla potentia, quæ non sit actus, in Deo agnoscenda.
Nullum agendi principium, quod non sit actio in Deo concedendum.
Omnium rerum intelligentia Deo adscribenda.
Omnium rerum potentia intelligentiæ diuinæ coniungenda.
Existimandus Deus sola sui intelligentia perfectè beatus.
Nihil bonitatis addendum Deo ex bonitate Creaturarum.
Nihil Sapientiæ in Deo ipso augendum ex cognitione creaturarum.
Perfectissima agendi libertas in Deo agnoscenda.
Nulla agendi necessitas ad extra admittenda.
Æternitas boni ad extrà voliti ab ipsa libertate numquam dissocianda.
Cum rerum mutatione Diuina immutabilitas connectenda.
Non est dicendus à Theologo mutabilis Deus ex eo quod possit nolle, quæ voluit.
Neque in Deo arguenda mutabilitas ex eo, quod fecerit in tempore, quæ noluit facere ab æterno.

LE-

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XIII.

Ad Oratores.

ÆQuè Sapientes, atque Oratores colendi.
Vna vtrisque laus tribuenda.
Ab Oratore vbique locorum, vbiuis gentium erudita dicendi facultas exercenda.
Ab Oratore non tam alliciendi Auditores, quam instruendi, ac persuadendi.
Oratori de re quacumque disceptandum.
Non est Orator ea tantum regione concludendus, vt eleganter, & ornatè dicat.
Non est in Oratore sola memoriæ vis spectanda, sed etiam ingenij.
Etiam Philosophi munus quandoque Oratori exercendum.
Oratoria facultas in pretio habenda tamquam moralis philosophiæ, & sciētiæ ciuilis propago.
Vis bellica, & togatæ prudentiæ robur cum eloquentia Oratoris comparanda.
Ab Oratore audientium animi præsertim commouendi.
Non est sola fusæ, ac fluentis orationis pompa ab Oratore exponenda.
Reuocanda à sepulchris veteris eloquentiæ vestigia.
Excitandi pro libito ab Oratore in animo affectus.
Legationibus Oratores præsertim in Rep. præficiendi.
Legatus æquè, & Orator eloquentia præstans eligendus.
Laconicum dicendi genus in materijs politicis ab Oratore adhibendum, Atticum in rebus medijs; Asiaticum in sublimibus.
Triplex quoque in dicendo ornatus in Oratore exigendus.
In eadem oratione pro rerum varietate varij quoque ornatus ab Oratore proferendi.
Quæcumque oratio primò ad mediocria deflectenda, deinde ad alta postremò ad sublimia attollenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XIV.

Ad Poetas.

TVrpis, atque impudica Poesis meritò vt Ars mala improbanda.
Non ille solus nominandus Poeta, qui numeris tantum lasciuientibus animos oblectat.
Venereis quibuscumque Poeseos laus, & laurus detrahenda.

Genuina Poesis in solam virtutem dirigenda.
Germana Poesi numquam dissoluendi mores, sed componendi.
Metrum pro affectuum regula vsurpandum.
In bonarum artium choro collocanda Poesis, nisi vitietur.
Politicæ facultati subijcienda Poetica.
Poeticæ parens Homerus censendus.
Semper illi Poetæ damnandi, ac supplicijs mulctandi, qui proferunt obscæna.
Obscænus Poeta nullo modo Homeri soboles vocitandus.
Redarguendi etiam illi Tragædi, qui impurissima Deorum, hominumque facinora in scenam referunt.
Colenda Poesis dumtaxat, vt simul oblectet, & prosit.
Nullum Poeticæ genus à benè formandis hominum moribus debet dissidere.
Epopæia, seù heroica Poesi Heroes tantum, seù Heroica facinora describenda.
Tragædiæ exempla, & Comœdiæ ioca in solam hominum vtilitatem adferenda.
Lyrica Poesis in rebus sacris maximè tractanda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XV.

Ad Diuinatores.

Non omnis Diuinatio admittenda, neque omnis reijcienda.
Diuinatio in rebus naturalibus, neque à veritate, neque ab euentu censenda est omnino aliena.
Ex varijs temporum signis varij euentus prædicendi.
In rebus merè fortuitis, & causas non habentibus non est diuinatio exercenda.
Quæcumque Auguria, Auspicia, Haruspicia, & sortilegia damnanda.
Genij etiam apparitiones, afflatus, & concitationes in arte diuinatoria nihili facienda.
Diuinationes per somnia minimè probandæ.
Diuinationes Astrologicæ inanes, & nugatoriæ existimandæ.
Experientia omni ratiocinio in Diuinatione præhabenda.
Ex conditis in natura signis nequaquam eruenda Diuinationis certitudo.
Ex rerum coniecturis, quæ aliquas habent causas, probabilis quædam diuinatio elicienda.
Error Diuinatorum censendus est, quod Diuina Prouidentia exigat diuinationes.

Ex

Ex rerum experimentis conficienda per prudentiam Diuinatio.
Neque omnino inducendus homo ad diuinandum ex interna quadam animi concitatione.
Diuinationes omnes extra rerum causas fabrefactæ fabulæ putandæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XVI.

Ad Magos.

Semper detestanda Magia Dæmonis arte concinnata.
Magia naturalis velut philosophiæ pars amplectenda.
Magi, & Philosophi in eodem pretio habendi.
Per Magiam stupendiora naturæ arcana reseranda.
Natura ipsa quandoque Maga vocanda, & existimanda.
Magia naturali omnes illustriores viri erudiendi, Principes etiam, & cæteri Reip. Moderatores.
Subeunda etiam ad remotissimas oras peregrinatio Magiæ addiscendæ causa.
Omni alio doctrinæ genere instituendus Magiæ professor.
Cælorum, ac siderum vis Mago præsertim inuestiganda.
Magicæ artis industria quandoque patranda quædam naturæ miracula.
Magia velut annulo Platonico inferiora cum superioribus iungenda.
Quædam Magiæ species in sublunaribus æquè ac in cælestibus spectanda.
Terrena tamen semper cælestibus per Magiam subijcienda.
Applicante à Mago latentes in natura virtutes ad inusitatos effectus proferendæ.
Miracula magiæ naturalis potissimùm in rebus inanimis ostendenda.
Magiæ naturalis vi fatendum, quodlibet magnum onus quolibet paruo impetu, & conatu trahi posse.
Cauendum Mago naturali, ne artem ex natura quæsitam cum Dœmonum fraude confundat.
Numquam ordo naturæ à Mago inuertendus.
Numquam verborum, vel rerum adminicula ipsi naturæ minimè cohærentia à Mago adhibenda.
Etiam à rebus tantum apparentibus Mago naturali abstinendum.
Ars magica tantum per scientiam naturæ exercenda.
Magicæ artis genus semper periculosum, ac suspectum habendum.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XVII.

Ad Philosophos.

Philosopho animi valetudo præsertim committenda.
Curandus animus à Philosopho ab omni perturbationis affectu.
Animi tranquillitas à Philosopho præsertim suadenda.
Viaticum ad felicitatem existimandum moralis Philosophiæ studium.
Nihil mali, nihil aduersi Philosopho metuendum.
Nihil melius iudicandum in vita virtute per philosophiam comparata.
Fræna præsertim humanis appetitionibus à Philosopho inijcienda.
Tradenda potissimùm à Philosopho benè beatèque viuendi dogmata.
Non omnino veterum Philosophorum doctrina amplectenda.
Non hominibus sed Deo adscribenda moralis philosophiæ origo.
Soli philosophiæ morali cæterarum facultatum ornamenta tribuenda.
Philosophia moralis ars illa arcana dicenda per quam homo Deus euadit.
Philosophiæ morali etiam Astra subiectanda.
Virtutum documenta è rebus omnibus à Philosopho eruenda.
Nullum rationis lumen sine morali philosophia admittendum.
Nullum stabile imperium sine virtute concedendum.
Lumen velut à Sole mutuandum à philosophia morali.
Quies in alijs scientijs laborantium dicenda moralis philosophia.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XVIII.

Ad Medicos.

Corporis valetudo, cum opus est, Medico committenda.
Morborum causæ primùm à Medicis inuestigandæ.
Humorum prædominium accuratè à medicis disquirendum.
Non omnes humores omnibus medicamentis educendi.
Non expellendi à Medicis humores incocti.
Humores melancholici non ita facilè commouendi.
Morbi quandoque medicamentorum similitudine, quandoque dissimilitudine curandi.
Morborum, & medicamentorum qualitates exactè ante curam discutiendæ.
Simplicium, & Herbarum naturæ à Medico perfectè cognoscendæ.
Vt plurimùm contraria contrarijs curanda.
Cælorum, & Planetarum aspectus à Medicis non negligendi.
Lunæ potissimùm dominatus in corpora à Medicis obseruandus.
Etiam anni tempora ad curandum importuna cauenda.

Animi

Animi quoque motus, & affectus, quoad fieri potest, à Medicis prænoscendi.
Animi, & corporis colligatio, & connexio summoperè animaduertenda.
Peritissimis Medicis omnes honores impendendi.
Pauci tamen peritissimi putandi.
Medicinæ probra non in artem medicam, sed in prauum artis vsum referenda.
Numquam medicina ad necem alicuius data opera adhibenda.
Expellendi ex vrbibus medici qui ob auaritiam curandis morbis operam nauant.
Etiam illi Medici eliminandi, qui vt plurimum ex artis inscitia ægrotantes necant.
Medico semper abstinendum à superstitionibus, ac veneficijs.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XIX.

Ad Musicos.

Ars musica vel ad comparandum, vel ad exercendum animi concentum comparanda.
Non omne musicæ genus è ciuitate exturbandum.
Quandoque velut vtilis, & necessaria musica in ciuitatibus recipienda.
Turpe, atque obscænum musicæ genus omnino improbandum.
Ex Lydia, Phrygia, ac Doria musica modulus Dorius ad canendum seligendus.
Harmonico concentu sæpè instituendi mores.
Humanitas, & vrbanitas à musica conquirenda.
Ebrij, & insani ad mentem per musicam reuocandi.
Etiam iracundi harmonico concentu sedandi.
Malorum obliuio per musicam concilianda.
In Epulis æquè, & in Sacris musica adhibenda.
Musica Diuinum aliquid existimandum.
Musica hominum feritas emollienda.
Redarguendi Musici qui vitam inharmonicam traducunt sine numeris, ac regula lasciuiente.
Milites quandoque musica ad bellum concitandi.
Reges, ac Principes musico metro dirigendi.
Musica, & cantu omnia grauiora leuanda
Etiam infantium vagitus ad cantum demulcendi.

Ad Mundanæ Originis Assertores.

EX Sacris fontibus deducendus Mundanæ Creationis exortus.
Mundanæ molis initia ex solo errore abiuranda.
Detrahenda errorum caligo fidei testimonio.
Mundus non sempiternus, sed temporaneus credendus.
Ex mundo certo tempore condito æquè arguenda Diuina bonitas, sapientia, & libertas.
Mundi æternitas nulla demonstratione euincenda.
Expurganda à Deo omnis agendi necessitas ad extrà.
Etiam fatalis in rebus humanis necessitas abolenda.
Nullum argumentum de æterna, ac necessaria mundi creatione efficax censendum.
Refellenda ex mundi creatione Supremi Opificis mutabilitas.
De Mundi Origine ducta à Primo agente nemini dubitandum.
Ortus æquè, & interitus Mundo adscribendus.
Non est infinito molitori, ac motori mundus infinitus copulandus.
Non sunt ante Mundum temporum incognitorum vicissitudines admittendæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXI.

Ad arcanæ naturæ Scrutatores.

INtellectui præstandum obsequium veluti omnium scientiarum Parenti.
Intellectui tamquam Regi subijciendæ reliquæ agendi facultates in homine.
Intellectui Saturni dominium adscribendum.
Solo intellectu perscrutanda naturæ arcana.
Naturæ Scrutatori etiam occultæ ipsius naturæ qualitates dignoscendæ.
Decem in tota natura sibi proponenda à Scrutatore naturæ ratiocinandi principia.
De nullius rei cognitione desperandum naturæ Scrutatori.
Natura velut clausus liber aperiendus.
Nihil, si fieri potest, à naturæ Scrutatore referendum in Cælum, tamquam in causam.
Sollicita indagine rerum omnium proprietates à naturę Scrutatore perquirendæ.
Naturæ in Cælo æquè, ac subtus terram quædam magicæ artis miracula deputanda.

Omnis

Omnis inanitas in natura à naturæ Scrutatore repellenda.
Omnia etiam superuacanea in natura reijcienda.
Ex rerum Sympathia à naturæ Scrutatore plura reuelanda.
Æqualis naturæ conatus agnoscendus in natura in rerum productione, atque conseruatione.
Æqua laboris impensa dispicienda ad arcendas rerum corruptiones.
De rerum mutua attractione Scrutatori naturæ disquirendum.
Elementorum, & Meteororum portenta Scrutatori naturæ non omittenda.
Ad Papilionis, Remoræ, & Magnetis Scrutinium à Scrutatore naturæ præsertim accedendum.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXII.

Ad Atomorum obseruatores.

NOn sunt Atomi accipiendæ velut omnium rerum primordia Semina, atque Elementa.
Non vnum Atomis nomen à Philosophis præscribendum.
Non vnus existimandus Atomorum Assertor.
Ex Atomorum propagatione propalanda Veterum Philosophorum furta.
Octo præsertim Atomorum fundamenta à Philosophis construenda.
Mundum ex Atomis casu coaluisse minimè affirmandum.
Non ita facile excludendæ Atomi, si muneri materiæ primæ deputarentur.
In Atomis non omnis omnino figura abolenda.
Atomorum propugnatori non facilè negandus Atomorum ad omnia concursus.
Atomi admittendæ (si admittantur) tamquam res omnino insolubiles, ingenerabiles, atque incorruptibiles.
Admittendæ Atomi velut materia prima, vel vt quatuor elementa quæ dicuntur prima rerum omnium principia.
Admittendæ Atomi (si admittantur) etiam in Cælo, astris, & sideribus.
Admittendæ Atomi (si admittantur) absque vlla repugnantia numero infinitæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXIII.

Ad Fati Propugnatores.

FAtum sine errore necessariò admittendum.
Tollendi fati errores per multiplicitatem fatorum.
Adstruenda fatalis necessitas ex infallibilibus rerum euentis.
Deus ipse pro Fato quandoque intelligendus.

Æter-

Æterna rerum dispositio ad fatum reuocanda.
Fati nomine appellanda etiam fabulosa Parcarum figmenta.
Hominum Fata ab astris ableganda.
Animus humanus nulli fatali necessitati subijciendus.
Vitia,& Virtutes nulla ratione in fatum referenda.
Ex Fato inutilitas votorum vel precum nequaquam arguenda.
Non censendum Fatum res merè naturalis.
Fati nomine series causarum supremi molitoris arbitrio operantium intelligenda.
Ipsi quoque naturæ, idem semper agenti, Fati nomen indendum.
Fatum Theologicum à nemine improbandum.
Neque Diuina neque humana libertas Fato temeranda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXIV.

Ad Fortunæ Sectatores.

NOn est Fortuna velut Numen effingenda.
Volubilis globus, velut sedes, Fortunæ adscribendus.
Deus prò cuiuscunque Fortuna accipiendus.
Causarùm ignoratione laborantes censendi omnes Fortunæ Sectatores.
Fortunæ se concredentes amentes putandi.
Insanum humanæ mentis delirium vocanda Fortuna.
Miranda rerum humanorum moles extra Fortunam constituenda.
Supremo primi agentis consilio omnia dirigenda.
Neque in prosperis extollenda, neque in aduersis improperanda Fortuna.
Fortunæ Tyrannis omnino inculpanda.
Indendum Fortunæ nomen causis fortuitò agentibus.
Auferendum Fortunæ nomen à causis consilio, ac ratione vtentibus.
Discriminandus à Fortuna Casus.
Nullus casus ad Fortunam referendus.
Socratis Fortuna benè intelligenda.
Diruenda omnia Fortunæ Templa.
Putandum è Sectatore Fortunæ ibi minimum esse rationis, vbi plurimum est Fortunæ.
Sola Diuina prouidentia pro cuiuscumque Fortuna intelligenda.

LE-

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXV.

Ad immortalis Animi Vindices.

LOngè minor habendus eorum numerus, qui immortalitatem ab animo abstulere, quam illorum qui in eumdem immortalitatem retulere.

Non est hominis animus velut fumus, ac flatus in ipso homine agnoscendus.

Non sunt animæ humanæ existimandæ animæ Mundi particulæ.

Non est animis concedendus in animam Mundi regressus.

Non deputandæ purgationibus animæ antequam accedant ad corpora.

Animorum purgationes solummodo post egressum à corpore concedendæ.

Animorum trasmigratio omnino improbanda.

Singularis, rationalis, incorporea, immortalis anima in hominibus admittenda.

Duplex substantia ab anima excludenda.

Multiplex anima in eodem homine damnanda.

Ex Animæ immaterialitate depromenda eiusdem animæ immortalitas.

Non absoluta immortalitas animæ tribuenda.

Consensio omnium gentium lex naturæ existimanda.

Immortalitatis sensus in anima tamquam inditus à natura recipiendus.

Ex Immortalitatis appetitu immortalitas ipsa animæ deprehendenda.

Ex Immortalitatis assertione, potius quam ex impugnatione fama Philosophi captanda.

Pro immortalitatis experimento non est mors oppetenda.

Ex Dei iustitia anima agnoscenda immortalis.

Ex præmijs, ac supplicijs operibus debitis arguenda animæ immortalitas.

Improprius habendus ille loquendi modus, quo dicitur animus gigni, adolescere, & senescere.

Animi defectus cum errore hæreticorum condemnandus.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXVI.

Ad indiuisi Animi Hostes.

OMnino simplex atque indiuisus animus in homine constituendus.

Omnino vna in vno homine anima adstruenda.

Vna, & eadem anima pro operum varietate bona, & mala dijudicanda.

Diuisus appetitus in animo indiuisus intelligendus.

A Centauris duplicis appetitus humani exempla sumenda.

Pars veluti triplex in animo indiuiso distinguenda.

Cum

Cum Ægyptia Sphinge humanus animus comparandus.
Animi munera, actus, & officia in homine multiplicanda.
Omnis ex diuersis essentijs compositio in animo simplici abiuranda.
Pars animæ in corpore mortuo minimè relinquenda.
Anima exterior corpori tantum adsistens non agnoscenda à philosopho.
Mens in homine quædam animæ anima putanda.
Non solus animus totus homo dicendus.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXVII.

Ad homines consilio, ac ratione liberos.

HOmo sola arbitrij lege ab omni astrorum, ac siderum vi censendus immunis.
Hominis bona non sunt à Cælo espectanda tamquam Planetarum particulæ.
Non expetenda virtus tamquam aliquid diuinum solo cælo delapsum, astrisque congenitum.
Hominis libertas à Cælesti dominatu subtrahenda.
Non admittendum supra rationem Planetarum imperium.
Ex inditis in corpore à natura signis intimæ animi affectiones non omnino coniectandæ.
A Saturno partim bona, partim mala indoles in homine iudicanda.
A Ioue semper bona in homine arguenda.
A Marte bellicum robur deducendum.
A Sole iucunditas, & hilaritas in homine prædicanda.
A Venere propensio generi propagando capienda.
A Mercurio disciplinarum studium extrahendum.
A Luna mentis inconstantia conijcienda.
Nullo Planetarum influxu violanda hominis libertas.
Ex sola libertate inter homines, & bruta statuendum discrimen.
Hominis libertas non ab astris, & sideribus extorquenda.
Non diuidendi Genij quidam fatales in hominum exortu.
Ex sinistro tantum astrorum aspectu non profundenda in hominum omnium malorum vaticinia.
Allicienda bonis humana libertas; malis quoque deterrenda.
Agnoscendum velut libertatis decus quod sæpè melius refugiat.
Libertas hominis excusanda, cum ignorantia obcæcatur.

Ad animo imbecilles.

MOllissimi, atque imbecilles iudicandi, qui ad effugiendas humanæ vitæ calamitates exitiales sibi inferunt manus.
Humanus animus nulla pressura frangendus, aut consternandus.
Forti animo non semper mala declinanda.
Omnis modus sibi necis inferendę forti viro refugiendus.
Omni robore destituti censendi qui vltroneam suscipiunt necem ad euadendam rerum inopiam.
Ex animi robore in aduersis vigente inferenda animi magnitudo.
Etiam in molestissima corporis ægritudine spontanea mors recusanda.
Sui peremptores velut indignissimi carnifices inhumati relinquendi.
Non omnes omnino causæ voluntariæ mortis forti viro eripiendæ.
Si vita sponte abrumpenda, id quinque præsertim temporibus agendum.
Mors iusta de causa vltrò suscepta, atque accersita præclarum appellandum fortitudinis genus.
Sapienti viuendum quantum debet, non quantum potest.
Censendum crimen desperantis viri vitæ stamen abrumpere sine causa.
Vitæ humanæ dominium Soli Deo innato iure adscribendum.
Nullum in vitam hominis imperium homini concedendum.
Vbi agitur de hominis vita, agendum homini tamquam Dei seu iustitiæ Diuinæ ministratori.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXIX.

Ad propriæ Indolis Accusatores.

HOmini, qua homo est, recta semper agenda.
Indoles etiam ad malum aptata homini concedenda.
A facultate hominis sentiente numquam abscindenda mala.
Vitiorum tyrannidi humana imbecillitas subijcienda.
Non censendus homo suapte natura omnino malus.
Non ad ortum materiæ, ex qua homo confectus est, humana mala referenda.
Non Deo hominis conditori humana flagitia imputanda.
Non existimanda hominis scelera ingenitæ necessitatis argumenta.
Ab hominis exortu humana indoles dispicienda.
Bona, & mala indoles in homine duplici genio æquiparanda.
Homo dignoscendus ex indole magis pronus ad virtutes, quam ad vitia.

Humana indoles ex externis signis, & characteribus iudicanda.
Magnis mentibus digna corporum domicilia adaptanda.
Hominis indoles ab initio benè instituenda.
Ex parentibus Indoles nati quoquo modo arguenda.
Etiam ex astris, seruata arbitrij libertate, obseruanda hominis Indoles.
Non omnia, quæ spectant ad indolem, in cælum referenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXX.

Ad propria Indolis Excusatores.

NOn est homini obtendenda suorum criminum excusatio.
Non referenda in naturam scelerum initia.
Neque infortunia flagitijs exorta excusationibus obuelanda.
Non est criminibus patrocinium è cælo petendum.
Non à Deo peccandi facultas concilianda.
Expiandæ impietates proprij reatus agnitione.
In fœdum libidinum æstum non corruendum aliorum exemplis.
Non extorquendæ excusationes à culpa.
Ad propriam indolem excusandam non sunt aliorum scelera incusanda.
Excusationis probra maximè à nostris temporibus repetenda.
Excusanda indoles, si desit optima morum disciplina, & institutio.
Ex natalis dignitate, vel indignitate non captanda excusationis argumenta
Vbique locorum ad alta erigendus animus.
Indolis rectitudo extra humanas vicissitudines collocanda.
Incusanda aula tamquam humanæ sortis ludibrium.
Pretiosa ambitionis pericula paupere innocentia, & morum probitate declinanda.
Animo sui compoti nulla fortunæ deliramenta formidanda.
Indoles veræ sapientiæ beneficio solidanda.
Ad scelera excusanda neque ætates, neque tempora obtrudenda.
In indole ad malum prona rigidiori supercilio vitia corrigenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXXI.

Ad animo felices.

INter animam, & animum nullum admittendum discrimen.
Æquè in animi, & animæ exercitatione constituenda felicitas.
Præcipuum hominis bonum in facultate intelligente collocandum.
Quæ extra animum sunt, etiam extra hominem ponenda.
Homo ex solo animo felix diiudicandus.

Nullum

Nullum melius æstimandum viuendi genus, quam vbi viuit vegetum rationis imperium.
Bona hominem beantia à corpore segreganda.
Tranquillior ab animo quam à corpore comparanda felicitas.
Solo animo ad virtutem paranda viatica.
Solius animi cultui homo deuouendus.
Quærenda corporis bona vt adminicula corpori inseruientia.
Humana felicitas expingenda tamquam matrona cui corporis bona ancillentur.
Homo non est mens sola à corpore secernenda.
Etiam homo monstrosus in corpore ex animo beandus.
Nulli fortunæ animus subigendus.
Suspectum homini habendum fortunæ flustrum, cum præter morem constans apparet.
Insolita fortunæ blandimenta velut flagellorum portenta extimescenda.
Virtuti, qua sola beatur animus, quandoq. etiam fortuna socia adsciscenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXXII.

Ad Animo miseros.

PRæclara animi temperies perturbationum æstu non agitanda, aut abripienda.
Animi robur nullo angore frangendum aut labefactandum.
Nulla animi virtus calamitate infringenda.
Per quamcumque passionem animo properandum ad virtutem.
Animi perturbationes velut intimi carnifices excogitandæ.
Non sunt homini proprijs furoribus aduocandæ miseriæ.
Voluptas, & dolor potiora miseriarum capita censenda.
Voluptatis, & doloris natura diligenter animaduertenda.
Dolor à voluptate etiam in animo numquam seiungendus.
Ex dolore, & voluptate miserrimus homo putandus.
Humanus animus Ægypto bonorum, & malorum fonti comparandus.
Humanus animus vndis malorum, & bonorum reciprocantibus alluendus.
Summis etiam animi voluptatibus finitimum fastidium statuendum.
Inter alternos voluptatis, & doloris fluctus semper homini enauigandum in hac vita.
Animus in vnoquoque ex cera fingendus.
Ex voluptate, & dolore miseriæ imago in animo delineanda.
Sua cupiditas vnicuique tempestas existimanda.
Æoliæ nomen, quæ patria ventorum est, indendum animo humano.
Animi perturbationes per ventos designandæ.

Numquam animus à miſerijs, & perturbationibus immunis excogitandus.
Deridendæ Stoicorum fabulæ ad ingenij credulitatem adornatæ.
Non cogitandus homo velut ſolidum lunenſi de rupe marmor in humanam ſpeciem efformatum.
Numquam ab homine detrectandum rationis imperium.
Nullus Sapiens licet ſummis cōflictatus aduerſis, à ſede rationis exturbādus.
Numquam æſtuantes in animo perturbationum procellæ admittendæ.
Numquam fouendæ debacchantes affectuum tempeſtates.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXXIII.

Ad homines ex corporis pulchritudine ærumnoſos.

Res ſingularis, ac prope diuina cenſenda corporis pulchritudo.
Corporeæ pulchritudinis nobilitas imbecillitate compenſanda.
Non omnibus caſibus, & in omnibus pulchritudo exponenda.
Potius lugendum quam exultandum homini de corporis pulchritudine.
Lites iurgia, & bella à ſola pulchritudine repetenda.
Somnium delirantium putanda corporis pulchritudo.
Non eſt inter bona auſpicatiſſima pulchritudo corporis recenſenda.
Pulchritudo æſtimanda velut bonum blandientis naturæ temporis momento diſſipandum.
Ex ipſo pulchritudinis flore exaggeranda pulchritudinis miſeria.
Corporis forma fœmineo potiùs, quam virili probanda iudicio.
Corporis ſpecies nullo donanda felicitatis nomine.
Dicenda pulchritudo modici temporis Tyrannis.
Quandoque formoſitas corporis, pretioſus animæ amictus vocanda.
Numquam deformis animus cum externa corporis ſpecie iungendus.
Ex corporis forma quandoque arguendum excellens ingenium.
A corporis forma potiùs quam ab igne metuendum.
Quærenda corporis forma, vt virtutis aquirendæ præſidium.
Ex oris ſpecie ac corporis venuſtate non ſemper nota virtutis inferenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXXIV.

Ad bonæ valetudinis amatores.

Non eſt corporis valetudini nimis laborioſè blandiendum.
Non eſt in curanda valetudine ſemper occupatæ mentis impenſa verſandum.
Fouenda corporis valetudo ſine ſummo quietis diſpendio.
Ridicula hominum portenta cenſenda anxij vitæ curatores.

A vitæ

A vitæ tranquillitate penitus ablegandum incolumitatis studium.
Ad tuendam corporis valetudinem non sæpè commutanda domicilia.
Cælorum, & astrorum influxus non semper declinandi.
Ad seruandam corporis incolumitatem non semper sidera dimetienda.
Ad idem non semper quærendum benignius cælum.
Non semper ab Aquilone metuenda Pleuritides.
Non semper Angina à Coro expectanda.
Non semper stomachus in mensa ciborum parcitate contrahendus.
Ad sanitatem tuendam aromata præsertim à mensis extrudenda.
Nimia corporis cura nimia mentis, & corporis ægritudo vocanda.
In nimio valetudinis amatore prorsus deridenda vitæ consuetudo.
Valetudinis amatori de cæli facie, de ventorum afflatu, de nebulæ pertinacia, cum opus est, inquirendum.
Animi incolumitas numquam negligenda.
Soluendus ab ægritudine animus vt vegetior ferueat in comparanda sapientia.
Corporis petulantia quandoque afflictæ valetudinis pressura perdomanda.
Homines infirmi semper optimi iudicandi.
A languoribus excipiendus in animo patientiæ fructus.
Ab animo recta curandæ valetudinis ratio auspicanda.
Non est corpus iniurijs aut perpessionibus data opera labefactandum.
Neque corpus sine animo, neque animus sine corpore mouendus.
Non omnes vitæ curæ ad corporis incolumitatem traducendæ.
Redarguendi qui omnino corporis obliti, viuunt absque valetudinis cura.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXXV.

Ad Memoriæ Ostentatores.

INter præclariores animi dotes colenda memoria.
Etiam pro Numine hominis tutelari æstimanda.
A Cælo memoriæ dignitas, & origo deducenda.
Lethæo obliuionis fluuio sola memoriæ diuinitas opponenda.
In cerebro constituenda memoria.
Excolendum cerebrum velut ager ad excipienda memoriæ semina.
Inter corporis partes aures præsertim memoriæ consecrandæ.
Laudanda quandoque etiam digitorum, & pedum memoria.
Sapientia, & memoria præclaro cognitionis vinculo colliganda.
Sublimiora sapientiæ arcana memoriæ consignanda.
Homo ex memoria felix simul & infelix reputandus.
Naturæ thesaurus, & naturæ calamitas appellanda memoria.
Quæcunque sunt per memoriam possidenda.

A memoria nulla res, quæ fieri, quæ videri, quæ concipi possit, excludenda.
Nil facilius periculis exponendum memoria.
Nil leuius memoria putandum.
Ex memoriæ defectu homo deficiens præsertim agnoscendus.
Memoriæ defectus nulla arte reparandus.
Memoriæ defectus sola natura vincendus.
Memoriæ præsidia à solis tortoribus emendicanda.
Memoriæ Pharmacum existimandum ipsius memoriæ exercitatio.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXXVI.

Ad Ethicæ Doctrinæ studiosos.

AD benè formandos mores proponenda homini Ethica doctrina.
Amplectenda Ethica doctrina velut felicitatis, sapientiæ, & prudentiæ altrix.
Homines Ethicam excolentes velut Sophi diuini æstimandi.
Omnibus hominibus quædam sententiæ Ethicæ perdiscendæ.
Animi ad virtutis studia per Ethicam excitandi.
Ædes ipsæ gnomis Ethicis exornandæ, atque illustrandæ.
Inter cæteras artes, atque disciplinas Ethica primùm quærenda.
Cuiuscumque hominis vita Ethica doctrina instituenda.
Septa Ethicæ doctrinæ ex alijs scientijs sæpè repetenda.
Ex Ethica doctrina construendus ad Cælum conscensus.
Deorum gemma compellandi Ethicæ doctrinæ studiosi.
Extimulandus homo ad Ethicæ doctrinæ studium ipsius felicitatis ardore.
Sola Ethica scientia optimi deprædicanda.
Deprauata indoles Ethicæ doctrinæ studio reformanda.
Ex Ethica doctrina sperandus in vita tranquillitatis portus.
Fœnerandi humani labores solo Ethicæ doctrinæ quæstu.
Ethici homines etiam supra Reges, & Imperatores extollendi.
Deplorandus homo Ethica doctrina destitutus.
Sine Ethica disciplina nihili faciendæ facultates cęteræ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXXVII.

Ad rectæ vitæ Institutores.

AD rectam instituendam vitam proprij, & alieni mores ad trutinam reuocandi.
Prius de proprijs moribus, quàm de alienis iudicium ferendum.

Mala

Mala in vnoquoque corrigenda.
Ab homine cordato nullus deterior se ipso putandus.
Non facilè iudicandi intimi hominum sensus.
Nemini ad agendum cæco parendum impulsui.
Quærendæ hominis latebræ, & cum malum agit, & vt malum vitet.
Nullo stimulo à recta vita abscedendum.
Ad rectam vitæ institutionem proborum acta proponenda.
Rectæ vitæ institutori ea præsertim lustranda sæcula in quibus viuendi exhibetur integritas.
Selecta veterum virtutum exempla ad nostra tempora redigenda.
Historiæ illustriores perlegendæ ad vitam benè instituendam.
Confusa humanitatis officia solius Ethicæ lumine secernenda.
Singulæ hominis operationes Ethica doctrina dirigendæ.
Exornanda præsertim Ethica pars hominis animastica.
Natura ipsa Ethicæ ductu corrigenda.
Primitiæ annorum in homine Ethicæ studio consecrandæ.
Pluris æstimanda natura praua per Ethicam emendata, quam indita bona indoles.
Rectæ vitæ instituendæ cura præsertim in sui cognitionem conuertenda.
Nihili facienda illa scientia, quæ nescit mores emendare.
Ethicæ doctrinæ industria vniuersa in homine coniectanda.
Ex Ethica omnia suadendæ virtutis argumenta petenda.
A rectæ vitæ institutore non sunt vitiorum albo virtutes adscribendæ.
Excutienda vi Ethicæ doctrinæ omnis cognatio inter vitium, ac virtutem.
A Capessenda vitæ rectitudine nullo labore retrahendus animus.
Quæ traduntur in Ethica, non sunt censenda ad orationis lenocinium dicta.
Ab Ethico institutore non sunt à corporis consuetudine transferendæ in animum perturbationes.
Ad comparandam virtutem nulla ratione animus diuidendus.
Mens Platonico animæ currui imponenda tamquam perturbationum moderatrix.
Centaurorum exempla cum hominibus conferenda.
Varia hominis instituendi facultas in Ægyptia Sphinge proponenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXXVIII.

Ad homines rectè instituendos.

SEmina virtutis ab initio in hominis institutione fundenda.
Recta morum à teneris annis institutio omnis vitæ pars iudicanda.
Institutio recta appellanda optima illa causa Pythagorica, à qua omnibus bonum adest.

Adden-

Addenda naturæ ab hominis exortu eruditio, & disciplina velut ipsius naturæ cultura.
Inanes prorsus censendæ omnes rectè conditæ leges sine recta institutione.
Nihil excellentius non diuinius in Rep. optima iuuenum institutione.
Muniendus homo recta institutione ad quoscumque vitæ casus perferendos.
Roboranda hominis imbecillitas rectæ institutionis adiumento.
Arcendæ ab homine per rectam institutionem omnes illecebræ demulcentes ad necem.
Sola recta institutione declinandæ vitiorum insidiæ.
Sola recta institutione primigeniæ culpæ captiuitas soluenda.
Rationis imperium recta institutione regendum.
Luxus bonam indolem sollicitantes recta institutione inhibendi.
Eo tantum procreandi filij, quo bonis moribus instituantur.
Generosa soboles generosè enutrienda atque educanda.
Tria præsertim homini rectè instituendo obijcienda repagula, ne ruat in malum.
Coercendi in homine rectè instituendo motus effrænes ab appetitu erumpentes.
Sibi ipsi per rectam institutionem homo restituendus.
Gratulandum homini, si ab initio assuescat virtuti.
Homini rectè instituendo summoperè fugiendæ improborum consuetudines.
Summa probitatis pars censenda à noxio cætu recessisse.
Non semper solitudo quæcunque velut vitæ magistra amplectenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XXXIX.

Ad Religiosos.

Colenda religio velut virtutum omniũ suprema, atque eminentissima.
A religione ducendus aliarum virtutum cultus.
Homo sola religione insolubili nexu Deo religandus.
In legum constitutione primùm spectanda religio.
Pertractanda religio vt virtus insita à natura.
Altior religionis perscrutatio Theologis relinquenda.
Detestandæ Philosophorum, atque politicorum scholæ, quæ abrogant religionis cultum.
Interius æquè, atque exteriùs exercenda religio.
In rebus inanibus, atque inutilibus non vsurpanda religio.
Animo simul, & corpore obsequium præstandum Deo.

Ex so-

Ex solo actu religionis Deus in testem veritatis adhibendus.
Iuramenta proferenda velut religionis instrumenta.
Quandoque etiam iuramento inuocandus Deus.
Vi adiurationis nullum crimen patrandum.
Etiam à iuramento concilianda firmitas in promissione.
Numquam falsò violanda iuramenti religio.
Cultus non superstitio in Dei honorem ostendenda.
Improbanda corporis inordinatio in religione exhibenda.
Preces, & vota adhibenda vt veræ religionis testimonia.
Etiam ab impijs fundendæ preces in religionis obsequium.
Ea per preces à Deo petenda, quæ re vera bona sunt.
Non cumulandæ preces ad vtilia tantum obtinenda.
Diuina excellentia et iam sacrificijs declaranda.
Ea tantum in Dei cultum instituenda sacrificia, quæ à vera religione non aberrrant.
Morali præsertim Philosopho amplectenda religio.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XL.

Ad homines Pietate præstantes.

Pietatis virtus quamdam pars religionis existimanda.
Ea præsertim in homine commendanda pietas, quæ est erga parentes officiosa.
Parentibus Pietas exhibenda ob dignitatis gradum.
Deferendum etiam parentibus obsequium tamquam vitæ principijs.
Extendendus pietatis cultus etiam ad consanguineos.
Pietatis officia erga parentes nullo casu intermittenda.
Pietas erga Patriam in liberis maximè à parentibus fouenda.
Insigni pietate fulgentes Heroum albo adscribendi.
Æquè commendanda pietas erga patrem, ac erga matrem.
Pietas erga Deum in omni casu præferenda.
Non obtemperandum parentibus aliquid dissonum à Deo imperantibus.
Maioribus bonis minora semper posthabenda.
Pietatis iura erga sanguinem, & Patriam numquam violanda.
In summo impietatis vertice locandi liberi parentibus ingrati.
Humanitate nudandus qui potest impietatem erga parentes exercere.
Patriæ nomen a patre deducendum, vt erga ipsam exerceatur pietas.
Patriæ bonum vt plurimum cæteris bonis præhabendum.

Ad homines Iustos.

REipub. bonum ex Iustitia proueniens præ cæteris æstimandum.
In pretio habenda Iustitia velut præstantissima virtus.
Astrum Reip. Hespero, ac Lucifero admirabilior Astræa dicenda.
Iustitia Ciuitati, & Reip. velut anima deputanda.
Laudanda dumtaxat illa Iustitia, quæ nihil agit iniustum.
Distinguendum inter actionem iustam, & iustè factam.
Omnis læsio per Iustitiam reparanda.
Nulla ex Iustitia iniuria inferenda.
Captanda homini gloria potiùs ex Iustitia, quam ex alijs virtutibus.
Homo Iustus velut Numen Reip. tutelare spectandus.
Virtutes omnes in Iustitia agnoscendæ, atque exercendæ.
Omnibus ex Iustitia benefaciendum, cum fieri potest.
Religio ipsa non sine Iustitia amplectenda.
Homo ad Iustitiam natus intelligendus.
Nulla Maiestas colenda sine Iustitia.
Nulla à Deo poscenda bona sine Iustitia.
Æquè erga omnes æquitas, & Iustitia impendenda.
Ex Iustitia colendus Deus, diligendi parentes, & consanguinei.
Probitatis exemplar in Iustitia proferendum.
Inter Iustitiæ officia illud primum recensendum, quod suum vnicuique redatur.
Ex Iustitia Senibus, ac maioribus præstandus honor.
Amicitiæ obseruantia æqualitate, & Iustitia commonstranda.
Grati animi virtus à Iustitia contrahenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XLII.

Ad Homines Prudentes.

PRudentiæ, & Sapientiæ voces secernendæ.
Sapientia rerum altissimarum notitia appellanda Prudentia rerum ad vitam vtilium.
Sine Prudentia non est vita traducenda.
Omnis prudentia in metam honestatis referenda.
Prudentiæ regimini non committenda impossibilia:
De Præteritis non est per prudentiam consultandum.
A præteritis tamen pro futuris capiendum consilium.
De ijs, quæ difficillimè fieri possunt non est deliberandum.

Pru-

Præteritorum memoria, præsentium intelligentia, futurorum prouidentia censenda potiora prudentiæ munera.
Prudentia omni scientiæ æquiparanda, atque ex omni rerum vsu comparanda.
Prudentibus non semper in arena consilium capiendum.
Prudentia in priuatam, politicam, Æconomicam, & militarem diuidenda.
Excelsior cæteris putanda Prudentia politica.
Prudentiæ politicæ omnia regimina committenda.
A Pietate, ac religione numquam seiugenda politica prudentia.
Idonea rerum administratio à politica prudentia ediscenda.
Demandandum prudentiæ politicæ vt artes ingenuæ, & mechanicæ in Rep. exerceantur.
Ratio præsertim nauticæ, militaris, & agrariæ à politico non negligendæ.
Luxus in omni rerum genere à prudentia politica cohibendus.
Studium Principis prudentis eò præsertim conuertendum, vt seditiones à Rep. arceantur.
Ex prudentia quandoque etiam vis armata Principi adhibenda.
Nullum bellum a Principe imprudenter suscipiendum.
Occurrendum malis à viro prudente, antequam in perniciem erumpant.
Extrema semper à viro prudente declinanda.
Optima Resp. illa æstimanda, cuius clauo assidet Prudentia.
Gubernantium docilitas optimum habendum est Prudentiæ præsidium.
Erudienda gubernantium prudentia quandoque ab indoctioribus, & plebeijs.
Cuncta gubernantibus obseruanda ad prudentiæ eruditionem.
Nil prudentiæ infestius iudicandum, quam seniorum, ac sapientiorum consilia negligere.
Politicæ, & militaris prudentiæ species præsertim in regibus, Principibus, & Ducibus optanda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XLIII.

Ad Temperantes viros.

Temperantiæ bona sine numero recensenda.
Ex sola temperantia beatissimus homo prædicandus.
Ex sola intemperantia dicendus homo miserrimus.
Homines in cænoso intemperantiæ natantes gurgite numquam ad sublimiora officia extollendi.
Venus præsertim viro temperanti refugienda.
Nec mens per immodicum vinum iucundo vaporum appulsu suffundenda.
Non est cor hominis ab homine gestandum in ventre.

Potio-

Potiora hominum crimina in intemperantiam referenda.
Sensuum lasciuientium proteruia maceratione castiganda.
Ærumnosa nauis criminibus onusta censenda hominis intemperantia.
Homines nimio luxu laborantes à ciuitatibus exterminandi.
Abstinendum in mensa à satietate.
Cæna sine luxu parata vocanda cæna pura.
Etiam extra mensam non semper insatiabilis explenda cupiditas.
Brutalis fæditas in intemperantia constituenda.
Abolenda funditùs in Rep. monstrosa hominum intemperantium exemplaria.
Omnia honestatis specimina temperantiæ adscribenda.
Summa laus in Spartanos ex sola temperantia conferenda.
Ab illis tantum voluptatibus per temperantiam abstinendum, quas profequi non decet.
Temperantiæ suæ quoque voluptates moderatæ concedendæ.
Nulli illud vitæ genus instituendum, quo sibi omnis cibi potusque vsum interdicat.
Naturæ egestati, non saturitati obtemperandum.
Non infirmanda corporis valetudo per immodicam temperantiam.
Neque temperantia rerum, neque intemperantia humano appetitui semper conformanda.
Etiam intemperantiæ probro damnandus immodicus modulorum, & cantuum appetitus.
Sensus omnes temperantia in rebus suis corrigendi.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XLIV.

Ad Fortes Viros.

A Sola fortitudiae viro forti nomen virile obtinendum.
Non solum in bellicis rebus sed etiam in magistratibus obeundis fortitudo exercenda.
Animi robore vincenda omnia pericula, & infortunia.
Fortia peragenda etiam in rebus spe destitutis.
Inuicto animo aduersa grauiora perferenda.
Non in omnia pericula cæco furore viro forti irruendum.
Dignosceadi veræ fortitudinis characteres, non ex eo quod mala prouocentur, sed ex eo quod mala ipsa interrito animo sustineantur.
Inconsulta temeritas in periculis subeundis semper improbanda.
Omnium malorum per fortitudinem sedandus est metus.
Corrigenda etiam immodica in periculis fiducia.
Infracto animo ferendi etiam acerrimi morsus doloris.

Illu-

Illuſtranda fortitudo varijs rerum diſcriminibus.
Nunquam licet ærumnis conſternatus, in deſperationem adigendus.
Validiori robore in aduerſis muniendus animus.
Etiam ex infirmitate capeſſenda fortitudo.
Priuatæ calamitates cuicumque forti ſpernendæ.
In bonorum iactura ſpectanda à viro forti ſolidiora bona, quæ virtutis officio parantur.
Nulla forti inconſtantis fortunæ ludibria pertimeſcenda.
Animus fortitudine roboratus, nec carcere, nec ſeruitute proſternendus.
Nullo alieno imperio fortis animus ſubiugandus.
Agendi ac dicendi libertas nullis minis frangenda in forti, nullis blandimentis flectenda.
Non ſunt à viro forti quærimoniæ, & ſuſpiria aduerſus fatum inutiliter effundenda.
Neq. vltimum terribilium metuendū forti, cum honeſtatis cauſa ſuccurrit.
In omni caſu fortiter patiendum, & fortiter ſuſtinendum.
Potiùs tamen mala fortiter ſuſtinenda forti, quam inuadenda.
Cum hoſte quocumque fortiter colluctandum forti.
Non ſemper forti fuga reſpuenda, nec ſemper amplectenda.
Ferocitas à fortitudine diſtinguenda.
Fortius in bello cenſendum proprium ſanguinem effundere, vt non vincamur, quam alienum, vt vincamus.
Ferocia ſemper inhians cruore potiùs efferatio, quam fortitudo appellāda.
Lanij quotidie animalia iugulantes à fortium albo expuendi.
Togata fortitudo ex eo bellicæ præferenda, quod togata ſemper tranquilla eſt, & compoſita, bellica verò ſemper furens, & ſanguinis ſitiens.
Animi firmitudo ea aduerſus mala exercenda, quæ aggreſſu, & perpeſſu difficilia ſunt.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XLV.

Ad mortis Aſpernatores.

NOn omnis mortis timor abigendus à forti.
Neque mors omnis æquo animo ſuſcipienda.
Glorioſa mortis pericula libentiſſimè amplectenda.
Ingloriæ mortis diſcrimina iugiter à forti declinanda.
Omnes turpes interitus à forti viro abiurandi.
Ex ignobili morte nunquam fama prouocanda.
Ægerrimè ſuſtinenda forti mors ex morbo, vel alio obſcuro caſu aduentās.
Periculis, & morti obuiā eundū, cū ex optima, & honeſtiſſima cauſa parātur.
Vſque ad mortem forti pro patria dimicandum,

Etiam vltra mortem res turpes, & indecoræ forti reformidandæ.
Non censendi fortes illi mortis aspernatores, qui occurrunt morti necessitate compulsi.
Decantandi quandoq. egregio animi robore insigniti, formidantes mori.
Non est in bello occumbendum forti, cùm plus commodi ex fuga, quam ex morte patria est acceptura.
In oppetenda, & in fugienda morte solius patriæ bonum spectandum.
Mortis metus excutiendus, cum ex morte vita melior speratur.
Mors plerumque potiùs bonum, quam malum existimandum.
Insanus prorsus habendus qui mori omnino exhorrescit, vel non mori peroptat.
Redarguendi etiam illi, qui nullam iniquam viuendi conditionem recusant.
Non est ita negligenda mors, vt ad mala vitanda sponte accersatur.
Nulla de causa in naturam ita sæuiendum, vt eiusdem naturæ odio increpente, vitæ interitus intentetur.
Sæpè lugendum nascentibus, gratulandum morientibus.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XLVI.

Ad aduersorum Patientes.

HOmini semper aduersa sustinenda, ad id hominem adigente natura malorum parente.
Fortissimi viri nomine cohonestandus, qui in sustinendis fortunæ incommodis infracto vtitur animo.
Verè patiens ille æstimandus, qui in malorum perpessione perstat immotus.
Patienti ferenda etiam paupertas animo non succumbente.
Perferendi etiam patienti morborum dolores, & cruciatus.
Exhibendum patientiæ specimen etiam in perferendis iniurijs.
Mala corpus extorquentia, velut res extraneæ à patiente suscipiendæ.
Fortunæ incommoda censenda mala sola opinione deterrentia.
Muniendus patientia animus in omni bonorum iactura.
Cogitandum patienti vnum esse rerum omnium interitum.
Illud solamen in malis patienti adhibendum, quod mala propria fuere alijs communia.
In exilio, carcere, orbitate, paupertie, & id genus alijs nunquam à patientia abscedendum.
Neque in alijs malis casu aduenientibus ableganda patientia.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XLVII.

Ad ignominiæ Contemptores.

RES ignominiosæ ab homine non contemnendæ.
Quodcumque infamiæ genus homini metuendum.
Omne dissonum ab honestate tamquam malum declinandum.
Ex metu dedecoris homo laudandus, quemadmodum ex dedecoris contemptu improperandus.
Ignominiæ metu excitandum in homine fortitudinis robur.
Ignominiæ nota constituenda militibus tamquam pœna.
Nullum dedecus proprio crimine subeundum.
Spernenda illa dedecora, quæ aliena impietate ingeruntur.
Christiana præsertim fortitudine contumeliæ, & ignominiæ sustinendæ.
Potior censenda iniuriarum victoria, quam ingentis exercitus, vel Troiæ expugnatio.
Ferendæ fortiter iniuriæ præsertim ab amicis prouenientes.
Emeritæ virtutis viri perhibendi nulla contumelia vel iniuria commoti.
Exultandum in contumelijs, cum nobis adueniunt vt mala pęnæ, non culpæ.
Inhumana animi efferatione notandi, qui pro iniuria redimenda, vel inhiant cruori, vel vindictæ semper adhærent.
Per iniuriarum ictus firmandum animi robur.
Numquam inconsulto naturæ impetu ruendum in vltionem iniuriæ.
Magis iniuriæ condonationi adhærendum, quam vindictæ.
Ex excelsa iniuriarum despectione excelsus animus coniectandus.
Sustinentia potiùs, quam vltione, iniuriæ, & contumeliæ repellendæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XLVIII.

Ad homines Aequanimes.

ÆQuanimitas exercenda potissimum in fortunarum iactura.
Inter procellas humanę vitę Æquanimitas velut anchora adhibēda.
Ducendum Aequanimitatis præsidium ex caducitate bonorum, quorum patimur iacturam.
Inter fortunæ ludibria libranda Virtutis firmitas.
Flocci per æquanimitatem pendenda cuncta illa bona, quæ extrinsecus adueniunt, & extrinsecus tolluntur.
Non est homo de mentis constantia deijciendus per quācumque externorum bonorum amissionem.
Stabilium bonorum sedes per æquanimitatem quæritandæ.
Deligendum velut æquanimitatis domicilium ipsius fortunæ hospitium.

Felicior homo putandus in amissione bonorum fortunæ, quam in possessione.
Non cohorrescendum homini ad quamcumque paupertatis vocem.
Nullus æquamini viro metus admittendus in cõfragoso paupertatis itinere.
Æquanimitate roborandus animus varia ærumnarum conflictatione maceratus.
Subeunda mala per æquanimitatem tamquam animi bona.
Discutienda malorum nubila per animi serenitatem.
Obfirmanda in malorum perpessione infirmitas humana.
Venanda inter ærumnas æquanimitatis laus.
Sine luctu excipienda etiam mors liberorum vi æquanimitatis.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XLIX.

Ad homines Magnificos.

Magnificentia tãquam virtus liberalitate excelsior ab homine colẽda.
Splendidiùs per magnificentiam erogandæ facultates, quam per liberalitatem.
Non à paruis sumptibus captanda magnificentiæ laus.
A magnificentia *in rebus excelsis non excedendi* honestatis fines.
Præscribenda magnificentiæ quædam decentiæ lex.
Spectanda rerum, ac personarum conditio in exercenda magnificentia.
Deridenda adhuc Xersis magnificentia, quæ arbores ipsas torquet, & armillis ditauit.
Non substernenda Comædis purpura in theatris ad decus magnificentiæ.
Consulendum à viro magnifico operis agendi dignitati.
Negligendi à magnifico etiam perampli sumptus, cum id postulat opus.
Excitanda in rebus magnificis intuentium admiratio.
Cogitanda in magnificentia operum pretia.
In paruo obelisco non inscribendum magnificentiæ nomen.
Nullum opus destitutum splendore magnificum appellandum.
Seruandus magnificentiæ splendor præsertim in ædibus extruendis.
Deuitanda à viro magnifico, quæ magnificè agi non possunt.
Splendido consilio repudiandum, quod rei, vel personæ magnificentiã lędit.
Etiam perennitas operum in magnificentia non omittenda.
Publica ædificia summa magnificentia exornanda.
Priuatæ ædes pro cuiusque dignitate exædificandæ.
Publici sumptus magnificentiæ splendore decorandi.
Sacrificia quæcumque non sine magnificentia peragenda.
Inter magnificos homines illi tantum recensendi, qui semper magna moliuntur.

LE-

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. L.

Ad Magnanimos.

MAgnanimo viro semper magna, grandia, & sublimia peragenda.
Magnanimitas in rerum magnitudine constituenda.
Magnanimitas ex magnis, quibus se quis dignum existimat arguenda.
Non est magnanimo viro superbiendum.
Propria tamen promerita à quocumque magnanimo sunt agnoscenda.
A viro magnanimo sine nota expetendi, & affectandi honores.
Seruandus tamen etiam magnanimo modus in expetendis honoribus.
Iactanda quandoque à magnanimo promerita propria.
Deferendus honor à magnanimo viris eximijs, ac virtute præstantibus.
Honor ille habendus in pretio à magnanimo, qui à viris virtute fulgentibus progreditur.
Nulla prosperitate aut magnitudine insolescendum magnanimo viro.
Magnanimitas velut pars fortitudinis habenda.
Conferenda in omnes ex magnanimitate beneficia.
Nihil magnanimo fingendum, aut simulandum.
Magnanimo viro honores potius contemnendi, quam expetendi.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LI.

Ad homines gratos.

IN gratiam benefactoris ab homine grato omnia expromenda.
Beneficij accepti æstimatione omnis iniuria obliteranda.
Pluris pendendum beneficium, quam maleficium.
Præstandum homini grato vt beneficij memoria nulla re excidat.
Implendi gratitudinis numeri beneficij repensione, & gratiarum actione.
Libenter beneficia accipienda ab homine grato.
Beneficia non sunt in fænerationem conferenda.
Æstimandum virtutis officium, reddere quod acceptum est.
Æquè benefactor, & beneficium à viro grato agnoscendum.
Grati animi partes explendæ per temporis, & loci opportunitatem.
Cóuertendum beneficium in authorem beneficij.
Mutuo saltem affectu compensanda beneuola animi dispositio etiam sine operis exhibitione.
Ex lege iustitiæ par beneficium reddendum accepto, cum fieri potest.
Numquam maleficium pro beneficio reddendum.
Numquam beneficium negandum, minuendum, aut dissimulandum.
Accepti beneficij recordatio non ingrata onerosa censenda.
Beneficium tenaciùs memoria retinendum, quam iniuria.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LII.

Ad Beneuolos homines.

PRæclara beneuolentiæ bona ex diſcordiæ ſpecie cònieƒanda.
Præcipua beneuolentiæ honeſtas in eos præſertim intendenda, qui nobis aduerſantur.
Non excipiendus eorum error, qui beneuolentiam erga hoſtes adhibitam damnant.
Euincendum vel ipſo naturæ lumine erga omnes exercendam eſſe beneuolentiam.
Homines maleuoli à Reip. regimine ammouendi.
Etiam à publicis Principum ædibus interdicendi.
Ab odio inimicorum per beneuolentiam ſemper abſtinendum.
Dilectionis lex Chriſtianæ dilectionis obſeruantia ſtatuenda.
Vi præceptæ beneuolentiæ reconciliandi inimicorum animi.
Eliminanda per beneuolentiam iniuriarum repenſio.
Non tantum erga redamantes beneuolentia exhibenda, ſed etiam erga exoſos & odio nos habentes.
Exigenda inter homines beneuolentia ex humanitatis neceſſitudine.
Dirimenda præſertim per beneuolentiam inter amicos, & conſanguineos iurgia.
Non recenſenda inter beneuolentiæ munera, adulationis officia.
Homo beneuolus ab amico non ſecernendus.
Ab homine beneuolo arcendum præſertim virus inuidiæ.
In beneuolentia exercenda ſeruanda perſonarum diuerſitas.
Ex aliena felicitate felix homo beneuolus iudicandus.
Erigendus beneuoli animus ex aliorum felicitate, proſternendus ex miſeria.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LIII.

Ad homines manſuetos.

PEr manſuetudinem ſeruandæ humani conſortij leges, ac neceſſitudines.
Manſuetudo à Clementia pluſquam nomine diſtinguenda.
Abdita in animo perturbatio manſuetudine regenda.
Temperanda etiam per manſuetudinem ira, quæ ab animo furente ſolet erumpere.
Cohibendi per manſuetudinem omnes animi motus, tum interiores, tum exteriores.

Vin-

Vincenda per mansuetudinem aliorum feritas, & indignatio.
Exercenda potissimum mansuetudo in cohibenda ira ad irrogandas pœnas concitata.
Non omnes indignationis impetus per mansuetudinem coercendi.
Præscribenda in rebus occurrentibus à sola ratione mansuetudo.
Stolida potius animalia dicenda, quam homines, qui numquam irascuntur
Laudanda ira ex rationis præscripto temperata.
Sæpè excitandi ad iram viri nimis mansueti.
Per mansuetudinem plures ab homine exercendæ virtutes.
Citiùs ijs ira deponenda, qui celeriùs excandescunt.
Iræ laborantes excessu infirmi ac mente imbecilles habendi.
Non est interiùs ira premenda, vt exteriùs ferociùs erumpat.
Occulenda ira, cum ratio postulat, & prudentia.
Magis iræ excessus, quàm defectus improbandus.
Aliæ potiùs perturbationes animo excipiendæ, quam ira.
Numquam animo ferocienti, atque per iram efferato indulgendum.
Mansuetudinis specimen præsertim inter æstuantes iræ ardores exhibendum.
Clementes Principes præsertim à mansuetudine commendandi.
Paternus potiùs quam supernus induendus animus à Principibus erga subditos.
Nihil per barbaram inhumanitatem præstandum Principibus erga subditos.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LIV.

Ad Misericordes.

PEr misericordiam aliena miseria, cùm fieri potest, iugiter subleuanda.
Nemini paranda miseria ad misericordiam exercendam.
Egenis quibuscunque impendenda misericordia.
Subsanandi Stoici pro abolita misericordia.
Immoderata tantum, atque inconsulta rerum erogatio carpenda.
Non fouendus in egenis torpor, neque in mendicis metuenda mollities per misericordiam.
Obtinendum misericordis nomen, non per tristitiæ affectum, sed per expeditam leuandæ miseriæ voluntatem.
Exhibenda misericordia tam erga corporis, quam animi miseriam.
Longè tamen amplior animo, quam corpori impendenda miseratio.
Inter misericordiæ officia hospitalitas commendanda.
Per misericordiam curandi ægri, redimendi captiui, orphani instituendi, egeni sustentandi, mortui sepeliendi.

Mise-

Misericordia adhibenda tamquam humanæ societatis vinculum.
Immisericordes censendi de humana natura malè promeriti.
Deludenda illa humanitas, quæ à misericordia seiungitur.
Vir immisericors cædis reus pronunciandus.
Immisericordiæ nota præsertim æquè inter hostes, ac inter amicos cauenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LV.

Ad Liberales viros.

E Discenda homini liberalitas à natura, quæ splendida nobis se se ostentat, atque effundit industria.
A liberalitate prodigentiæ fines non attingendi.
Liberalitatis norma à cælo ipso captanda.
Etiam splendentia astrorum lumina accipienda velut liberalitatis exempla.
Liberalitatis miracula in fluminibus præsertim agnoscenda.
Liberalitas diuinitati quoquo modo æquiparanda.
In liberalitate ordo rectæ rationis proponendus.
Per liberalitatem diffundenda etiam in malè merentes beneficia.
Homo per liberalitatem dicendus homini Deus.
A liberali viro spectandus in dando honestatis finis.
Inconsultè viuentes habendi, qui res suas nec dare sciunt, nec alienas accipere.
A rerum suarum elargitione depellendus omnis lucri finis.
Arcendum etiam à liberalitate omne ostentationis genus.
Beneficij nomen neque in quæstum honorum mittendum.
Numquam iactanda beneficia collata à viro liberali.
Nunquam pactis repensionis fædandum liberalitatis nomen.
A liberali viro non sunt beneficia extorquenda præter voluntatem.
Dandum sine difficultate, quod datur ex liberalitate.
Ex animo præstanda, quæ ex liberalitate præstantur.
Modus in liberalitate adhibendus, ne in prodigentiam incidat.
Liberalitatis nomen nunquam paupertati consociandum.
Liberali viro auaritiæ crimen in omnibus vitandum.
Generosè despiciendæ opes, & diuitiæ à viro liberali.
Deligendæ personæ quibus dandum est à viro liberali.
Per liberalitatem nullus vir illiberalis ditandus.
Non effundendæ diuitiæ in histriones, & scurras.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LVI.

Ad diuites.

NOn ſunt opes æſtimandæ vt bonum pretioſius in natura.
Non ſunt omnia bona in ſolas diuitias congerenda.
Non aurum ſolum ſummum hominis bonum deprædicandum.
Nec hominum animi auro vincendi, nec aureis cathenis corda deuincenda.
Non auro violanda fides, aut integritas flectenda.
Potius fama captanda diuitiarum contemptu, quam earumdem æſtimatione.
Nullum ſcelus aut flagitium per auri oblationem patrandum.
Non ex auri cupidine valedicendum virtuti.
Non violanda propter aurum amicitiæ aut conſanguinitatis iura.
Nulla diteſcendi ſpe perducenda in excidium Reſpublica.
Non ſolis opibus ex auro homo beandus.
Ab animo non propter aurum exturbanda quies.
Collocandus homo diues in ſede doloris, vbi curarum morſibus iugiter vellicetur.
Fictitia cenſenda diuitum hilaritas.
Aggeranda diuitis triſtitia ex aggerata pecunia.
Diuitibus iugiter metuendi inſidiatores, raptores, ac cædis molitores.
Explenda animi ſatietas potiùs pauperie quam opibus.
Laborandum diuiti, ne æſtu diuitiarum collaboret.
Opes nimio labore partæ potiùs opus alienæ, quam propriæ iudicandæ.
Cenſendi diuites labili pede, ac citato curſu ad miſeriam properantes.
Longè præſtantius ducendum pauperem eſſe quam diuitem.
Inſania notandus, qui cupit ſupra nummorum aceruos nudis pedibus inambulare.
Hoſtes profligandi potius argenteis, aut aureis haſtis, quam ferreis ſacriſſis ac lanceis.
Inter beantia bona quoquo modo etiam diuitiæ recenſendæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LVII.

Ad homines paucis contentos.

BEati hominis exemplari homo paucis contentus proferendus.
Homo paucis contentus inter potentes metuendus.
Numquam ab homine ad ſuperuacanea inhiandum.
Per pauca homo ad legem naturæ componendus.
Grandis paupertas dicenda grandis rerum indigentia.

Ex re-

Ex rerum copia summa pauperies inferenda, ac summa sollicitudo.
Etiam in paucis agnoscenda natura vt parens, non vt nouerca.
Facilius in modico beatitas attingenda, quam in rerum excessu.
Immodico neque corpus, neque animus prægrauandus.
Felices habendi, quibus paruo viuere solemne est.
Beata decantanda Furij, & Aglai paupertas ex paruo agello.
Vesana rerum cupiditas ab animo exturbanda.
Spernenda imperandi ars, quæ pluribus per indigentiam seruire cogit.
Mendici, & pauperrimi in maiori pretio habendi, quam Principes ipsi, ac Reges.
Erronum felicitas ex mendicitate colligenda.
Pauperrimo homini beata omnia prænuncianda.
Nihil homini paucis contento trepidandum, nihil optandum.
Sapiens ille reputandus, qui sibi nouit, & superuacanea detrahere, & non necessaria amputare.
Non est homo per immodica subijciendus fortunæ prædatrici.
Sola rerum paucitate præoccupanda fortuna.
Immodica pro modicis aut relinquenda, aut commutanda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LVIII.

Ad homines virtute beatos.

Virtutis regnum æstimandum velut Diuinitati conterminum.
Per virtutem roborandi conatus in sublime contendentes.
Per virtutem explenda omnia humana desideria.
Viris emeritæ virtutis diuini honores impendendi.
Ab homine virtute beato omnia ad iustitiæ, & pietatis munera traducenda.
Ex sola virtute felicitas in homine agnoscenda.
Homo virtute insignitus expingendus veluti beatitatis exemplar.
Excitandus homo per virtutem ad vera intelligenda, atque ad pulchra diligenda.
Virtutis campus beatitatis ager nominandus.
Cudenda in animis beatitudo solo virtutis amore.
Non vltima semper expectanda dies homini, vt beatus euadat.
Salutanda virtutis limina ab incunabulis.
Sola virtus ars arcana censenda, qua homines commutantur in Deos.
Purgandæ vitiorum sordes beatitatem ex virtute capessenti.
In album Heroum transcribendi, qui præclara virtutum gesta patrarunt.
Nihil splendidius, aut magnificentius cogitandum, ipsa virtute.
Nihil magis expetendum ipsa virtute ad animi saturitatem.

Felix,

Felix & beata appellanda illa Resp. quæ ciues habet virtute præstantes.
Ploranda illa temporis corruptela per quam à ciuitatibus fit virtus extorris.
Nunquam virtus prostituenda, aut in abiectos vsus proijcienda.
Nullum sine virtute æstimandum bonum.
Felicitas parta virtute à nulla aduersante fortuna interrumpenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LIX.

Ad homines fucatæ virtutis.

Vitia specie virtutis laruata ab animo arcenda.
Non est vitium deceptoria fraude in aliorum perniciem vsurpandum.
Non ostentandum animi robur in eiusdem animi mollitie.
Non tegendus superbiæ aut elationis fastus fortitudinis specie, aut magnanimitatis.
Impietatis crimine damnandus, qui crudelia exercet pietatis officia.
Vitiorum nomenclatura nunquam aptanda virtutibus.
Alienorum elargitioni non indendum liberalitatis nomen, neque audaciæ, & temeritati nomen fortitudinis.
Properum illius Reip. augurandum exitium, quæ vitijs vtitur tanquam virtutibus.
Neque in aulis Principum indulgendum vitijs prolectante virtutis specie, aut fauente fortuna.
Declinandæ illæ Principum, aut Tyrannorum preces, quæ nomen coactionis præseferunt.
Nulla honestatis specie tegenda crimina inhonesta.
Digna probro perhibenda illa crimina, quibus obtenditur excusatio.
In dolo semper habendus, qui vitium contendit palliare virtute, aut excusatione.
Præsertim erga Deum ac diuina non est adhibendus personatæ virtutis cultus.
Irridendi ac detestandi omnes politici virtutis simulatores.
Neque probitas palam mentienda, neque perfidia secretò retinenda.
Tanquam ferales deploranda virtutis interitus vitia palliata.
Nihil scelestius credendum simulatore virtutis.
Censenda ementitæ probitatis specimina propriæ virtutis præconia.
Non præferenda velut fax fucatæ virtutis vmbra.
Gloriæ animalia, & popularis auræ mancipia appellanda homines solum inane virtutis nomen captantes.
A flagitiosis non induenda virtutis larua.

Multis

Multis oneranda criminibus Veterum Philosophorum sanctimonia ex sola simulatione virtutis.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LX.

Ad homines veram virtutem affectantes.

Virtutis apex ab omnibus affectandus.

Ad perfectam capessendam virtutem quidam adhibendi ipsius naturæ stimuli.

Voluptas, & tristitia inter agendum signandi velut potiores dignoscendæ virtutis characteres.

Supremum virtutis fastigium summo labore contingendum.

Præditus virtute censendus, qui in benè agendo ipsa virtute oblectatur.

Accipiendum virtutis tutamen à profligatione vitiorum.

Etiam ex somnijs coniectanda perfectæ virtutis possessio.

A perfecta virtute nunquam seiungendus ipsius virtutis amor.

Ex sola virtute oblectatio in animum transferenda.

A sola virtute impetrandum supremum Heroici animi nomen.

Nulli parcendum labori ad conquirendam virtutem.

Cuncta pericula aduersantia virtuti contemnenda.

Omni tempore vitia abdicanda, atque ineunda virtutis studia.

Occupanda virtus præsertim in regendis affectibus, & exturbandis ab animo perturbationibus.

Ab arce virtutis nullo hoste incursante homo exturbandus.

Ministrandæ virtutis faces homini vitiorum tenebris obuoluto.

Constituenda virtus in animo velut moderator Princeps.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXI.

Ad homines voluptarios.

Non abnuenda illa voluptas, quæ animo, & honestati adblanditur.

Corporea voluptate detentis nulla animi voluptas objicienda.

A virtutis ditione exterminandæ omnes sensuum, & corporis illecebræ.

Ad summum degustandum bonum vilia corporis mancipia nequaquam erigenda.

In sola ratione velut in propria sede beatitudo locanda.

Voluptaria vita brutalis potius, quam humana dicenda.

Compellendus homo vt lumen, & dictamen rationis prosequatur.

Nocturna beatitas appellanda, quæ corporeis delitijs comparatur.

Igne extinguendus homo, qui factus est libidinum incendium.

Vitandæ

Vitandæ voluptates omnes, quæ virtuti moliuntur excidium.
Nulla vi pertrahendus animus ad ementita bonorum illicia.
Mentis, & corporis morbus corporea voluptas nominanda.
Ex immodica voluptate ægrotantibus caput abradendum.
Voluptatis tyrannis numquam in animo admittenda.
Voluptati etiam licitè illabenti numquam totus animus adijciendus.
Larua voluptatis corporeæ neque aspicienda.
Fortiùs cum voluptate dimicandum, quam cum dolore.
Semper cum voluptate, non semper cum dolore congrediendum.
Censendus grauior voluptatis impulsus, quam doloris.
Ad nutum voluptatis cuique forti trepidandum.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXII

Ad captos voluptatis amore.

OMnia peragenda propter parandam voluptatem.
Voluptas in quacumque operatione ab homine sibi velut finis proponendus.
Voluptatis bonum non distinguendum ab honesto.
Omne bonum expetendum, vt appetens delectetur.
Iucundum, velut species boni potissima admittenda.
Explenda quæcumque cupiditas per voluptatem.
Voluptas in rebus honestis consopita, excitanda.
Voluptate aspera omnia, & difficilia demulcenda.
Ad agendum præclarè sola voluptate accendenda cupiditas.
Sola virtutis voluptate exsaturanda voluptatis cupiditas.
Multum operis impendendum in vitiosa voluptate cohibenda.
Cogitanda voluptas vera in eorum adeptione, quæ exoptantur.
Spe voluptatis aduenturæ leuandus præsentium dolor, ac labor.
Commendanda voluptas, quæ ducit ad honestatem.
Ex inutilibus nulla voluptas capienda.
Deridenda illa voluptas, quæ ex miseria percipitur.
Inhonestæ voluptati iuge bellum indicendum.
Nulli voluptati indulgendum lenocinante animi mollitie.
Homo illa sola voluptate beandus, quæ potens est cupiditatem implere.
Eo modo summum bonum in voluptate locandum, quo summum malum in dolore.
Adimenda homini beatitas, nisi adsit voluptas.
Beatitatis nomine intelligenda iucunditas in parte animi Principe cōstituta
E domitis animi perturbationibus haurienda beatitudinis voluptas.
Nullo scelere contaminanda voluptas, quæ beatum hominem facit.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXIII.

Ad homines operosos.

NOn est in hominem conferenda beatitudo absque eius industria, & labore.
Adstruenda felicitas præsertim virtute, & operibus.
Desidi ac torpenti eripiendus beatitudinis locus.
Non tamen inter iuges motus venanda beatitas.
Post opus traducenda ad animum quies, vt beetur.
Homini operoso numquam desperanda beatitudinis meta.
Sollicitandus animi torpor ad agendum spe requietis.
Non est credenda beatitas naturæ congenita, sed nostro agnata labori.
Torpens homo extra humanitatem constituendus.
A superis mutuanda ad agendum calcaria.
In natura quædam beatitatis primordia admittenda vi operationis.
Non astris adscribendum id, in quo per otium deficit homo.
Quandoque ad beatum sapientiæ otium homini operoso diuertendum.
In studio sapientiæ agendum simul, & otiandum.
Ad sollicitudines agendorum animus per sapientiam conuertendus.
Suscipiendum publicum negotium vt Reip. paretur otium.
Otio, & negotio tota hominis vita instituenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXIV.

Ad Artifices.

NOn est homini incusanda natura ob impositam artium necessitatem.
Artes à superis prodijsse certa fide tenendum.
Æquè humanæ rationi, & indigentiæ adscribendum artium inuentum.
Concedendæ homini artes in eam gratiam, vt sibi in omnibus benè consulat.
Arte suppeditanda naturæ, quæ ipsa natura non attingit.
Compellandæ artes humanæ indigentiæ medelæ.
Artes ingenuæ seù liberales non sine mæchanicis in vrbes inducendæ.
A primo vitæ nascentis exordio quodlibet comparandum artium genus.
Artium ortus scientijs, atque theoricis disciplinis adscribendus.
Artes humano generi infensæ, maleficæ, & exitiosæ à ciuitatibus eliminādæ.
Nulla ars admittenda, quæ non collimet in bonum.
Humani generis infortunia artibus potissimum auuertenda.
Artibus quoque cuiuscunque Principis firmandum imperium.
Extollenda artium sublimitas ex Principum eas profitentium dignitate.

Reip.

Reip. vtilitas per artes præſertim concilianda.
Non omnes artes ſtrepitum in vrbe excitantes repudiandæ.
Non omnes ſedentariæ artes in Rep. prohibendæ.
Præter artem militarem, & agrariam aliæ artes admittendæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXV.

Ad homines ſciendi cupidos.

ANte temporaneum ortum nulla ſcientia homo muniendus.
Neq. animæ à corporibus ſecretæ ſcientia,aut ſapientia exornãdæ.
Neque naturæ ingenita, neque ab æternitate congenita, putanda eſt hominis ſcientia.
Initium ſcientiæ philoſophicæ non eſt Græcis adſcribendum.
Neque alijs gentibus ſcientiæ origo adiudicanda.
Primus ſcientiæ conditor cenſendus primus parens Adamus.
Non eſt homo omnino ſcientiæ incapax conſtituendus.
Ex rerum inconſtantia, ac mutabilitate non arguenda mutabilitas ſcientiæ.
Nulla de re per ſcientiam hæſitandum.
Solum verum per ſcientiam enunciandum.
Statuendum velut duplex ſciendi fundamentum verum, & falſum.
Inanis habenda ſciendi cupiditas, quæ in ſcientiam non contendit.
Ad conſtituendam ſcientiam non ſunt Platonicæ Ideæ conſtituendæ.
Neque res phyſicæ vocandæ rerum vmbræ in materia refulgentes.
Animæ ante corporis informationem nulla rerum prænotitia tribuenda.
Non accipienda ſcientia tamquam rerum reminiſcentia.
Non è ſolo cælo quaſi per machinam euocanda ſcientia.
Non excogitanda mens quædam ſuperior formarum datrix, aut diſtributrix in ſcientia.
Intellectus ſola ſcientia, ac ſcibilibus illuſtrandus.
Scientia à ſenſuum deceptione redimenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXVI.

Ad Studioſos.

STudioſitate acuendum hominis ingenium.
Per ſtudioſitatem excutiendus ignauiæ torpor.
Studioſitatis officia adhibenda æquè in ſcientiæ deſpectione, atque in eiuſdem ſcientiæ appetitione.
Studioſitatis amore non vltrà rectum abripiendus homo.
Cohibenda per ſtudioſitatem illa ſciendi cupiditas quæ ducit ad malum.

Fines in ſcientia per ſtudioſitatem præſcribendi.
Ad curioſitatis ſaturitatem non eſt ſtudijs obruendus intellectus.
Studioſo viro cauenda ſciendi extrema in exceſſu, & defectu poſita.
Res inutiles per ſtudioſitatem minimè diſquirendæ.
Studia omnia pertractanda, aut exercendi ingenij, aut remittendi animi cauſa.
Ridiculi habendi qui in res ludicras longa conferunt ſtudia.
Non quærenda ſcientia à proprij ſtatus ratione aliena.
Senilis ætas neque in ſtudijs abiectis, neque in nugis poeticis conterenda.
Deplorandà illa ſciendi prurigo, quæ ſcientem concitat ad noxia.
Inueſtigabilia nullo ſtudio veſtiganda.
Malarum artium origo inſano ſtudio adſcribenda.
In ſciendo numquam explendum cupiditatis vitium.
Damnandus etiam ineptus ſciendi torpor.
Ad ſtudia opportuna congerendi libri.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXVII.

Ad Homines Eruditos.

Non dirigenda eruditio à viro literarum cultore ad ſolius inanis gloriæ aucupium.
Non eſt inſtituenda eruditio ad ſolam placendi gratiam.
A viro erudito iuuandi vtilitas gratiæ placendi præferenda.
Non ſibi occinendæ ab erudito propriæ eruditionis laudes.
Non vbique locorum inſcribendum viri eruditi nomen.
Potius publicæ, quam priuatæ vtilitati à viro erudito conſulendum.
Extrà rem non oſtentanda eruditio.
Non captandi hominum plauſus ex eruditione fucata.
Non ſola memoriæ felicitate eruditio pertractanda.
Decantanda vanitatis crepitacula, qui alienas ſententias ſola memoria retentas vno quoquo verbo in eruditionis oſtentamentum proferunt.
Exhibenda in eruditione potiùs literaria ſuppellex, quam verborum congeries.
Ab aſſidua librorum relectione comparanda eruditio.
Non ſola librorum affluens apotheca in eruditionem conſtruenda.
Leniendus ſtudij labor grata librorum lectione.
Non affectanda eruditionis fama apud vulgus imperitum.
Conuertenda omnis eruditio in optimum ſui, & aliorum regimen.
Profundenda eruditæ ſapientiæ lumina præſertim inter ſapientes.
Haurienda per libros eruditio, quæ præſertim nobis ipſis proſit.
Nihil excelſius æſtimandum viro erudito.

In

In eruditionem omnium rerum notitia conferenda.
Etiam ad animi voluptatem eruditio reuocanda.
Eruditorum studia in bonum iugiter adhibenda.
Ad virtutis amorem inducendi per eruditionem erudiendorum animi.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXVIII.

Ad homines Sapientes.

VEræ sapientiæ forma à sola virtute accipienda.
Non ex omni ligno efformandus sapientiæ Mercurius.
Indoles veri flagrans ad sapientiæ aquisitionem disponenda.
Sapientiæ professori nunquam mentiendum.
Extorres habendæ in animo sapientis perturbationes.
Lineata sapientiæ simulacra in perfectis operibus omnibus exponenda.
Sapientibus viris à septis virtutis numquam recedendum.
Inutilia à sapiente numquam suscipienda, aut pertractanda.
Sapientiæ nomen solius veri studiositati adscribendum.
Induendus sapientiæ candor multiformi virtutum amictu.
Insipientiæ crimine numquam violanda sapientia.
Maturo semper consilio sapienti viro incedendum in rebus agendis.
In rebus sponte labentibus numquam firmanda sapientia.
Delibanda sapientia etiam ex insipientiæ characteribus.
In omnibus à sapiente adhibenda sapientia.
Nullus homo beatus intelligendus sine sapientia.
Nullum bonum tamquam sapientia pretiosius amplectendum.
Illud habendum potius sapientiæ munus, nosse se ipsum.
Publica, & priuata regimina sapientia dirigenda.
In Rebusp. sapientes præsertim honoribus cumulandi.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXIX.

Ad homines Solertes.

HOminis solertia ingenij subtilitate præsertim exercenda.
Bellatores, venatores, & machinatores viri solertes appellandi.
Solertiæ nomen etiam prudentię adaptandum.
Per solertiam semper eligenda, quæ meliora videntur.
Adhibenda præsertim solertia in rerum coniectatione, atque diuinatione.
Res agendæ per solertiam acutè introspiciendæ.
Solertia in rebus agendis, nec nimis festinandum, nec nimis cunctandum.
Sine solertia, neq. ex improuiso capiendũ consiliũ, nec extẽplo deliberãdũ.

Nulla per solertiam permittenda consilij tarditas.
Res ita solerter agendæ, vt & præterita per memoriam recolantur, & futura per prouidentiam anteuertantur.
Circumspiciendum per solertiam quid prodesse possit, quid obesse.
Diligenter exploranda per solertiam aliorum consilia.
Per solertiam eludendi omnes aduersantis fortunæ impetus.
Hostium insidiæ per solertiam detegendæ, ac diruendæ.
Nihil solerti viro agendum inconsultè.
Per solertiam comprimendus furor, qui ad noxia propellit.
A viro solerti prouidendæ etiam res in longinquo positæ.
Versutiæ, & astutiæ crimina solerti viro maximè cauenda.
Solertia à versutia semper dissocianda, atque distinguenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXX.

Ad Amicos.

Firmiter statuenda amicitia vinculo à superis accepto.
Amicitia virtutis legibus, & decretis circumuallanda.
In gratiam amicorum omnia honesta peragenda.
Amicorum omnia communia censenda.
Amicitiæ exemplar à Deo petendum.
Decerpenda amicitiæ laus ex amicorum aduersis.
Non succumbendum animo, amicos diuexante fortuna.
Amici animus ad impassibilitatem ex amicitia deducendus.
Extra amicorum ærumnas nulla ratione constituendus amicus.
Ad nutum fortunæ non mouendus, aut mutandus amicus.
Ab amico exigendum, quod & in secundis rebus exultet, & in aduersis tristetur.
Nulla scelera aut facinora amico perpetranda, vt opituletur amico, licet extrema patienti.
Gratificandum Amicis vsque ad Aras Periclis exemplo.
Nec sine recta ratione, nec sine virtute amicitia excolenda.
Veritas, & honestas amicitiæ semper præferenda.
Non posthabenda amicitiæ Iustitia.
Reip. salus præsertim ab amicitia expectanda.
Nec propter vtilitatem, nec propter voluptatem diligendus amicus.
Cum prauis hominibus amicitia nunquam ineunda.
Inter improbos delendum funditùs amicitiæ nomen.
Amico sola bona honesta peroptanda.
Vnum velle, ac nolle inter amicos constituendum.
Amicitia nulla de causa, nisi ex violato amicitiæ iure dissoluenda.

Neque

Neque in honorum culmine è longinquo ſpectandus amicus.
Mutua dilectione, & beneficentia fouenda amicitia.
Bona corporis, & fortunæ, vita ipſa, pro amicis exhibenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXI.

Ad obſeruantiæ Cultores.

AD exhibendam alicui obſeruantia tria animaduertenda.
Flectenda hominis voluntas ad præſtandum obſeruantiæ cultum præſertim æſtimatione virtutis.
Obſeruantiæ munera ſolius virtutis officijs exercenda.
Quandoque obſeruantiæ cultus alicui deferendus per ſilentium.
Colendum alicuius meritum manu admota ori, & oſculi impreſſione.
Etiam à digitis delibanda oſcula in ſignum obſeruantiæ.
Varia ſalutatione promendus obſeruantiæ index.
Primus obſeruantiæ cultus Principi exhibendus.
Fidelis quoque deuotio cuicumque iure imperanti præſtanda.
Princeps vt homo à Deo ſecundus colendus per obſeruantiam.
In Principe virtutes eximiæ præſertim obſeruandæ.
Magiſtratibus quoque ſumma veneratio deferenda.
Deferendus honos ſacris rebus, ac miniſtris, ſed potiſſimum Sacerdotibus.
Obſeruantiæ debitum in quocumque ſubdito, & ſeruo erga dominum, & ſuperiorem conſtituendum.
Cum parentibus, ac præceptoribus ſumma agendum cum veneratione.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXII.

Ad Verecundos.

VErecundia exornandus omnis humanus conuictus.
Deducendus homo ad optimam frugem per verecundiam.
Ex verecundia colligenda omnium virtutum ſemina, metendi fructus.
Verecundiæ ortus timori turpis actionis adſcribendus.
Pudenda obiecta per verecundiam refugienda.
Metuendæ per verecundiam quæcumque turpitudinis notæ.
Ex verecundia, neque clypeus abijciendus in prælio, neque hoſti terga danda.
Inuerecundus habendus ille miles, qui ſine cauſa certamen declinat in acie.
Verecundo homini ab omni actionum turpitudine abſtinendum.
In exercenda virtute omnis verecundia depellenda.
Ex verecundia ignominia, & contumelia repellenda.

Infe-

Inferendus homini pudor ex aliorum malefactis.
Princeps nullo rubore suffundendus, etiam si pro patriæ, & ciuium incolumitate rusticana penetrasset.
Principi licet sine verecundia quandoque sit agendum abiectè, nunquam tamen inhonestè.
Ex verecundia cuicumque homini quærenda scelerum tegumenta.
Verecundia virtus quædam indita à natura compellanda.
Nunquam spontè amplectendum verecundiæ obiectum.
A verecundia nullum excludendum hominum genus.
Pudor, & Iustitia potiora censenda humanæ societatis Numina.
Pudoris indicia præsertim in vultu, atque in ore gerenda.
Ætas omnis, non modo iuuenilis, sed senilis quoque verecundiæ subijcienda.
Accipienda plerumque verecundia velut reuerentiæ nota.
Commendanda admodum verecundia in accipiendis laudibus, & honoribus.
Dos magnæ indolis censenda, quod rubor erumpat in magnis rebus, & publicis conspectibus.
Adijciendum verecundiæ virtutis calcar.
Cauenda verecundiæ exuperantia, quæ in vitio sit.
In adolescentibus potiùs, quàm in senibus quærenda verecundia.
Rubor in adolescente virtutis color nominandus.
Laudabilis tantum dicenda illa verecundia, quæ inter duo obuersatur extrema, nimium scilicet pudorem, & impudentiam.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXIII.

Ad Comes viros.

NOn curis immodicis humana vita premenda.
Inter hominum cætus, conuictus, & societates admittendæ festiui, & iocantis ingenij oblectationes.
Comitati, & affabilitati idem nomen adaptandum.
Iocis quandoque temperandus humanæ vitæ labor.
Gaudia tristitijs, & doloribus sæpè admiscenda per comitatem.
Mediocritatis characterismus in iocis, & facetijs à viro Comi seruandus.
Asperitas immodica ab hominum cætu eliminanda.
Non satagendum homini Comi, vt blandiendo, & assentando semper placeat.
Homo Comis non semper alieno adaptandus arbitrio.
Ira concipienda aduersus eos, qui nimio placendi studio distinentur.
Assentatores nunquam diu ferendi.

Nimia

Nimia verborum blandimenta accipienda, velut hamata lenocinia ad captandas prædas instituta.
Excessus, & defectus in iocis, verbis, & factis per comitatem deuitandus.
Odio dignus habendus in humana societate vir ille, qui omnibus difficilem, & asperum se præbet.
Homo Comis delicium generis humani iure vocandus.
Imperij asperitas præsertim blando sermone lenienda.
Captanda ex comitate subditorum, & populorum beneuolentia.
Comitatis adiumenta præstanda, vbi ad leuandam seruitutem deficiunt necessaria.
Suaui colloquio redimenda Principis beneuolentia.
In humana consuetudine improborum gratia per comitatem non affectanda.
Erga omnes suaui vultu incedendum.
Comitate numquam seruiliter, vel abiectè deijciendus animus.
Ita iucundè colenda humana societas, vt in omnium congressibus exoptemur, sed non simus.
Ex comitate quandoque ludendum etiam cum infimis.
Cauenda tamen summoperè in comitate scurrilitas.
Cauenda etiam dicteria, & conuitia lædentia, vel irritantia.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXIV.

Ad viros facetos.

IN communi societate iucundè colenda quoddam Eutrapeliæ genus adhibendum.
Ad capiendam honestam animi remissionem quandoque facetijs indulgendum.
Etiam verborum sales ad relaxandum animum vsurpandi.
Illiberale censendum iocandi genus, quod non minus oblectet, quam lædat.
Non excedendi vrbanitatis fines in ludis, ac iocis.
Neque intemperanter facetijs colludendum.
Non risus, & iocus ex quacunque rei occasione captandus.
Opportuno tempore salibus ac iocis recreandus animus.
In sociali conuentu æquè loquendi, & agendi concinnitas proferenda.
Sanniones omnibus importuni, ac suis dicterijs permolesti ab albo facetorum expuendi.
Insana corrodentium linguarum dicacitas ab aulis Principum eijcienda.
Vbique locorum faceto viro cauenda scommatum, ac dicteriorum intemperantia.

Dam-

Damnandum in viro faceto scurrilitatis flagitium.
In humanis conuictibus nemo derisorijs motibus irridendus.
Vitandi in ciuili societate palliati verborum aculei.
Linguæ morsus non specie vrbanitatis tegendus.
Toto conatu quærenda vrbanitas, quæ in facetijs, iocis, ac dictis modum teneat.
In serijs congressibus à rebus ludicris abstinendum.
Ad iocos quandoque humana mens reuocanda, vt vegetior assurgat ad magna molienda.
Post otia maior virtus exercenda, præsertim in rebus ciuilibus, & politicis.
Sæpè facetijs recreandus animus publicis curis summè fatigatus.
Lenimenta naturæ ita adhibenda, vt non emolliatur animus, sed roboretur.
Habenda in iocis, & facetijs personarum ratio, & distinctio.
Petenda à sapientioribus vrbanitatis exempla.
Censendum viri sapientis munus opportunè loqui, atque opportunè silere.
In humana societate, præsertim in ciuili, & politica non semper probandum silentium.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXV.

Ad honestæ animi remissionis captatores.

CAptanda animi remissio festiuis congressibus, iucundis ludis, oblectantibus exercitationibus, & alio quouis honesto exhilarante laxamento.
Ab assiduo, & operoso conatu retrahenda natura.
Neque corpora, neque ingenia assidua actiuitate lassanda.
Ad capiendam animi remissionem sub libero cælo apricandum.
Ad leuandas animi curas etiam rusticani labores adhibendi.
Fessæ mentis leuamina etiam lætis studijs conquirenda.
Honestam animi remissionem captanti cauendæ obscęnitates, & turpes voluptates.
Non allidendus ad scopulos animus, vbi fruatur simul, & periclitetur.
Non ferenda illorum hominum corruptela, qui lasciuijs leuantur.
Nullum solatium quærendum in vita à vitæ honestate recedens.
Proscribenda in ciuitatibus omnia obscæna theatra.
Sacrarium Veneris iure appellandum, in quo fæda exhibentur spectacula.
Concilianda animi remissio rebus ad virtutem excitantibus.
Gymnica certamina ad capiendā animi remissionem semper improbanda.
In captanda animi remissione abstinendum à ludis alearum, ac tesserarum.
Aleatores quæstuosi, & fraudolenti nulla ratione in ciuitatibus admittendi.

Ab alea deducenda vitiorum cohors irruens in hominis excidium.

Capienda quandoque animi quies inter modulos, & concentus, inter piscationes, & venationes, inter aucupia, & læta studia.

Diebus operum dies festi adnectendi, ne frangatur animus diurnante labore compressus.

Suauiter demulcenda fatigata natura cessatione laboris.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXVI.

Ad Simplices, & Veraces.

Simplicitatis vox ducenda à partium exclusione.

In ijs constituenda simplicitas, qui nec obeunt in varia, neque cum pluribus commiscentur.

Simplex vita traducenda peccato ac fraudi impermixta.

Vir simplex habendus, qui non est effusus in multa.

Animi lenitas iniuriæ referendæ nescia quandoque appellanda simplicitas.

Viro simplici de nullo malè suspicandum.

A viro simplici non est condenda in latebris cordis indignatio.

Nulla ira à viro simplici ad vltionem concipienda.

Simplicitas virtuti veracitatis adnectenda.

Veraci viro iugiter astra suspicienda nullo velamento obducta.

Veritatem adamanti indicendum simulationis odium.

Non omnis simulatio in vitio veracitati opposito statuenda.

Simulationis nubilum sola honesta causa interponendum.

Non omnino improbanda verba æquiuocatione, aut aliqua restrictione mentali adhibita.

Cauenda, velut vitia simplicitati opposita, præsertim Iactantia, Ironia, Hypocrisis.

Ab omni mendacio veraci viro abstinendum.

Abiuranda quoque omnis fraus, & deceptio.

Externa tantum specie non est probitas à viro veraci simulanda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXVII.

Ad homines sui Deceptores.

Nequaquam diruenda per sui deceptionem virtutis ara.

Per sui deceptionem neque affectus contegendi, neque defectus excusandi.

Affectuum idola sui cognitione euertenda.

Affectibus nunquam adiudicanda diuinitatis iura.

Omni

Omni ſtudio virtuti velut Numini litandum.

Auuertendus animus à veterum deſipientia, qui Deos auerruncos venerabantur.

Neque imolandum ingenium, neque ſudores libandi Idolis, vel luto fictis, vel ære fuſis, vel auro recoctis, vel ligno dolatis, vel lapidibus ſculptis, vel coloribus delineatis.

Excutiendi præſertim affectus illi, qui in ara cordis in aliorum perniciem impiè conſecrantur.

Omnis idololatriæ origo in humanis affectibus à mentis cæcitate repetenda.

A timore præſertim ſæuiſſimo animorum tortore metuenda deceptio ſui.

Nemo ab optimo ſuæ mentis ſtatu per affectuum impulſum exturbandus.

Numquam impotentis animi cupiditatibus imolandum.

Numquam furiæ ad ſui deceptionem in animo conſecrandæ.

Neque perditè concupiſcendum, neque impotenter iraſcendum, neque deſperatè metuendum.

Non adſtruenda in animo ad corrigendos defectus impotentia.

Per mentis contumaciam non retinendæ errorum tenebræ ad ſui vſum, aut deceptionem.

Non proteruè fouendæ propriæ ægritudinis cauſæ accerſitæ excuſationis veneno.

Malè ominata excuſationis natalia in crimen primi parentis referenda.

Non propinandum innocentiæ venenum ſub criminis excuſatione.

Non extenuanda palmaria crimina per cognitionis defectum.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXVIII.

Ad homines non ſibi conſtantes.

Conſtans ac certa rectitudinis, & honeſtatis regula omnibus gentibus proponenda.

Conſtanti robore obuallandus animus inter humanas viciſſitudines exagitatus.

Præfinienda vna, & conſtans agentibus honeſtatis meta.

Morum, & conſuetudinum inconſtantia ab ipſa hominis varietate haurienda.

Quod iuſtum, & honeſtum eſt, non tale putandum ſolo Stoicorum decreto.

Non honeſtum cenſendum publicè agere quidquid fert natura.

Non ſunt omnia, aut ſecundum ſenſum dirigenda, aut voluptatibus metienda.

Nulla ratione plaudendum rebus inhoneſtis, licet quandoque, vel apud quoſdam fuerint honeſtæ.

Rerum

Rerum honestas numquam humanæ vicissitudini exponenda.
Virtutes ipsæ ex hominum inconstantia non inconstanter recipiendæ.
Nulla Resp. sine honestate, iustitia, & æquitate instituenda.
In nulla Rep. abolenda iustitiæ munera per Solonem abolita.
Pro locorum diuersitate non diuersa adhibenda iustitia.
Religionis præsertim, & pietatis firmitas nunquam deserenda.
Artes bonæ in Rep. exercendæ, maleficæ verò & exitiosæ exterminandæ.
Virtutis inconstantia abigendæ quandoque egestates vitæ.
Homo perenni circumactus errore non homo putandus.
Inconstans homo Deorum ludus appellandus.
Homo in mutationis desideria non semper rapiendus.
Non reddenda inconstans per voti inconstantiam ipsa felicitas.
Non status cõditio sine consideratione mutanda, licet eam premãt aduersa
saltem in extrema senectute firmanda inconstantis vitæ consuetudo.
Constantiæ dignitas in vitæ operibus iugiter affectanda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXIX.

Ad Impotes sui.

NVlla re siue aduersa, siue secunda efficiendus homo impos sui.
Neq. dolore, neq. ira, neq. voluptate hominis mens concutienda.
Nulla alia perturbatione occupanda in homine rationis ditio.
Difficilior cum voluptate, quam cum ira admittenda in homine concertatio, & pugna.
Sui impotentia etiam inter perturbationes oblumine agnoscenda.
Potius voluptas, quam ira censenda nobis à natura congenita.
In nullum sceleris genus per iram, aut per voluptatem homo abripiendus.
Ira, & Voluptas mala naturæ immedicabilia percensenda.
Nullum cum voluptate, aut cum sensu ineundum fœdus.
Maiori semper crimine culpandus homo ex voluptate, quam ex ira.
Ad cohibendas animi perturbationes adhibenda præsertim ab vnoquoq. notitia sui.
Non iugiter in propria mentis caligine fatiscendum.
Deplorandæ humani generis calamitates ex impotentia, & ex animi cum corpore cognatione.
Inuestiganda hominis potentia inter vires arbitrij a Deo in homine conditi.
Arbitrij intelligentia non est in infortunium conuertenda.
Vacandum iugiter sui cognitioni, & cohibendis affectibus.
Inducendus in animum harmonicus concentus per ipsius animi notitiam.
In sui ignoratione præscribenda omnium malorum meta.

Cum sensibus rationis imperium detrectantibus numquam clementer agendum.
Animi ergastulum tenebris offusum censendum corpus rationi reluctans.
Ærumnosa hominis societas æstimanda ignorantiæ labes.
Non retardandus per ignorantiam, aut per impotentiam cursus ad virtutis metam.
Non reijcienda omnium scelerum culpa in animi, & corporis cognationem.
Animi innocentia incolumis seruanda ab impetu perturbationum.
Ab illecebris voluptatum, ac sensuum lenocinio constantissimè mens auuertenda.
Ad vincendos perturbationum impetus nemo impotens iudicandus.
Mens, & ratio in humani capitis arce, velut in nobili Capitolio constituenda.
Sentientis animæ satellitium etiam telluris commune putandum.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXX.

Ad Politicos.

A Politicis colendi optimi legum conditores.
Resp. omnis virtute, & prudentia dirigenda.
Relinquendi sub lite primi legum conditores.
Prima ferendæ legis origo Cereri, quæ à poetis dicitur legifera, adscribenda.
Prima serendi frumenti ratio in eamdem Cererem referenda.
Ante Cererem admittendi antiquiores legumlatores, præsertim inter Athenienses, Cretenses, & Lacedæmones.
Decantanda illustrior Reip. dignitas ex sublimiore legum institutione.
Diuinior cæteris vetustissimis Rebusp. censenda Veneta Resp. ex diuiniore gubernandi arte.
In sola Veneta Rep. cæterarum pretia cogitanda.
Primus honor inter Respub. deferendus Venetæ ex gentis vetustate, ex imperij duratione, ex intemeratæ libertatis prærogatiua, ex rerum gestarum claritudine, ex Classium victorijs, ex Patrum moderatione, ex legum sanctitate.
Admiranda Veneti regiminis forma ex multiplici Procerum ordine constituta, nulla inde exoriente confusione, nullis excitatis insidijs, dissidijs, coniurationibus, legum transgressionibus.
In quocumque politico regimine ad perfectam viuendi rationem legibus collimandum.
Lex vna Rebusp. omnibus constituenda virtus.

Optima

Optima regendi forma ex sola virtute accersenda, & solo virtutis vsu comparanda.
Optimum regimen pietate præsertim ac religione firmandum.
Primæ regnorum, ac Rerump. calamitates vitiorum labi adscribendæ.
Exornanda potissimum Ciuium studia integerrima morum probitate.
Metuendum Reip. excidium vbi serpunt imperantium vitia velut contagia ciues inficientia.
A flagitiosæ politicæ radice expectanda omnium scelerum germina.
Ad socordis lasciuiæ pensa numquam relegandum politici directoris ingenium.
Non induendus ad populos benè regendos politiæ dolus.
Deferendæ prauis politicis omnium criminum notæ, quibus malè olent ciues, ac ciuitates.
Quærenda à politicis magnæ prudentiæ fama vbiq. gentium, & locorum.
Subditis, & exteris à politicis benefaciendum, vt vbique exerceant imperium.
Imperandi ars ab Accipitris natura politicis accipienda.
Numquam Reip. commodo posthabendum honestatis imperium.
Nullibi regnandum effræni peccandi licentia.
Solidandum imperium potius virtute, quam fortuna.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXXI.

Ad Reip. Institutores.

DAmnanda prorsus Epicureorum insania damnantium Resp. omnesque politicas societates.
Non casu, aut fortuitò Respublicæ instituendæ.
Spectandum præsertim commune bonum à Reip. Institutore.
Congregandæ præsertim politicæ societates ad benè, beateq. viuendum.
Reipublicæ institutori curandum potissimum, vt Ciues iustè viuant.
Imperanti non omnia pro libito, ac pro libidine agenda.
Nulla ratione imperanti labefactanda patriæ iura, sed constantissimè seruanda.
Principatus in Resp. à selectioribus viris, seù optimatibus gerendum.
Paucorum dominatus potiùs, quàm multorum in Rep. commendandus.
Ab optimis semper, & sapientioribus capienda consilia.
Non ita instituenda Resp. vt facilè in Monarchiam, vel in Tyrannidem possit conuerti.
Resp. illa probanda, in qua pulcherrimus sit magistratuum, & ciuium ordo.
Per præmia, & supplicia parandum in Rep. iter ad virtutem.
Honores summi summis tantum viris emeritæ virtutis destinandi.

Nulli in Rep. cæca imperandi cupiditate laborandum.
Prima Reip. basis pietas, & religio constituenda.
Iacienda Reip. fundamenta potioribus virtutis rudimentis.
Sancienda cum exteris fœdera incorruptæ fidei testimonio.
Vna tantum ac vera religio in quacumque Rep. colenda.
Reip. institutori maximè curanda legum obseruatio.
Propaganda Reip. gloria potius per rectè facta, quam per arma.
A sola ratione status non spernenda Reip. felicitas.
Reip. magnitudo præsertim ex æquitate celebranda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXXII.

Ad Reip. Administratores.

NOmine administratoris Reip. etiam fœminæ comprehendendæ.
Fœminæ quandoque à munijs Reip. non ammouendæ.
Non distinguenda in Rep. secundum Platonem viri, & mulieris officia.
Sauromaticis mulieribus militiæ laus concedenda.
Non relinquendæ in Rep. fœminæ absque omni ciuili institutione.
Mulierum indoles, cum opus est, omnibus officijs adaptanda.
Quandoque comparanda Sapho cum Anacreonte quoad carmina, & Sybillæ cum Bacide quoad oracula.
Æqua lance quandoque libranda Semiramidis, & Sesostris magnificentia, Portiæ magnanimitas, & Bruti.
Quandoque in Repub. promiscui adhibendi amictus virorum, & fœminarum.
Non solo fœminarum consilio administranda Resp.
Mulierum potiùs amator censendus Plato, quam perfectæ Reip. institutor, cum fœminas pro regenda Rep. patrocinatur.
Accuratè quidem fœminæ instituendæ, sed non ità facilè ad publica Reip. munera promouendæ.
Ad res Reip. gerendas viri vt plurimum destinandi.
Mari semper imperandum, fœminæ semper parendum.
Publica consilia fœminis interdicenda.
Intra limites domus mulieres continendæ.
Ex mulieribus numquam Senatus constituendus.
Potiùs Senatuli, quam Senatus nomen mulierum cætui inscribendum.
Mulieres ex generis ac sexus leuitate in testes numquam admittendæ.
Mulierum genus auarum cum Aristotele censendum.
Ob imprudentiam præsertim, sui impotentiam, & garulitatem à publica Reip. administratione mulier arcenda.
Fœminarum crimina apud Phocitidem legenda.

Ad Ciues.

TRiplex præſcribendum iuxtà Platonem ciuilium hominum genus.

Ciuis nomen non adſcribendum hominibus in montibus ſatis, ac nulla ciuilium bonorum communitate gaudentibus.

Ciues à natura ab ipſorum ortu diſcernendi.

Ciues à virtute illi cenſendi, quos è gregario cætu ſuſtulit animi cultus, ſtudiumque virtutis ad dignitatis ſplendorem euexit.

Ciues à fortuna illi nominandi, quibus omni natalium, ac virtutis ſplendore deſtitutis ſecunda afflauit fortuna, vt inter viros ciuiles haberentur.

Genuinum Ciuis decus, neque à ſola natura, neque à ſola fortuna accipiendum.

Edictanda à Ciue regiminis iura ſola virtute dirigente.

In ciuitatis bonum à Ciue ſemper conſpirandum.

Æquè Patris ac Ciuis nomen erga patriam, ac ciuitatem geſtandum.

Deteſtandi in Repub. Ciues illi, qui proprij tantum commodi exercent iura.

Ciui numquam torpendum in publica vtilitate procuranda.

A Ciuium albo obliterandi, qui in priuata beneficia publica bona conuertunt.

Omnia à Ciue Patriæ deuouenda in teſtimonium amoris.

Ciuis erga patriam beneficentia non ſolum in pace, ſed etiam in bello oſtentanda.

Affectandi à Ciue æquè Neſtoris, atque Aiacis honores.

Non eſt à bono Ciue vita in ſolitudine traducenda.

Agenda à Ciue, quæ Reip. vel ciuitatis poſtulat ſtatus.

Conſilio, opere, & authoritate à Ciuibus adiuuanda Reſp.

Solitariè quandoque viuendum Ciui, vt rebus Reip. conſulat, atque prouideat.

Commendandus Ciuis qui totum in amorem ſuorũ Ciuium ſe transfundat.

In bonum Ciuitatis, vel Reip. animo ac mente ſemper laborandum Ciui.

A Ciuium numero depellendus, qui iugiter ſub vario peruagatur cælo patriæ oblitus.

Non ſunt Ciuis officia in alienæ Ciuitatis vſus exhibenda.

Non ex ſola Ciuitatis habitatione, aut domicilio ciuium albo adſcribendus Ciuis.

Etiam aduenæ, & exteri de Rep. benè promeriti inter Ciues quandoque admittendi.

Non refugiendi à Ciue Ciuitatis Magiſtratus.

A ciuium numero Remp. administrantium secernendi pueri, & senes.
Serui, opifices, & pauperes non facilè ad magistratus, & officia Reip. promouendi.
Enumeranda velut potiora ciuis munia in Rep. benè regere, iudicare, decernere, imperare, & suffragium ferre.
Arcendi à ciuium muneribus, qui se totos contemplationi, aut scientiarum studijs dedunt.
Omne ciuis studium, contemplatio omnis in actionem referenda.
Iungenda in ciue vita contemplatrix vitæ actuosæ, vt meliora Reipub. parentur.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXXIV.

Ad Principes.

PRincipi suæ dignitatis iura rectè exercenda, rectè tenenda.
Splendor principatus nullis vitiorum tenebris obuoluendus.
Virtutis fax à Principe in quacumque administratione præferenda.
Principi illud Cyri indicendum decretum, quod imperet subditis melior.
Exigenda in Principe virtutis eminentia, vt benè principatum teneat.
Inuiolabili statuto recipiendum, quod inferiores præstantioribus vltrò subijciantur.
In Principe illæ potissimum quærendæ virtutes, quæ maiestatem deceant.
Principi agenda, ac non agenda cautè prospicienda.
Comparanda Principi prudentia præsertim ex subditorum cognitione.
Nihil indignum maiestate à Principe suscipiendum.
Ediscendus imperandi modus à Sapientioribus.
Non vna virtus in Principe quærenda, vt benè regat.
Principis prudentia ad certas regulas redigenda.
Seditiones à Principe nulla de causa, aut permittendæ, aut tolerandæ.
Boni regiminis fiducia præsertim in vinculis fæderum locanda.
Non suscitanda à Principe cum potentioribus diffidia.
Non eodem tempore res plures magni momenti à Principe peragendæ.
Non alienorum inuasio sine causa pertentanda.
Non semper ita paci fidendum, vt Princeps prorsus inermis remaneat.
Accurata arcanorum tectio à Principe instituenda.
Paulatim in lucem proferenda secretiora Principis consilia.
In imperij ingressu summa naturæ suauitas à Principe ostentanda.
A Principe numquam omittenda, quæ redolent magnanimitatem.
Principatus amplitudo non solis magnanimitatis limitibus coercenda.
Principis decus etiam Iustitia, & temperantia illustrandum.
Promouenda à Principe in subditis beneuolentia per beneficia.

In id

In id Principi connitendum, vt subditorum iura ac priuilegia inuiolabiliter tueatur.
Eneruis fortitudo ab animo Principis ablegãda.
Eligendi à Principe probatissimi viri magistratuum, & regiminis consortes.
In opem bonæ administrationis admouendi optimi Consiliarij.
Omnia à Principe dirigenda in populorum salutem, ac felicitatem, tamquam in agendorum metam.
Dissimulatio ad tempus Principi vsurpanda, tamquam imperij præsidium.
Numquam Principis dignitas, vel maiestas contemptui exponenda.
Non celeri deliberatione pertractanda à Principe grauiora negotia.
Nec in rebus singulis mora Principi amplectenda.
Deliberationis celeritas semper consilio maturanda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXXV.

Ad Consiliarios.

Concilij, & Consilij nomina distinguenda.
Belli pacisque tempore spectanda iugiter à Consiliarijs Reip. incolumitas.
Adhibendum consilium tamquam ratio faciendi aut non faciendi aliquid prudenter excogitata.
Ex veterum monumentis Consiliariorum necessitas indaganda.
Omnis regiminis felicitas ab optimis Consiliarijs expectanda.
Expetenda in consiliarijs annorum simul, ac consilij maturitas.
Principi etiam Sapientissimo vtendum consilio, ne sibi ipsi nimium fidens, in malam incidat imperij administrationem.
Cum summa rerum cognitione, & summa potestate iungendum consilium.
Eligendi Consiliarij summa vitæ integritate, & morũ probitate præstantes.
Opera nauanda à Consiliarijs potiùs imperij conseruationi, quam augumento.
Exigenda in Consiliarijs multarum rerum experimenta.
Iurisprudentiæ, historiæ, ac politicæ studia in Consiliarijs commendanda.
Ita Consiliarijs philosophandum, vt benè Remp. administrent.
Non ita Consiliarijs suspiciendum cælum, aut astra contemplanda, vt more Thaletis sine consilio in foueam cadant.
Negotia publica à Consiliarijs ita pertractanda, ac si ad ipsos spectarent.
Extendenda Principis fama per optimam Consiliariorum electionem.
Principatus venustas numquam per turpes Consiliarios deformanda.
Admouendus consilijs à Principe Consiliarius solius boni publici amore detentus.

Agen-

Agenda Principi in grauioribus imperij rebus, quod Consiliariorum oracula protulere.
Prouidenda ac procuranda pro temporum opportunitate Reip. salus.
Consiliarius fidelis, patriæ, ac Principis dilector venandus tamquam rara auis in terris.
Cauendum Consiliario ne abeat in noxias consultationes ad ostentandum ingenium.
Numquam Reip. commodum in consultationibus posthabendum.
Optandi Consiliarij, quorum mens, & consilium ad insueta diuagetur.
Improbandum illius Consiliarij ingenium, quod nouandis tantum in Rep. rebus studium impendit.
Numquam pertentanda, aut proponenda in Consilijs Reip. incommoda.
A ferendis Consilijs arcenda ingenia iuuenilia, atque immatura.
Prospiciendi in Consilijs omnes rerum euentus.
Audiendum quandoque eorum consilium, in quibus matura virtus, & cana prudentia ætatem supplet.
Consilium quandoque in arena capiendum, nec longæ semper moræ protrahendæ.
Æquè promptè consulendum, & promptè prouidendum.
Numquam sine consilio dandæ præcipiter res publicæ.
Priuatis affectibus non infuscanda consilia.
Potior Reip. pernicies priuatis consiliariorum affectibus adscribenda.
Adhibendi in consultationibus quandoque indiuenæ Consiliarij, non semper indigenæ.
Non satius putandum Principi Consiliarijs carere, quam exteros adhibere.
Consiliarij etiam ab exoticis regionibus aduocandi.
In consultationem, ea potissimum vocanda, quæ ad religionem spectant, & pietatem.
Auertenda optimis consilijs aduersa Reip. fortuna.
Numquam consulendum Principi soli status rationi, seclusa religione.
Ea in consultationibus proponenda, quæ commune bonum promouent.
Consilij candor numquam auaritia, aut ambitione fædandus.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXXVI.

Ad Legatos.

AD implendos legationis numeros plura adimplenda.
Legati dignitas, & Principis maiestas æquo more colenda.
E viris sapientioribus, ac præstantioribus seligendus Legatus.
Admouenda legationi potiora Reip. columina.
Sæpè magis fidendum Legatis, quam muris, militibus, & armis.

Impen-

Impensiùs seligendi Legati, quam duces.
Virtutis, ac Sapientiæ Legati committenda arduiora Reip. negotia.
Legatorum maximè spectanda fides, & ingenij dexteritas.
Destinandi vt plurimum Legati senes, aut senili prudentia exornati.
Non æquè omnibus committendum caducæum.
Legatorum venerationi, atque securitati à quocumque Principe prospiciendum.
Censendi ad legationem opportuniores, qui iam sunt legationibus adsueti.
Id spectandum in Legato, quod sit summus suæ patriæ dilector.
Omnia legationis munera in commodum Reip. redigenda.
Legati indigenæ, & alienigenæ in multis distinguendi.
Peregrina virtus, vndecumque aduenerit, semper latè excipienda, atque hospite honore decoranda.
Inquirendum à Principibus de aduentantibus legatis, an sint in propria regione viri præclari.
Quærenda præsertim in Legato prudentia, rei familiaris abundantia,& generis claritas.
Legationis munus splendentissimè obeundum.
Reputandum sanioris politiæ crimen legatos apud Principes non constituere.
Non spectanda in Legatis sola diuitiarum aut natalium pompa.
Exploranda Legati dignitas potissimùm à virtute, non à genere, aut ab opulentia.
Prudentiæ Legati superaddenda vitæ integritas, & morum probitas.
Virtuti Legati peroptanda fortuna Comes officij.
Etiam decora vultus elegantia in Legato postulanda.
Habendi illi Legati magnorum operum molitores, quos prompto ingenio natura donauit.
Neque loquendi apta venustas in Legatis despicienda.
In Legatorum ingressu ostentanda Principis, seù Reip. mittentis maiestas.
In apicem æstimationis, & admirationis perducendi intuentium animi, cum Legatus primò ad Principem accedit.
Faciliùs eligendi, ac mittendi Legati ad pacem petendam, quam ad bellum indicendum.
Marti ac Mineruæ litandum à Legatis pro Reip. commodo.
Herculis, & Musarum societas in Legatis exquirenda.
Non facilè legationis onus nouitijs, & Tyronibus committendam.
Faciliùs audiendi à Principibus, atque exaudiendi Legati illi, qui petunt honesta, scilicet res iuribus Reip. non aduersantibus.
Fæminæ à legationis muneribus prorsus interdicendæ.
Exquisita quandoque artificia à Legatis adhibenda, vt obtineant intenta
Petitioni tamdiù insistendum à Legato, quousq. quod petitur, impetretur

In

In ſpe tenui rei difficillimæ impetrandæ, alia ſtatim à Legato petenda, quæ ſint magis impenetrabilia.

Numquam ea à Legato petenda, quæ ipſo iure ſtatus negantur.

Petenda à Legato, quæ petentibus magna, & neceſſaria ſint, & tribuentibus honorifica.

Legatis cuncta ſcitè dicenda, & prudenter agenda in ſui Principis æſtimationem.

Nihil Legato inconſultè loquendum, etiam dum priuatè loquitur.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. LXXXVII.

Ad Aulicos.

NOn exoptandi honores in aula, vt melior captetur ſtatus conditio.

On affectandum in aula alicuius dignitatis faſtigium cum alterius ruina.

Morboſa ambitionis vertigo odio habenda velut malum aduocans miſeriarum pondus.

Sepeliendus in imo, qui altiora ſubſellia fraude potius, quam virtute meditatur.

Principum aulæ cenſendæ velut æquora, modo tempeſtatibus furentia, modo placiditate perimentia.

Neque inſoleſcendum, neque intumeſcendum aulicis, licet euectis ad ſumma.

Meruendus in gloriæ culmine caſus.

Extra rotantis fortunæ aleam etiam omni fauente Principis aura numquam aulicus conſtituendus.

Honeſtior in aula, quam exrra aulam vita traducenda.

Quærendæ in aulico potius animi, quam corporis dotes.

Aulico virtute fulgenti facilè à Principe ad aulam aperiendus ingreſſus.

In aula ſpectanda generis nobilitas virtuti conſociata.

Non ſolius Principis, ſed aliorum quoque captanda ab aulico beneuolentia.

Non illuſtre tantum ſanguinis genus in aula oſtentandum.

Concilianda ſibi ab aulico Principis æſtimatio per virtutem, & honeſtatem.

In aula iugiter iniuriæ ferendæ, & gratiæ agendæ.

Ardua in aulas irrepentia ſola patientia ſuperanda.

Agnoſcendum ab aulicis ipſius aulæ iugum, antequam illam adeant.

Cogitanda velut importabilia aulæ onera.

Cenſendum à conditione ſapientis quam maximè alienum, aulas Principum frequentare.

Con-

Concipienda potius in aula ex egestate fames, quam ex abundantia saturitas.

Quies libero homine indigna reputanda aulæ inseruire.

Nil sibi quietis ab aulico præscribendum in aula.

In aula numquam parcendum laboribus, numquam curis animum abrodentibus, conflictantibus, absumentibus.

Eò potior intendendus aulici obtutus, vt soli virtuti famuletur in aula.

Famæ, & honoris naufragia in aula iugiter metuenda.

Is aulico sibi scopus præscribendus in aula, vt Principi debitá præstet obsequia.

Nulla ratione lædenda fidei honestas erga Principem.

Declinanda ab aulico, quæ à regulis rationis exorbitant.

Ab aula curæ, & infortunia expectanda.

Aula colenda velut ædes fortunæ, ac fati.

Aulici muneris partes præsertim per iustitiam, & pietatem implendæ.

Aulæ commendatio etiam à Principis integritate ducenda.

Aulicis erga Principes semper sincerè agendum.

Non violanda Principis pietas aulicorum impietate.

Neque simulatio, neque assentatio erga Principem ab aulico adhibenda.

Numquam aulico inquirendum de sui Principis arcanis.

Aulicis rarò loquendum, & quæ sciunt, se nescire putandum.

Nihil aulicis insolenter agendum in aula propter merita exantlata.

In nulla re aulici præstantia cum Principis maiestate, aut dignitate comparanda.

Nil magis aulico metuendum Principis læsione, dictis aut factis ipsi Principi irrogata.

Agendi,& loquendi opportunè occasio captanda; sic etiam quæ expetunt, petendi.

Excelsa nimis, neque aulicis petenda, neque nimis impensè prosequenda.

Aulici, quicumque sint, modicè tantum à Principe ditandi, vt iugiter habeant, quod sperent.

Vitanda ab aulico aliorum inuidia, suæ vitæ moderatione.

Non suscipiendus accessus ad aulam ab aulico Principis conditiones ignorante.

Supra cætum seruorum tollendus aulicorum cætus, ipsis impertito quodam elegantiæ nitore.

Ciuilis prudentiæ experimenta ab aulicis proferenda.

Ad Iudices.

COnstituendæ in omni Rep. leges, ex quarum præscripto ferantur iudicia, & sententiæ.
Iudices publici iuris custodes habendi, & patroni.
Ius in Rep. præsertim per Iudices administrandum.
Ad ius dicendum promouendi viri summa integritate conspicui.
Dirimendæ populorum lites, & controuersiæ per Iudices intemerata legum æquitate.
Exercenda iudicia eliminitatis ab animo affectibus.
Præsertim hæc quatuor à Iudice cauenda, timor, cupiditas, amor, & odium.
Nulla re commouendus Iudicis animus, nihilque ab ipso trepidandum.
Induendum à Iudice præsertim animi robur aduersus præpotentes.
Recolenda à Iudice incorrupta vetustorum hominum iudicia.
Exuenda à Iudice omnis auri, vel diuitiarum cupiditas.
Munera nec ante iudicium, nec post iudicium à Iudice accipienda.
Castissimæ Iudicis manus nullo tempore, nullo munere deflorandæ.
Iustitiæ effigies sine manibus expingenda.
Ammouendus statim ab officio Iudex, qui accipit munera.
Addiscendus etiam morti, cum corruptam famam suo principi parat.
Ita ius administrandum, vt neque rumpatur, neque contorqueatur.
A Iudice indiscriminatim amicus, & hostis cogitandus; æquè consanguineus, & alienus.
Omnium personarum acceptio à Iudice excludenda.
Commendanda in Iudicibus illa iuramenta, quæ fidem iudicijs concilient.
A Iudice innocentes seruandi, nocentes semper damnandi.
Non relinquendum à Iudice legis statutum pro tuenda opinione.
Litigantium actiones accuratissimè à Iudicibus perpendendæ.
Puniendi Iudices omnes iniquè iudicantes.
Expediendæ quam citò litigantium causæ, ne lites è litibus progignantur.
Componendæ lites, ac litigantium controuersiæ, quoad fieri potest, sine sumptibus.
Sæpè diligendi Iudices pacerij, seù arbitrarij.
Pænis coercenda litigantium malitia, cum extra ius lites instituunt.
Deserendæ lites ab Aduocatis, & Procuratoribus, cum innotescit litium iniquitas.

Ad Nobiles.

PRæ cæteris naturæ bonis summo habendus in pretio sanguinis nitor.
Per nobilitatem omnibus numeris implenda humana felicitas.
Ex nobilitate præsertim virtus commendanda.
Virtus tamen natalium splendori præferenda.
Magis æstimandus homo virtutis hæres, quam præclari parentis.
Non ex auis,& atauis pensitanda nobilitas, sed ex rebus præclarè gestis.
Ignobilis censendus, qui rebus ignobilibus exercetur.
Vbi abiectus est animus, nullum iactandum nobilitatis genus.
Exquirenda nobilitatis primordia ab animi celsitudine.
Nulla mercenaria industria comparanda nobilitas.
Nulla improbanda generis abiectio, quæ fiat cognata virtuti.
Consocianda virtuti nobilitas ad grandia peragenda.
In demandandis imperijs respicienda præter virtutem generis claritas.
Viro præsertim nobili subijciendi populares cætus.
Declinandæ à nobilibus res turpes, & indecoræ.
Notanda in natis, parentum, auorum, & atauorum signa.
Nunquam contemnenda generis nobilitas, vbi nobilitas ipsa famulitium præstat virtuti.
Beatus dicendus, cui ad aggerandam virtutem accedit sanguinis decor.
Damnanda ea nobilium gloria, quæ sola præpotentia, & tyrannide comparatur.
Non omnia nobilibus pro libito agenda, neque iniqua pertentanda.
Sæpè nobiles æstimandi nobilitatis hostes, & euersores.
Nobilibus, neque imperandum vitijs, neque torsionibus præualendum.
Non quærenda à nobilibus improborum hominum satellitia.
Non extorquenda à nobilibus per vim, & præpotentiam bona aliena.
Nobilitatis vires per tyrannidem vsurpatæ censendæ potiùs ignobilitatis notæ, quam generis ornamenta.
Aucupanda à nobilibus fama per humilitatem,& animi moderationem.
Non semper superbo spiritu nobilibus turgendum ad captandam æstimationem.
Ad suprema dignitatis fastigia euehēdi nobiles, qui nobilitatē nō agnoscūt.
In benè constituta Rep. inter nobiles, & ignobiles statuenda discrimina.
E plebe suscepti quandoque inter nobiles recipiendi, præsertim si vrgeat Reip. commodum.
Parentum nobilitati, & addenda nobilitas, vt parentes ipsi virtutibus superentur.
Ea nobilibus lex imponenda vt à maioribus virtute præditis nō desciscant.
Non per quodcumque mercaturæ, vel artis genus nobilitas auferenda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XC.

Ad captatores honorum.

EX studio virtutis honores præsertim captandi.
Addicendi honores virtuti, velut ipsius virtutis præmia.
Excellentibus viris tantum summi honores impendendi.
Honorum scutis velut Numina coronandi viri virtute præstantes.
Iuxta varia virtutum specimina honores varij conferendi.
Propendulum honoris culmen nunquam sine virtute affectandum.
Nunquã insidæ honorũ stationes quærendæ, vbi deest virtutis immobilitas.
Extra virtutis regnum nullũ quærendum solidũ, ac constans gloriæ fastigiũ.
Colendæ à captantibus honores gemellæ honoris, & virtutis ædes apud Romanos erectæ.
Illæ dumtaxat æstimandus honor, qui à viris virtute præditis eximia proficitur.
Pluris faciendus honos à sapiente, quam à rege collatus.
Illi persoluenda sapientis laus, qui cupit à sapientibus honorari.
Ad meritorum mensuram honores conferendi.
Honorũ cardines in quatuor virtutibus Cardinalibus præsertim solidandi.
Ab honorum captatore colenda prudentia vt prima rationis regula, Iustitia vt trutina æquitatis, Fortitudo vt columna ciuitatis, Temperantia vt totius vitæ moderatio.
Dirigenda hominis vita virtutis simul & honoris amore.
In apice honorum collocandus homo, qui sit virtutis apex.
Honoribus cumulandi præsertim literarum professores.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XCI.

Ad Heroes.

IN exemplũ heroicæ virtutis assumendũ etiam poeticum Heroum genus.
Heroica virtute præstantes Semidei iure appellandi.
Heroes populari quadam diuinitate donandi.
Herois nomen illi tantum adscribendum, qui multiformi virtute insignitus, per omnium ora commendatur.
Laudandi Heroes præsertim ex laboribus, ac periculis pro patria susceptis.
Heroes non nasci, sed fieri autumandum.
Ab Heroe omnis vitæ, vel criminis labes ammouenda.
Per morum integritatem Heroes à cæteris hominibus secernendi.
Animi, & corporis magnitudo Heroibus adscribenda.
Potissimæ Heroum dotes censendæ magnanimitas, & fortitudo.
Admittendum, & colendum philosophicum quoddam Heroum genus.

He-

Heroicæ ſapientiæ natalia à ſuperis tantum repetenda.
Sapientiæ celſitudo ſupra humanam conditionem in Heroe attollenda.
Heroes præſertim nuncupandi, qui in ſapientia, & cæteris virtutibus apicem tetigere.
Ab animo Herois non exturbandæ illæ perturbationes, quæ excitant ad virtutem exercendam.
Non exuendæ ab Heroe omnes humanitatis affectiones, ſed rationis imperio regendæ.
Inter ſcientiarum, & artium cultores illi Heroes iudicandi, qui in aliqua fuere præſtantiſſimi.
Chriſtianæ religionis Heroes ſupra cæteros extollendi.
Admittendæ etiam à Theologis quædam virtutes eximiæ, quæ heroicum ſortiantur nomen.
Heroes reputandi inter Chriſtianos homines eximiè temperati, aut caſti, aut opum honoris, & famæ contemptores.
Martyrum virtutes præ cæteris velut heroicæ celebrandæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XCII.

Ad gloriæ militaris cupidos.

CONquirenda martialis gloria in campo præſertim per vulnera, per ſanguinem ac mortem.
Amplectenda ea bellandi regula, quæ ab honeſtate non diſcedat.
Bellicæ fortitudinis dotes ſemper cum laude exercendæ.
Pertractandum bellum, velut aquirendæ virtutis inſtrumentum.
Militaris licentia legibus, ac diſciplina coercenda.
Ad militarem gloriam capiendam non efficiendus terrarum orbis luctuoſum perpetui belli theatrum.
Non quærenda per bellum iniuſtum diademata, vel regna aliena.
Non perturbanda humani generis tranquillitas inſolente præpotentum perfidia.
Non iuſtitiæ iura in bello ſpernenda, aut proſtituenda.
Non in dubiam, ac funeſtam arenã prouocanda alienę ditiones, & imperia.
Non in ſpontaneum exitium detrudendæ à bellatoribus ciuitates, & Reſp.
Non corruendum in acies, & arma ſola regnandi cupiditate.
Non auſpicanda bellorum initia ab inconſultis furoribus, aut imprudentia.
Non inuadendæ ſine cauſa alienæ prouinciæ ſolo ductore glorię lenocinio.
Longè glorioſiùs cenſendum parua manu bona cauſa triumphare, quam immenſas inſtruere acies ad necem, & plurimas numeroſo milite implere regiones.
Dux vel miles bellicæ fortitudinis exemplar habendus, qui bellum gerit,

ſpectata iugiter ciuium vita, atque incolumitate.
Nunquam pax exturbanda, ſi fieri poteſt, à populorum finibus.
Nullum grauius cenſendum ſcelus, quam bellum iniuſta cauſa mouere, vel pertractare.
Nullum deteſtabilius prędicandum in orbe malum, quam in aliorum damna graſſari, omni poſthabita æquitate.
Non ſolius imperij augendi libidini mactanda in bello multa hominum millia.
Ponendus in bello modus crudelitati, auaritiæ, & iniuſtitiæ.
Non violanda in bello ſupremi Numinis maieſtas, neque in eius templa impietas inducenda.
Iuſta tantummodò ſuſcipienda, ac gerenda bella.
Accuratè diſcutiendum quod in bello gerendum ſit.
Priùs conſilio, quam gladio militum imperatori vincendum.
In grauioribus bellorum periculis grauiores militiæ viri conſulendi.
Non fouenda inter bellatores mutua profundendi ſanguinis ſitis, ſed potiùs ſedanda.
Potiùs à conſilio, & à prudentia aucupandæ in bellis victoriæ, quam à militari fortuna.
Potior bellantibus lex indicenda bellandi regula, & diſciplina.
Non ſunt in bello omnia libidine implenda, torſionibus, atque rapinis.
Non virginum, & matronarum honeſtas violanda.
Non agendum militi velut impio graſſatori, qui aduerſus omnes æquè ferrum ac necem intentat.
Bellica virtus ea tantum dicenda, quæ fines honeſti non excedit.
Ibi expectanda victoria, vbi adeſt pugnantum diſciplina.
A lege potius atque ordine caſtrorum expectandi triumphi, quam à robore, ac militum numero.
Non quærendæ in caſtris delitiæ, aut ſplendentes loricæ.
Adeunda potius concordiæ ædes, quam Ioui fores aperiendæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XCIII.

Ad bellatores.

ARtes bellicæ cultores ſummoperè commendandi ex beneficijs in patriam collatis.
Omnia pericula in bello ſuſcipienda pro patriæ, & Reip. incolumitate.
Immortalitas famæ à bellatoribus quærenda.
Bellica fortitudo cæteris virtutibus præferenda.
Per egregia facinora celebrandum bellatorum decus.
Ars bellica non deducenda in fraudes, torſiones, & latrocinia.

Seruan-

Seruandum militiæ nomen intaminatum ab omni flagitia.
Æternis illustrandus fulgoribus bellator, qui regna nutantia firmat.
Bella præsertim gerenda ad pacem promouendam.
Bellatores neque otio, neque libidine soluendi.
Non molliter à bellatoribus sua tractanda corpora.
Non refugienda à bellatoribus vitæ incommoda.
Inter bellatores non recensendus, qui torpet illecebris, aut voluptate marcet.
Depellenda in bello omniũ voluptatum, etiam honestarum, impedimenta.
Exornanda bellatorum vita præsertim temperantia, & pietate.
Sine metu cruor effundendus à bellatoribus, cùm opus est.
Eximij bellatoris merita eximijs præmijs illustranda.
Nullus in bello aduersæ fortunæ metus concipiendus.
Inania pericula nunquam in bello metuenda, aut consideranda.
Non deterrendi, aut exanimandi bellatores cælestium portentorũ aspectu.
Bellatori stante vultu excipiendi hostium incursus.
Quandoque bellatori forti concedenda fugiendi venia.
Pugna tunc a bellatore detrectanda, cũ certissimũ imminet exercitus exitiũ.
Prælia cum fieri potest in spem victoriæ redintegranda.
Bellatori audaciæ, & metus extrema declinanda.
Temporis opportunitas in conflictibus gerendis spectanda, & expectanda.
Lugendum velut plorabile facinus militum robur effusum in vitia.
Disciplinæ castrensis crimina à duce bellatore non ferenda.
Eijciendi è castris velut inepti ad pugnandum bellatores corpore, & armis nimis exculti.
In bellatoribus eligendis spectanda ætas, neque longiùs annis prouecta, nec nimis vergens in adolescentiam.
Procera corpora in bellatoribus non spernenda.
Ita adhibendum à bellatoribus corporis robur, vt nunquam animus desit.
A viribus, moribus, regionibus, & fortuna præsertim probandi bellatores egregij.
Nullæ bellatoris dotes in malum vsurpandæ.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XCIV.

Ad Monomachos.

EXecrandum omnino illud dimicandi genus, quod duelli nomine circumfertur.
Omnis sceleris vbertas duelli appellatione concludenda.
Nulla lege, nulla ratione, nulla æquitate cohonestandum Monomachiæ scelus.

Ferina duelli rabies nullo fortitudinis, aut magnitudinis animi titulo illustranda.
Ad orcum relegandi furores ad Monomachiam concitantes.
Non omnia singularia certamina duelli nomine appellanda.
Commune bonum per singularia certamina quandoque seruandum.
Singularia certamina suscipienda dumtaxat, vel ex publica authoritate, vel ex animo diuinæ gloriæ illustrandæ, vel ex publici boni comparandi cupiditate.
Nunquam ineunda singularia certamina priuata authoritate ex condicto.
Nunquam per duellum ostentanda nobilitas, aut iniuria vlciscenda.
Semper probro dignum censendum duellum, quacumque fiat ex causa.
Fortitudinis laus arcenda à duellis.
Damnanda per Canones, per Concilia, per Principum leges duella priuata authoritate suscepta.
Duello adscribenda omnia scelera generis humani.
Virtutes omnes à Monomachia secludendæ.
Non pugnandum dumtaxat propter honorem, sed etiã propter honestatẽ.
Audaculi, & imbecilles illi omnes existimandi, qui facilè prouocant ad duellum.
Nunquam quærenda per priuata duella mors cum ignominia.
Animi feritas non pascenda in duellis odio, & vindicta.
Non propitiandæ defunctorum animæ sanguine per duellum effuso.
Nulla rei veritas priuatô duello comprobanda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XCV.

Ad Peregrinatores.

Viuendi prudentia non ab vna regione, sed à pluribus comparanda.
Ad captandam prudentiam multorum domicilia permeanda.
Non omnia ab vno homine intelligenda.
Ad varios mores dignoscendos variæ orbis plagæ inuisendæ.
Peregrè viuendi ars etiam ob commune bonum commendanda.
Maximum patriæ commodum sæpè à ciuibus peregrinatoribus expectandum.
Peregrinandi institutum etiam à viris eximijs amplectendum.
Mella, & venena politici regiminis à peregrinatione capienda.
Non homini peregrinandum ad mala vitanda, sed ad bona consequenda.
Neque peregrinandum ex sola mentis leuitate, atque inconstantia.
Præscribenda in peregrinationibus suscipiendorum itinerum, ac regionum inuisendarum meta.
Suscipiendæ quandoque peregrinationis impulsu.

Gen-

Gentium mores, & instituta à peregrinatore accuratè obseruanda.
Excitandus ad peregrinationẽ animus scientiarum aquirendarum stimulis.
Aduenæ, & peregrini nunquam à ciuitatibus abigendi, sed humaniter excipiendi.
Non recedendum peregrinatori à patriæ institutis nisi per tempus peregrinationis.
Redarguendæ illæ leges, quæ vel peregrinationem vetant, vel peregrinos exterminant.
Aperienda ad prudentiam, ac sapientiam per peregrinationem via.
Æquè inepta censenda ætas ad peregrinandum annis nimis prouecta, & nimis iuuenilis.
Non expectandus à peregrinatoribus iuxta legem Platonis quinquagesimus ætatis annus.
A peregrinatoribus solæ virtutes exterorum, non fæditates in patriam reportandæ.
Ex humanæ naturæ indigentia coniectanda peregrinationis necessitas.
Extimulandus homo ad peregrinationem beatitatis amore.
Inter illas oras peregrinandũ, vnde meliores peregrinatores effici possunt.
Peregrinatori apis officium in alienis regionibus exercendum.
Notãdæ à peregrinatores res præsertim insuetæ ad capiendam eruditionẽ.
Ex peregrinandi consuetudine Veneti præ cæteris gentibus celebrandi.
Non improbanda peregrinatio ex occursantibus periculis.
Nihil intentatum peregrinatori relinquendum, vt sapiens reuertatur.
Aliarum Rerump. instituta ad propriam deferenda, ad percipienda boni regiminis documenta.
Nullibi inficiendus illecebris peregrinatoris animus.
Nullibi à peregrinatore voluptuosa quærenda.
A prauis societatibus summoperè peregrinatori cauendum.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XCVI.

Ad Patres familias.

A Familiæ administratore singularis virtus in exemplum proferenda.
Rectè gubernanda familia, prudenterque regenda.
Ad familiaria gubernacula admouendus solus homo sapiens.
A patre familias procuranda præsertim in familia quies, & tranquillitas.
Ars priuatè regendi recta ratione instituenda.
In subditorum felicitatem à patre familias iugiter conspirandum.
Non vnum censendum patris familias officium, opes non disperdere.
Non imminuenda in familia virtus ob diuitiarum cumulationem.
Liberi à patre liberaliter educandi.

Ser-

Serui effrænes, & vitiosi, aut sano imperio coercendi, aut pœnis, & supplicijs mulctandi.
Familia velut quædam parua Resp. à patre æstimanda, ac regenda.
Ad Reip. regimen non promouendus, qui nescit rectè familiã administrare.
Non protrudendus in publica subsellia, qui priuato familię clauo nescit assidere.
Plorãda potissima nostrorum temporum infortunia ex praua filiorum educatione.
Instituenda familia ad rectæ vitæ vsum, & virtutem exercendam.
Quæ sunt à natura, & quæ sunt à fortuna à patre familias æquè spectanda.
Seruandus in omnibus, etiam minimis rebus optimus imperandi ordo.
Priuatis legibus priuata familiæ societas dirigenda.
Suscipienda à domesticis, ac familiaribus optima viuendi consuetudo.
Potiora priuati regiminis officia patri, & matri obeunda.
A liberis ac seruis summa obseruantia præstanda patribus ac matribus.
A marito non regenda vxor velut serua, vt socia.
Adhibendum à patre in filios ciuile moderationis imperium.
Dispoticum imperium ad seruos tantum, ancillas, ac mancipia dirigẽdum.
Colenda à patrefamilias pietas, religio, & honestas.
A Deo auspicanda in familia omnium rerum fausta initia.
Optimi rerum exitus à Deo tantum expectandi.
Æquè in paruis, & in magnis domestica disciplina seruanda.
Prudenter præcipienda, quæ à domesticis, & familiaribus agenda sunt.
Laborantibus quandoque in familia à patre collaborandum.
Eradicandæ ab initio educationis prauæ proclinationes in liberis.
Inferenda ab initio in liberis honestatis disciplina.
Summum patri familias studium impendendum, vt liberi ab improborum consuetudine reuocentur.
Instruendi etiam liberi bonis artibus ac studijs liberalibus,
Non multis simul artibus, ac disciplinis obruenda filiorum ingenia.
Auuertenda à filijs omnium malorum irritamenta.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XCVII.

Ad Solitarios.

NOn quærenda ab homine solitudinis laus ex otio desidioso.
Commendandum in solitudine otium negotiosum.
Improbandum illud solitudinis genus, quo, homo nec sibi met ipsi, nec alijs viuit.
Statis quibusdam temporibus miscenda operibus solitudinis otia.
Non secedendum in solitudinem ob ciuilis vitæ fastidium, aut ob viuendi despe-

desperationem.
Etiam inter publica Reip. munera quandoque per solitudinem quiescendum.
Optandus solitudinis portus post Reip. tempestates, vel naufragia.
Durissima occupationum seruitus quandoque effugienda, quandoque solitudine leuanda.
Corpori, & animo per solitudinem vacandum, ne vtriusque vires concidant iugi pressæ labore.
Declinanda in solitudine solitarij probra ex turpi desidia circumlata.
Non omnis labor impendendus in solitudine corpori saginando.
Odio habendus a solitario fixus torpentis animi situs.
Solitudo literaria ab omnibus quandoque amplectenda.
Etiam Reip. administratoribus quandoque sapienter feriandum in studiosæ solitudinis diuersorio.
Non deses habendus gubernatori solus sedens in puppi, ac solitaria quiete clauum tenens.
Celebrandi illi solitarij, qui quieta statione pernoctant, vt Reip. diligentiùs aduigilent.
Subducendus homo ab hominum cætu, vt meliùs in se ipsum introspiciat.
In secessu sapientiæ studium accuratiùs capessendum.
Non semper deligenda ad solitudinem loca suburbana.
Loca ab hominum frequentia remota aptiora ad solitudinem censenda.
Aulæ strepitus ac tumultus præsertim solitario viro fugiendus.
Non ea in solitario secessus causa probanda, quæ dicitur authoritatis, & æstimationis augendæ ambitio.
Non exercenda solitaria vita fastu, & tumore stoico.
Incolenda solitudo ad cælestia faciliùs rimanda.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. XCVIII.

Ad Societatis amatores.

A Societatis amatore illi deligendi, quorum consuetudine semper aliquid virtutis accedat, semper aliquid vitij decedat.
Animus in bonum reuocandus præsertim proborũ hominum consuetudine
Purior in vita ea adhibenda cura, vt improborum consuetudo reprobetur, atque euitetur.
Æstimanda magna probitatis pars à noxio cætu recessisse.
Ad mala proclinanti numquam maligna consortia, aut praua contubernia adiungenda.
Congressus mali etiam ab optimis arcendi, & vitandi.

Ad

Ad perfectam incundam societatem præsertim amicorum delectus spectandus.
Nihil periculosius censendum in societate malis amicis.
In sociorum, atque amicorum delectu æqua ratio habenda, æqualis cautio adhibenda.
Pro dispari hominum consuetudine disparia, ac varia pertractanda viuendi officia.
Non semper cum studiosis studendum, cùm Palestritis colluctandum, cum venatoribus venandum ad societatem contrahendam.
Ad parandam vitæ felicitatem societas cum bonis amicis contrahenda.
Stringenda amoris vinculo societas ad omnium malorum leuamen.
Non disrumpenda societas, aut amicitiæ propter certamen honoris, vel gloriæ.
Nulli labori parcendum in gratiam societatis, vel amicitiæ.
Probanda bona societas, & amicitia præsertim in aduersis.
Ab amicis, & socijs iusta semper, & honesta petenda.
Nihil mali ab amico, aut socio sperandum, aut expectandum.
Nulla de re turpi rogandus amicus, & socius.
Non comittenda socio, aut amico pænitenda.
In amicitia, & societate is tenendus modus, quo nunquam socius de amico transeat in hostem.
Ità pertractanda societatis iura, vt nihil agatur dissonum à virtute.
Mutuus societatis cultus inter amicos adhibendus.
In societatis consuetudine nullus furori concedendus locus.
Cauendum inter amicos, & socios à iurgijs, & iniurijs.
Iracundi ab amicorum, & sociorum contubernio ablegandi.
Ab æmulatoribus amici animus, quoad fieri potest, remouendus.
Inuidia quoque inter amicos, & socios compescenda.
Non ostentanda inter socios generis nobilitas, vel præstans sapientia.
Morum suauitate concilianda inter socios beneuolentia.
In sociali conuictu ille felicior habendus, qui paritatem affectat.
Vitanda in humana consuetudine amicorum, & sociorum detractio.
Nulla re, nullo verbo lædendus amicus, vel socius.
Aspera, quæ in amicis, vel socijs experimur, excusationibus lenienda.
Etiam maximis viris in communi conuictu aliquid ignoscendum.
Laudandus amicus, vel socius potiùs alieno ore, quam proprio.
A socijs vel amicis non sunt falsa præconia emendicanda, aut exigenda.
Ab ore bilingui abstinendum inter socios, & amicos.
Numquam lædenda veritas, vel amicitia pro captanda societatis beneuolentia.

L E-

Ad Publicos Professores.

A Publico Professore iacienda doctrinarum semina, quæ redigantur ad frugem.

Publici Professores colendi velut morum formatores, atque animorum progenitores.

Implendum publici professoris munus per studij assiduitatem.

Erudiendi à publico professore discipuli ad aliqualem capiendam rerum omnium cognitionem.

Maiora à discipulis impendenda obsequia publicis professoribus, quam à liberis parentibus.

Magis æstimanda publici professoris dignitas, quam patris.

Publicò professori imparato nunquam suggestum scandendum.

Captanda à publico professore doctrinarum facilitate discipulorum beneuolentia.

Quærenda à publico professore apud discipulos sapientis, atque eruditi viri opinio.

Maximum professoris decus in eo ponendum, vt quotidie discipuli audiant quod mirentur.

Non est publico professori viuendum tantum in dies, nimirum quotidianæ prælectioni.

Seponenda quædam professoris studia in tempus futurum, vt sint magis ordinata, opportuna, ac tempestiua.

Nunquam incocta apponenda discipulis doctrinarum fercula.

Solers diligentia, nō præceps industria in publico professore cōmendanda.

Prolixitas nimia in prælectionibus ac doctrinis vitanda.

Nunquam negligenda à publico professore proprij officij cura.

Non trāsferendi à publico professore audientiū animi ad studia extra rem.

Supremum censendū professorū probrum à meta muneri statuta deflectere

Pauca discipulis, sed ad rem in diem communicanda.

Ad magna studia iugiter promouendi discipuli à publico professore.

Suaui arte pertractandi discipuli in scholis versantes.

Discipulorum leuitati ex humanitate parcendum.

Discipuli nunquam in scientiarum desperationem adigendi.

Luctandum diu cum discipulorum segnitie, ac torpore.

Ingenij tarditas in discipulis patienter ferenda.

Totus animus docentis in discipulorum profectum dirigendus.

Ad familiaria colloquia humanissimè discipuli excipiendi, vt etiam extra suggestum erudiantur.

Media via publicis professorib. tenēda quoad doctrinarū opinionū delectū

Cōmunicāda discipulis eruditio, velut lumen de lumine, velut aqua de fōte

Docen-


Docendi munus nunquam sordidè tractandum à professore, aut prostituendum, neque vili mercedula exercendum.
Ad rectè gerendum professoris munus, & discentium bonum, & propriæ gloriæ incrementum velut calcaria adhibenda.
Suprema publici professoris laus ea existimanda, quod solum famam captet ex doctrina, non ex ostentatione.

LEGES DOCTRINÆ EX LEG. C.

Ad librorum Scriptores.

Librorum scriptori laudabilius censendum legenda scribere, quam facere scribenda.
Illi dumtaxat suscipiendum scribendi negotium, qui in ea facultate, quam tractat, queat esse præceptor.
Stultus habendus ille librorum scriptor, qui libros conscribens, nescit quid valeant humeri, quiduè ferre recusent.
Adhibendum illud styli genus in scribendo, quod potiùs peritorum menti, quam inepto omnium legentium iudicio accommodetur.
Scribendum potius animo, quam auribus, & oculis.
In seucrioribus disciplinis ad vtilitatem pertinentibus non sermo fucatus quærendus, sed veritas pura indaganda.
Nō captādi à librorū scriptore hominū plausus per sola verborū lenocinia.
Scribendi nitori impendendus labor à librorum scriptore.
Librorum scriptori non semper Atticum, aut semper Asiaticum scribendi genus exercendum.
In librorum inscriptione non spectanda sola tituli speciositas, sed etiam rerum titulo aptata concinnitas.
Semper modestæ inscriptiones libris apponendæ, quibus potius legentium expectatio vincatur, quam deludatur.
Apponēdus libro titulus tamquam breue totius operis compendium, non tamquam specimen ad tabernaria pulpita pensile.
Neq. tituli libris præfigendi, qui omni promiscuè argumento conueniant.
Non censenda scriptoris cura paginam potius implere, quam causam.
Non scribendus magnus liber vt magnum corpus solo flatu conflatum.
Nō quęrēda in operis scriptione diuerticula, vt liber tātū turgescat, & infletur
Neque aurea, neque gemmea in libris claudenda, si ad rem non faciunt.
Redarguendi illi librorum scriptores, qui quod nocte somniant, illud continuò edunt in lucem, sola ducti scribendi prurigine.
Neque illi scriptores commendandi, qui in scribendis libris nunquam finem habent diligentiæ.
Soli veritati, & soli vtilitati scribendū extra ostentationem, atq. ambitionē.

L E-



LEXI I.

AD HOMINEM ASTROLOGVM



Stronomum simul & Astrologum hominem hoc vno complectimur atq; delineamus excursu; vterque enim etiam motuum cælestium leges describit, orbium siderumque distantias, interualla, magnitudinem, figuras disquirit, metitur, ennumerat; & etiam eorundem corporum cælestium vires, effectiones, influxus, proclinationes enunciat; ità tamen vt in rerum superna rum notitia quandamtenus ratione dicatur Astronomia præcedere, subsequi Astrologia, hancque ceu appendicem Astronomiæ cohærere. Et si verò ex affectionibus cœlestium corporum plurimæ adeo sint euidentes & notæ, vt ne imperitos quidem lateant, illæ tamen, quas perscrutatur Astrologus in varias semper discrepantesq; abiere sententias; Quidam enim omni æuo extitere, qui derogata Astrologiæ omni veritate, veræque scientiæ, & artis detracto titulo è rerum natura velut monstrum è corrupta philosophia atq; poetarum fabulis exortum relegarunt; Nonnulli verò eò semper delapsi sunt, vt omnium humanarum rerum publica, & priuata fata, quæ quiuis scire desideraret in hoc oculis nostris obtenso cælo, illique affixis sideribus contemplarentur, atque prænunciarent; nihilque tentandum, aut inchoandum semper censuerunt, nisi consultis astris, vnde optati depromerentur euentus, astris ipsis annuentibus atq; suffragantibus; Animosque ipsos ità ad Astra alligarunt, vt eos ex illis tamquam Numinibus pendere voluerint, aut spe suspensos, aut metu captos & detensos; vtq; eosdem ex sideribus venari pudebat, quæ essent libertatis arbitrio subiecta, malè opinantes cum veteri comædiarum scriptore Arcturum Stellam prænobilem, cæterosque siderum populos speculatores esse, delatoresque mortalium apud Superos

Hominum qui facta, mores, pietatem, fidem
Noscant, vt quemque adiuuet opulentia
Eorum referant nomina exscripta ad Iouem;

Vtcumque sit, cum non desint adhuc, qui hominum ingenia, fortunam, euentus omnia.

Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur
ab exploratricibus cæli facibus coniectent, eaq; in incautorum aures insusurrent, ac si ducentibus tantum & aurigantibus stellis humana vitæ spatia, & negotia decurrerent, idcircò quæ scire possint, quæque prædicere eiusmodi ventilatores Astrorum à nobis accuratè distinguendum est.

Veram igitur inueniri Astrologiæ artem seu scientiam cuius professione ac dignitate illustratur Astrologus, nemini dubium est; cum enim quædam Physicæ pars sit, quæ cælestes & remotiores mutationum causas, naturæ inferiori euenientium, inuestiget; quæq; rerum naturas in toto mundi systemate diligēter obseruat, indeq; notet qua substantia sint condita cęlestia corpora, quibus expolita formis quo collocata ordine, quibus conuertantur motibus, quanto tempore periodos obeant atq; conficiant suas, qua lege deuincta inferiora cælestibus cohæreant, vt vis motrix è cælo in elmenta deriuet; quod & quale sit planetarū iter, collectis in duodecim imagines Stellis insignioribus; sit inde, vt admisso obiecto à cæteris artibus, & scientijs specie sua discrepante, sit quoque Astrorum scientia admittenda vt à cæteris condistincta, atq; adeò illius vi quędam prænosse, atq; prædicere Astrologum, quæ nullum subeunt crimen; huiusque doctrinæ potissimum robur est illa cælestis vox in principio libri Geneseos scripta (Dixit Deus, fiant Luminaria in firmamento cæli & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa stata, tempora, dies, & annos) neq; enim consentaneū fuisset, maxima illa fulgentissima, atque incredibili sapiemtia absoluta corpora, tanta lucis varietate, tanto numero, ac tam certa, & immota lege consistentia, nullis erroribus obnoxia, nulli temporum vicissitudini subiecta otiosi tantū ornatus causa fuisse comparata, absq; eo quod vis quedam in omnia, quæ sub orbe lunari continentur, diffunderetur; quin experimento omnibus etiam indoctis innotescit, Solis circuitu, recursuque diurno, & annuo, gratissimas & naturæ necessarias temporum vices hyemis, veris, æstatis, & Autumni, dierum quoque, & noctium effici, variarique pro ipsius ad terram habitudine, atque à punctis verticalibus distantia.

Neq; (vt opinor) quisquam inficiabitur, ex quotidiana solis circa terram vertigine, ortu, & obitu, atq; ad mediū cæli dilatatione, quo motu alias atq; alias subinde stellas secum effert; alias è regione sub occasum vrget, ac pręcipitat, aut turbari aerem, atq; obnubilari; aut serenescere atq; inclarescere, aut concalescere plus nimio; aut contra perfrigerari, & humectari, aliterq; atq; aliter mutari pro stellarum coorientium, occumbentium, vel in Solem radios proijcientium natura, & conditione, si quidem hoc quoque rusticis Astronomicæ doctrinæ ignaris notum est atq; confessum, quemadmodū etiam satis perspectū est Lunā quę terris proxima est, crescentē, humiditates cōmouere atq; corporibus affundere, quas decresens repetit, ac resorbet; item eadem augescente, liquores in plātis, & animantibus exuberare, pleno orbe vigere, deficiente imminui; Eadē deniq; supra horoscopū conscendēte maria tēquā impulsa exęstuare atq; intumescere; decūbēte cōsidere rursus, & cōquiescere; idq; tūin ipso percipitur mari-
tum

cum viciſſitudine exundantium refluentium, ac reſidentium fluminum, omnium oculis oſtenditur: quemadmodũ etiam animaduerſum eſt, interlunio, & plenilunio cũ Soli Luna ſubijcitur vel obijcitur, maria incitari vehementiùs, diffundi ac ruere impetuoſiùs ternis ante diebus, & poſt totidẽ: contra verò langueſcere ęſtum ac ceù lenteſcere circa Lunæ diminutiones: quorum omnium obſeruationes afferunt Strabo ex Poſydonio, & Plinius, addentes etiam ęquabiliores fieri efluxus, & refluxus cum ſigna Tropica Luna pererrat: inſtabiliores contra, & incertiores, cum ęquinoctialia; denique ingraueſcere æſtus atque intendi, cum Luna in Auſtros digreſsa propiore niſu vim ſuam exercet, & ab æquinoctijs; ad ſolſtitia, abhis contrà ad æquinoctia progreditur; & cum Aquilonia eſt Luna, vel à terris longiùs receſſit, leniri rurſus eoſdem & miteſcere; ità etiam vt tumeant maximè æquinoctjis, bruma & ſolſtitio inanes ſint; Atque ſentire hunc vrgentis maris impetum, ceù ſe ſe aperientis atque quodammodo expandentis plura teſtantur, aut retroacta, aut inhibita, aut detenta flumina, præſertim ad Londinum Brithanniæ Tamaſim; Ad Hamburgam Albim, Ad Autuerpiam Scaldim, quæ ſunt Flumina mari puximiora accolis omnibus notum eſt regurgitari, atque augeſcere, mari accedente affluere, eodem reciprocante diminui, & in alueos relabi iiſdem, quibus mare vicibus. Vehementiſſimos habet æſtus Oceanus, mitiores mare Mediterraneum, nullos Helleſpontus & Pontus Euxinus; biſdie nocteq; effuſum reſorptumque alternat, ſiculũ mare ad Scyllæ, & Charybdis cauernoſos ſcopulos ſepties denique Chalcidicum ad Eubeam. Præter æſtum alio minus euidenti motu, eoque perpetuo agitari maria Nautæ compererunt, quotidiè experientes, quod ſi ſoluant à Nerito promontorio Hiſpaniæ, & vela fecerint Britanniam verſus ad orientem Solem, longè ſe tardius prouehi, quam ſi inde reuertantur in Hiſpaniam, eodemque modo, qui ex Hiſpania Inſulas recens à Columbo in Oceano Occidentali perueſtigatas adeunt, iter illud viginti quattuor dierum ſpacio in acceſsu ſecundo mari deuecti conficiunt, quibus Hiſpaniam repetentibus vix trium, quatuorque menſium ſpatium ſufficit, etiãſi flatus nulli aduerſentur; & Luſitani, qui Africæ oram & Promontorum bonæ ſpei pernauigant, vt Traprobanem Inſulam petant Merces Indicas allatum etiam ſecundis aſpirantibus ventis tardiùs multò, ac difficiliùs accedunt, quam inde reuertuntur domum, huiusque rei cauſam, miræque marium exęſtuationis facilè poteſt Aſtrologus coniectare, atque ex ea quoſdam etiam euentus prænunciare; ſi rapidiſſimum orbium cæleſtium ab ortu in occaſum raptum contempletur quo Oceanus & maria in eamdem impelluntur partem, ac veluti coguntur & contorquentur, licet non conſpicuè, & manifeſtè, ſenſibiliter tamen; huncque occurſantis & aduerſantis ex cæli impulſu marinæ molis reuixum inhibere aiunt & tardare, vel concitatiſſimarum nauium impetum; quo etiam Cæli impulſu mare Mediteraneum, quod anguſtioribus littorum repagulis coercetur, in gyrum circum agi obſeruatum eſt. Vtriuſque igitur iſtius ſideris circumactu quotidiano, nimirum ſolis

& Lunæ dignoſcere poteſt Aſtrologus maria commoueri, eaſque commotiones variari varijs ipſorum inter ſe congreſſibus, mutuiſque aſpectibus, & inceſſu per diuerſos Zodiaci tractus; Præcipuam autem Lunæ vim in ijs effectibus eſſe inde conſpicuum eſt, quod incipiunt æſtus exoriente hac & occidente, tantòque tardiùs incipiunt, quantò longiùs prouecta illa prodit ſeriùs; Qua vero vi trahantur maria, an ſolo radiorum vibratu, an vero interueniente aliquo alio adminiculo, in hac re non eſt vnanimis Aſtrologorum & Philoſophorum conſenſus; licet enim vim radiorum Solis & Lunæ in terrenis corporibus humores afficere & agitare tota hæc inferior natura euidenter demonſtret; tamen qua lege, quo ordine, aut qua virtute id contingat, non omnino planũ eſt; ac propterea cum videantur illi ęſtus maris ſimiles eſſe feruori calẽtis ad ignẽ aquæ, exiſtimandum nobis eſt, ſicut aqua feruet, cum ardoris vehemẽtia tenuiorũ halituum copia reſolutorũ leuitate ac tenuitate ſua vi caloris impulſa atq; diffuſa exitũ quærit, quẽ niſi turbatis & agitatis aquis ab imo ad ſummũ, à medio ad extremos aheni ambitus diſpulſis nõ inuenit; ſic maria exeſtuare, cũ vi radiorum extenuati, atq; ab imo fundo tracti marini terreniq; halitus, luctantes cum circumfuſis aquis erumpere exitu patefacto annitũtur atq. ita diſcerpẽtes atq. diſtorquẽtes aquas ipſas, eas ad littora adigũt, & fluminũ oſtia.

Quamquam verò Aſtrologi præcipuum munus eſt Solis & Lunæ vires ad ſublunaria vſque diffuſas perſcrutari, atque ex ipſis quæ ordine naturæ euentura ſunt, coniectare, tamen etiam in cæterarum Stellarum viribus accuratè perpendendis debet immorari, ne, quæ ſit fixorum, aut errantium aſtrorum natura, validitas atque efficacia prorſus ignoret; Etenim diuerſos effectus, euentuſque, tum ſequi ad diuerſas; & inſignes errantium ſiderum ſub octauo orbe congreſſiones, & configurationes, prout vel fauſtis ſe mutuò, felicibuſque complectuntur radijs; vel feriunt, infeſtantque minacibus, & hoſtilibus quotidiè experimur: Ortus ſi quidem naſcentium tanta vi & efficacia Luna moderatur, vt eodem poſitu, in eiuſdem, vel oppoſiti ſigni puncto, quod tẽpore conceptus tenuit, abſolutos & maturos fætus ad exitum commouere penè certò compertum ſit: Si Solem Arietem peruagantem, aut Scorpium, aliquo naſcente Luna adeat, ei cerebrum adeò affligit, vt melãcholica mala paululum adulto oboriantur: Si cupiam naſcenti accurrant Mars, & Venus, partem quidem animi principem ad percipiendam tractandamque artem medicam videatur diſponere, præſertim ſi in Arietem congreſſus incidat: ſed partem, quę voluptate alitur ac lætatur fœdè contaminant excitato nimirum immoderaturum appetitionum fomite, eoque magis ſi in Capricorno conueniant & adſit Mercurius. Sapientes naturas cum Saturno Iupiter format, ſed valdè cunctatrices, quæ dum omnia in omnem partem accuratè deliberant, ac penſitant, raro certi quid concludunt, rarius quod concluſum eſt exequuntur; & licet ſint ratiotinandi facultate præditæ ac præpollentes, ſunt tamen etiam mendaces, inſtabiles, ac leues: Dicunt etiam quod Venus & Iupiter elegantiam, ſuauitatem, venuſtatem & gratiam in omnibus

præſtant

præstant actionibus; sicut contra impedimenta inijcit ingrata quadam confusione in omni vitæ genere Saturnus Veneri copulatus. Nunquam ferè congressos inter se Saturnum & Martem, præsertim si viguit vterque & languerunt cæteri planetę, compertum est; si tamen quibusdam nascentibus coeant, præterquamquod aliquid semper exitiosi portendunt, eos mira calliditate, simulandi atque dissimulandi artificio in omnes casus expeditò armant. Saturnus, Mars, Venus, Mercurius & Luna, si vel corpore cohæreant, vel ex diuersis sideribus, radijs, aut amicis, aut contrarijs, hostilibusque consocientur, venenatas ex omni parte, deprauatas, ac distortas naturas pariunt; sicut arguta, excitata, acria, sed subdola, fraudolenta, atq. ad nocendum & fallendum modis exquisitissimis parata, vagabunda, ventouè quouis leuiora gignunt ingenia Martis, Mercurij, & Lunæ congressus; si nihil intercedat, quod ea corrigat vitia. Turbant, vitiantq. ratiocinationes Martis, ac Mercurij coniunctæ in Scorpio vires, & si ibi hærentem Mercurium Mars intueatur, Sophistica ingenia, pugnacia, perplexa, errorum fęcunda producit, contrà argutam mentis vim explicatam, rectæq. ratiocinantem Mercurij, & Lunæ coitus confert, si in Geminis, Libra, Aquario, sed permutatis collocentur sedibus; Reliqua quæ in hacre solent venari Astrologi, libens omitto, prolixumque nimis foret singula percensere, in quibus prædictiones & diuinationes Astrologicæ constituuntur; eaque potissimum de causa in his recidēdus est sermo, quod licet orbem elemētarem quoquo modo afficiant Stellæ, eas maximè temporum, rerumque vicissitudines inducendo, quibus ipsa consistit natura, non proinde in ijs quæ hominis arbitrio subdita sunt, suam vim aut dominatum exercent; quare Astrologus Catholicus debet astris ipsis bellū inferre, & potius de cælo sidera deijcere, vbi periculūest, liberas hominis actiones astris ipsis orbibusq; cęlestibus adscribēdi.

Atque eiusmodi catholicam doctrinam Theologicè confirmans D. Chrysostomus orat. 5. atque aduersus fatum tragicè exclamans (inquit) si genesis, aut prædictio est ex cuiusque in hāc lucem exortu, indicium non est; si genesis est, fides non est. Si genesis est Deus non est, non est virtus, non est vitium; omnia frustrà, omnia temerè & agimus & patimur: non est laus aliqua, non vituperatio, non pudor, non turpitudinis verecundia, nullæ leges, nulla iudiciorum fora, quibus annuens etiam Sanctus Basilius negat ex Astris vel accedere quicquam constitutioni temperamētorum, vel vllam intexi inde demissam facultatem incitatricem ad actiones, eo argumento, quod si instinctus, incitationesq; ad libidines, cędes, odia, fraudes & quidquid est huiusmodi indi nobis atque ex astris ingenerari cōsentiamus, peccati causam conferamus in Deum naturę architectum, tamquam si is esset, qui scelera non tantum exigeret per astra, sed etiam probaret, & quodammodo ad ea cogeret & impelleret: cum tamen ex ipsis diuinis oraculis habeamus voluntatem humanam actionum suarum plene Dominam, nec vllis compedibus reuinctam esse aut ità alligatam Cælo, vt astrorum statuta subeat, aut ex necessitate exequatur: non enim Astrologus catholicus illud poetæ probare debet.

Fata regunt homines, certa stant omnia lege

nec coactum fuisse Neronem, aliosq; improbos viros a stellis ad tanta scelera, sed ipsos sibi criminibus proprijs sua damna peperisse, notissimum omnibus est; quemadmodum etiam procul ab Astrologo debet esse illa Stoicorum delira necessitas, qua Deo & naturæ imperium eripuere, pecuino prorsus liberam voluntatem subdentes seruitio; nam sicut

Fata mouere Deus, soluere fata potest

ità potest & voluntas cum sua vi retundere ac compescere naturæ impulsus omniaque astrorum decreta (si quæ sunt) euitare.

Neque ex eo quod sæpè ex natalitijs astris prosperam, aduersamque multorum fortunam prædicant Astrologi, debent Catholicus Astrologus earum prędictionibus adhærere eorumque velut infallibiles stellis ipsis nedum proclinătibus, sed etiam decernentibus pręnunciationes sequi, aut tueri; licet enim vera quandoque casu aut fortuna prædixerint Astrologi; quemadmodum Nigidio contigit figulo, qui Suetonio teste, nato Augusto horam partus accipiens, consultisque sideribus natum orbi esse terrarum Dominum affirmauit; quemadmodum etiam nato Nerone prædixit Astrologus, natum esse Imperatorem, qui matrem esset necaturus, nec præsagio defuit veritas, & sic de cæteris pluribus; ea tamen absque doctrinæ, seu notitiæ certitudine fuisse prolata censendum est; verèque dici potest cum Leonide eiusmodi Astrologiæ, quæ in iudicijs versatur matrem audaciam esse, obstetricem verò stultitiam, eo prorsus modo quo insaniæ nota damnauit Morus Anglicus illum Astrologum, qui quotidie aliena facta perscrutabatur, putabatque se præuidere, cum tămen domestica atque vxoris adulterantis imfamiam non dispiceret,

Astra tibi æthereo pandunt se se omnia vati
Omnibus, & quæ sint fata futura monent
Omnibus ast vxor, quod se tua publicat, id te
Astra, licet videant omnia, nulla monent.

quin, licet quandoque (sed sanè perrarò) veritati cohærerent prædictiones Astrologicæ ex eo quod nihil adeò apertè falsum sit, quod aliquam veritatis speciem præseferre non possit; qualis erit illius dŏctrinæ certitudo quæ tot erroribus subiecta in tot etiam Astrologorum opiniones discerpta peruagatur; Casu quidem, non scientiæ certitudine aut euidentia verum aliquod potest Astrologus prædicere, qui enim totum diem iaculatur, aliquando in scopum potest collimare, neque inuenitur homo adeò effręnis mendacij, qui semper mentiatur; lubrica siquidem coniectatione innitentes Astrologi, quasi per tenebras ambulantes, imprudenter nonnumquam incidunt in veritatem: nec mirandum quod aliquando verum prędicant, cum sæpè consulentium Astrologos leuitate fiat, vt vera denuncientur: si cui enim magnā apud Principes gratiam, ingentes facultates spoponderunt, fit vt licet fortè nunquam de eo principe colendo cogitasset, iam nihil aliud agitet animo, nihil verset aliud immensa recursantium cogitationum solicitudine, quam principis aulam

lam adire, ibi omni sumptu omnique dispendio principis gratiam emendicare; cum tamen si id assequatur, non astrorum sponsionibus, sed potius proprijs impensis, studijs & laboribus sit adscribendum; quin etiam adeò perplexis ambagibus sua Astrologi conuoluunt effata, vt quodcumque euenerit, prædictum esse videatur, & ipsi diuini haberi possint in hac repersimiles Apollini Delphico, qui à Pyrrho Æaci filio consultus de belli euentu respondit.

Aio te AEacide Romanos vincere posse

Cui oraculo veritas deesse videri non poterat, siue Pyrrhus à Romanis, siue à Pyrrho vincerentur Romani. At cum hac da re præclarè agant M. Tullius in lib. 2. de diuinat. D. Augusti. 3. de Ciuit. cap. 17. Picus Mirand. per duodecim libros aduersus Astrologos, Pererius de diuination. Astrolog. alijque quamplures vlteriùs sermonem non protraho, eos consulite. Idque vnum Astrologo Catholico tenendum est, Astrologiam nihil libertati detrahere posse, nihil quod ab ea proficiscatur, posse aliqua certitudine prouidere.



LEX



LEX II.

AD HOMINEM GENETHLIACVM.



Enethliaca Astrologiæ pars illa dicitur, quæ ex inspectis hominum genituris, natalitijsque Thematibus prædictiones instituit singularium omnium per vitam euentuum, siquidem tametsi maxima eorum pars, quæ in Homine Astrologo dicta sunt, hic accomodari valeant, quædam tamen vlterius supersunt, quæ operæ pretium est hic agitare. Atque vt huic arti ex Antiquitate primùm authoritatem faciamus, recolēdi sunt antiquissimi illi homines Genethliaci, quos Babylonios seu Chaldæos appellant, ex quibus omne istius artis initium deductum est, inter quos sicut celeberrimus fuit Berosus ille, cui ob diuinas prædictiones Athenienses publicè in Gymnasio statuam inaurata lingua statuere, vt testis est Plinius lib. 7. cap. 37. Ita inter Æthyopes & Ægyptios non minus fuere celebres Petosyris, Necepsos, Hermes, ac Ptolomæus, qui præ cæteris post tot labores in instauratione Astronomiæ exantlatos, Astrologiam quoque opere speciali, quod Quadripartitum vulgo dicitur, excoluit, & insigniuit: Neque sine ratione omnino putandum est ab eiusmodi sapientibus viris tam præclare arti cultum exhibitum fuisse, cum enim mirabilis illa corpornm cælestium magnitudo, multitudo, atque varietas inutilis esse non possit, manifestò quoque debet apparere inferioris mundi cum superiore connexio quædam, qua omnes agendi vires & temperationes in inferioribus à superioribus mutuantur: sicut enim apud omnes in confesso sunt quidam solis & Lunæ effectus, ita cæteris videntur sideribus concedendæ vires, ex quibus mirabilia multa quæ in prima luminaria referri non possunt, nobis adueniant, nec magis ex vario Lunæ positu cum sole variatur rerum sublunarium temperies, quam ex varijs aliorum Astrorum configurationibus, magna effici potest varietas, quæ cum vtcunque agnoscatur à pastoribus, Agricolis, & Nautis, nihil mirum si Astrologis atque Genethliacis secretius omnia rimantibus, exquisitius pateat: Illudque cælum quod nemine refragante causa dicitur æstus, frigoris, cæterarumque trasmutationum, quæ in aere fiunt

fiunt, sterilitatum quoque morborum, affectionum, amorum, coniugiorum, liberorum, irarum, rixarum, bellorum, internecionum, atque id genus aliorum causa esse potest; Fata denique, tam in expectata, tam plerumque immerita, non posse ad aliam quam cælestem spectare causam cum Firmico, & Manilio absque hæsitatione asseuerant Genethliaci iuxta illud Astronom. lib. 3.

Fata quoque & vitas hominum suspendit ab Astris
Quæ summas operum partes, quæ lucis honorem
Quæ famam assererent.

quibus ex iisdem illud quoque addendum venit, quod licet plerumque ignoremus, aut saltem germanam quorundam effectuum causam non reddamus; non ideo tamen affirmandum, aut tales non contingere effectus, aut ex plurium obseruatione existere Artem non posse; cum alioquin Ars hæc Genethliaca certis adeò experimentis comprobetur, vt multiplici suo euaserit prorsus indubia; De Augusto siquidem peruulgatum satis apud Suet. p. Nigidium accepta eius hora natalitia affirmasse Dominum terrarum orbi natum; & Theogenem genitura eius inspecta exilijsse, eumque adorasse tanquam Principem exiturum. De Tiberio etiam notum est, quam præclara Scribonius spoponderit de infante adhuc prædicens quandoque regnaturum. De Caligula memoratur quod consulenti de genitura sua Sulla Mathematicus certissimam necem appropinquare affirmauerit. Omissis cæteris commemorare sufficit, quod de Domitiano celebre euasit; qui nulla re (inquit Suetonius) perinde commotus est, quam responso, casuque Ascletarionis Mathematici; hunc enim delatum, nec inficiantem iactasse se, quæ prouidisset ex arte, sciscitatus est, quis ipsum maneret exitus; & affirmante fore vt breui laceraretur à canibus, interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissimè imperauit: quod cum fieret, euenit, vt repentina tempestate deiecto funere, semiustum cadauer discerperent canes.

Cæterum vt cunque sit de artis huius antiquitate atque authoritate, deque his futurorum euentuum prædictoribus, seù potius impostoribus, qui artem suam adscripsere cælo, vt inde splendidiori fraude ad captandum lucrum homines deciperent: nullam esse eiusmodi artem, aut futilem prorsus ac vanam esse omnibus credendum est; ac præsertim cum velint Genethliaci fata omnia seù quidquid homini in vita euenturum est ab eo momento pendere, quo infans editur in lucem; ac propterea illa duo ad efformandas prædictiones semper postulent de nato, tempus nimirum natiuitatis, & poli altitudinem, ex quibus prædicere se fata pollicentur; nihil in hac arte absurdius atque à certitudine alieniùs censeri debet, vno temporis puncto sidera plura, ac septem præsertim planetas ita in nascentem agere, atque in ipsum radios suos complicare vt necessitatem eidem imprimant tantum & non vlteriùs viuendi, hoc & non alio moriendi mortis genere: tali tempore coniugem ducendi; naufragium certo die faciendi; certo alio vulneris excipiendi: illo ineundi carcerem, illo cadendi

dendi à lite alio incidendi in morbum,atque ita de cæteris,quæ innumera accidunt in vita; etsi vni quidem infanti dumtaxat vacarent, id videri fortasse minùs incredibile posset: at cum eodem momento, & quolibet alio infantes innumeri vbiq;terrarum nascantur,non facilè percipi potest eosdem septē Planetas sic agere in singulos, vt euentura illis omnia pari distinctione, præcisione, certitudineque præscribant, idque præsertim cum innumera sint, atque incomprehensæ diuersitatis; verum si hæreamus adhuc circa momentum, quo infans editur in lucem, cuiusque exquisitam adeò quęrunt Astrologi notitiam, vt ipsis sine dubio constet quodnam Eclipticæ punctum supra Finitorem ascendat, eoque prospecto cæleste erigant Thema: statim Genethliaco obijciendum est, quam difficile designetur momentum quo nascitur quis, cum nemo vnquam nisi cum mora, & successione partium nascatur: etsi momentum accipiatur extremum, cum scilicet pedes nascuntur infantis, necesse est caput, quod pręexortum fuerit sua iam accepisse fata: si verò accipiatur primum, quo oritur caput, tum cor aut iecur nondum nascens nondum sua consequi fata possunt, & sic de cæteris. Quod si dicant cum Cardano il lib. 3. Quadrip. cap. 2. spectandum esse Respirationis initium,aut id gratis dicunt; aut pari iure dici poterit spectandum tempus aut eradicatæ placentę,aut refecti vmbilici. Qua verò ratione de temporis interuallis incertissimis ac penè insensibilibus certi euadere queant Genethiliaci, ex quorum notitia, simulque Planetarum in his illisuè domibus ijsdem momentis commorantibus, de futuris nati accidentibus pronuncient, adhuc ijsdem ignotum est, cum omnes inde plusquam palmares in suis prædictionibus errores contingere fateantur: & licet affirment, vbi non planè de momento natiuitatis constiterit,venari se illud & consequi posse via præsertim triplici, nimirum Hermetis Trutina, quam primam apellant, quatenus ex Hermete vsque illud Ptolomæi deductum putant in Centiloquio (in quo signo Luna fuerit tempore conceptus Ipsum, aut eius oppositum fac Horoscopum in partu) atque adeo tempus examinantes,quo infans morari in vtero debuit, ratiocinantur ex conceptione sæpissimè quo momento debuerit nasci: tenentur tamen & inde affirmare se obscurum per obscurius inuestigare: si quidem cum prorsus ignorent conceptus momentum, ex eo tamen de momento natiuitatis diuinationem instituunt; qua etiam rei incertitudine differendum est de alia duplici via, qua Genethliaci incedere solent, secunda nimirum quam vocat Animodar, seù Almuseli, quæ est ipsius Ptolomæi Nouilunium, aut Plenilunium, quod natiuitatem proximè præcessit obseruantis, & tertia quoque quam nominat Accidentia Nati, quam respicit Cardanus 6. Aphoris. vbi ait, Sapientis esse non solum ex genitura euentum, sed etiam ex euentu genituram iudicare.

Sic habito à Genethiliacis natiuitatis momento, constitutoq; Themate, ac distributis in Domos planetis cum Sorte, seù parte Fortunæ, cumque Capite, & Cauda Draconis, interdum quoq; cum vna, aut altera ex insignioribus Stellis

fixis

fixis, vbi methodum tradunt inuestigandi, quibus vitæ temporibus accidentia quæque euentura significentur, per Directionem, Reuolutionem, Profectionem annuam, & Transitus, profecto nil aliud inde conantur ostendere, quam Artem ipsam, quam profitentur inanissimam esse; quæcumque enim sint eorum omnium dispositiones, constitutiones, obseruationes, atque experientiæ, ex ijs singulares rerum euentus præcognoscere non modo semper difficile, sed etiam prorsus impossibile fuit; idque quod in sideribus & Planetis à cæli conditore constitutum est, tum est illud sanè quod iactant Genethliaci se agnoscere atque prædicere posse, cum quæcumque siderum etiam Planetarum actio generalis tantum sit, neque ex illa effectus vllus producatur, nisi quatenus coit cum actione cuiuspiam singularis causæ ad singulares illos euentus, aut spontè, aut inuitò cõcurrentis, quam scrutari, & velle cognoscere nefas, temerarium, atque impossibile; quare non erit Genethliaco inquirendum à sideribus quam ob rem natus quis fuerit valens, aut infirmus, iracundus, aut placidus, sed potius à parentum complexione, à seminis conditione, ab alimentorum vsura; neque cur quis fœdo morbo laboret, sexta cæli domus consulenda erit, sed potius impura domus, in quam libidine furens inuectus est; neque cur globo tormentario impetatur vertenda erit culpa in Horoscopum ad Quadratum Saturni directum, sed in tormentariam machinam quæ à Machinatore fuerit in ipsum directa; nequo cur gladio pereat erit Mars incusandus, vllaue eius malignitas, sed potiùs latro, vel miles, vel alius, qui reuera fuerit homicida, atque ita de cæteris. Non negandum rursus quin homo pro sua temperie, ad amorem, coniugium, suscipiendos liberos, potiùs quam ad continentem, cælibem, liberisque priuatam feratur vitam. At occasiones prænosse ob quas isto potiùs tempore, quam illo incidat in amorem; istius potiùs quam illiùs fœminæ, & obtinendæ quidem, non recusandæ, fæcundæ non sterilis; cur cęlibatus non sit præferendus coniugio, non differendæ nuptiæ, non suscipiendæ peregrinationes, & id genus alia, dicimus per artem Genethliacam omnino obtineri non posse; sicut etiam quommodo quis ex complexione iracundus sit, rixarum amans bellorum appetens, conceditur quidem Genetheliacis; sed quas ille, vel alter sit exhibiturus irascendi occasiones, hoc quidem tempore, ac loco, & non alio; prænosse non auditurum amicorum consilia ne ruat in vltiones, & cædes; non adfuturos qui impediant, ne furore arma ministrante desęuiat; non obstiturum morbum, carcerem absentiam, quempiam alium casum ne ad bellum proficiscatur; fore proinde eo tempore bellum non pacem, & reliqua eiusmodi plura omni ratione imperceptibilia sunt. Non negandum denique Genethliacis varia esse hominum studia, varios euentus, fata alia, sed opus, ac labor ostendere Deum ista ab Astris suspendisse; & noluisse potiùs ab alijs causis dependere, quales agnoscere, ac designare longè faciliùs esset.

Quod

Quod si ad obseruationes atque experimenta recurrant, ea quoque fallacissima esse deprehendemus, semperque rationis iudicio castiganda, maximè quidem cum inter experiendum nihil magis familiare sit vero imperito quam falli, & non bono, quam fallere; Idque præsertim cogit nos quæ obtunduntur experimenta, in dubium reuocare, quod vidimus iam Chaldæos diuinatores nihil exquesitum præstitisse, & neque ex ipsis, neque ex Egyptijs Hipparchum atque Ptolemæum habere potuisse obseruationes aliquas circa veros motus siuè loca vera quinque Planetarum; Quamobrem & longe abfuerunt Chaldæi, siue ex suis obseruatis decreta Artis statuerent, siue ea fuisse à se præclarè statuta probarent. Deinde cum debuerit vnumquodque decretum ex habitis pluribus consimilibus experimentis constitui, visum iam non licuisse idem semeleue experimentum ne bis quidem peragere; quod eadem Cæli constitutio ne bis quidem redeat etiam post sæcola non centum, non mille, sed prorsus innumerabilia; cum etiam prætereà ignoratum sit ab Antiquis, quæ nuper solum perspecta fuerunt circa tam errantia, quàm inerrantia sidera, ex quibus variari decreta potuerunt; & tametsi donetur vltrò Chaldęorum Decreta fuisse condita atque probata ex obseruatis, nouaque ista non fuisse cognita, & obseruata necessaria, visum est tamen potuisse eos solum decreta constituere, eaque sibi ipsius tantum suæque regioni rata facere, non verò Antæcis, quibus debuere vt obseruata, ita & decreta opposita esse: Atque si hisce addatur soli varietas, quo quis seu nascitur, seu degit, cum homines afficiantur aliter in mediterraneis locis, aliter in maritimis, aliter alibi terrarum & locorum, nulla sanè ratione de ijs, quæ fuerunt in vno loco obseruata, poterit benè in alio aliquid pronuntiari; siquidem non eadem prædici possunt de Touopinanbaltijs, qui duplum ferè nostri viuunt, ac de nostris qui rarissimi ad centesimum annum perueniunt; & cum apud eosdem populos ferè ignotos mulieres vltrà nonagesimum annum pariant, absurdum prorsus esset de earum natis idem pronunciare, quæ de nostrarum mulierum natis, quæ ante quinquagesimum parere cessant. Quod fortasse aduertens aliquando Ptolemæus ipse in morum obseruatione admonuit non Italo sed Egyptio prædicendum esse cum Sorore coniugium, & non Ægyptio sed Persæ cum matre concubitum, quippe regionum leges ac mores debent maximè in Geniturìs spectari; & si specialius experimenta attingere conaremur, ea ferè omnia Ciceronis testimonio 2. de Diuin. prædictionibus non respondisse deprehenderemus, quemadmodum obseruat ipse in Pompeio, Crasso, Cæsare alijsque pluribus, vt etiam valde admiretur extare quemquam, qui ijs credat, quorum prædicta quotidie videat re & euentis refelli. Satisque etiam inter recentiores ad huius veritatis agnitionem prælaborauit nobis Sixtus quidam ab Hemminga, qui genituris triginta illustribus propositis, & iuxta artis placita ad exquisitum examen vocatis, declarauit experimenta non conuenire cum placitis, sed infausta plerumque fausto cælo contingere, & fausta

infau-

infausto; atque adeò Astrologos, & Genethliacos, dum inspecta genitura aliquid ante denunciant, toto vt plurimum oberrare cælo, atque, quæ non eueniunt, prædicere, quæ eueniunt, prætermittere.

Neq; in hac re fidem facere ea debent, quæ de Alexandro Macedone, alijsq; similibus viris, Imperatoribus, ac Principibus circumferuntur; notum siquidem est plerosque in Principum gratiam multa scribere, & comminisci, in quibus semper fides ipsa desideratur; plerosque etiam, vel iocando, vel delirando ea ebuccinare, quæ & apud vulgus statim persuadentur, & vires aquirunt eundo, ac tantò magis si Princeps aliquis Tragico interierit casu; quapropter non tam rudis debet esse Genethliacus consulentium ignorantia, tanta mentis hebetudo atque impotentia, vt quidquid ipsis accidere potest, soli⁹ cæli curæ commissum, astrisque dumtaxat demandatum credant; & hac credulitate delusi quidquid cçlitùs enunciatur, persuasissimum statim habeant; longè melius facturi, si prædictiones eiusmodi omninò arbitrarentur inanes, nugasque decipientium meras; Illudque exuberans satis esset malum, si omne aliud deesset, omnique miseriæ genere cumulatissimum, quod vbi à Genethliaco prænunciata alicui mors fuerit, ea cogitatio dum mentem subit, apprehensionem molestam facit, atque vt plurimum lethalem etiam ægritudinem parit, cum leui etiam interueniente morbo, is pathemate animi augeatur, creetque mortis periculum, quod alias non foret timendum, sic quoque prænunciato alio sinistro casu, ea prædictio, acriter diuexans mentem sæpè causa est, vt depellendo casui eæ prçcautiones adhibeantur, quæ ipsum alioquin minimè euenturum inducant; quod etiam aduertendum de prænuntiata, aut vita longa, aut fortunæ felicitate, ob quam prænunciationem, vel ea audenter fiunt, vel negligenter ea prætermittuntur, ex quibus vita alioquin in longum protrahenda decurtetur, aut fortuna ipsa felix futura reddatur infausta; & pro concepta inani spe, gestienteque lætitia grauis sçpè succedat calamitas. Innumeræ sunt tum recentes, tum veteres historiæ in quibus ennarratur eos vt plurimum infelicissimos fuisse, qui Astrologis felicitatem maximam pollicentibus se cum fide sua dedere; cum tamen nihil in humana vita tutiùs sit ad parandam felicitatem quam dictamen prudentiæ sequi, respectu sui honestè semper viuere, respectu aliorum semper iustè, atque in eo quod superest, committere se se diuinæ prouidentiæ, & in omni fortunæ euentu virtute roborari iuxta egregium Horatij Consilium 1. Carm. ad eiusmodi credulum genus latum.

Tu ne quæsieris, scire nefas, quam mihi, quem tibi
Finem Dij dederint; Leuconoem, nec Babylonios
Tentaris numeros, vt melius quidquid erit pati
Seù plures hyemes, seu tribuit Iupiter vltimam.

hacque sanè ratione quæ bona adueniunt, iucundiora sunt, quæ mala tolerabiliora; ac illud saltem efficitur, vt si futuri simus miseri, saltem

ante tempus miseri non sumus; quæ enim (inquit Cicer. 2. de diuinit.) vita fuisset Priamo, si sciset ab Adolescentia, quos senectutis euentus esset habiturus; Neque sanè vlla felicitas potuisset esse Crasso, si cum maximis opibus fortunisque floreret, illud nouisset, quod interfecto filio, exercituque deleto trans Eufratem cum ignominia, & dedecore sibi esset pereundum. Idem putes dè Pompeio tribus consulatibus, tribus triumphis insignito, De Cæsare, & sic de reliquis; Atque illud ad extremum addendum est, quod si Genethaliacos ipsos videremus suos deuitare morbos, cauere triremes, carceres, & neces, aliaque mala, quæ frequenter incurrunt, tum fortè posent aliquam apud nos fidem promereie; sed cum ne ipsi quidem sibi ipsis euentura præsignificent, aut prospiciant, velut omnium rerum futurarum ignari exstimandi sunt est, neque posse alijs aliquid præsignificare, eoque Ennij elogio, tamquam Coronidis vice res ista claudenda est, quod nullam esse Genethliacis, aut Astrologis fidem adhibendam insinuatur

Non habeo denique nauci Marsum Augurem
Non Vicanos haruspices; non de circo Astrologos
Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium
Non enim sunt hi, aut arte diuini, aut scientia
Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat
Qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam petunt
De his diuitijs deducant drachmam, tollant cætera.



LEX



LEX III.

AD HOMINEM MATHEMATICVM.

LICET quæuis diſciplinarum ſuas homini vtilitates, & commoda ſubminiſtret eoque maiora, quo meliorem ipſius hominis partem magis magiſque exornat, ac perficit; illæ tamen, quę Mathematicæ facultates nominantur, principem inter diſciplinas locum tenere ſuo iure cenſendæ ſunt; eaque ſanè longè maior huius diſciplinæ vtilitas dignoſcenda eſt, quod vrbes, regna, Reſp. omnis denique hominium ſocietas vno Methematicorum rerum præſidio muniantur, vt ſi hominis Mathematici artem, ingeniumque à ciuitate ſuſtuleris, ne ipſa quidem hominum in ſocietatem propenſio quanta quanta ſit, diutius, aut Reſp. aut Ciuitas ipſa conſiſtat, nihilque vnquam profuiſset hominibus in vnum conueniſse locum, niſi harum ſcientiarum legibus domos extruere, vrbes munire, ciuitates excolere, præſidia excitare, ciues denique ab hoſtium incurſibus tueri docerentur Atque in hac re minimè redarguendi ſunt Eudoxus Gnidius, & Archita Tarentinus, vt eas redarguit Plato, quod primi Scientias Mathematicas ad vſus etiam mechanicos, ſed Reipublicæ valdè vtiles traduxerint; licet enim ſit Mathematica nobiliſſima Philoſophiæ pars mirificis præſertim Geometriæ, Aſtronomiæ, Arithmeticæ aliarumque, quæ in contemplatione verſantur, ſcientiarum theorijs detenta, non dedignatur tamen vulgaribus etiam vſibus exerceri, dummodo id in hominis commodum vertatur; ſicque, & ad Reipublicæ commodum munimenta miniſtrat, erigit caſtra, vallos munit, ſuppeditat arma, machinatur hoſtilia. Etſi ad altiora ars Mathematica tollatur, nemo ſanè temporum veram atque exactam viuendi rationem tenere poteſt, niſi Aſtrologiæ beneficio, quæ etiam Matheſis eſt, annorum, menſium, dierum ſpatia perſcrutetur; niſi tempeſtatum viciſcitudines inueſtiget; niſi denique opportunas nauigandi, itineris ſuſcipiendi, ſubeundarum negotiationum, aliorumque id genus agendorum conſtellationes rimetur; Quis etiam ſine libræ, menſuræ, ac numeri diſpoſitione,

aut commercia exercere poteſt, aut ius dicere inter diſſidentes, aut ſuum vnicuique partiri? Nemo adhuc inuentus eſt, qui hæc omnia abſque Geometriæ præſidijs præſtare potuerit; nullaque vnquam in Remp. ars introducta eſt, nulla artificum exercitatio, nullum agricolarum, aut ædificatorum opus, quod non aliquo Mathematici adminiculo non fulciatur.

At ſi ſpectentur ea, quæ animi ornatum & quandam ad ſuprema eleuationem efficiunt, nihil ſane Mathematica excelſius cogitandum occurrit; cum enim Plato gradus quoſdam conſtruxerit animæ in altiora conniteriti lib.7. de rep. mathematicos gradus adducit in medium; inter duos gradus duos vocat puros, Geometriam, & Arithmeticam, tres verò mixtos, Aſtronomiam, Muſicam, & Stereometriam; & cum ſubdit Animam à lucerna ad Lunam, à Luna ad Solem attolli, ſignificat à formis Phyſicis & naturalibus ad Mathematicas, ab his verò ad Diuinas eleuari; eaque etiam ratione Mathematicam vim quandam animæ purgatricem appellat alibi, cum quoddam perfectionis genus, ordinemque vitæ probis moribus concinnatum inducat, figuras quaſdam, modulationes & motus virtutis conuenientes tradens, quibus ſapiens ille Athenienſis eos omnes inſtitui volebat, qui abineunte ætate virtutem capeſſebant; & inde Socrates in Gorgia intemperatæ vitæ Caliclem accuſans, dixit, Geometriam, ſeu Geometricam æqualitatem ignorat. Ille namque qui potiores in animo venatur pulchritudinis ſpecies, ad mathematicam ſcientiam neceſſitate quadam adactus ſe redigere debet, cum ſint præcipuæ ſpecies in pulchro ordo, commenſuratio, & definitum; eo enim modo quo omnis turpitudo corporea à partium inordinatione, inconuenientia, atque indeterminatione dimanat; ita prorſus nedum corporis, ſed animi pulchritudo, quæ in contrarijs verſatur, ab ordine, conuenientia atque definitione procedit; hæc ſolummodo ſunt a Mathematico perdiſcenda.

Quod ſi ex Euclidis doctrina a puncti notitia Mathematico incipiendum eſt, cum punctum definiatur, cuius pars nulla eſt, & tamen ab eo proficiſcantur omnia, quæ quantitatis, quæ figurarum, quæ corporum molibus partibilia ſunt; nam puncti fluxus (vt aiunt Mathematici) linea eſt; lineæ ductus ad latera ſuperficies; Superficies vel ſupernè, vel infernè multiplicata, corpus; ita inter cæteras diſciplinas velut punctum, & centrum Mathematica habenda eſt, à qua omnes incipiant, & in quam deſinant omnes, animaque ipſa quæ in puncto verſatur, in ipſa ſola velut in ſuo centro conquieſcat; nec melius potior in homine pars quæ dicitur ratio, quam ex Mathematica facultate ſolet innoteſcere iuxta illud apud Vitruuium de Ariſtippo Socratico commemoratum (qui facto naufragio, cum eiectus ad Rhodienſium littus geometrica ſchemata, & puncta in puluere animaduertiſſet, ad comites exclamauit,) benè ſperemus, hominum enim veſtigia video; quia omnes ex puncto rerum, in quo verſantur neceſſario Mathematicos eſſe debere fatentur Seneca, & Plinius Maior, cum ad mortales loquentes, aiunt, punctum eſſe

in

in quo nauigant, in quo præliantur, in quo regna disponuntur; itidemque punctum esse, in quo omne tumultuatur genus humanum, quodque tot inter gentes ferro, & igne diuiditur; neque istius vniuersi vlla pars est, quæ ex punctis mira quædam Mathematicis non ostentet; terra siquidem, quæ punctum est, licet ponderosum, nullo tamen fulcro suffultum libratum in aere ex puncto miraculum, atque prodigij sui rationem ità reddit, cum enim terræ partes omnes ad imum punctum, quod rerum verè centrum est, vndique coniurato pondere connitantur, inde fit quod tellus ipsa

Ponderibus librata suis immobilis hæret

quæ etiam ratio est, cur si ab eodem mundi puncto vis aliqua humana maior lateritium pontem ædificaret, qui vniuersam terræ molem ambiret pons ille ingens in aere sine fulcris vndiq; pendulo orbe consisteret, nec vllam in partem corrueret; quibus sanè longè mirabiliora potest Mathematicus homo ex punctis in se ipso prospectare; etenim omnis blanda, & multiplex colorum venustas, omnes rerum ad nostros aspectus vndequaque accedentium formæ, & species; omnes vastæ montium celsitudines, immensæ camporum, ac marium planities, tanta sonorum, ac vocum harmonicè congruentium modulata varietas in puncto ab oculis, ab auribus accipiuntur, & summa cum animi voluptate percipiuntur; id etiam affirmantibus Philosophis, qui docent omnes sensibiles, rerum visendarum species, in huius aeris, quam spiramus, indiuiduo quolibet puncto, multiformes, innumeras, perspicuas, atque inter se discretas contineri; etsi ignea quoque præter aerea, seù vstoria Mathematicus puncta scrutetur, in testes stuporis sui adhibebit Archimedem, & Apollonium, quorum vterque, vt fama est solarium radiorum, cum speculis reflexione, & vnum ad punctum conspiratione hostiles triremes in aquis concremarunt, & puncti ope inermes de armatis triumpharunt; testimonia quoque vsurpabit Cristallina ea vitra, quæ Phebææ lampadi obiecta in puncto radiorum post rarefationem coeuntium statim apposito fomite excitant flammam; & si ad Vestales conuertat obtutum, eas quoque pari fortassis arte deprehendet instrumento quodam mathematico, quod scapham appellabant in modum rectanguli turbinis excauato æternum illum ignem è cælo purum, ac sincerum detraxisse.

Cælestia verò si puncta adeat Mathematicus, vt verè adire debet, duo cælestibus illis in orbibus puncta latitantia, polos scilicet inueniet, quæ veris vocibus caput, & caudam Draconis veteres appellarunt Astronomi; atq; eorum alterum vbi Luna menstruis circumacta mensibus attigerit, & recta Soli, vel opposita, vel supposita obstiterit statim attonitæ, ac trepidæ gentes suspiciunt, vt ait Virgilius.

Defectus Lunæ varios solisque labores

Sic quatuor cardinalia quæ vocantur in Zodiaco puncta, si contempletur Mathematicus Astronomicis theorematis imbutus, ea esse dignoscet,

inde annuas temporum vices ad nos prouidum Phæbi lumen solet reuehere; viaque primum Arietis punctum cernitur tetigisse, statim Zephirorum pennis inuectum Ver mortalibus adest; vix etiam tertio post mense primos Cancri limites, ideſt æstatis punctum idem sol attigit, statim vt aduertit manilius Cælestis exeritur Canicula.

Qua subdente facem terris, radiosque mouente
Dimicat in cineres orbis; fatumque supremum
Sortitur, languetque suis Neptunus in vndis
Et viridis nemori sanguis decedit & herbis

atque ita deinceps de cæteris cardinalibus punctis, quæ sol peruadit, debet mathematicus philosophari, & postremo concludere

Naturæ sic puncta vices, & tempora mutant.

Nec puncta tantummodo debet mathematicus scrutari, sed lineas quoque vt exactius suæ facultatis obeat munus; linea si quidem, quæ dicitur ex punctis constare longitudo quædam est sine latitudine, hancque lineam sola mathematica intelligentia à physica materiæ concretione euocandam docet Euclides, sola in quantitate, quæ triplicis capax est dimensionis, longitudinis dimensione proposita; qualem prorsus adumbrat natura in vmbrarum, & lucis confinio, cum solares radij per fenestras in obscura incidunt cubiculorum; qualem etiam in aere, quasi ex aere vere, atque labyrintheis orbibus implicitam contexere solet Araneadum rusticis

In foribus tenues suspendit Aranea casses

quasi denique ars lusit, cum Apellem absentem protogenes inducta per tabulam linea visum effugiente peruidit. Porrò cum linearum sylua ingens in Geometria latè ac variè propaginet formis, nominibus, affectionibus ad miraculum vsque inopinatis, mathematico inquirendum est non solum de notissimis lineis, quæ data silentur opera, sed etiam de linea hyperbolica, elliptica, parabolica, spirica, helica, hyppopeda, cissoides, conchoides, alijsque eiusmodi mixtis, atque infinitè versiformibus; neque illas omittere fas est, quæ in infinitum productæ, semperque annuentes, ac magis magisque ad se accedentes, nunquam tamen se contingunt; aut illas, quæ licet eiusdem generis sint, nulla tamen inter illas mensura potest comperiri, de quibus decimus Elementorum, quemadmodum & de linearum admirandis potentijs, earumque mutuis proportionibus secundus ac quintus Euclidis libri conscripti sunt. Eoque magis debet de lineis accuratè mathematicus indagare, quo constat, nullam esse earum artium, quæ ad vitæ vsum & ornamenta seu pace, seu bello necessariæ sunt, in quam linea & ingentes & miras non proferat vtilitates.

Et si à mechanicis ordiri licet, inueniet mathematicus naturales grauium ac mobilium omnium motiones & requietes vnica directionis linea dirigi ac firmari; eademque directionis linea alites quoque per noctem suspensas in ramis, & immoto quodam æquilibrio somnum securè carpentes, neutram, vt in partem cadant, mirè effulciri; Sonoras quoque musicæ lineas per musica instru-

instrumenta numeroso ordine protensas flexamina quadam voluptate ita pectora percitare, feras permulcere, resque etiam inanimas quodammodo animare, vt merito de ipsis dicatur apud Virgilium

Orpheus in sylvis, inter delphinas Arion
Et Thebanæ conditor arcis Amphion.

Amphion enim non ad lineam ædificatoriam Thebæa extruxit mænia, sed ad cancros citharæ lineas saxa sponta sua in murum coeuntia disposuit; Arion verò marinas tempestates, & sæuos vndarum æstus parricida nautarum turba mitiores harmonicis lineis testudinis aureæ tranquillauit Orpheus, quæ immobiles syluas currere, mobiles amnes stare coegit, & cum lyræ cordis ac lineis summa peritia vteretur, inquit Virgilius

Tenarias etiam fedes, alta ostia Ditis
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus manes adijt, regnumque tremendum
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

quæ quidem omnia licet poeticè ad voluptatem ficta videantur, allegoricè tamen ad veritatem de miris musicarum linearum viribus edicta sana.

Si Gronomica, & Scioterica spectemus horologia, quibus mortalis qui spatia metimur, inde quoque Mathematicum fore instituendum inficiabitur nemo; stylus enim, vmbræ, horæ vel nisi sunt lineæ, quibus quasi temporis telis furtim, ac lethaliter confodimur, quibus quasi retibus variè inter se complicitis captamur ad mortem; & licet in ciuilis vitæ societate ad negotia, tum publica, tum priuata distribuenda horariæ ille linea necessariæ videantur, sunt tamen etiam velut scalæ, & gradus, per quos mors tacitè ad nos irrepit; suntque veluti alæ expansæ quibus vita præpes à nobis perpes auolat; Si denique iterum ad Astronomica voluatur oratio, quæcumque in sublimi illa scientia mathematicorum sustolunt animos, atque admiratione suspendunt, omnia lineis peraguntur; recta namque linea cum inter Solis, terræ, ac Lunæ contra pertransierit, Luna ipsa vmbræ terrestris obiectu obtenebratur; nec minus cum nostrum aspectum Lunam, ac Solem vna iunxerit linea aureum phæbi lumen volos interdiu sine nubibus repente surripitur. Ille verò præcipuus est apud Geometras rectarum atque perpendicularium linearum vsus, vt moles corporum atque interualla dimetiantur, nec adstantium modo, ac præsentium, sed etiam à nobis dissitorum, ad quæ nullus omnino, sed accessus; hic in eodem penè vestigio stantes, vel saltem breuissimæ areæ angustijs coerciti mathematici omnium mortalium solertissimi plana camporum, profunda vallium, ardua montium marium vsque ad terræ centrum, totius denique terræ ambitum certissimam ad mensuram vocare non dubitarunt; quin etiam vltra elementa euolantes cælis ipsis, ac syderibus mensorias lineas applicuerunt; effeceruntque, vt nihil tam arduum, atque à nobis remotum sit, quò mathematica linearum dimensio non pertigerit; semiaxem quoque vniuersi per

certas

certas carpſere partes, & Planetarum, & Aſtrorum à terris diſtantias, eorum vmbras, moles, & ambitus ad breuiſſimas vnius lineæ particulas, & menſuras, ad minutiſſima calculorum puncta detulere; denique ipſum vniuerſum à terræ centro ad extrema vſque ſyderum agmina non ingentia volumina, ſed vnica tantum apud Mathematicos docet, & explicat linea.

At demum ad vitæ lineam redigendus eſt Mathematicus, vt etiam inſpiciat lineam, quæ dicitur

Vltima linea rerum

mors, ſcilicet; atque ita mirabilis eſt vitæ mortalis linea, vt quo productior eò minor ſit; quantò enim diutiùs viuimus, tantò vita ſupereſt breuior, prçterita iam emortua; ac propterea ſpiralis, ſeù ſpirantis huius lineæ longitudo non ex eius productione, ſed ex bonitate ſpectanda eſt, cum non ſit bonum viuere, ſed benè viuere; potiuſque dicatur diù fuiſſe quam diù vixiſse, qui malè vixit. Vitalis ergo linea ità Mathematico inſpicienda eſt, vt licet ſit in longum producta, ſine bonitate tamen breuiſſima cogitetur; ſicut etiam ſi verſicolor ſit, & verſiformis, modo lætitiç candore nitens iudicetur, modo triſtitia nigricans; eſt namque hominum vita, vt plurimum circularis ex impiorum copia, qui ſemper in circuitu ambulant, & Sampſonis inſtar excçcati, atque in catenis molam circumagentis, prauarum appetitionum circulum laborioſiſſimum redagunt, in ijſdem ſemper cupiditatibus, & hærentes, & irrequieti; Is ergò optimus erit Mathematicus homo, qui in vita rectus, ac perpendicularis in neutrum declinabit extremum, ſed ad rectæ rationis regulam vitæ ſuæ lineam ſemper conformabit.



LEX



LEX IV.

AD

HOMINEM COSMOGRAPHVM.



Osmografiam, quæ eſt quædam ſphæræ mundi notitia, hic ea tantum ratione attingimus, quatenus homo ipſe Coſmographus ex cæli ac ſiderum dimenſione, ex mundi partium atque Elementorum commenſuratione condiſcat ſe ipſum virtutis regula metiri, atque diſtantias & interualla, quæ varia vitiorum interiectione efformantur, à recta agendi ratione, ſtudeat agnoſcere, ac ſatagat abolere; eo enim pacto, quo Coſmographia tamquam ſcientia quædam de mundo vniuerſalis, tamquam partes Vranometriam, quæ agit de cælo, & Geographiam quæ agit de terra complectitur, eodem prorſus homo Coſmographus ſe ipſum in duas ſecat partes, cum ſuperiorem rationis regionem conſecrat virtuti, inferiorem verò expurgatà vitio. Ad quæ tamen peragenda eorum cognitione Homo Coſmographus duci debet, ſine quibus mundum benè partiri, ac recte diuidere ſemper ignoraret; Idque præſertim Coſmographo perſpectum ſit, mundi figuram omninò Sphæricam ſeu rotundam eſſe; cum enim fieri non poſſit mundi partes figuram nobiliorem nactas eſſe, quam mundus ipſe, qui eſt totum, atque adeo exploratiſſimum ſit cælum & Elementa Sphæricam eſſe ſortita figuram, neceſſum eſt ipſum quoque mundum ſphæricum eſſe; quod vel eo conſtabit magis, quod Cælum & Stellę ſemper mouentur in orbem, & ſi cælum alterius eſſet Figuræ quam circularis, cæli partes non in quouis ipſius cæli tractu pari intercapedine à terra diſtarent, quod tamen experientiæ repugnat, quia intuemur omnes ſtellas fixas eadem perpetuò ad nos diſtantia circumagi, cum verò ſimilem quoque induant figuram Elementa in Cæli capedine ſuo ordine concluſa, ipſa quoque ſphærica putanda ſunt; Hancque doctrinam cenſetur primus omnium tradidiſſe Thales Mileſius in Ionia, Pythagoras verò in Italia, quam poſtea ſequuti ſunt Babylonij, Caldæi, Egyptij, & Græci, atque inter cæteros nominatim Plato, Ariſtoteles, Ptolemæus & alij innumeri.

Ne-

Neque obstare potest Sphericæ mundi figuræ, quod in ipsa præter partes substantiales, quæ totum constituunt, assignentur etiam quædam partes accidentales, quæ cum varias indicent situs differentias iuxta situm, & locorum distantias, non videntur figuræ sphericæ posse conuenire; eiusmodi verò differentiæ situs, quæ mundi tribuuntur sunt Dexterum, sinistrũ; Antè, Retrò, Sursum, Deorsum. Etenim partes istæ accidentales, quæ etiam differentiæ loci ab Aristotele appellantur, propriéque tantum viuentibus competunt ratione motus, non sunt adscribendæ mundo per se spectato, vt corpus sphæricum est, sed solummodo per quamdam ad hominem relationem, qui est paruum totius mundi exemplar; cum enim mundus sit globosus, atque adeò principio, & fine careat, sibique vndique similis sit, fieri nequit, vt illę sex differentiæ ipsi competant in se spectato, exigentibus illis differentijs ex sua natura rationem principij, & finis, simulque diuersitatem atque dissimilitudinem. Vnde fit eiusmodi differentias dici apud Cosmographos arbritrarias, vt potè à conceptu tantum, ac relatione ad aliud pendentes; ac propterea Astronomi, Geographi, Poetæ, & Theologi tribuunt mundo dextrum, & sinistrum, non eodem modo, sed quilibet pro suæ artis vsu, & ratione; sic Astronomi qui citrà Æquatorem degunt, cum Stellarum ortus contemplentur, vertunt se se ad Æquinoctialem circulum, vbi concitatior est eorum motus, atque ita dextrum cæli est illis Occidens, sinistrum Oriens, at Poetis, quoniam vt siderum obitus notent, occasum intuentur (licet dicant quidam Poetas respicere oceasum, quod ibi sint Insulæ fortunatæ) dextrum manet ad Septemtrionem, sinistrum ad Meridiem; Geographis circa Æquatorem existentibus, quia vt terræ situm ex altitudiue cæli describant, in polum spectant, Dexterum est Oriens, sinistrum Occidens; aque in eadem etiam parte collocatur dextrum, & sinistrum à Physicis, sed non eamdem ob causam; hi enim mundum quasi hominem quemdam imaginantur. Theologi denique Orientem respiciunt tamquam partem dexteram, quod Paradisus fuerit situs versus Orientem, & Christus ab Oriente venturus sit ad iudicium, vnde veteres Christiani quoque templa construebant ad orbis dexteram partem, nimirum partem Orientalem respectantia; licet Iudæi ad Occidentem semper orent, ne videantur Solem adorare Gentilium more; hancque varietatem circa partes cæli innuunt optimè versus illi

Geographus Boream, sed Cæli mensor ad Austrum
Præco Dei exortum videt, occasumque Poeta
Geographum Physicus sequitur, vatemque Iudæus.

At ne longiùs à proposito in hac dissertatione diuagemur, id potissimum Cosmographo curandum est, vt è mundi partibus, regionibus, ac prouincijs cognitis populorum eas incolentium mores atque consuetudines agnoscat, quo ipse ad agnitionem atque consequutionem virtutis cæteros, & se ipsum agiliùs perducat; primùmque ipsi natura populorum, qui ad Semptentrionem, & Austrum positi sunt inuestiganda est, deindè eorum, qui ad ortu

tum, & occasum, vt inde quanta vis ex illa regionum varietate insit hominibus ad immutandum animum moresque formandos conijciat; Sed in primis illud pro certo statuendum est, nullam esse locorum aut cælestium siderum tantam vim, quæ necessitatem hominibus in agendo sit allatura (quod ne cogitare quidem fas est) falsum est enim quod Galenus & Polybius affirmant, aeris temperiem ita homines afficere, vt ipsorum naturæ vim aliquam inferat; licet enim regionum varietas, varius terræ ac cæli situs aliquid ponderis habeant ad excitandos animos, immissa primum in corpora virtute, nullam tamen inferre vim, aut necessitatem adferre satis testatus est Anacharsis Scytha; quo sensu intelligenda est etiam illa Platonis doctrina lib. 5. de leg. vbi scribit alios alijs meliores, ac deteriores effici ex ipsa locorum varietate, quos propterea legibus sæpè contrarijs ac repugnātibus moderari necesse est; quam etiam morum dissimilitudinem, subdit, sæpè sæpius ab aquis, & aere, tum etiam à ciborum varietate manare.

Tradunt igitur Cosmographi Veteres vno ferè cōsensu homines ad Aquilonem positos corpore quidem maiores, ac robustiores esse, ad meridiem verò imbecilliores, alijs tamen ingenio præstare, idque vsu diuturno compertum esse; sed quòusque vis illa Semptemtrionum, & Austri pertineat, quid ortum, & occasum finiat, quidque de moribus, ac insita cuique natura difficile dictu est; eòque difficilius quod nemo hactenus inuentus sit, qui in hac re facem prætulerit; nam Hippocrates cuius semper summa fuit authoritas homines in oris Semptrionalibus constitutos exiles & fuscos esse tradit; Aristoteles verò æquè barbaros esse, qui æstu, atque ij qui frigore nimio rigent; quæ vt planiùs intelligi possint, constituendi sunt quattuor huius hemisphærij fines, Auster nimirum in Æquatoris circulo, Semptemtrio in vertice poli, Ortus in Insulis Molucarum, Occasus in Insulis Hesperidum; licet apud Strabonem Indi in ortu, Celtæ in occasu, Scythæ in Semptemtrione, Æthiopes in Austro fuerint collocati; à qua partitione nec videtur Ptolemæus discessisse; quod est contra quosdam Mathematicos inter ortum & occasum nullum ponentes discrimen quoad aeris temperiem, cum tamen certum sit quoddam ortus & occasus medium in America collocari, quæ regio est ab India & Africa infinitis propemodum diuulsa spatijs; Semptentrionis vero & Austri medium esse Æquatorem, quod ad vniuersitatem attinet; huius autem hemisphærij, quod citrà æquatorem est, quintum, & quadragesimum latitudinis gradum, vt quidquid infrà, supraque, Polum versùs interiacet, Semptemtrionibus, cætera Austro tribuantur. Sed quoniam Antiqui præter Possidonium, & Auicennam omnes hominum sedes Tropicis, & popularibus circulis definierunt, rati vlteriùs nullum salutis esse atq; habitandi locum; ideò breuiter is est eripiendus error, cum crebris nauigationibus satis compertum sit, æquatoris saluberrimam esse regionem; sub Tropicis verò regiones incredibili æstu flagrare; cum enim Sol altiùs euehatur in æquatore, ac multò celeriùs feratur propter circuli magnitudinem quam in Tropicis, ex hoc satis,

quod

quod dictum est, manifestè colligitur. Quin etiam scribit Aluarez aquas illic Iunio mense gelu concrescere, modo flauerit Auster; accedere etiam imbrium magnam vim, montium incredibilem altitudinem, ac syluarum copiam; postremò colorem, & vultum hominum minimè atrum; contrà verò sub Tropicis vehementes æstus, nullos imbres, nullas syluas, rara flumina, perpetuas planities arenarum, præterquam in Arabia felice, & quibusdam Indiæ locis propter orientis, & montanæ regionis naturam; denique atram omnium incolarum cutem non modo Æthiopum, sed etiam aliorum; in qua re non est admittenda Herodoti sententia, quæ iampridem irrisa est, qui eorum incolarum, præsertim Aethiopium semen nigrum esse putauit; oporteret siquidem Æthiopes etiam in Scythia nigros, sicut Scythas in Aethiopia candidos, quod sanè ridendum est; Quin etiam addit Plinius Leones in Æthiopia nigros esse, quales se vidisse testatur Oppianus Poeta in lib. de Venat.


Vt autem Veterum errores fugiat Cosmographus, triplicem regionem ab Aequatore ad Polum, quæ nonaginta partibus constat, æquali ratione complecti debet; ita tamen vt triginta partes calori, totidem frigori tribuat, reliquas vero triginta temperatissimæ regionum constitutioni, qua commodè beatèque viui possit; exceptis tamen quibusdam locis, quæ, vel præruptis montibus aspera, vel paludibus immersa, vel ariditate deserta, vel aquarum, aut soli vitio pernitiosa, atque infrugifera sunt; est enim tanta soli vbertas in quibusdam Tropici regionibus, vt Incolę cæli graues iniurias minùs sentiant. Rursus triginta partes, caloris, frigoris, ac temperatæ regionis adhuc à Cosmographo ità diuidendæ sunt, vt quindecim circa Æquatorem temperatiores faciat, quindecim circa Tropicum ardentiores; & in regione temperata quindecim priores lenitate cæli moderatiores, consequentes verò à quadragesimo quinto gradu vsque ad sexagesimum aliquantò frigidiores. Denique à triginta partibus frigidissimæ regionis, quindecim tantum faciat incolendas, in reliquis verò nullas vrbes, nulla oppida, nullum salutis humanæ tuendæ locum, quam partitionem, vt optimè ineat Cosmographus, ipsa natura, & vsu duci debet; nam trigesimus ab Æquatore gradus, quasi limes secat Atlantem, qui ab extremis Africæ oris in Aegyptum vsque procurrit, seque Solis ardoribus opponens, oram Africæ citeriorem innumeris fluminibus rigat; Denique limes Arabiæ iuga, totiusque litoris Persici, ac Indici extrema diuidit: Pars verò ab Aequatore sexagesima Gothorum fines, Liuoniam, Moschouiam, Orcades Insulas, & montis Imai extrema lambit; hinc vsque ad septuagesimum quintum gradum ægrè, vltrà nullo modo habitari potest, si Geographis, & Historicis vniuersè fidem adhibemus.

Hæc omnia eò vsque Cosmographus noster rimari debet, vt ex tanto regionum discrimine, ac populorum varietate, morum etiam diuersitatem, atque ad virtutes, & vitia proclinationem in hominibus dignoscat; cum enim à vario solo atque disterminis plagis variam sortiantur homines in corporibus temperiem, atque à corporibus quadamtenus ratione operationes

etiam

etiam pendeant animasticæ atque intellectuales, vbi variè affecta deprehenduntur corpora, varias quoque coniectamus exerceri virtutes, non similia vitia progigni; idque Cosmographo animaduertendum est, quod cum corpora, & mentes contrario afficiantur modo, vt ea, quæ diuersam, ac contrariam nanciscuntur naturam, quo maior dicitur in corpore vis, vt plurimum eò minor est mentis virtus atque intellectus; & quo quisque plus intellectu, eò minus solet corpore vigere; quod videtur innuere etiam Aristoteles lib. 7. de Rep. vbi docet homines robustos, & corpore benè obfirmatos minus ingenio valere, ac propterea nec aptos esse Reip. moderatores; qua ratione Scythæ ferè semper à literis, Australes verò ab armis abhorrentes nullum Imperium stabilire potuerunt; secùs Romani, qui summa quadam felicitate vtrumque sunt consequuti Herculem, & Musas, Achillem, & Palladem coniungentes; ex quo mirum videri non debet, si Romani à Græcis leges, & literas accipientes, à Pœnis, & Siculis scientiam naualem, militarem denique artem ab Hispanis, populos omnes rerum gestarum gloria superarunt.

Iam verò cum animus semper corpore præstet; maioresque semper sint ingeniorum, quam corporum vires, id etiam animaduertat Cosmographus necesse est, quod in illis oris, vbi magis animus viget, validiores quoque virtutes emergunt, potentiora etiam oboriuntur vitia; hincque Liuius cum Annibalis virtutes commemorasset, tantas illas tanti viri virtutes ingentia quoque vitia coæquasse fatetur, inhumanam præsertim eiusdem crudelitatem, perfidiam plusquam Punicam, fraudem, Deorum contemptum, Iurisiurandi violationem, Religionis derisum, idque genus quamplurima alia flagitia prodens in sua historia; subdente ad rem Platone in lib. de leg. stupidos, & rusticos homines valdè flagitiosos esse non posse, cum solummodo in magnis ingenijs magnæ virtutes atque ingentia vitia esse consueuerint; quare non mirum si cum Cosmographis Historici ferè omnes, & Poetæ, iam inde ab Æschylo Magnam Scytharum innocentiam laudant, malitiam Australium insectantur. Illi tamen homines longè laudabiliores censendi sunt, qui non in summa rerum ignoratione versantes, nec fatua naturæ stoliditate detenti, virtutes, quarum vim atque præstantiam animo comprehensam habent, sponte colunt, cum iniusti esse possint; idque ea ratione, quod virtutis semita magis ardua sit, magisque patens ad scelera aditus; homines siquidem licet ratione, rectique cognitione pollentes, etiam propositis bonorum, & malorum finibus, semper faciliùs ad scelera, & flagitia feruntur, à quibus nec crudelissimis supplicijs, nec æterna morte deterreri possent, quam ad virtutes, quarum opera laboriosa, vt potè sensum nimis fatigantia, assiduè refugiunt, exhorrescunt, atque detestantur.



LEX V.

AD

HOMINEM GEOGRAPHVM.



QVI Geographiam attigerunt primi Philosophos fuisse, sui etiam ipsorum cognitione præstantissimos viros, testis est Strabo lib. 1. affirmante etiam Laertio Geographiam primum à Democrito fuisse conscriptam, qui cæpit etiam hominum interiora rimari, animumque velut punctum in Microcosmo delineare. Cum verò ab æuo vsq; antiquissimo telluris globus in duas fuerit discriminatus partes, quarum altera circumhabitata dicta sit, aut habitabilis, altera inhabitata seù inhabitabilis; hac posteriore relicta, potissimum inhabitata terra versari Geographus debet; & licet raram fidem inueniat Antipodum habitatio, & rariorem adhuc habitatio sub ęqnatore, primus tamen qui in sua philosophia fidem fecit Antipodibus inhabitantibus terram, fuit Plato ex Phauorino, vel Pythagoras ex Laertio, qui docuit quosdam in parte terræ homines esse, quibus illa essent deorsum, quæ nobis sursum viderentur; cum tamen adhuc incertum sit, quinam fuerit primus, qui eos Antipodas nominauerit, eo solum constante, quod cum Traprobane ante Alexandrum esse alter orbis crederetur, incolas ipsius dictos fuisse Antichtonas, vt à Plinio obseruatum est; Neq;ex eo quod quidam etiam Sapientissimi viri Antipodas reiecerint, quoùsque terra fuit nuperis nauigationibus explorata, referatque Plutareus Philosophum deridentem Antipodas, quasi instar teredinum, ac Stellionum imis terræ partibus sursum conuersi semper hærescerēt;& memoretur adhuc Demonactes ille, qui derisurus Physicum de Antipodibus disserentem, eum deduxerit ad puteum, vmbrisque ipsi in aqua monstratis, dixerit (nunquid tales esse Antipodas asseris) dicatque demum Lucretius ex mente Anaxagorę, & Epicuri in lib. eos errare omnes, qui fingunt Antipodas

Sed vanus stolidis hæc omnia finxerit error.

Geographo tamen de ijsdem nulla ratione dubitandum est, eo innixus

nixum Aristotelis argumento, quod terra figuræ orbicularis sit, quo d satis, apertè demonstratur ex quadam terræ habitatę globi portio ne, neque possit quod supereſt, non eadem forma continuari; quo rotunditatis terræ argumento vsus etiam Manilius sic Antipodos describit

Hinc circum variæ gentes hominum, atque ferarum
Aeriæque colunt volucres. Pars eius ad Arctos
Eminet, Austrinis pars est habitabilis oris.
Sub pedibusque iacent nostris supraque videtur
Ipsa sibi, fallente solo declinia longa
Et pariter surgente via, pariterque cadente.
Hinc vbi ab occasu nostros Sol adspicit Ortus
Illic orta dies sopitas excitat Vrbes
Et cum luce refert operum vadimonia terris
Nos in nocte sumus, somnosque in membra locamus.

neque ille Geographo metuendus est Antipodum Casus, qui vulgò metuitur, cum enim omnium rerum natura sit, vt pondera omnia in medium ferantur, & ad medium connexa sint omnia, siuè illud medium sit centrum mundi, siuè speciale centrum telluris; non posset sequi Antipodum casus, nisi medium seu centrum versus, in quo iam supponuntur esse; Cælum namque vndique, & ab ipsis, & à nobis respectatur tamquam suprema mundi pars, & terræ centrum tamquam ima, & sic nos tam sumus hominibus illis Antipodes, quam illi sunt nobis, ac verissimè dicatur à Plinio circumfundi terræ vndique homines conuersique inter se partibus stare, & cunctis similem esse cæli verticem, ac similimodo ex quacumque parte mediam calcari; & si quis quærat cur non decidant Antipodes contrà siti, ratio in promptu est, vt nec nos decidere mirentur illi.

Quod si quibusdam dubitatum est, quomodo homines potuissent inde illuc traijcere, ac propterea de Antipodibus dixerint, quod Diodorus de quibusdam Aethiopibus affirmat, quod nimirum sint eo locorum situ ità conclusi, vt nulla ex parte exire, aut adiri possint; auferenda à Geographo, hæc dubitatio est illa orbis delineatione, qua eò quoque per Isthmos perueniri posse ostenditur; nondum enim constat an extrema Scythia, seù Tartaria, qua parte ad ortum Aniano freto alluitur, intercidatur quoque ad Boream freto, mariuè Scythico; an continuetur potius cum terra ad polum vergente, & ad vocatam Americam Septentrionalem pertinenti; quod quidem si ità sit, manifestum est penetrari ex inde posse in Australem Americam, & ad Magellanicum vsque fretum, qua etiam ratione potest quoque ex Arabia, aut India perueniri ad Sumatram atque ex ea per insulas intermedias in maiorem Iauam, ac porro in Australem, & Magellanicam terram. Esse verò nouos orbes, quos in globo telluris incolere possunt Antipodes etiam Solonis tempore non fuit ignotum; fertur enim apud Platonem in Timæo Sacerdotem Egyptium Soloni narrasse de expeditione incolarum Atlantidis Insulæ,

quod Possidonius apud Strabonem, & alij pro germana habent historia, id maximè confirmante reperta nuper in Atlantico Oceano America; quin etiam de orbe nouo videtur apud quosdam prouidentiam fuisse, eo prorsus modo, quo detegi reipsa contigit; atque nominatim Seneca videtur sic in Medea vaticinium edidisse

—— Venient annis
Sæcula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat Tellus, Typhysque nouos
Detegat orbes, nec sit terris
Vltima Thule.

Illi quoque qui diuisionem totius terræ in varias Zonas diuisere, quasdam esse regiones inuenere, quas adire nemini fas sit ob interpositæ Zonæ Torridæ insuperabiles ardores; siue enim Zonæ quinque tantum fuerint, vt ex doctrina Pythagorica, & Thaletis affirmat Plutarchus; siue fuerint sex, vt illas distinguit Polybius Torridam in duas per Æquatorem diuidens, tota ferè Antiquitas, tam Torridam, quam frigidas inhabitabiles esse censuit; atque indè opinio apud eosdem Antiquos orta est duas tantum Zonas temperatas habitabiles esse, quarum vnam nos incoleremus, alteram quam nostri Antæci, ad quam tamen Antæcorum Zonam permeare Zonæ Torridæ interpositio inhiberet; de hac enim inter nos, & Antæcos interiecta (inquit Macrobius lib. 2. Somn. cap. 5.) vtrique hominum generi Torrida interiecta commercium denegat commeandi; Quæ tamen non sunt facilè à Geographo admittenda; memorantur enim apud Plinium, Melam, & etiam Strabonem nauigationes quædam pridem peractæ à Gadibus vsque ad Arabicum sinum, præsertim Hannonis Carthaginensis, & illius, cuius signa nauium ex Hispaniensibus naufragijs agnita fuere à Caio Cæsare Augusti filio, cum res ageret in Aegypto; & etiam nauigationes rursus peractæ, ex Arabico sinu in Gades, quales fuere Eudoxi fugientis Regem Lathirum; licet enim dicat Strabo non facile Africam nauibus circumiri ob maris difficultates, reperti tamen aliqui sunt, qui difficultates illas superarunt; idq; fieri non potuisse constat, nisi peruagata tota regione Torrida, & alterius temperatæ non exigua; subditque Polybius ex Strabone Plagam Aequatori subiectam esse temperatam, imò ea temperatiorem, quæ sub Tropico est, nam Sol circa Aequatorem statim transcurrit Verticem; ad Tropicum vero moratur, seù continenter transit supra Verticem per complures dies.

Atque ex his perspicuum esse debet Geographo non vnam semper fuisse Telluris habitam descriptionem, cum fuerint non pauci, qui toti terræ habitatæ atque cognitæ circumfusum esse Oceanum existimarunt, inter quos Homerus, Orpheus, & alij Poetarum antiquissimi, qui Oceanum descripserunt horizontis instar circulari specie Terræ circum-

circumpositum; sicut etiam alij fuere, qui terram habitatam terminari crediderint non Oceano; sed terra ignota, inter quos Ptolomæus, qui credidit Indicum mare non cum Atlantico connecti per Æthiopicum; sed totum cum sinubus suis Gangetico, Persico, & Arabico Terra continente esse circumconclusum; Atque ex hac opinantium varietate effectum est, vt cum quatuor quidam magni sinus ex Oceano esse vulgo crederentur, Mediterraneus, Arabicus, Persicus, & Caspius; Geographorum quamplurimi in eam abierint sententiam, vt etiam mare Caspium cum circumfluo Oceano per angustum fretum iungi autumarint, nonnulli quidem ad Orientem, nonnulli verò ad Boream: Sic etiam licet non vna semper fuerit partium terræ distinctio, ac diuisio nimirum in Asiam, Africam, & Europam, eo quod non pauci duas tantum terræ partes agnoscerent Asiam, scilicet, & Europam cuius partem fecerunt Olympiodorus, Sallustius, Varro, & etiam Lucanus vbi canit

Tertia pars rerum Lybia, si credere famæ
Cuncta velis; at si ventos Cœlumque sequaris
Pars erit Europæ

Tamen recentiores Geographi res accuratiùs distinguentes docent Terram ipsam tripartita diuisione esse secernendam; ac propterea Geographus veterum Geographia relicta, debet recentioribus Geographis adhærere, qui sanè plura nouere, quam veteres, nimirum totam Americam, Terras Septentrionales, Terram Australem, & Magellanicam, Terram circumnauigari posse, etiam Oceanum continuo tractu ambire Tellurem, Zonam Torridam habitabilem esse, & ab infinitis populis habitari, Telluris dimensionem veram, Africam posse circumnauigari, & Australem Africæ partem, & id genus alia quam plura, quæ hoc æuo clarius innotescunt.

Vnum superest Geographo de Terra cognoscendum, nimirum, quænam eius vera iactetur figura; quidam enim Terræ formam mensæ compararunt; Alij Scaphæ, Alij Pyramidi, Alij nuci pineæ, Alij columnæ deorsum immensæ, Alij denique globo rotundo; At sanè cum Terra vt plurimum orbis nomine circumferatur, sphærica potius & orbicularis ipsi forma seù figura tribuenda est, quam alia; Ad hanc terræ figuram etiam annuentibus sacris oraculis, in quibus non rarò terrarum orbis nomen memoratur, quo etiam spectare potest illud Manilij horizontem describentis ad modum circuli lib. 1.

Circumfer faciles oculos; vultumque per orbem
Quidquid erit Cælique imum, Terræque supremum


Cuius rei etiam rationes à Geographo petendæ sunt, vel à latitudine ipsius telluris, cuius omnes sectiones, quæ fiunt secundum latitudinem eius in diuersis locis sunt peripheriæ circulorum, transeuntque per idem Cæli punctum, nempè polum conuersionis vicinum stellæ polari; ex quo arguitur Telluris Sphærica figura; est enim Theorema Geometricum, si solidum aliquod, siue corpus secetur planis vtcunque multis per vnum ali-

quod punctum transeuntibus, fiantque omnes sectiones in superficie periphe riæ circuli; istud corpus Sphæricũ est: Vel à circumnauigatione, quoniam Europæi ex Europa soluentes, & directo ad occidentem & Austrum itinere vsque ad fretum Magellanicum; deinde ad Occidentem & Septentrionem iterum redierunt ab Oriente in Europam, atque omnia illius phænomena euenere, quæ à globi proprietate emanant; quod certe haud factum fuisset, si Tellus non esset globosa; maximè quia super hanc figuræ Telluris hypotesim omnes illæ nauigationes fundatæ fuerunt, quæ propterea non ita feliciter successissent, si alia fuisset eius figura;

Vel denique à motu, in quo vel mari, vel terra proficiscentes, atque ab altis turribus & montibus recedentes, experimur tunc paulatim partes turris & Montium occultari nobis vsque ad ipsa fastigia, quæ vltimo occultantur; quo etiam modo, quando è longa distantia accedimus ad turrim, vel montem excelsum primò apex nobis se offert conspiciendum, deinde partes continuæ inferiores, donec in propinquo versantibus nobis ipsa radix montis, seù pes videtur; & fit hoc apparitionis, vel occultationis incrementum omnino iuxta talem proportionem, qualem tumor sphæricus telluris causare potest, quæ fortasse iuxta aliam figuram explicari non possent. Rationes verò quibus plana figura telluri adscribi solet, nimirum quod Tellus esse debeat, quale est mare, quod sereno cælo planum apparet; Quod nisi plana esset terræ figura, nimis facile mobilis esset, ac ruinæ obnoxia, cum contra figuræ planæ stabiliores sint; Quod Sol & Luna dum oriuntur, & occidunt, rectis lineis paulatim oriri & occultari videantur; cum tamen deberent curua linea ab Horizonte secari, si tellus Sphærica, vel rotunda esset; Quod sint altissimi montes, qui rotunditatem impediunt; Quod aqua censeatur altior esse quam terra; Quod denique homines nobis oppositi consistentes in Tellure faciliùs deorsum ad cælum caderent; non sunt roboris tanti, vt sphæram terream ac ponderosam euertant, quod tamen Geographis disquirendum relinquo, ne præter morem moram protraham.

Sicut nec multum immorandum in explicanda Geographiæ dignitate, cum sit vna ex illis duabus alis vt inquit Plato quibus hominum mentes solent in cęlum euolare, nedum Solis, siderumque motus scrutando, sed etiam se ipsos dimetiendo, quantaque à Deo acceperint dignoscendo; fuit namque Geographia semper summæ virtutis inditium in ijs qui ipsa oblectarentur; Romani siquidem Heroes solebant deuicta & subiugata aliqua prouincia eiusdem Chorographiam in tabula expressam, clarisque signis illuminatam in triumpho monstrare, tanquam virtutis eximiæ testimonium; maioraque Luculli ornamenta, quæ visebantur in porticu, erant Geographicæ Tabulæ contemplantibus expositæ, quibus simul oculos & mentem alerent ad virtutem.

LEX



LEX VI.

AD

HOMINEM GENEALOGVM.



Nihil magis exercent Genealogiæ scriptores, quam quod habetur de populorum origine, quæ per omnium ora, calamos, & scripta vagatur incerta, atque adeò eò vsque extrema quorumdam arrogantia peruenit, vt terrestrem affinitatem repudiantes, atque humanæ conditionis obliti se à Dijs ortos esse prædicarent, quod non modo imprudentibus ac stultis contigit, sed etiam ijs qui in summa sapientiæ ac virtutis opinione floruerunt, cum neque erubuerit C. Cæsar in concione populi Romani iactare se materno genere à Regibus, paterno verò à Dijs ortum traxisse; Quin Aristoteles quoque ad Æsculapium & Apollinem retulit genus suum; atque hæc potentiorum superbia ad infimos vsque manauit, qui quod suæ originis initia nescirent, aut peregrinorum odio dissimularent, se indigenas terræ parentis effecere; Sic enim Aristides in Panathenæis supremæ nobilitatis decus Atheniensibus tribuit, quod non aliunde profecti, genus ab ipsa terra Deorum Matre traxissent; quemadmodum etiam Britannos in mediterraneis sitos scribit Polydorus non aliunde aduenisse, sed indigenas fuisse; quod affirmat etiam Altamerus de Germanis in ipsa Germania genitis, nec ab vlla gente deriuatis; cum tamen re vera eiusmodi asserta errores censendi sint humanæ societatis vincula penitus abrumpentes, ex quibus capitales illæ ac pestiferæ Ægyptiorum voces ortæ sunt aduersus Hebræos, Græcorum aduersus Latinos, quibus alij alios insigni quadam contumelia barbaros appellant; hinc hostes olim à Romanis appellati Peregrini, à Germanis etiamnum maiori contumelia Valchi; hinc denique famosi libri aduersus exteros ab ijs qui non musarum, aut Mineruæ, sed Martis Sacerdotes verius appellari debent, qui tædas ardentes inter medias acies vibrant, & eos, quos amore mutuo conciliare debuerant, iniuriarum facibus ad odium inflamant. Quapropter iure in hac re Lycurgi & Platonis leges à quibusdam improbantur, qui suos ciues à commercio peregri-

regri-

regrinorum omnino feiunxerunt; tum etiam domesticarum rerum ad exteros euectionem, aut inuectionem peregrinarum ad suos inhibuerunt;cum hoc vel aliud fuerit, quam de rebus humanis hominum societatem tollere, inmo peregrinas virtutes atque vtilitates simul cum vitijs arcere; cum tamen etiam summa Dei Immortalis sapientia factum esse videamus, vt ad conciliandam mutuam populorum beneuolentiam nullius regionis tanta fœcunditas sit,quæ non magnopere alterius ope indigeat; siquidem

India mittit ebur, molles sua thura Sabai
At Chalybes nudi ferrum &c.
Continuò has leges æternaque fædera certis
Imposuit natura locis.

Est igitur primum Genealogo Indigenarum vox omittenda,& omnium populorum origo à Chaldæis petenda, quos constat omnium antiquissimos fuisse, non solum Mosis grauissimo testimonio, sed etiam Metasthenis, Herodoti, Ctesiæ, & Xenophontis, quibus assentiuntur iuniores quidam Scriptores, Diogenes, Laertius, Philo, Porphirius, Clemens Alex. Eusebius, Theodoretus, & alij; qui omnes humanitatem, liberos, artes, & reliquas magnarum scientiarum laudes Chaldæis acceptam ferunt; & inde etiam Prometheum genere Chaldæum, quod homines ab agresti, incultaque vita ad humaniorem impulisset, rarosque siderum cursus, traiectiones errantium, totamque naturæ obscuritatem hominum generi tradidisset, finxerunt ferula Palladis sacros ignes de cælo detraxisse, & hominem è luto coagmentatum anima cælesti afflauisse. Atque vt Chaldęos omnium populorum vetustissimos confirmemus, illud est proferendum huius rei argumentum, quod nauis illa, quæ humani generis seminarium seruarat in regione Chaldæorum dicitur conquieuisse, atque inde homines huc illuc dispersos esse, omnesque ita genus suum propagasse; quod etiam satis indicant retenta diù Chaldaicæ linguæ vestigia, quæ in tanta postmodùm linguarum varietate numquam potuit aboleri, eaque lingua fuit prima, quæ ab Abrahamo Chaldæo suæ genti data est; prius enim quam Græcæ,aut Latinę linguæ vlla imago extitisset, populi ac regiones Chaldaicis appellationibus vtebantur, quæ, cum nihil Græcis, aut Latinis significarent, primas omnium gentium origines, à quibus idiomata fluxerunt, Chaldæis tribuendas esse docent, atquę omnium gentium antiquissimos esse Chaldæos satis declarant.

Atque inde dictum est Mosem Legislatorem omnibus Græcorum Dijs antiquiorem esse, cum enim nihil antiquius habeat Græcia Danao, & Cadmo, quorum alter gentis conditor, alter literarum repertor apellatur, ex eo vetustior arguitur Chaldęorum origo, quod ijs Danai, & Cadmi temporibus in summa rerum suarum gloria iam floruerant Chaldæi, ita vt eo temporis Chaldæorum atque Ægyptiorum imperia penè consenuisse viderentur. At quanto Chaldæi, Ægyptij, & Hebræi Græcis, tanto hi reliquis populis antiquiores sunt, idque satis perspicuum fit ex illa triplici ratione, nimirum ex Scriptorum

ptorum id affirmantium fide perfecta, ex linguæ vestigijs, atque ex regionum situ, quæ Græco octuratæ sunt tractu; nam Pausanias, & Strabo Græcos omnes aut Iones, aut Æoles, aut Dores fuisse aiunt, atque Iones ad Asia in Græciam transmigrasse quibus consentaneum videtur id, quod Hecatæus testatur apud Strabonem primos Incolas Græciæ à barbaris regionibus venisse; ac propterea Plinius Meandrum fluuium, qui bonam minoris Asiæ partem alluit, Ioniam alluere scribit; tum etiam Athenienses Græcorum antiquissimos Iones à non paucis scriptoribus appellari; In eo tamen quidam decipiuntur Scriptores, quod Atticam veterem Ioniam appellant, cum certum sit, priùs Asiam cultam fuisse ab ijs, vnde nomen illud fluxerat; tametsi enim Atheniensium duodecim Coloniæ in Asiam deductæ fuissent, vt Strabo, & Pausanias tradunt, quas postea Plinius ad octoginta vsque creuisse author est, non propterea tamen sequitur Athenienses Asiaticis fuisse priores; nam ista ratione & Galli Græcis, & Græci Chaldeis antiquiores essent, cum hi in Chaldæam; illi in Asiam, & Græciam Colonias sæpè deduxerint: Danai verò Classis ad littus Achaiæ appulit, idemque Argiuorum, qui inter Æoles clarissimi fuerunt, imperium adeptus est, qui etiam postea Colonias in Peloponesum misit. Cadmus Phenix Coloniam Thebanorum in Mæoniam deduxit. Dores autem initio non alios fuisse quam Æoles, planum fit ex ipso Pindaro, qui suum poema Doricè scriptum. Æolicum appellat.

Quod si Genealogus scire velit, quæ cuiusque populi origo sit in Græcia, copiosè Pausanias, & Strabo id explicant; illudque præ cæteris habetur Græcos ab Asia Ægypto, & Phænicia oriundos in Europa primum coaluisse; tùm ab istis Colonias in Italiam deductas esse testantur Varro, Gellius, Sempronius, ac Dionysius ipse Alicarnasseus; ex quorum authoritate refelli potest eorum error, qui negant Græcos fuisse Italorum authores, cum tamen istius deriuationis argumentum sit, quod Italia fertilitate, ac Cæli temperatione præstantissima Græciæ finitima est, breuissimusque in eam traiectus; sicut etiam non leue argumentum est, quod Græcæ linguę vestigia in Italia nunquam potuerint aboleri; quibus argumentis Cæsar ipse Britannos maritimos à Belgis Gallis originem traxisse demonstrat, cum sit Britannia finitima Belgis Insula, atque ijsdem penè nominibus Britanniæ vrbes appellentur, quibus Belgicæ. Ita quoque Tacitus, vt doceat Gothinos, à quibus Gothi fluxisse putantur, à Gallis originem accepisse, Gothinos (inquit) arguit lingua gallica non esse Germanos. Consimiliter Italos arguit lingua Græca stirpem à Græcis duxisse, est enim Italia a Græcis veteribus Ænotria dicta ad Ænotrio Hareade, sicut à iunioribus Hesperia, quod ad occasum Græciæ posita sit; postremo autem Italia dicta est propter boum magnitudinem, vt Hellanicus author est; nam Italus Græcis Vitulum seù bouem significat, vt Herodotus, ac Timæus scripserunt, quam Etymologiam, Varro quoque sequutus est: Quin etiam Cicero regnante (inquit) Seruio Tullio venit Pythagoras in Italiam, quæ tùm Græcia magna dicebatur; erat autem omnibus propè Italis

Dorica

Dorica lingua communis, vt ex illorum scriptis testatum habemus. Præterea Italiç religiones magna sui parte Græcam retinent appellationem, cuiusmodi sunt Lucania, Vmbria, Cumæ, Phlegræus campus, Elæa, Pandosia, Neapolis, & Peuceria.


Cum verò de Gallorum origine apud Genealogos præcipua controuersia sit, de his animaduertendum est, quod scribit Ammianus Marcellinus lib. 15. se nimirum in Gallorum monimentis legisse, & ab incolis accepisse, Gallorum origines Troianis deberi; tametsi fama esset à Doriensibus profectos; cum enim duæ extent Paridis vrbes antiquæ Troianorum domicilijs adscriptæ; ex earum vna Gallos sub Celtarum nomine deriuat Strabo lib. 5. Galli verò Celtæ antiquitùs dicti sunt, quod omnium maximè valerent equitatu; Celtarum siquidem appellatio ab Homero, Pindaro, alijsque priscis scriptoribus semper pro equitibus fuit vsurpata; licet Appianus à Celto Poliphemi filio illos deducat, sicut alijs Francos à Francione Hectoris filio, qui nunquam extitit: Etenim licet laudentur à veteribus Mauri, quod equitatu longè præstarent, & Annibali de Romanis, quorum præcipua vis erat in peditibus, illustres victorias peperissent; præstantior tamen habitus est semper Gallorum equitatus, quo Cæsar potissimum vsus est. Quia Plutarchus ipse in Antonio scribit Parthos non aliter coerceri, aut frangi potuisse, quam Gallorum equitatu, cum exercitus Antonij vndique premeretur; quare Cæsar cum Gallos in tres ordines distribueret, Druidas, Equites & Agricolas militarem equitum disciplinam Celticam appellauit. Galli verò nomen vnde fluxerit, aut quid significet, à nemine satis explicatur, licet quidam Gallos ab vndis ereptos interpretentur, alij euntes, seù peregrinos; est autem propriè Gallia Fertilissimus ager in finibus Parisiorum sic dictus, quo fit vt Celtarum nomen propriè de Germanis non dicatur, licet postquam Galli Germaniam, Italiam, Hispaniam, Britanniam aliasque mundi plagas colonijs impleuerunt, omnes ferè populi isti a Gallis æquè ac à Celtis sui generis nobilitatem ac splendorem velut cæteræ Europæ gentes à Troianis deducere gloriarentur; sic enim Plutarchus in Mario terras omnes Europæ ad Aquilonem & occasum conuersas Celticam appellat; Ipsi quoque Græci disciplinarum, ac rerum gestarum gloria florentes exempla fortitudinis non aliunde quam à Celtis petere consueuerunt, vt videre est apud Aristotelem in lib. de moribus, & de Rep.

Vnum hic Genealogo persuasum sit Germanos & Gallos se consanguineos & Fratres agnoscere, & tanta est, ac tam testata multorum vocibus & libris gentis vtriusque laus, vt neque Germanos debeat, neque Gallos alterutrius originis pænitere; Galli sicquidem & Celtæ vndecumque originem habuerint, coloniarum multitudine vniuersam Europam impleuerunt; hoc enim præcipuum est originis argumentum, quod propagatis vbique terrarum sui imperij finibus, ac victis vbivis gentium populis sua gentilitia nomina velut expressa vestigia ad sempiternam posteritatis memoriam reliquerunt; sunt

enim

enim à Celtis Celtoſcythę, & Celtiberi dicti, quos Liuius Hiſpaniæ robur appellat, aiens Celtas à gente vetuſta Gallorum miſcuiſse nomina Hiberis; quod enim Cæſar de Gallis ſcribit lib. 6. idem prorſus Valerius lib. 2. affirmat de Celtiberis, apud quos fuit ſemper nefas prælio ſupereſse, cum is occubuiſset, pro cuius ſalute ſpiritum deuouiſſent; atque ab iiſdem Celtis, qui poſtea Galli ſunt à Latinis, Galatæ à Græcis appellati Gallicia, & Portugallia Hiſpaniæ nomen habuerunt.

At non eſt Genealogo origo tantum, quæ ſpectat, ad corporis propagationem inſpectanda, ſed ea quoq; quæ ad morum atq; ad animorum Genealogiam inquirenda; ex ea namque quæ ſpectat ad corpus origine, facilè eſt etiam indolis, & morum proſationem iudicare, quæ ad normam virtutis erudienda eſt; cum enim corpus, & animus ferè iiſdem propter intimam cognationem afficiatur modis, ex vnius qualitatibus poſſunt etiam alterius modici impenſa laboris dignoſci; & licet notum ſit, quod docet Ariſt. 7. de Rep. homines robuſtos, ac virium proceritate præſtantes minus ingenio atq; animo valere, ac propterea Auſtrales magis intellectu, Scythas verò magis corpore præſtare; tamen vt plurimum contingere ſolet, quod corporis geniture; & origini etiam animi Indoles commenſuretur; neque enim fruſtrà Palladem corpore, & virtute conſpicuam ſemper victricem finxere Poetæ, quemadmodum etiam Achillem ſemper inuictum, & Romani ipſi vtraque origine celeberrimi ex ea animi, & corporis conſenſione, ex virtute ſcilicet in præclaris corporibus ſemper conſiſtente florentiſſima imperia diù tenuere; eaque de cauſa nemini mirum eſſe debet, ſi auorum geſta imitantes, & vitæ principia populos omnes gloria ſuperarint, cum pulcherimas naturæ dotes morum diſciplinæ ſemper adiunxerint.





LEX VII.

AD HOMINEM CHRONOLOGVM.



CVM Chronologia disciplina quædam sit, quæ sibi finem temporis emendationem proponit, ac propterea historiæ perfectionem, quæ maximè ex veritatis luce coruscat, sibi adiungat, in id præsertim hominem Chronologum contendere decet, quo è recta annorum computatione, rerumque per tempora digestione lumen illud accendatur, vi cuius numquam veritas ipsa ignoretur. Quod vt faciliùs contingat examen temporum in Chronologia à quibusdam characteribus petendum est, quorum alij naturales dicuntur, eo quod pendeant à natura vt sunt Eclipses, Planetarum motus, & situs in cælo; alij ciuiles, quod ex hominum pendeant instituto, vt sunt Indictiones, Cyclus Solis, & Lunæ, feriæ, Hebdomades, Dies festi, Bisextum Iulianum; Lunæ ætas e situ aurei numeri putata, certamina, ludi stato tempore recurrentes, Anni Sabbatici & Iubilæi, & id genus alia Chronologo valdè obseruanda, quæ præsertim obseruauit, Varro, historiam vniuersalem contexturus; eiusque postmodum exemplum sequutus est etiam Iosephus Scaliger humaniorum literarum facilè princeps, Epochas memorans ac diuidens historicas, quemadmodum alij alia temporum discrimina per æras, Catachlysmos, Olympiades, indictiones, aliasque eiusmodi annorum partitiones excogitata.

Prima itaque temporum ratio ab orbe condito haurienda est, pósthabitis omnino in hac re fallentibus Græcorum fontibus, ex quibus nihil certi erui potest; cum enim historia Troiana nullam habeat antiquiorem, quam etiam Thucydides magna ex parte fabulosam esse tradit; & cum Homerus ipse post Orpheum & Linum antiquissimus scriptor, ducentis annis à bello Troiano claruerit, consentaneum est Chronologo ad vetustiora atque solidiora temporum & historiarum monumenta recurrere, quæ fuut ea, quæ Moses ipse describit, quo nemo sanè inter omnes aliarum gentium scriptores antiquior çensendus est; licet enim Herodotus, Ctesias, Hellanicus, & Xeno-

phon

phon antiquissimi sint, ac temporibus æquales, annis tamen mille, & octoginta ipso Mose iuniores sunt, quapropter omnino falsum censendum est, quo Apio antiquissimus Historicus scribit se è Timæo Platonis arripuisse, nimirum Ægyptios annorum octo millium historias in monumentis habuisse consignatas; sicut etiam absurdum iudicandum est, quod ait Herodotus tredecim annorum millibus apud eosdem Ægyptios regnatum esse; Iosippus namque certissima temporum ratione collecta ex historia Phœnicum, & Manethonis, qui Ægyptiorum arcana literis sacris comprehensa peruulgarat, Ægyptiorum, & Græcorum fabulas velut inanes apertè reijcit, descriptis accuratè eorum Regnm ætatibus, atque temporibus. Quamquam Diodorus ante Iosippi ætatem in Aegyptum profectus, vt populi antiquitates penitus intelligeret, comperit, omnem quæ de Aegyptijs haberi poterat, historia tribus annorum millibus, ac septingentis comprehensam, idque testatus est lib. 2. vbi refutat Ægyptiorum mendacia, qui vt generis antiquitate cæteris præstare viderentur, trium, ac triginta millium annorum antiquitates se habere prædicabant. At Io. Bodinus in Method. Hist. illud Diodori tempus ad Ægyptiorum arcana exploranda commemoratum conferens cum historia Philonis, quam doctissimi quique sequuntur, ab eo ducentis circiter annis discrepare intelligit, detracto temporis spatio, quod inter Philonem, & Diodorum intercedit, idest centum paulominus annis; nam ab orbe cōdito ad Philonē (qui legatus ad Caligulam missus est ab Hebræis) numerantur annorū quatuor millia; eiusque rei maius etiam argumētum collegit ex Simplicio, qui tametsi Hebræorū acerrimum hostem se præbeat, nihilominus in cōmentarijs lib. 1. de Cælo testatū reliquit, Aristotelem literas ad Calisthenem dedisse, vt diligenter Chaldæorū antiquitates, ac monimenta cōquireret, dum alij prędæ intenti Babylonē diriperent; tum Calisthenē rescripsisse, cōquisitis diligenter eiusmodi Chaldęorum monimētis, se historiā reperisse annorū MDCCCCIII. qui numerus ad vnguem congruit cum sacra histotia Mosis, & Philonis, si ab Alexādro Magno regrediamur ad illud tempus, quo primùm dispersi tradantur Noe filij in orbem terrarum, ac Semi gentem in terra Senaar ad Orientem Armeniæ, in qua nauis illa salutatis constitit, sedes quæsijsse.

Sic constitutis temporum initijs ab orbe condito per diuersa annorū interualla ad certam mensurā redactis, quibus ipsius orbis cōditi absq; errore constet origo, annorum in primis rationem, numerū, & vsum debet Chronologus spectare, ne in Epochis, ęris, Indictionibus, alijsque eiusmodi Imperatorijs, aut popularibus Periodis computandis, errore aliquo decipiatur; Atq; cum tempus sit mensura motus secūdum priores posterioresque partes; hocq; duorum præcipuè siderum conuersione finiatur, nimirum Solis, qui circuitu suo annum efficit, & Lunæ quæ efficit mensem, qui duodecies replicatus ex hominum instituto lunarem componit annum; hinc duplex annus obijcitur Chronologo cogitandus, quorum vnus ad Solis, alter verò ad Lunæ cursum describatur.

D Solis

Solis autem annus duplex dici solet, alter exactus, qui solaris curriculi numeros implet, alter verò ciuilis, & minus accuratus, qui popularem ad vsum paululùm à priore deflectit; & ideò annus exactus Tropicus communiter appellatur, quod doceat Sextus,Empir.lib.5. aduersus Mathem.c.1. Tropica signa ea esse, in quibus Sol positus immutat, & aeris conuersiones facit; nam in Ariete fit verna conuersio, in Capricorno hyberna, in Cancro æstiua, in Libra denique Autumnalis, de quibus quatuor signis canit Manilius in fine lib. 3.

Quæ Tropica appellat, quod in illis quatuor anni
Tempora vertuntur signis.

Posterioris generis annus Iulianus dictus est, quod eum Iulius Cæsar communem ad vsum Romani orbis transtulit, qui diebus constat 365. qua ratione cælestis annus seù Tropicus Iuliano semper minor habetur quorumdam scrupulorum horariorum minoratione; hocque præsertim anno Iuliano ad commendandam temporum memoriam velut magis aptato vti debent Chronicorum, & Annalium Scriptores, non in ijs modo rebus exarandis, quæ posteriores illius institutione sunt, sed in antiquioribus etiam, & ab ipso etiam orbis initio.

Plerique tamen Chronologi sunt, qui annos eiusmodi permiscentes, eos sæpè confundunt in ipso Chronologiæ vsu; sicut etiam qui Lunarem anni motum amplectuntur, non eum semper simplicem adhibent, sed cum Solari coniunctum, & communi aliquo velut inclusum orbem, quem Cyclum, ac periodum vulgò nominant; quapropter annorum ab orbe condito apud Chronologos summa tam varia est, ac multiplex, vt vix vnus cum altero putandorum artifex temporum consentiat; cum tamen reuera Chronologo ad æram vulgarem Christi anni tantum numerandi sint ab orbis initio 3983. sic vt postremus horum ei respondeat, quem natali Christi vulgò prefiniunt; etenim certus annus, ac fixus statuendus est, in quo Chronologia nostra consistat, quiquidem annus extrà controuersiam positus sit; cuiusmodi sunt anni æræ Christianæ, cuius agitur nunc annus 1658. de hoc enim putandi modo Christiani ferè omnes inter se conueniunt. In qua re monet Chronologos omnes Theophilus Antiochenus in lib. ad Autolycum qui Patriarcharum, ac Regum annos ex sacrorum librorum authoritate retulit in summam, non posse certè accuratum, & exactum iniri numerum, quod sæpè excurrentes menses, ac dies a Scriptura prætereantur; hacque ratione, inquit, probabili tantummodo coniectura annorum ab initio mundi numerum confici posse; ac propterea ex vulgari calculo ab orbe condito ad annum natalem Christi probabiliter tantum putandũ esse,elapsos fuisse annos 3983. qui per sex interualla ita dispertiri solent, vt ab rerũ primordio ad diluuium numerentur anni 1656. à tempore verò quod diluuium proximè subsecutum est,ad Abrahami annos 75. quibus illi stirpem pollicitus est Deus,

anni

anni sunt 366. Ab anno 76. Abrahami, ad eum, qui in Israelitarum exitum desijt anni 430. Ab eo, qui proximè cæpit ab exitu Israelitarum ad tertium Salomonis ante templi constructionem anni 519. A quarto Salomonis anno, quo templi fundamenta iacta sunt, ad annum Cyri 21. siue vltimum captiuitatis Iudaicæ anni fiunt 474. Absoluta captiuitate ad communem Christi natalem anni subducuntur 538. quorum annorum computatione fiunt ab initio mundi ad eum annum, qui æram Christi præcessit anni 3983.

Id quoque Chronologo inter cætera, quæ in Chronologia potiora sunt, animaduertendum, quod nulla maior errandi causa intercurrit, quam ignotus ferè ipsius Solis, & Lunæ cursus, in quo inuestigando licet omnis Antiquitas fuerit occupata, efficere tamen non potuit, vt certam annorum, ac mensium rationem haberet; nam Leostrati regulæ, quæ ex vetustate dumtaxat nomen obtinere, mendosæ iuuentæ sunt, nec vllum præbuerunt vsum, & Methonis regula nouendecim annorum, quæ aurea dicta est, fallax omnino reperta est, adeo vt anno post CCCXVIII. dies vnus ac ferè decem, & octo horæ superarent, quo Solis cursus Lunam anteibat; nec multo certior Hipparchi numerus, Philolai, & Democrati annus; quin etiam Cæsaris annus illud semper habuit incommodi, quod Lunares auferret, atque ita erroris plenus habetur, vt paulatim ex ipso æstiuæ feriæ ad hybernos menses regrediantur. In similibus penè motuum cælestium erroribus Græci Solis annum habuerunt, qui etiam annis lunaribus vtebantur dierum CCCIV. quas tamen altero quoque, ac tertio anno intercalarent vno die superante præter mensem intercalarem, qui nunc tertio, nunc quarto quoque anno inserebatur, nec æquinoctiorum, nec solstitiorum vlla ratio haberi poterat, cum menses per totum annum vagarentur spatio annorum triginta trium. Romani itidem grauiter in eo genere peccarunt, qui primò annum diebus quatuor ac CCC. constituerunt, vt quidam putant, licet id neget Plutarchus. Deinde adiectis à Numa duobus mensibus, lunares anni facti sunt; sed intercalarium tanta extitit varietas, & confusio, vt ratio Fastorum mox hybernis, mox etiam æstiuis mensibus immutaretur, Authore Suetonio. Hebræi denique lunaribus vtebantur, sed tertio quoque anno mensem intercalarem inserebant, qui ab illis Vaadar dicebatur, idest geminatus Adar; quare Garcæus in eo labitur, quod Hebræos, atque Ægyptios annis solaribus vsos scribit. Quæ cum ità sint, non mirum si in tanta annorum discrepantia certa ratio temporis à Chronologis vix possit iniri. Sicut etiam non minima erroris causa videri potest, quod Græci annos suos ab æstiuo solstitio inceperunt, Latini ab hyberno, cæteri qui ad Occasum à verna sectione, Arabes ab ingressu Solis in Leonem, vt Solinus, & Firmicus tradunt. Orientales verò, idest Chaldæi, Persæ, Indi, Ægyptij, Hebræi ab Autumno, quo tempore mundum fuisse à Deo creatum scribunt Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 3.

& Rabi Eleazar in Genesim, eo Exodi oraculo freti cap. 23. Diem festum coles in exitu anni, cum fruges in horrea congregaueris; cum tamen etiam de tempore creationis magnum dissidium sit inter scriptores, inter quos opinantur plerique veris initio mundum fuisse conditum, vel mundo nascente Solem fuisse in Leone, quod præsertim Mercator affirmat; Ex quo fortasse dissidio illa etiam disceptatio orta est de tempore mortis Christi, de prima Vrbis Romæ conditione, & de cæteris eiusmodi, quæ nullum exitum hactenus reperire potuerunt; Quapropter in his omnibus accuratissimum oportere Chronologum esse consentaneum est, vt quoad fieri potest, errores in Chronologia deuitet.





LEX VIII

AD

HOMINEM HISTORICVM.



STVDIVM Hiſtoricum quo nihil in vita iucundius,aut vtilius,ad omnes diſciplinas vtile dicitur.

Hoc tibi virtutum ſtimulos, hoc ſemina laudum
Hoc exempla dabit.

de quo infinita propemodum ſunt tam veterum, quam recentiorum encomia, quod etiam iure merito oratorum princeps vitæ præceptorem, ſeù directorem appellat; cum enim hiſtoria præteritorum exemplis, quid in vita expetendum, quiduè fugiendum ſit, luculenter edoceat, quoddam philoſophiæ genus exemplis conſtans à quibuſdam dictum eſt, hancque ſolummodo Philoſophiam re didiciſſe gloriabatur apud Græcos Themiſtocles prudentiſſimus, cum hac ſola velut vitæ magiſtra mores ſuos quotidie componeret, corrigeret, atq; emendaret; nec aliam doctrinam filijs ſuis ediſcendam proponebat Cyrus ille Perſarum ſapientiſſimus Rex, quã quæ per hiſtorias atq; per elapſa tẽpora reſq; anteactas ipſis innoteſcere poſſet: quia Cicero ipſe hiſtoriam audet philoſophiæ præferre, dum plus laboris, o peris, ac tẽporis conferendũ ſuadet hiſtoriæ, quã ipſi philoſophiæ.

At quomodo ſit ſtudium hiſtoricũ, quod tam egregium eſt, pertractandum, non ità facilè occurrit, eòque noſtra de hac re diſſertatio deducetur, vt & omnia proferantur, quæ quoquo modo aut legentis, aut cõſcribentis munera cenſebuntur; atq; cum hiſtoria illuſtri appellatione donata ſit, vt magiſtra morum nominetur, homo qui ad illam pertractandam quoquo modo ſe contulit, ita publicam honeſtatem, fidem, atque Religionem debet profiteri, vt nullam ſibi mendacij, aut impietatis notam inurat, neque ea quæ praua ſunt, ſordidis diſperſa atque congeſta voluminibus, debet vllo modo amplexari vt imitetur, vel vt alijs imitanda ſcriptione, vel narratione proponat. Potior verò hiſtoriæ lex, in quam peccare ſolent ſcribentes Hiſtorici, veritas eſt, quam nunquam violare, aut velare, licet ſit nuda, fas eſt; ac propterea neminem fugit

historiam rerum imaginem fuisse appellatam, quod, quales pro veritate res essent dum gererentur, tales in Historicis, dum scribuntur, aut dum leguntur apparerent, nihilque ab ipsis Historicis augendi, aut minuendi studio adiungeretur, quod planè euenta non exæquaret; qui enim inter narrationes historicas multa de suo apponeret, non ab euentis accepta posteritati transmitteret, sed noua propemodum concionaret. Quod crimen aliquibus visum Tacito adscribendum, qui quædam narrationibus crebrò inserit non tam ad historiæ cursum, quam ad Historici proferendum acumen ingenij; vt enim erat Tacitus in aulis Principum eximiè exercitatus, inde occasionem arripiebat ea scribendi, & docendi, quæ si minus re accidissent, accidisse tamen probabile videri posset; in qua re sanè à plerisque reprehenditur Tacitus, qui in multis potiùs verisimilis quam veri dictus est amator; nec alia ratione humanæ vitæ regulam, velut proprium inditum nomen circumfert historia, nisi quod veris iugiter innitatur, quæ sola rationi humanæ intelligendi debent obiectari. Sic cum duo modi hominibus proponantur in historia, quibus rectè corrigi atque emendari possunt, si declinent à recto, vnus ob suam quisque calamitatem quam experitur, alter ob alienæ calamitatis exemplum, si vterque à veritate euentuum ac rerum deficeret, tota rueret emendationis struenda moles.

Hac ratione Diodorus Siculus in proœm. Biblioth. meritò gratias esse ab hominibus referendas historiarum scriptoribus, quod ipsi solummodo per veritatis semitas & exempla ad recta deducant, cum ostendant legentibus præteritorum exemplis, quid sit appetendum, quiduè fugiendum; pulchrum siquidem est & tutissimum illud iter, in quo propositis aliorum benè gestis, aut erratis veridico sermone congestis, pericula, propria cauemus, quo iure dici possit.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

qua etiam de re Liuius pronunciauit, in historia illud præcipuè salubre esse, ac frugiferum, quod rerum veritate in illustri posita intuemur, quidquid nobis aut reip. prodest; æque namque dicta est historia à Cicerone, vitæ magistra, ac Lux veritatis; ita tamen vt semper proponantur ab Historico exempla virtutum ad imitandum, vitiorum imagines atque castigationes ad deterrendum; rerumque humanarum inconstantiam ita ponat ob oculos, vt discat vnusquisque patientiam in aduersis, in prosperis lenitatem, atque exinde fiat sua sorte contentus.

Stylus verò historicus ab Historico ille probandus est, atque deligendus, qui purior sit, simplicior, atque in rerum narratione candidior; historia siquidem abhorret à vultu nimis ornato atq; fucato; qua etiam ratione probatur maximè stylus medius inter Asiaticum, & Laconicum, qui nimirum neque super effluat, aut redundet; neque nimis contrahatur; & ex hoc fortasse dixere quidam Historiam esse magis opus Logicum quam Rhetoricum; vnde lumina Rethorica parcissimè in historia sunt adhibenda aut quærenda iuxta illud.

Ornari

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

licet autem nihil referat, metro ne an soluta oratione historia conscribatur, modo historia sit; Quod notandum est contra eos, qui Homero, Virgilio, alijsque etiam poetis omnem propè derogant fidem, eo tantum nomine, quo poetæ sint, quasi poetarum proprium sit tantum fingere, id tamen apud Historicos firmum esse debet stylum oratorium magis historiæ conuenire, quam poeticum; poetæ enim non solentità accuratè, vt Historici eruere

Candida de nigris, aut de candentibus atra.

nec tanta stylo suo maiestate solent incedere, qua incedunt Historici; & licet ex feruida sciendi cupiditate etiam ex fabulis stylo poetico delineatis magna percipiatur voluptas, multò tamen maior ea est, qua gesta stilo oratorio historicè ennarrantur, cum in historia, velut in proposita, subiectaque tabula res maiorum periucundè dispiciantur; quæ sanè voluptas interdum eiusmodi esse solet, vt corporis & animi morbis sola medeatur, testantibus id Hispaniæ & Siciliæ regibus, quorum alter à T. Liuio, alter à Q. Curtio valetudinem amissam, quam à medicis non poterant, recuperasse perhibentur.

Sunt autem Historicorum genera triplici varietate distincta, vnum scilicet eorum qui optimè à natura, vberius etiam à doctrina informati ad res gerendas accessere; alterum eorum, quibus præter literas & doctrinam multarum rerum vsus non defuit, aut experimentum; postremum denique eorum est, qui ope naturæ ac rerum gerendarum vsu destituti, studio tamen ac labore se prænumeratis coæquarunt; inter quæ Historicorum genera, eorum censetur optimum, qui ijs omnibus abundant, quæ in singulis disperduntur; nimirum integritate, doctrina, eruditione, & experimento; sicut contrà deterrimum Historicorum genus intelligitur, qui sine vsu rerum, sine bonarum literarum scientia atque eruditione, manibus (vt vulgo dicitur) illotis ad histori am conscribendam accedunt; præsertim verò si huic crimini aliud adnectatur, quod scribat Historicus aliqua affectus perturbatione commotus, quo eorum, quæ scribit, dubia semper fides euadat; quapropter (vt scitè aduertit Bodinus in Method. histor.) Dionysius Halicarnasseus, qui nullos in Rep. Romana magistratus adeptus est dicitur de Romanis ipsis multò veriùs ac meliùs scripsisse, quam Fabius, Sallustius, aut Cato, qui in sua Rep. opibus, & honoribus floruerunt; nam Polybius homo Græcus sæpè mendacij coarguit Fabium & Philinum, quod alter Romanus, alter Carthaginensis de bello Punico ità scripserunt, vt hic præclara omnia de Romanis, de Pœnis contra; Philinus verò Pænos omnia laudabiliter ac fortiter, Romanos autem omnia turpiter & ignauiter gessisse scribat.

Neque illos historicos laudare possum, qui perpetuas laudes & virtutes eiusdem, nulla vitia commemorant, cum nullus sit tanta integritate, ac prudentia, vt non sæpissimè offendat; qua propter sapientissimè Aristoteles iubet esse Historico, quoad fieri potest, abstinendum à rebus nouis, recentibus,

seù

seù præsentibus ne aut proprij commodi, & vtilitatis amore, aut metu, & timore historiam scribat fabulosam, mendacem, & gliscente adulatione iniucundam; cum nemo sit, qui vt præsentium rerum historias in vulgus manare patiatur, vera scribat, ne alicuius nomen historia læsura, aut famam violatura sit; ac propterea Cicero neminem eorum, qui viuerent, inter claros oratores enumerauit; ne qui ab eo præteriti essent (vt ipse inquit) succenseret: quis enim ab Historicis in ea Rep. veritatem exquirat, in qua dicere quod nolis, turpe, quod velis, miserum ac periculosum sit. Præstat igitur omni metu sublato res per historiam posteris mandare, sed præsertim superioris ætatis monumenta scriptis committere, quæ sint potissimum ex publicis simul ac priuatis eruta commentarijs, & diuturna seniorum fama confirmata, quod fecere clarissimi scriptores Liuius, Tranquillus, Tacitus, Anianus, & Halicarnasseus, cuius etiam ideò maior fides est, quod de aliena, non de sua Rep. scripsit, & omnium commentarios ac ciuitatis arcana ex actis publicis collegit, in quo genere etiam est Polybius, Plutarchus, Metasthenes, Ammianus, Polydorus, Ctesias, Æmilius, & alij quam plures, qui inter fama ac nomine illustriores memorantur; vnde nunquam eorum narrationes probandæ sunt qui nihil aliud habent, quam quod ab alijs audierunt (vt loquitur Polybius) numquam publicis monumentis inuestigatis. Sic Ammianus se Gallorum antiquitates è publicis arcanis in lucem eruisse profitetur; similiter Anianus statim initio scribit se Regis Ptolomæi, qui Alexandri Magni rebus vbique interfuit, commentarios non prius euulgatos legisse; itidē Appianus Augusti scripta, Methastenes, & Ctesius Persarū monumenta, Diodorus Ægyptiorum arcana, quæ se vidisse testatur, & sic de cæteris.

At hic magna dubitatio Historicum tangi potest, vtrum eius etiam munus & officium sit, laudare, vituperare, ac de re proposita sententiam ferre, an verò legentibus iudicium integrum relinquere debeat; quod cum præcipuè ad Historicorum delectum pertineat, rationes vtrinque probabiles afferendæ sunt, & cuique iudicium relinquendum; nam cum historia nihil aliud esse debeat quam veritatis imago, & rerum gestarum veluti tabula, quæ in clarissima populi luce omnibus ad iudicandum proponitur, profectò præiudicium Historicorum plurimū de rebus gestis detrahit; propterea quod imperitorum animus varijs opinionibus præoccupare velle videntur; prudentibus verò, qui falli nollunt, ob id ipsum, quia non rogati sententiam ferunt, valdè suspecti sunt. Illud etiam non parum obest, quod plerique Historici, cum Rhetores, aut Philosophos agunt, filum propositæ narrationis abrumpunt, & legentium cogitationes, & memoriam aliò distrahunt; vt iure Timæus vtroque vitio notatus sit, cum ab Historia sæpius ad reprehensiones digrediatur, & obtrectator potius quam historicus appelletur. Atque cum nihil difficilius sit, quam rectè iudicare, quis non grauiter ferat Historicum, qui nullam publici muneris aut consilij partem attigerit, de Summis Rerum Pub. Moderatoribus sententiam ferre? Quid ineptius, quam eos, qui

nun-

nunquam acies viderunt, Imperatorum offensiones, & victorias disceptare? Cæsar nõ minus egregius Imperator quàm Historicus, æquè bellicis abundans laudibus, & optimus artis Imperatoriæ Magister, licet suo quodammodo iure de re militari sententiam ferre posset, nec imperitorum obiurgationes vereri debuisset, in sua Historia conscribenda illud tamen prudenter, ac moderatè facit, vbi præsertim Sylla, & Pompeius aliqua ratione redarguuntur. In qua re etiam Viues Caroli Quinti præceptor Cominium reprehendit, quod sæpius ab Historia proposita per eiusmodi diuerticula digrediatur; deq; Principum moribus, atq; virtutibus in modum Philosophi disputare satagat. Quosdã tamen Historicos in cõtrariam sententiam Polybij authoritas abducit, qui Plutarchũ propterea reprehendit, quod debitas cuiq; laudes omisisset, eamq; præcipuam esse annalium vtilitatem putat, qua boni laudibus sui similium ad virtutem inflammentur, scelesti verò vituperatione, & infamia teneantur; quam historiæ conscribendæ rationẽ, licet Tacitus, & Procopius Scriptores grauissimi amplectantur, nos tamen grauissimo Ciceronis testimonio in hac re adhærere satiùs censemus, qui ait, Ideo Cæsarem omnes Historicos sua scriptione superasse, quod ipsius historia nuda sit, simplex, recta, & quasi omnibus detractis ornamentis vnicuique iudicanda proponatur; cui etiam consimilis est Xenophontis historia, quam Thucididi connectit, in qua nullum suum iudicium interponit, nusquam digreditur, nulla orationis adhibet ornamenta.

Illud postremò optimo Historico obseruandum est, vt in conscribendis historijs temporum curam, & rationem habeat; qui enim sine temporum ratione res gestas accuratè se posse exponere putant, perinde falluntur, vt si labyrinthi errores euadere sine duce velint; huc siquidem, & illuc iugi errore vagabuntur, nisi eos temporum, doctrina, atq; intelligẽtia velut Ariadne filum regat, atq; in securitatem deducat; & nusquam lectissimos rerum Scriptores inuenimus, qui magnam temporis rationem nõ habeant, vt non solum annos, sed etiã annorũ partes singulas, menses, dies, horas, & momẽta sæpissimè cõplectantur; temporũ autem ratio, velut ab initio ab orbe cõdito Historicis haurienda est, relictis aridis illis temporũ fontibus à Græcis inuentis, qui omnino fabulosi cẽsentur, sicut etiam de annorum initijs, ac clausulis disputationibus omninò ammãdatis, quæ ad Historicum minimè pertinẽt, cum debeat in hac re vulgatiori, atq; communiori sententiæ adhærere, ne veritatem historiæ ex opinionũ incertitudine nutantem, aut dubiam faciat. Ita cum temporũ ratione etiam populorum origines ab Historico nectẽdæ sunt, cum tamen postulauerit opus, ne cum extremo illo arrogantiæ genere irruat error, quosdã fuisse populos, qui humanam conditionem penitus exuentes, se à Dijs ortos iure prædicarent, quemadmodum non erubuit C. Cæsar in concione populi Romani iactare se materno genere à regibus, paterno verò à Dijs ortum traxisse; eo modo quo etiam Aristoteles perhibetur genus suũ ad Æsculapiũ, & Apollinẽ retulisse. Hæc sunt quæ Historico præsertim animaduertẽda sunt, vt ritè historias scribat, aut in ipsis quoquo modo exerceatur; Reliqua, quę plura sunt, apud Bodinũ in Meth. Hist. inuenientur.



LEX IX.

AD
HOMINEM PHYSIOGNOMVM.



COR hominis mortalibus inſcrutabile eſſe, vniuſque Dei oculis expoſitum, vniuerſa catholicorum ſchola docemur; At miſerabilis omnino fuiſſet conditio ſocietatis humanæ, ſi abditos pectorum ſenſus, odio quandoque in mutuam perniciem armatos, tamquam collocatos in inſidijs latrones timere ſemper, nunquam explorare potuiſſet; æquiſſimum idcircò fuiſſe videtur, certa indere corporibus quaſi ſymbola, quibus decernere de animis cognita quaſi cauſa per Phyſiognomiam liceret, vt ità animorum veſtigijs, & caracteribus in corpore expreſſis feneſtra illa Socratica non indigeret genus humanum, qua veluti admiſſo in viſceribus Sole, & opaca mentium caligine rareſcente, in retruſis etiam pectoris anfractibus nuda veritas cerneretur; neque amplius tragicè in Medea cum Ioue rixaretur Euripides, quod cum indicia ad aurum explorandum mortalibus diuino beneficio non deſint, deeſſent tamen ad inueſtigandas hominum voluntates; Cum igitur pateat per corporis notas quaſi per rimas ſi non oculis, certè menti traiectus ad animum, ad quamdam latentium in animo ipſo virtutum aut ægritudinum coniecturam habendam debet Phyſiognomus homo hanc coniectandi artem exercere; quæ quidem conijciendi ratio tam efficax ſemper habita eſt, vt Pythagoras adoleſcentes, qui ſe in eius diſciplinam conferebant; Cæſar in ſuam perniciem conſpirantes; Nazianzenus, Iulianum Religionis desertorem, Zopyrus, Socratem; Titum, ac Britannicum Metopoſcopus neſcio quis; milites demum Vegetius, corporis habitudine, atq; oris caracteribus metiri ſoliti fuerint, ad rem annuente etiam D. Ambroſio lib. 1. offic. Mentis habitum ex ſtatu corporis diſcernendum occurrere, cum virum ex riſu, & ſenſatum ab occurſu faciei cognoſci docuerit Eccleſiaſtes; Oculi namque (ſubdit Philoſtratus) mores hominum indicare poſſunt, cum multa in ſupercilijs, geniſque poſita ſint, ex quibus Sapientes, & naturæ periti

ima-

imagines veluti in speculo aspicientes, quæ mens illis delapsa cælo, quod sit impertitura ingenium contemplantur.

At præsertim ea sibi priuilegio concessisse naturam Physiognomus debet aduertere, vt efficaci oculorum in alienum caput coniectu, sapientiam cuiusque inde eliciat delitescentem, aut socordiam, intimos animorum mores, arcanaque cordium sensa pro libito peruadens; Sapientia enim hominis (inquit Ecclesiastes) in eius vultu splendescit; dumque diuinatrices naturæ tesseras inscriptas fronti rimatur; munusque Metoposcopiæ admirandum exercet, dicitur quodamodo in hominis capite, velut in cælo spatiari; humanum siquidem caput ad instar cæli suum Solem, sua sidera nouit, quorum fatidico lumine abdita peccatorum prudentioribus recluduntur; vnde nec sine ratione rectas sex frontis lineas cum septima triplici angulo definita septem inerrantibus stellis respondere aiunt Metoposcopi, id potissimum animaduertentes rationalem, ac diuinam hominis partem, quæ cæteris ancillantibus imperat facultatibus, tanquam Numen in capite regnare. Atque huc Ægyptiorum commentum arbitror referendum, qui diuino Serapidis simulachro in humanam speciem efformato Cælum capitis loco imposuerunt, vt vnius contemplatione capitis cælestium rerum miracula magis admiranda deprehenderent spectatores; etenim sapientissimus naturæ artifex Deus in hominum facie notas quasdam animorum indices explicauit, non magis, quàm in Cælo stellas, quæ dum extimam parui mundi superficiem interstinguunt, & ornant, simul etiam abditarum notitia rerum in diuinitatis penetralia, quæ in homine per animum sunt, mirè deducunt; ità quoque vt benè dixerint illi, cæleste quoddam theatrum, & scenam in cuiusq. hominis vultu esse explicatam, qua spectata quidquid intra proscenium latet, statim appareat.

——— in vultus dolor
Processit omnis

de Dianira apud Senecam Nutrix; quæ etiam subdit

Nec vnus habitus durat, aut vno furit
Contenta vultu: nunc inardescunt genæ
Pallor ruborem pellit, & formas dolor
Errat per omnes.

Quippe quæ in pectoribus animi affectiones debacchantur, velut in scenam productas Physiognomi ingeniosè diuinant; & ne mutos in hanc scenam videar actores produxisse, Chorum refero de eadem Dianira hæc habentem

——— licet ipsa neges
Vultus loquitur quodcunque negas.

Nec desunt Physiognomo viro aliæ adimplendæ partes ad occultas animorum dotes, aut ægritudines indagandas, viam nimirum Soli ad coniectationem per manus aperiendo, quarum inspector Chiromanticus appellatur; & sicut inter docta fœminarum deliramenta, quibus sapere Satyrã suam docuit Iuuen. Sat. 6. illud eruditę genus illecebrę nõ omittit, quod Chiromãtes attingit.

Sor-

——— sortem ducet, frontemque, manumque
Præbebit vati.

Ità mortalibus tam altè insita est à natura sciendi cupiditas; tamque effrenatè specie diuinitatis in diuinationem ferimur omnes, vt intolerabili opinionis errore, veritatem vix intelligentia perceptibilem, ac semper lubricam, manibus tenere nos, arctèque constringere somniemus; ac propterea etiam è manibus doctrinam haurire tamquam à libro, illasque identidem intueri areolis tumescentes, notis inscriptas, lineis exaratas planetarum caracteribus, & potestatibus designatas, vt sit quodanmodo fatorum interpres fatagit Physiognomus, cum tamen cæco hoc lumine ductus semper caliget; dicitur namq. Chiromantia Physiognomiæ pars, & scientia quædam, qua ex sensibilibus manuũ signis hominis fortunam, propensiones eius varias, naturalesque affectiones cognoscere possumus. Putantq. Chiromantes quod sicut Sapientissimus huius vniuersitatis molitor Deus, volucribus, cæterisq. animantibus nescio quas præsensiones indidit, quibus aeris seditiones, temporum iniurias, cæli grauitatem, ac serenitatem, & sibi præuideant, & alijs certo temporis motu prædicant; ita quoque hominem decuisse, animal admirandum, vel vt loquitur Zoroaster, naturæ miraculum confidentissimæ, imminentia sibi vel commodum, vel discrimina persentiscere, atque in manuum caracteribus ipsis oculis quodammodo contemplari; eaq. de causa lineas in ijsdem manibus numero multiplices, sectionibus varias, figura diuersas, ordine dissipatas non tam à naturæ prouidentis ingenio, quàm a Dei futura docentis imperio fuisse exaratas; easdemque vires, quibus cælum ad mortalium, vel felicitatem, vel perniciẽ Deus, & natura ditarunt, etiam in hominum manus fuisse translatas, vt ex cæli manusque admirabili consensione facultas demum diuinatrix erumperet; At debet quidem Physiognomus hominum manus tamquam exquisitum diuinæ mentis artificium exosculari, atque admirari; non inde tamen easdem diuinatione, atque adeo diuinitate donare; cum & linea, quæ vitalis dicitur, & illa quæ mensalis, aut Saturnina cum cingulo etiam Veneris alijsque sororibus lineis non nisi insipientissimæ artis vaticinationes absoluant; Idque præ cæteris ad lubricam Chiromantum fidem ob oculos collocandam Physiognomo, attigisse, sufficiat, quod in areolis, siuè regionibus Planetarum in manibus designandis tam variæ sunt, tam discrepantesque distinctæque sententiæ, vt in tanta varietate, veritas, quæ vna est, vix queat consistere.

Quod si audiat Physiognomus Aristotelem Chiromantum artem suo commendasse suffragio, eam credat esse, quam purè physicam dicunt Physiognomices cognatam; non sideralem, atque Astrologiæ peccatis obnoxiam; meritò namque eam Chiromantiam videtur plures doctissimi viri cum Aristotele commendare, quæ bonæ, ac malæ valetudinis index est in corpore; quæque humanorum cõstitutionem corporum præsertim linearum longitudine, atque profunditate metitur; atque longo vsu animaduersum est, lineas in plures ductus confractas, decurtatas, incisas, aliarum linearum interuentu diuulsas, exiles

velut

velut in furculos, & ramulos protractas imbecillitatem corporis præseferre, & vitæ breuitatem, omniaque infirma, & instabilia; sicut contrà incisuras per totam manum pertingentes vitæ robur, & longitudinem; cuius rei causam rectè Aristoteles in ipsius corporis fabricam refert; eo nimirum, quod abruptæ concisæ, ac tenues lineæ, non solidum, non benè duratum, atq; coagmentatum, sed molle, enerue, languidum, incompactum, & mutationi expositum corpus arguant; integræ contra, & eminentes robustum, compactum, & firmum vnde valetudo omnis, vitæque longitudo procedit; intendit enim natura formationem corporis absoluti, ad quam perfectionem, & harum ipsarum linearum requiritur integritas; quod si aut materiæ, aut virtutis formatricis vitio non præstat natura, neque quod intendit assequitur in minutis linearum vestigijs; multò minus grandiorum partium absoluit institutam fabricam: hinc imbecillioribus plerumque in plures, minutiores, & obtusiores, ceù plicas corrugatur cutis, quas si viguisset vis formatrix, erugasset, atque extendisset.

Cæterùm docet, & hoc experientia certas lineas certis congruere principalibus in corpore membris, deque eorum constitutione, temperie virtute, & affectionibus robore, vel imbecillitate, atque ad morbos aptitudine argumenta continere non leuia; alia siquidem cerebri, alia cordis, Epatis alia naturam refert, atque exprimit; huiusque consensionis, ac fœderis ea causa dicitur, quod venarum, arteriarum, & neruorum propagines, quarum ex principibus tribus membris origo, variè in summam cutem explicantur; vnde & deferunt eò ex fontibus haustam, atque acceptam vim, & ibidem constitutiones, affectionesq; eorumdem promunt potius, quàm alibi. Reliqua igitur, quæ vltrà corporis complessionem, & naturæ dispositionem meditari ex lineis Chiromantes assolent, figmenta sunt, atque errata palmaria; quod in Zopyri iudicio de Socrate satis comprobatum est; Neque Physiognomo fidem facere debet, quod Appion Gramaticus scriptum reliquit, Alexandrum quemdam tam discretè imaginum similitudines pinxisse, vt ex his Physiognomus mores ipsos, fortunæ animique affectus prædicere valuerit, ipsos quoque futuræ, aut præteritæ mortis annos; id namq; ea arte sciri posse non tam incredibile est, quam impossibile.

Ita quoque licet ad eruendam animorum notitiam opportunum quodammodo viro Physiognomo sit (quemadmodum obseruauit Clemens Alex. lib. 2. Pædag.) etiam vocis, & sermonis in homine aduersio; tamen neque inde intimos cordis adire, aut ad vnguem perscrutari recessus permissum est; inconditus siquidem sermo, vocisque clamor, qui ex caracteribus Theophrasti hominem arguit plerumque rusticum, iracundum, & superbum, etiam quandoq; cum moribus ab eiusmodi criminibus dissentientibus solet cohærere; vocisq; & sermonis magnitudinem Heroibus à Poeta Græcorum maximo adscribi solitam testatur eruditissimus Scholiastes Spondanus ad lib. 8. Iliad. siue enim id Pulmonis viribus fiat, siue caloris exuberantia contingat, granditatem in voce, ac sermone, pecuIiarem generosæ naturæ notam Aristoteles interpretatur; atque apud Homerum Iuno celsissimum Numen Troianis

irata quod vincerent; dum ad integrandum ferocius prælium Græcos adhortatur, fertur magna voce, atque graui sermone loquuta; qua ratione etiam Tullius lib. 3. de Oratore, vocem in oratore ipso, quem semper magna decent, condemnat mollem, sermonemque muliebrem; cui rei subscribens etiam Tibullus lib. 2. eleg. 2. seniculum notans amoribus delirantem, etiam tremulam in ipso vocem redarguit.

Vidi ego, qui Iuuenum miseros lusisset amores
Post Veneris vinclis subdere colla senem
Vt sibi blanditias tremula componere voce
Et manibus canas fingere velle comas.

Eaque propter sermonem seu hominis orationem velut animi Idolum esse à Physiognomo spectandum, monet Solon, & etiam Democritus; quin subdit etiam Seneca epist. 114. talem hominum censendam esse vitam, qualis esset eorum sermo; neq; ignotum est illud Socratis effatum (loquere vt te videam) in domestico enim animi principatu, cum mens velut diuina hominis pars in solio collocetur, sermonis dicitur beneficio indigere, vt cordis intima ad oras deriuet extimas; & sicut sono licet fideliam explorare (vt notat Persius Sat. 3.) ità quoque ex hominis sermone licebit Physiognomo de ipsius hominis mente conijcere.

— Sonat vitium percussa malignè
Respondet viridi non cocta fidelia limo.

At non solum sermo, & oratio hominum mores plerumq; proferunt Physiognomo, animique quodammodo etiam pandunt secreta; sed etiam corporis cultus, ornatus, & incessus; animæ enim pulchritudo quæ post corporis scenam latet, mortalium oculis vsurpari non potest, nisi extimam saltē illius imaginem in vario corporis instructu, vel incessu contemplentur; atque adeo in dispari harum neglectu, aut æstimatione dispares quoque homines apparere omnibus ferè compertum est. Vlysses seminudus mentem magnorum operum molitricem, atque Troianorum excidio fatalem ostendit, ità maximus Tyrius Platonicorum Scriptor venustissimus ad varias explicandas animi dotes Diogeni peram, Socrati baculum, Aristippo purpuram, & vnguenta, Xenophonti thoracem adscripsit, vt sub dispari cultu varium quoque animi indumentum, quod virtus, aut vitium intexeret, innotesceret; eo prorsus modo quo à phaleris accuratè compositis, à frænis optimè cælatis, ab Ephippis studiosè distinctis, atq; splendentibus licet sæpè equi pretium haurire; At cum penè innumera sint hæc extima indicia, quibus ad animum hominis coniectandum ferri potest Physiognomus, reliqua omitto, ne à breui, vt mei moris est rerum excursu recedam.

LEX



LEX X.

AD

HOMINEM PHYSIOLOGVM.



SI quæ habet natura rerum vera, firma, atque perſpicua ſapientiæ Dei conditoris argumenta, inter ea profectò præcipuum ſibi vendicant locum illa, quæ abſolutiſſimum eiuſdem naturæ opificium tam varijs, atque diſtinctis rerum formis veluti ornantibus cælaturis elaboratum ſenſibus obtrudunt noſtris; quis enim non admiretur in auguſtiſſimo Naturæ theatro omnia nobis ſuppetere ad ſtuporem, eorumque in quibus verſamur votis, bona nobis ita cumulari, vt nullum inane ſuperſit habendi, aut cognoſcendi deſiderium; Primùmque ſi Phyſiologi, cuius officium eſt naturæ admiranda ſcrutari, in prima rerum naturalium principia feratur obtutus, occurrẽtibus primo loco materia, & forma velut primò erectis totius naturæ cardinibus, diſpiciet res naturales vniuerſas ex ipſa materia primo ſubiecto progigni, varijſq; deinde formis expoliri, & ornari; Inde elementa poſt materiam aliarum rerum primordia ità conijciet inſtructa ab eadem natura in eorum exortu, vt in aciem dicãtur educta ad ſibi quærendam imperij amplitudinem, eo tantum intuitu paribus vtrinq; armis iugiter congredientia, aliò ſiquidem non reſpiciunt immanes illi fluctus, iactationeſq; aquarum, quibus vel ipſe Oceanus ſuis propè ſedibus conuellitur, impetu adeò horribili excitatæ, niſi vt valido ventorum exercitu terra ipſa occupatæ ſuæ ditionis, ac ſedis vindex, expellat è loco; Aliò non collimant illæ nubium immenſitates, quæ aeris arcem vndique obſidentes, ipſum craſſiore mole videntur opprimere, niſi vt coactis aquarum copijs, quæ fallacem vaporum ſuſcipiunt perſonàm, ſimulata quadam affinitate aeris regnum, & arcem occupare contendant; Eò tantum detonant horribiles, ac ſtrepentes tonitruum fremitus quibus plerumque ipſa mundi quatitur machina, vt ignis innata elatione furens, dum aquarum exhorreſcit imperium, ſic irruentium agmini reſiſteńs, earumque impetum frangens quaſſatis nubibus periculum obſidionis euadat; vnde ſcitè de elementis alijſque rebus in natura pugnantibus cecinit Lucretius in lib. 1.

— *inimica modis multis sunt, atque venena*
Ipsa sibi inter se, quare aut congressa peribunt
Aut ita diffugient, vt tempestate coorta
Fulmina diffugere, aut ventos imbresque videmus.

Hæcque omnia Physiologus debet naturæ prudentiæ, atque supremi militoris prouidentiæ adscribere, quæ hostiles vbique instruentes acies, rerumque aduersantium pugnas, & certamina concitantes, eo artificio effecere, vt tot varia in omnem partem disiecta gignerentur ad mundi ornatum, & pulchritudinem; bellumque ipsum foret in natura (vt Lucianus aduertit) rerum omnium parens, docente ad rem Heraclito Philosopho præstantissimo, nihil gigni posse in natura, si omnia affinitatis coniunctione deuincirentur; nullamque sanè harmoniam rerum vniuersitas sibi occineret ad ornatum si contraria contrarijs carerent, atque amico fœdere inuicem demulcerentur; sicut etiam nullo aquirendi studio hominum consuetudo, atque societas excitaretur, si omnia vbique gentium pariter abundarent; & nulla prorsus esset Regionum spectanda, aut admiranda varietas, si omnibus omnia locis enascerentur; quam sapientissimam naturæ dispositionem, rerumque varietatem ex qua suauior concentus assurgeret perappositè innuens Virgilius hæc ad Physiologos scribit in lib. 1. Georg.

Hic segetes illic crescunt felicius vuæ
Arborei fœtus alibi, atque iniussa virescunt
Gramina: nonne vides croceos vt Tmolus odores
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi
At Chalybes nudi ferrum, virosaque pontus
Castorea, Eliadum palmas Epirus equarum
Continuò has leges, æternaque fœdera certis
Imposuit Natura locis.

At præclarum hoc naturæ opus, totiusque mundi sistema non ità fabrefactum debet Physiologus putare, vt primæ causæ, primoq; opifici fuerit coæternum, hoc enim damnat Creationis historia, quæ testatur Deum ex nulla præcedente, vel vt ita dicamus, præexistente materia rudi, & informi distinctas simplicium corporum species finxisse, sed ipsa quoque principia quæ prima dicuntur vna cum ipsis corporibus condidisse; qua propter ne dum Physiologo cogitandum est vnum omnium principium, & causa, quæ sit Deus; sed etiam vnum omnium rerum initium, quæ in natura cernuntur; ideoq; optimo Physiologo maximè cauendum est ab illa veterum doctrina, in qua dicebatur principia rerum, vel vnum, vel plura esse; vel partim vnum, vel partim plura; vnum, vel infinitum, vel finitum, vel nec infinitum, nec finitum. Infinitum vel mobile, vt Anaximandro, vel immobile, vt Melisso; Finitum itidem vel mobile, vel immobile; Mobile Heraclito, Thaleti Milesio, Diogeni, Hesiodo, Anaximandro, Zenoni, & alijs. Heraclito principium omnium erat ignis, Thaleti Aqua, Diogeni Aer, Hesiodo Terra, Anaximandro Vapor,

Zenoni quoque ignis. Immobile omnium principium fuit Parmenidi, sed adhuc cæteris qualitatibus ignotum. Tria Platoni principia fuere, magnum, paruum, & vnum, seu Deus, Idea, & materia. Quatuor Empedocli Ignis, Aqua, Terra, & Aer, in quibus lis esset, & amicitia. Decem contraria Pythagoræ, nimirum, finitum, & infinitum, par, & impar, vnum, & multitudo, dextrum, & sinistrum, mas, & fœmina, quiescens, & quod se mouet, rectum, & obliquum, lumen, & tenebræ, bonum, & malum, quadratum & altera parte longius. Infinita denique fuere principia eadem genere, sed specie, & figura distincta, Democrito, Leucippo, & Epicuro, qui innumeras statuere Atomos, & immensum inane; vel genere distincta, vt Anaxagoræ, qui infinita fecit corpora in Chao confusa. Hæc fuere antiquorum Physiologorum principia, quæ tamen nostro Physiologo ita accipienda sunt, vt potius mentem, quàm eorum verba sectetur, quemadmodum aduertit optimè Franciscus Piccolomineus; si enim ex verbis eorum Physiologia iudicanda esset, ipsi quoque potius celebres insani, quam celebres Sapientes essent iudicandi; propterea Physiologum latere non debet, hunc fuisse Veterum philosophandi modum, nonnulla extrinsecus, & præter communem opinionem proferre, quæ intus insignia includerent mysteria, vt nimirum & vulgarium aures illuderent, & admirationem in animis ingeniosis excitarent, & denique Sapientiæ Mysteria tanquam arcana Dei puriora seruarentur, atque ab inanibus vulgi opinionibus, Sophistarumque garrulitate secernerent; cuius rei varia maximorum virorum de antiquis illis Physiologis accedunt testimonia; nimirum Hippocratis, qui Democritum in quadam Epistola præstantissimum vocat naturæ, & mundi interpretem; cuius etiam Plinius Sapientiam dicit fuisse miraculi plenam, cum illam hauserit non intra patrios penates, sed ex Ægyptis, Chaldæis, Indis, & Græcis, exilijs verius quam peregrinationibus susceptis (vt Plinius loquitur) Platonis quoque, qui de Parmenide ait in Theæteto fuisse Senem profundæ, atque generosæ Sapientiæ possessorem; Ciceronis, qui Platonem virum Sapientissimum, atque suorum temporum eruditissimum nominat; Ouidij, qui de Pythagora hæc canit lib. 15. Met.

Vir fuit hic ortu Samius, sed fugerat vnà
Et Samon, & Dominos, odioque tyrannidis exul
Sponte erat. isque licet cæli regione remotus
Mente Deos adijt, & quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis, & pectoris hausit.

De Hesiodo, Thalete, Diogene cæterisq; pluribus antiquis Physiologis absq; labore adduci valerēt testimonia eadem, sed non absq; tædio; qui omnes quoquomodo ex Physiologia commendantur; & licet exagitetur à quamplurimis Democritus præsertim ob Atomorū doctrinam, hæc tamē doctrina apud alios veteres, præsertim apud Mochū Phœnicium, Leucippum, Melissū, & Epicurum non tam putida visa est, quam esse videtur aliquibus recentioribus; licet quidā

etiam ex ijs ingeniosè satis nunc temporis sustineant, exempla doctrinæ proferentes in fumo, qui cum in aerem ità dispergitur, vt inconspicuus euadat, abit in Atomos; in puluere, qui cum excutitur, atomorum induit speciem; in calce deniq; farina, cepis, & raphanis, quæ omnia dicuntur innumeras atomorum myriades continere. Illi quoque Physiologi qui ridiculi, inepti, aut insani habiti sunt, quod nunc vnum tantum fecerint omnium rerum naturalium principium, nunc duo, nunc plura, nunc infinita, nec fortasse ita facilè irridendi sunt; vel vt omnimodè aberrantes à verò redarguendi; cum enim doceat Picolomineus infinitas numero esse rerum species, vel saltem infinita earum indiuidua, sequitur infinita quoque esse admittenda principia, seù eorum causas effectrices, qui verò duo, aut plura fecere principia ad materiam, formam, Deum, aut aliud quid respexere; tutissimè enim duo statuuntur principia, materia, scilicet, & forma, si ad internas respiciat Physiologus causas; sat tutò etiam tria ponuntur, si externa causa à qua, & ad quam omnia adiungatur; Vnum denique potest tantummodo cogitari principium, si intelligatur principium sine principio, causa sine causa, finis sine fine, maximum sine quantitate, optimum sine qualitate, perpetuum sine tempore, immensum sine loco, immobile sine statu, velox sine motu, totum sine partibus, opifex sine labore, dies sine nocte.

Cui præteritum non abit, aut subit futurum
Ante omnia, post omnia, totus, vnus, ipse.

Ita tamen hæc omnia cogitet Physiologus, vt omnium principiorum, omniumque causarum turba, ab vna eademque principe causa, ac primo principio pendeat, atq; originem ducat in tempore; quemadmodum quosdam omninò naturales effectus, qualitates, & formas à varia alteratione seù præparatione materiæ discrimen sui sortiri, addito diuersi cæli afflatu, cuius diuersa vires in natura procreandæ maximoperè dicuntur immutari; vna tamen excepta ipsius hominis anima, quam aut mortalem, & corruptibilem esse, aut è materiæ potentia fluxisse asserere prorsus nefas est; neque enim hominis animam vna corpori esse interituram cum Democrito, & Epicuro censendum est; at neque cum Pythagora, & Platone putandum ita immortalem esse, vt statim à corpore egressa, ad sui generis naturam iterum euolet; fuere siquidem in hac re non pauci Physiologorum errores, præsertim apud Stoicos, qui docuere Animam corpus relicturam nullis sublimatam virtutibus velut infirmam cum ipso corpore emori, heroicis verò formatam virtutibus ad subilimiores sedes euadere; & apud Pythagoræos, qui ad adstruendam animæ immortalitatem perpetuam quandam animarum transmigrationem de corpore ad corpus excogitarunt; ita etiam vt rationales animæ ad corpora rationis expertia, & ad plantas vsque per temporum quasdam periodos transmearent, de qua Pythagorica trasmigratione sic fertur Ouidij testimonium in lib. Met.

Morte carent animæ semperque priore relicta
Sede nouis domibus viuunt, habitantque receptæ.

Ipse

Ipse ego iam memini Troiani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in aduerso grauis hasta minacis Atudæ
Cognoui Clypeum leuæ gestamina nostræ
Nuper Abanthæis templo Iunonis in Argis.

Inter quas tamen errorum tenebras debet veritas illa Physiológo affulgere, qua docemur esse in vnoquoque singulari homine singularem animam rationalem, & incorpoream, quæ à Deo creetur atque in corpus infundatur, vt in ipso tamquam informans, & non simpliciter assistens; & post corporis mortem ipsa superstes sit, atque immortalis; quæ etiam prout se in corpore gesserit, aut felix futura admittatur in cælum, aut infelix detrudatur ad inferos; Reliqua quæ nobis obtruduntur ab antiquis commenta censenda sunt; eaq; appellat Aristoteles ipse, aut fabulas Pythagoricas, aut delirantium somnia; sicut etiam fabulæ sunt, & commenta, quod anima antequam in corpus velut in barathrum tenebrosum immergatur, lethæum quoddam poculum ebibat, cuius virtute anteactæ ætatis, rerumque in ipsa gestarum omninò obliuiscatur; Illa quoque figmenta sunt, quæ de animabus à corpore egredientibus circumferuntur, nimirum eas manere circa corpora, & circa sepulchra, atque inde prouocatos responsa dare, vnde etiam consuetudo illa consulendi manes orta est; Plutarchus siquidem Coraci Nascio quosdam manes de animæ immortalitate consulenti, id renunciatum memorat ab iisdem,

Non homini Sanctum est animæ cognoscere mortem

Et Lacedemonijs manes Pausaniæ placaturis ex iussu oraculi, quem in templo Palladis fame necarant, eius simulachrum per manium euocatorem allectum conspiciendum se exhibuit. Sed hæc & eiusmodi plura, cum fuerint Diaboli colludentis inuenta ad homines decipiendos, sintque extra naturæ ordinem, ad Physiologum nequaquam spectare dicuntur.

Reliquum est Physiologo cæteras Physicarum causarum actiones, & affectus inuestigare, vt inde magis intimos rimetur naturæ recessus, abditioresque scrutetur fibras; cum enim tanta sit in materia elementari fluxibilitas, atq; instabilitas motus, cum tot sint causæ aduersantium agentium conatibus irritatæ; tot motuum, atque mutationum in loco, & tempore vicissitudines; tot qualitatum mixtiones, similitudines, atque dissimilitudines; tot denique cælo vsq; delabentes ad terrestria commouenda influxus; non rectè munus obiret suum Physiologus, si hæc omnia accuratissima opera non perpenderet; & quo magis multiplicia sunt, passimque in natura occurrentia, eo maius studium ipsi Physiologo impendendum est ad cuncta naturæ opera dignoscenda, quæ nobis hic enarrare grauissimum esset, atque à more nostro alienum.



LEX XI

AD

HOMINEM METEOROLOGVM.



ETEORA, ex quorum notitia, atque disquisitione Meteorologus homo nominatur, quædam corpora imperfectè commixta nata in sublimi ex vaporibus, vel exhalationibus, astrorum vi, & calore eductis, atque eleuatis, quæ modo igneam modo aeream, modo verò aqueam commutantur in substantiam; eorum enim omnium, quæ è terra aquisque euaporantia, aut rarefacta, & extenuata calore, aut frigore condensata sursum quoquo modo efferuntur, vt rursus ad ima relabantur, siue vapores sint, siuè exhalationes, Aer, qui terram, & aquas ambitu suo complectitur, receptaculum est; huncque aerem licet videatur Aristoteles sic distinguere in lib. 1. Meteor. vt duæ ipsius partes fiant, vna depressior, & terræ vicinior, altera elatior, vtpotè in qua ob desitionem vigoris radiorum solarium vapor, tum cogatur in nubem, tum concrescat in pluuiam; solet nihilominus aer à Meteorologis in tres distingui regiones, infimam nempè, quæ nunc calida, nunc frigida sit, prout radij Solis, aut directiores, vt æstati contingit, aut obliquiores, vt hyeme sunt; Mediam, quæ semper frigida sit, tum ob reflexionis radiorum Solarium imbecillitatem, tum ob ignis supernè extatis distantiam; Supremam denique quæ sit continenter calida, & accensa propter vicinam ipsius ignis; atque regiones eiusmodi ità distinctæ vnam dicuntur integram occupare regionem, quæ sita est inter Lunæ orbem, & aquæ, & terræ superficiem, supra quam tamen etiam quandoque Cometarum Meteora errare dicuntur, vt sæpius obseruatum est.

At cum effluxiones, quæ ex terra, & aqua excernuntur, exspirantur, atque effunduntur per totam aeris regionem, sint duplicis generis exhalationes, quarum altera sit sicca, vtpotè præualentem continens siccitatem, altera humida ea exuberante humiditate, & vtraq; promiscuè, & sine discretione sæpè ascendere soleat, Id Meteorologo aduertendum est, quod licet Aristoteles 7. Meteor. cap. 49. & 2. cap. 4. habeat passim calorem Solis pro causa primaria ex-

cer-

cernēte exhalationes, agnoſcit tamen alicubi cōtineri in terra copioſum ignē, & copioſum calorem; atq; exinde fieri, vt non modo Sol ſuperficie tenus humorem educat, ſed maximè etiam ignis, caloruè ſubterraneus ſuos creet halitus, eoſque ab vſque terrenis viſceribus ſurſum emittat; experientia ſiquidem notiſſimum eſt terram nedum calore ſolari internè foueri; ſed etiam calore ſubterraneo ipſi terræ congeneo; quod ſatis euincunt tot ignes varijs è terra eructantes locis, atque aquarum thermalium, atque ebullientium ſcaturigines; quemadmodum etiam halitus ille, & vapores è fundo maris ictu oculi erumpentes, qui cælum è nautarum oculis eripientes, momentò in aerem effuſi tempeſtates, ac procellas creant; ex quibus perſpicuum fit alium quam ſolarem calorem infra maris fundum vigere, quo vis illa tanta halituum excernatur, ſurſumque propellatur; neq; ſolo Solis calore Meteoris originem fieri, quod videtur etiam innuere Lucretius naturæ ſcrutator lib. 6.

Præterea fluuijs ex omnibus & ſimul ipſa
Surgere de terra nebulas, æſtumque videmus
Quæ velut halitus hinc ità ſurſum expreſſa feruntur
Suffunduntque ſua cælum caligine & altas
Sufficiunt nubes paulatim conueniendo.

Vtcunque ſit de hoc ſubterraneo, terræque congeneo calore ſurſum halitus, atque exhalationes propellente, apud Meteorologum certiſſimum eſſe debet Meteora omnia; nedum frigore, & calore velut qualitatibus internè componentibus ipſa fieri meteora, quo pacto etiam humiditate, & ſiccitate permixta, aut ſecreta coaleſcunt; ſed etiam iiſdem velut cauſis interuenientibus efformari; omnia enim quæ in aere efformantur corpora imperfectè mixta, aut calore accendente, & rarefaciente gignuntur, aut frigore addenſante, & congelante ...

Et ſi à Nubis natura, qua nihil faciliùs in aere gignitur viſiturque frequentiùs, ſuas ordiatur Meteorologus diſquiſitiones, tres tantum apud veteres Philoſophos inueniet modos, quibus dicitur nubes ingenerari; vel enim cum Anaximene omnia ex aere facta aſſerente affirmabit nubem nil aliud eſſe, quam ipſius aeris incraſſamentum, vt vult Epicurus, vel ſpiſſitudinē aeris craſſi, vt vult Seneca, vel ipſam aeris alio quodam modo cōcretionem, vt volunt alij; aut dicet cū alijs Nubem concurſum quemdam atomorū eſse qui ex halitibus aqueis, & terreſtribus congredientes, ſurſumque rapti molem quamdam in aere cælum obnubilantem efformant, earum concretione præcedente; Aut denique cùm Ariſtotele non inficiabitur fieri nubes per effluxiones, ſeù per halitus quoſdam è terra, & aqua emergentes, ſiue id contingat per traſmutationem vaporis in aerem, vt ex aere fiat Nubes, & ex nube pluuia, ſiue per ipſos immediatè vapores, eductos ex aqua, qui ſurſum elati excedente illo quo trahuntur calore concreſcant primo in nubeculas, ſeù caligines quaſdam, poſtmodum denſiores fiant, nubeſque factæ abeant in pluuiam; diſpiciuntur enim halitus illi, ſeu vapores, dum ex terra, & aqua prodeunt, eſse prorſus inuiſibi-

les,

les, postmodum in aere medio visibiles fiunt; cuius rei causa calor esse non potest, cuius vi halitus illi, qui prius erant tenues subtiles, & inconferti, sursum emergentes incrassescant; eos cælesti addensante calore, vt innuit Lucretius.

Vrget enim quoque signiferi super ætheris æstus
Et quasi densando subtexit cærula nimbis.

Nisi enim explicetur de antiperistasi, qua regio Nubium frigescit, ea esse germana causa non videtur; quando alioquin calor ex se attenuat potius, quam addensat, ipsumque præsertim humorem discutit; quare videntur potius vapores in nubes concrescere, quod deficiente eo calore, ac impetu quo vrgebantur, ob grauitatem propriam subsidant, atque occurrentibus alijs frigidis vaporibus ipsis commisceantur, & eorum frigore condensentur: quanam autem vi Nubes sustententur in aere cum sint ipso ponderosiores, non est adhuc satis notum, cum id contingere aliqui affirment, quod contineant adhuc aliquid caloris attrahentis, & sustollentis; dicant verò alij ex motu prouenire, semper aliquo vento licet imperceptibili nubes compellente; sunt enim nubes in aere ad instar plumarum, quæ facilè mobiles sunt, vt oculis ipsis patet.

Itidem de pluuia, ob cuius generationes dicuntur Nubes à natura institutæ, sapiens Meteorologus debet aduertere, duobus tantum modis vi Meteorologica formari, aut è nubibus emitti posse, compressione, scilicet, atque transmutatione; per compressionem, seu expressionē quandam dicitur pluuia è nubibus emitti, cū aqua per minutissimas particulas in ipsis dispersa nubibus, ijsq; velut spongiæ loculis discreta, aut ventis compellentibus, aut frigiditate regionis vrgente à nubibus ipsis vi quadam exilit, atque deorsum cadit, licet intelligant alij compressionem, quę fiat ex iugi appulsu siue compulsu mutuo plurium pluriumq; particularū, seu guttularū insensibiliū, quę tandem euadant in grandiusculas, & ob maiorē sui granditatē facilè deciduas, vt exemplū est in vulgaribus destillatorijs in quibus non statim vapore fornicem vasis contingente, guttæ creantur, quę defluant, sed necesse est vapor continenter ascendat, & inde particulæ humoris priùs insensibilis, sensibiles paulatim factæ, & grauitantes paulatim allabantur. Transmutatione quoque dicitur pluuiam creari, & emitti, quatenus ex aere primum efficitur nubes, deinde ea nubis natura fit, vt abscedente calore, & succedente frigore in aquæ naturam vertatur; quæ sententia esse videtur Aristotelis, qui dum inter se transmutari elementa vult, & dari ex hoc circulum generationum in ipsis, docet etiam in aeris elemento formam substantialem perire, vt substantialis aquæ forma in eius locum subeat. An verò pluuiæ quædam prodigiosæ ad naturalia spectent meteora, quales illæ de quibus ait Lucretius.

Humor item quondam cæpit superare coortus
Vt fama est hominum, multas quando obruit vrbes
Tantum suppeditant amnes, vltròque minantur
Omnia diluuiare ex alto gurgite ponti.

Aut

Aut quales illæ, inter quas aliquando pluuisse vitulos memorant quidam scriptum ab Auicenna; aut illas cum quibus ranas, carnes, aliaque eiusmodi animalia è cælo decidisse dicunt, prorsus incertum est; quin & pleraq; omnino fabulosa existimanda sunt; licet sibi suadeant non pauci L. Volumnio, & Seruio Sulpitio Consulibus veras carnes perpluisse, cum tamen de his scribens Plinius dicat eas carnes computrescere non potuisse, quas nullæ diripuissent aues; ad summum enim fingi potest carnes eiusmodi, sicut cætera animantia cũ pluuijs cadentia turbinibus aliunde fuisse abrepta, sursumq; elata, vnde recidiua forent; aut in hac re debet ita philosophari Meteorologus materiam quandam, posse quidem intra nubes ita cogi, non vt euadat vera caro, aut animal verum, sed fungosum quidpiam, & simile carni, vel animali; reliqua verò, quæ de pluuia lactea, & albescente, sanguinea, seù purpurea, lapidea, & argentea, quæ in varijs orbis plagis quandoque visæ sunt, aut ad causas quasdam naturales redigenda sunt, aut ad fabulas, & commenta.

Si verò de ventis ratiocinari velit Meteorologus, ipsorum originem referre tantummodo potest, vel ad terram, vel ad aquam, vel ad aerem; estque primæ opinionis præcipuus author Aristoteles, qui 2. Meteor. distinctis duobus exhalationum generibus, humidarum ex aqua, aridarum ex terra, vt impressiones, aqueas ex priori constare voluit, sic ex posteriori genere vẽtos; non quod vteruis halitus sit ab altero prorsus immunis, sed quod vt innuimus, contingat alterutrum prædominari; hincque est, cur concedens non semel ventos ex aquis, & nimbis gigni, contendit tamen id fieri ex eo, quod terreni halitus sint illis permixti, qui euocentur calore Solis, & cum in supremum aerem peruenerint, agitatione cæli circumagantur; atque idcirco huc illucq; aerem pulsantes distillant; docetq; proinde vt principium motus ventorum supernè est, ità originem eorum ad terram spectare; licet Theophrastus in hac re ex Olympiodoro eam tradiderit motus ventorum causam, quod halitus ille, ex quo efficitur ventus constet partim ex ignea, partim ex terrena substantia, & quà est igneus feratur sursum, qua terreus verò deorsum; idcirco volens contrarijs connitentibus viribus, ac neutra parte satis obtinente, fieri motum obliquum, seù transuersum. Secundum verò opinionem, qua venti referuntur ad aquam, tuetur præ cæteris apud Plutarchum Metrodorus, qui ventum definiuit aquosi anhelitus æstum; Tertia deniq; opinio videtur antiquissima, qua, scilicet, ventus omnis refertur ad aerem, dicitur namq; frequentissimè, semperq; dictum est, ventum nil aliud esse quam aerem agitatum, & concussum iuxta illud Lucretianum,

Ventus enim fit, vbi est agitando percitus aer

Impulso igitur agitatoque calidis, & siccioribus exhalationibus aere, ventorum exurgunt flatus, ac discrimina, quos debet Meteorologus sub genus aereorum meteororum collocare; ijque flatus dicuntur proprio cuiusq; exortu, & mundi cardinibus discrepare, à quibus incitantur, atque erumpunt, neque ijsdem flant temporibus, aut eadem irruunt vehementia, natura etiam singulorum variante; vnde satis apertè redarguuntur illi qui dixerunt omnes ventos vnu n esse ven-

tum,

tum, hoc est, eiusdem ex se naturæ, ac variari solum ob loca, per quæ eos flare contigerit; sunt enim poetarum nugæ, quibus dicuntur venti ex vno loco efflare, in quo tanquam in vase concluduntur; nec nisi fabulosè dicitur vnus ventorum Rex Eolus qui omnibus præficitur, qui non modo, vt ait Virgilius in 1. Æn.

Imperio premat ac vinclis, & carcere frenet
———— qui fœdere certo
Et premere, & laxas norit dare iussus habenas

Sed illos quoque vtre pro libito concludat; ipsique vtre soluto erumpant, quemadmodum dicebat Homerus 10. Odyss.

Vtrem soluerunt, venti omnes prosilierunt.

Cum itaque ventorum multiplicitas ex diuersa ipsorum naturâ, & etiam è varijs mundi plagis certissima sit; debet solummodo eorumdem incertus numerus esse cum alij quatuor tantum cardinales posuerint, Alij octo, alij decem, alij duodecim, quorum nomina petenda sunt ex libris Meteororum.

De fulmine, fulgure, & tonitru nulla potest esse Meteorologo difficultas; fulminis enim naturam igneam esse, neminem videas, qui diffiteatur, nam etiam qui fulmen semper putant lapidem esse, ipsum absque igne esse non contendunt.

—— quali natura prædita constent
Fulmina, declarant ictus, & inusta vapore
Signa.

Sicut etiam manifestum est numquam fulminare sine nubibus, ignisque fulminei materiam intra ipsas nubes semper concludi; quod enim Plinius scribit lib. 2. cap. 51. in Catilinianis prodigijs Pompeiano ex Municipio M. Herennium Decurionem sereno die fulmine ictum esse; & quod apud Horatium dicitur Diespiter plerumque per purum tonantes agere equos, volucremq; currum; id fide dignum ad summum est, si reliquo cælo admisso sereno admittatur simul fuisse nubes ad quandam horizontis partem, è qua fulminarit, aut tonuerit; vel toto cælo alioquin puro facta sit è terra eruptio cum igne, nec sine fragore. Quod verò ad fulgur attinet, id videtur sanè nihil esse aliud, quam lux emissa, atque per aerem diffusa à fulminis flamma; quod enim Plinius, & Seneca post Aristotelem ita explicant, vt fulgur ignis laxior sit, qui Nubem solummodo findat, & in aere euanescat, fulmen verò sit ignis compressior, qui nubem perrumpat, & plerumque in terram impingatur, licet verum esse possit quoad fulgores illos, qui aliquando sub vesperam sine tonitru promicant; tamen non semper est verum quoad fulgura, quæ cum tonitru, ac fulmine sunt; perrumpente siquidem nubem fulmine, perrumpit simul ipsum fulgur, vt experimento compertissimum est. Ad tonitru demum quod spectat id nihil aliud esse videtur, quam ictus, quo aer ab igne fulmineo rapidissimè, ac validissimè è suo glomere erumpente ità circumquàque mouetur, vt ad aures pertingens ipsas vehemente impetu percellat, soniq; ingentis speciem faciat; ac tantò magis, quantò propiùs erumpere fulmen contingit. Quæ verò super-

sunt

ſunt meteora nimirum Nix, Glacies, Grando, Ros, Pruina, & id genus alia, quia cognitu facilia ſunt, non adeò impenſam exigunt Meteorologi operam.

De Cometis, qui etiam crinita dicuntur ſidera operoſius ſtudium eſt, dicuntur enim eſſe Cometæ meteora quædam cuiuſdam mediæ inter ſidera, & hæc ſublunaria naturæ, quæ tùm à Græcis, tum à Latinis dici ſolent ſtellæ crinitæ ob quoddam velut capillitium, quo diſcernuntur à ſtellis exquiſitæ rotunditatis; fiuntque eiuſmodi comata ſidera ſiccis è terra aſpirationibus ad ſuperiores aeris partes raptis, mora, & continua eleuatæ materiæ ſucceſſione, atque adhæſione congeſtis, tandemque inflammatis; Et licet nunquam ferè emicuerint hæc crinita ſidera, quin infauſta quędam tulerint, quidam tamen euentuum obſeruatores etiã fauſta ex Cometa prædixere, inter quos præſertim fuit Vincentius Guiniſius in ſuis allocutionibus, vbi titulus eſt, Cometæ felicitas. Quapropter Meteorologus debet optimè loca in quibus emicant Cometæ, colores, & durationem perpendere, deinde Aſtronomiam conſulere, vt agnoſcat in qua cæli parte effulgeant, ſub quo octaui orbis ſidere; an propè commiſſuras abſidum, quas caudam, & caput Draconis vocant, vel an procul ab ijs; quorum ſiderum tamquã dominorum imperio ſubiaceant, in quas abeant partes, quà crines explicent, aut inclinent iubam; quo ſplendeãt colore, ſanguineo ne, vel rutilo; pallido, aut lucido; liuido, vel cinericio; deniq; an diù conſpiciẽdos ſe præbeant, vel modico tempore, atq; eiuſmodi cætera; quibus accuratè examinatis facilè ex recentibus, & antiquis hiſtorijs deprehendet Meteorologus incendia Cometarum nunquam ſine terrore ingenti illuxiſſe, nunquã ſine calamitatibus cõflagraſse; eo ſiquidem tempore, quo Græciam Xerſes decies centũ millibus hominũ intrauit, Cometes fulſit cornu figura, qui & ipſi cladem, quam ad Salaminem accepit cõſilio Temiſthoclis, ac turpem fugam, & internecionẽ reliquo exercitui, quem Mardonio commendarat, ad plateas portendit. Sic paulò ante initium belli Peloponneſiaci ingens Cometes poſt Solis occaſum enituit, & cõtinuos ſeptuaginta quinq; dies atſit; mox tãta ventorũ coorta vis eſt, vt fragmẽ à monte auulſum in ſublime abripuerit, quod vbi ad Vrbem Thraciæ Ægoſpotamos decidiſſet, è cælo præcipitatum fuiſſe creditũ eſt; non ità multò poſt bellum Peloponneſiacũ exarſit, quod totos viginti octo durauit annos, & toti Grçciæ exitiale fuit; Atq; in fine belli ad illum Thraciæ locum Athenienſes nauali pręlio victi à Lacedæmonijs Lyſandro duce cũ claſſe Imperiũ Grçcię amiſerũt. Sic ante cladem Athenienſium in Sicilia, quæ accidit Olympiade nonageſima ſecunda Euclea Athenis Prætore Cometa in Septemtrionali parte Cæli Sole circa hybernas verſante conuerſiones viſus eſt. Sic anno Vrbis Romę ſexcenteſimo ſeptimo arſit Cometes totos triginta duos dies, & Carthago mox à Scipione capta, & diruta eſt. Sic ante ciuile bellum Cæſaris, & Pompei aliquot conſpectos Cometas Plinius author eſt, & Lucanus, cuius noti ſunt verſus.

Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes
Ardentemque polum flammis, cæloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris minitantem bella Cometen.

F Si-

Sicut etiam post Cæsarem interfectum crebri itidem effulserunt, vt Virgilius testis est.

Non aliàs cælo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diù toties arsere Cometæ.

At nimis longum esset, Cometas omnes exitia portendentes enumerare, præferam illum anni quarti Olympiadis vigesimæprimæ Aristæo Athenis Prætore; Illum anni quarti Olympiadis centesimæ nonæ sub Lichomaco Athenis itidem Prætore; Illum anni primi Imperij Vespasiani; Illum anni Christi 1109. anno etiam 1314. Illos denique ætatis nostræ anno quingentesimo sexto, rursus trigesimo primo, secundo, tertio, octauo, aliosque plures quos recentiores commemorant Astrologi; siue enim veri fuerint Cometæ siue faces quomodocumque exardentes in cælo, nunquam innoxiè, & citrà cladem euanuere.



LEX



LEX XII.

AD HOMINEM THEOLOGVM.

FIDES, & ratio numquam fallentibus innixa principijs ea sunt (inquit Augustinus) quæ præsertim hominem Theologum faciunt; cum enim in Deum velut in obiectum fide, & ratione cognoscendum Theologia tota feratur, consequens inde erit per fidem, & rationem Dei substantiam, & perfectiones enucleantem Theologi nomen esse cuique obtinendum; ex his namque velut à fontibus eas trahit homo sciendi indagines, quibus ipsi perspectum sit, quomodo Deus ratione sui non possit esse nisi vnus, & trinus, ratione loci, nisi immensus, ratione temporis nisi æternus, & sic de reliquis; sicut etiam ratione eorum quæ intelligit, & potest intelligere dicitur omniscius, ratione eorum, quæ intellecta facere potest, omnipotens, ratione modi quo agendo, atque intelligendo omnia operatur, optimus, liberrimus, sapientissimus.

Non esse porrò Deum nisi vnum, quod est fidei, & rationis Theologicæ fundamentum inde facilè euincere potest homo Theologus, quod si Diuina multiplicaretur substantia, multiplexuè esset in multis indiuiduis, hoc ipsum in ea maximum imperfectionis argumentum foret; quippe indiuiduorum multitudo non reperitur, nisi in rebus, quæ sunt corruptioni obnoxiæ, quæque re ipsa intereunt, & partem sui quamdam, hoc est semen prius amittunt, vt fiat propagatio, genusque ipsum constare possit; Aliunde etiam indiuidua ob indigentiam multam multa sunt, societasque omnis ostendit, vt quod vni deest conferatur à cæteris; ac propterea tametsi omnia indiuidua æqualia esse dederimus; non potest non esse vnumquodque singulare imbecillum, vtpotè cui desit quidquid virium reperitur in cæteris, & tantò magis si illa fuerint innumera, aut infinita, quoniam quo plurium aggeries fit, eò excessus magis excrescit; Cum itaque communi notitiæ repugnet, vt vel in Deū cadat corruptio, in quem nec cadere potest corruptibilis generatio; vel

Deus vlla re indigeat, qui soli sufficientissimus est, debetque esse; vel imbecillitate laboret, cuius vi non possit vlla maior excogitari, vnus tantummodo sit, oportet, neque socios habeat, aut habere possit, quos enim habeat, Deus non sit. Quod etiam vel eo præsertim argumento confirmari potest quo Aristoteles adductus laudauit illud Homericum.

Haud benè præfuerint multi. Rex vnicus esto.

Mundus videlicet, qui sine aliqua vi regente esse non potest, moderatores non patitur plures, vt neque exercitus plures Imperatores; & cum dilucidè satis experimento constet supremam omnem potestatem esse consortis impatientem, docet aliunde ratio, omnem legitimum ordinem aut ab vno esse, aut ad vnum referri, consentientibus in id etiam omnibus sapientioribus viris apud Lactantium lib. 1. quorum ea de Deo effata circumferuntur.

Vnus qui solus Deus est

Vnus profectò verus est vnus Deus.

Et si qui Sapientes fuere qui plures posuere Deos, vt de Platonicis, & Plotino perhibetur, hi ministros solum Deorum intellexerunt, quorum tamen vnicus esset princeps, aliorumque author; Ità apud Aristotelem, & Peripateticos celebris est illa de vno primo motore, seù principio Deo argumentatio; apud Zenonem, & Stoicos solemne fuit ad vnum Iouem omnia referre; apud Ciceronem, Plutarchum, Varronem, D. Augustinum, aliosque magnos viros Dij, Deæque plures omnes in vno Ioue comprehensæ sunt, quemadmodum testes sunt Iustinus Martyr, & Macrobius, illud ex Orphæo afferentes.

Iupiter & Pluto, Phœbus, Dionysius, vnum est.

Quo ostenderent etiam Ethnici sub nominibus Deorum varijs vnicum Numen intellexisse, vnde fuit & illud ex Sorano decantatum.

Iupiter omnipotens Regum Rex ipse Deusque

Progenitor, genitrixque Deum, Deus vnus & omnes.

Neque obstat quod Epicurus Sapientissimus vir visus sit non posse intelligere quomodo summa beatitudo consistere posset cum solitudine maxima, causa enim fuit, quia Deum non habuit, vt Oceanum bonorum omnium inexhaustum, cum homines tamen habuerit, quasi riuulos, qui inarescant facilè nisi fluuio consocientur; ea propter enim homines solitudinem impatienter ferunt, quod bonis externis indigeant, sed Deus secus, qui habet in se quidquid bonorum expeti potest, ac est aliunde ipse sibi non instar duorum, non plurium, sed infinitorum, cum sit infinitus.

At non est satis homini Theologo summam Dei vnitatem agnoscere, palam fateri, atq; admirari, cum Theologi munus sit eiusdē Dei infinitatem, atq; immensitatē fide, & ratione tueri; si enim crederet, aut putaret Theologus Diuinā substātiā, aut in perfectione, aut in aptitudine ad locū limites quosdā habere, eo ipso deliriū Theologia pateretur, & Deus ipse imperfectus aspiceretur;

Si

Si quidē Deus quātumuis ingens foret, finibus tamen si aliquibus cōcluderetur, magnitudo illa diuina licet ingentissima pro nihilo haberetur infinitatis cōparatione; Infinita quoq; foret locorum varietas, in quibus agere nihil posset in quibus quid vel ageretur, vel non ageretur, nesciret; cohiberetur quasi vi quadam, nec vltra sese pretenderet, cum etsi vellet, non posset tamen; etsi hanc quidem necessitatem cum limitatione accepisset ab alio, eo casu non ipse accipiens, sed ipsam imponens necessitatem foret Deus; sin à se ipso, aut impotēs fuisset tamquam sibi dare non valens maius aliquid, aut ineptus, tamquam non dans id, quod per eum staret, quo minus haberet; & licet de Deo capere non potuerint aliqui quommodo actio vlla competat infinitæ substantię, quod omnis actio cum motu sit, & quod est infinitum moueri non possit; causa fuit, quia non cogitauere Deum, vt puram mentem, quæ agere posset immota, & cum vbique fuerit, possit vbiuis quidpiam moliri; ex quo etiam fit vt tametsi Deus dicatur esse vbique seù in omni loco, dicatur tamen magis propriè esse in seipso, cum illa veluti diffusio, qua omni loco præsens sit, sit tantum quidpiam consequens ad illam veluti diffusionem quam habet prius in se ipso; hinc laudari solent illa carmina

Dic vbi, tunc esset, cum præter eum nihil esset:
Tunc vbi nunc; in se; quoniam sibi sufficit ipse

Et cum locus nihil aliud videatur esse quam spatium, quod si occupatum quidem à corpore sit, dicatur plenum, si inoccupatum, dicatur inane, & Deus possit quidpiam moliri non modo in pleno, vt iam intrà mundum, sed etiam in vacuo, & inani, vt si alium mundum extra istum condat; aut post euacuatam intrà mundum regionem elementarem, terram denuò in illa creet, non apparet causa cur Deus in se ipso semper existēs non sit etiam in illis spatijs vltrà mundum, eorumque etiam ratione dicatur immensus, & infinitus.

Atq; cum ista improbanda non sint homini Theologo, sed firmissimè tenenda id etiam velut consequens fide, & ratione docendum erit. Deum immortalem esse, æternum, immutabilem, omniq; ortu interitu carētem; quo præsertim discrimen adsit inter Theologos, & Philosophos veteres philosophiam à fabulis, & Poetis mutuantes apud Homerum, Hesiodum, & Ennium, qui Deorum suorum natales, coniugia, progenies, imperia vsurpata, obitus & sepulturas prædicarunt; dicere enim Deum ab alio fore, atque ab alio dependere idem prorsus est, ac dicere illum alium, & non ipsum Deum esse; & cum neque à se ipso fieri possit, cum vt fieret deberet non fuisse, vt faceret deberet fuisse, quæ manifestè pugnantia sunt, concludendū est à se ipso semper fuisse, semper esse, semperq; futurum esse; Ex quo etiam fit vt ipse Deus sit sibi sua existendi necessitas, & quemadmodum iam necessariò est, ità necessariò semper fuerit, & necessariò semper futurus sit; ità etiam vt actus semper fuerit purus, multumq; fuerit tempus, in quo potestate solum fuerit, quasi non re ipsa existens, sed existere solum valens; & quatenus actu iam est, actuq; semper futurus est, neq; potestatē vllā in se habet, qua aliquādo actu non sit; Neq; id modo, sed & quæcūq;

perfectio in eo vnquam fuit, eà iam actu perseuerat, atque incessanter perseuerabit, & quæcumq; in eo vnquam erit, ea actu iam est, & numquam non fuit, & quæcumq; iam est, ea actu semper fuit, & actu semper erit; quapropter tum de diuina substantia, tum de quacumq; alia eius perfectione magis congrua, & appposita loquutio est, si dicatur est, quam si dicatur erit, aut fuit, idque ea potissimum ratione quod nihil nisi præsens admittat æternitas, quæ est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio iuxta id quod etiam agnouit Lucretius,

Omnis enim per se Diuum natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur.

Neque est quod diù hereat Theologus homo, vt Deum quoque intelligentem fide, & ratione cunctis exhibeat; & certè cum nomine Dei concipiant omnes aliquid eximium seù summè excellens, & inter omnes rerum gradus emineat gradus intelligentium, ecquis est, qui possit concipere Deum infrà eiuscemodi gradum collocatum? an non potiùs necesse est Deum intelligentem sic concipere, vt quantò illius substantia seù mens est omni alia purior, tantò perfectiùs intelligat; sicque cum nos multa offusi caligine nihil sincerè perspiciamus, sed gradatim vnum post aliud varia per varias consequutiones deducendo, cognoscamus; ipse intuitu simplici, nulla indigens ratiocinatione intelligat omninò. Ità sanè qui Deum fecere animam, siue mentem mundi, ideò ipsum singulis mundi partibus constituere præsentem, quod perniderint hac ratione non modo fouere Deum omnia concursu suo, sed omnia quoque cognoscere, ac proinde nihil eum latere, quod toto orbe fieret; præclarè animaduertentes quod si Deus non esset omniscius, ipse quoq; instar nostri quædam sciret, quædam nesciret, inquietus foret, & imperfectus, quod cogitare nefas est; nullo igitur esse coercendam limite Diuinam scientiam fateri debet Theologus homo, cumq; ipsa sicut Diuina substantia infinita sit, obiectum quoq; eius extrà omnem limitem constituendum esse, certissimum est; & vbi nos ob limitationem facultatis intelligentis multitudine rerum conturbamur, simulq; plura cognoscere, nisi confusè non possimus; Deus contrà ob virtutem intelligendi infinitam, atq; purissimam multitudine illa rerum infinita nunquam offenditur, sed clarissimè, ac perspectissimè cuncta sine labore intuetur.

Cæterum nec licere Theologum fas est, Deum, vt scientem, ita æquè potentem esse, nulliusq; obiecti discrimine, difficultate, aut impotentia, ipsum cogitari posse impotentem; nulla quippe res est, quæ eius potentiæ viribus non subsit, vt in actum aut in esse proferatur, si Deus velit; Cumq; omni potentiæ præcellat, atq; præpolleat ille qui omnipotens est, nihil etiam esse intelligendum est, quod eius virtuti non cedat, ac tantò magis quantò id est etiam apud Ethnicos catena illa Homerica intellectum, & adumbratum, qua omnia trahere, vincire posset, atque disperdere si vellet, ex quo dixere Poetæ, nimirum Ouid. 8. Met. Linus apud Stobæum serm. 9. Callimach. apud Clement.

Sic ait: immensa est; finemque potentia cæli
Non habet; & quidquid superi voluere peractum est.

Quidque

Quidque Deo factu facile est, quod non queat, est nil.

Esse Deum si noris, & hoc te scire necesse est,
Nil non posse Deum.

Vt proinde nō minus à Theologis quam à poetis intelligamus eiusdem prorsus notionis esse, quod Deus sit, & quod facere quiduis possit; quod & probat satis tacitus consensus, quo Nationes omnes Deo preces fundunt, orantq; ea faciat, quæ omnino facere, nisi qui omnipotens sit, non possit. Quod si Diuinam aduersus omnipotentiam illæ afferantur insultationes apud Plutarchum, quibus etiam seriò vsus est Plinius lib. 2. cap. 7. Si potest Deus facere omnia, faciat igitur vt nigra nix sit, ignis frigidus, qui sedet sit rectus, quod preterijt, non præterierit, vt bis dena non sint viginti, ipse non sit &c. Talia postulantibus debet respondere Theologus, se sibi ipsis contradicere; seù postulare vt id non fiat, quod fieri tamen postulant; nam cum vniuersè nulla sit res, quam Deus non possit destruere, nulla quam non producere, nulla quam non varijs, & etiam oppositis qualitatibus immutare, nihil horum quæ ad Diuinam potentiam spectant, deposcunt isti, sed solummodo vt res aliqua dum talis manet talis non sit, nimirum, vt talis non sit, qualem ipsimet esse volunt, quo sanè nihil absurdius; Si enim poscerent vt Deus ex nihilo crearet niuem, ignem, & alia; vt ea in nihilum redigeret, vt niuem seù substantiam niuis nigram faceret, substantiam ignis frigidam, tum sibi ipsis non contradicerent; at dum volunt vt nix manens alba nigra sit, seù non alba; ignis manens calidus frigidus sit, seù non calidus; iubendi sunt sanè vt priùs intelligant quid dicant sibique ipsis consentiant, quam vt Diuinam potentiam oppugnent; quod pari modo dicendum de cæteris quæ ab ipsis afferuntur. Quare & cum instant, saltem Deum facere non posse, vt idem simul sit, & non sit; vel sit simul tale, & non tale, atque idcircò esse imbecillum, vtpotè impotentem ad facienda contradictoria, respondendū est à Theologo potentiam Diuinam circà ea tantummodo cogitari quæ esse aut fieri possunt, non circa ea quæ prorsus impossibilia sunt defectu potius passiuæ ineptitudinis ad esse, & fieri in ipsis, quam actiuæ potentiæ in agente; qui dicendi modus apud pios Doctores semper fuit in Scholis vsurpatus, vt omnis repugnantia ex parte rei potius intelligatur, quam ex parte ipsius Dei.


Præter hæc Theologo adijciendū est, vt ostendat quomodo Deus sit bonus, liber, sapiens, beatus, & beatitudinis author, cum enim Deus tam multa facere possit, facilè ipsi erit ostendere non posse expertem esse propensionis seù voluntatis quæ fertur in bonum quod ab ipso factibile est, & cui Deus ipse bonus suam potest bonitatem impertiri, id quippe nihil aliud est, quam sese effundere posse, atque effundere velle, quod ex intima oritur ipsius bonitate, & perfectione; Sicut ab eius libertate id prorsus emanat, vt à nullius cogatur arbitrio, nullius legem suscipiat, aut subeat potestatem, nullaque denique adstringatur ratione vt velit quidquid intelligit, ac potest. Cum satis sit vt ea pro arbitratu, &

tu, & pro tempore velit; & subinde faciat, quæ melius facere, quam non facere intelligit; ex quo etiam summè sapiens, summèque prudens dignoscitur in earum rerum nimirum delectu, quæ præ oppositis faciunt. Et licet quidam apud Platonem in lib. 10. de leg. tres impietatis species distinguentes, vnam negantem Deum esse, alteram negantem Diuinam Prouidentiam, tertiam negantem Deum precibus flecti, videantur ob hanc tertiam nō agnoscere in Deo libertatem, quasi ea repugnet constantiæ seù immutabilitati diuinæ, si flexibilis concedatur; Attamen eo ipsis quoque Diuina libertas velut infallibilis obijcienda est; quod cum Deum precamur id prorsus agimus, quod ipse liberè instituit; & cum precibus flecti dicitur, modus loquendi vulgaris est; neque sensus est Deum statuisse vnum, & postmodum ex precibus oppositum velle, sed solum illud precibus dare, quod cōstituit se precibus daturū; hincq; est, quod inconstans, aut mutabilis haberi non debeat, qui etiam cū videtur nolle aliquid, quod ante voluerit, aut velle quod noluerit, caligo solum nostra est, quę suspicionem nobis illam facit. Quandoquidē potest constanter atque immutabiliter velle, vt quidpiam mutabile sit; & censendus est non tam nolle quod voluerit, quam constanter velle, vt id desinat, quod ea lege voluit, vt desineret; & non tam velle, quod noluerit, quam velle vt quidpiam tunc sit, quod constanter voluit, vt priùs non esset.

Postremò denique in omnium animos à Theologo inducendum est Deum, & in se Beatissimum esse, & totius beatitatis authorem; cum enim beatitudo nihil aliud sit, quam iucunda quædam, & constans bonorum possessio cum exclusione molestiæ, non potest profectò Deus non beatissimus esse, & beatitudinis author qui bonorum omnium fons est, nulloque carere potest bono, quo summopere, atque inconcussa constantia delectetur; quod partim agnouere etiam philosophi veteres, qui licet putauerint Diuinam felicitatem à mundi administratione seiunctam, sic tamen Deum esse felicem existimarunt, vt illius felicitati nihil neque adijci, neque adimi valeat; iuxta id quod etiam de Dijs Stoicorum dictum est apud Lucretium lib. 3. ad imitationem Homeri

Apparet Diuinum Numem, sedisque quieta
Quas neque concutium venti, neque nubila nimbis
Adspergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat, semperque innubilus æther
Integit, & largè diffuso lumine ridet.





LEX XIII.

AD

HOMINEM ORATOREM.



TA à Socratis tempore Sapientiam, atque oratoriam facultatem coniunctas accepimus, vt vna tantum esset ex vtraque laus, vnicus splendor; ijdemque Sapientes haberentur, atque oratores; At vnum in huiusce sermonis initio nobis decernendum est, nimirum, cum de Oratore loquimur Causidicum huc non aduocari aliquem, aut locutuleium quemdam, qui è grege concionalium Rabularum vendibilis repente proclamator existat; neque etiam hic agendum est de Rhetore, ac dicendi magistro, in quo diuturna exercitatio, ac multorum lectio, & obseruatio librorum ità sæpè numero supplet ingenij partes, vt sæpè sæpius, qui non sit, excellens in hac arte videatur esse, sed de eo dumtaxat Oratore dissertationem suscipimus, qui siue ad populum in foro, & templo, siue in aula ad Principes viros, siue in Exedra, & Academia ad Sapientes quacumque de re proposita tam erudita, atque aperta oratione doceat, tam suaui, & grata demulceat, tam robusta, atque pugnaci commoueat, vt grauitate rerum, verborum suauitate, argumentorum vi concitatos auditores, in quam ipse velit partem, vnius linguæ imperio traducat.

Multiplex verò munus præsertim oratorium est, sine quo Orator, aut omnino nullus est, aut ne mediocriter quidem in oratoria facultate se potest exercere, primumque & potissimum illud est, vt perbenè, ac scienter docere valeat, siue scribens, siue loquens, quæ in quamlibet de re quacunque disceptationem cadere possunt; Si enim ignoret Orator, quid possit Enthymemathe, quid Inductione, quid alijs argumentationibus confici, ad hoc vt in quacumque materia aliena refellat, repugnantibus occurrat, falsa, ac fallentia procul habeat, omnia denique certis rationum ponderibus firmet, ac momentis, non poterit sanè appositè ad suadendum quod velit, aut dicere, aut scribere. Hinc falluntur ij, qui Oratorem concludunt ea tantum regione, vt ele-

eleganter, & ornatè dicat, in quo fortasse memoriæ, quam ingenij maior est vsus; non enim hæc sola est Oratoriæ Prouinciæ amplitudo, non hoc vnum Oratoris munus; quin cum debeat Orator vniuersarum penè rerum intelligentiam profiteri, sæpè nimirum philosophum naturalem agere, vt rerum causas ab ipsa natura petat, modo etiam philosophum moralem, vt affectus concitet, aut moderetur; optimo iure affirmauit Plato Oratores maiori, quam cæteros Sapientes, in pretio habendos esse; atque Vlysses ipse Sapientissimus vir, simulque Dux præstantissimus tunc temporis tantum omne sapientiæ tulit punctum, cum oratorem egit apud Hecubam, quam describit Euripides. Petebat Achillis vmbra, vt ad honorarium tumulum sibi in Cherroneso positum, Polixena Priami filia mactaretur, ad hoc vt Græci captiuitem euaderent, qua apud Polymestorem detinebantur; abducenda ergo Polixena erat ab Hecuba matre, ea tamen consulta, ac probante victimam Achilli infensissimo Troianorum hosti immolandam. Destinatur huic operi (sanè humano maius) non Agamemnon aliquis, aut Diomedes, aut ipse Pater Heoptolemus, sed eloquentissimus inter Græcos Vlysses, cuius oratoria potestate vincitur mater Hecuba, immo deuincitur vt victimam exhibeat mactandam. Equidem magnus sit licet, quod Troiam velut Dux Vlysses expugnauerit non paulò maior reputandus est, quod Hecubæ mentem vicerit, ac suaserit ad tantum facinus velut Orator.

At hoc existimauit, scriptumque reliquit Aristoteles in lib. 1. Rhet. Oratoriam facultatem, nedum moralis philosophiæ, sed etiam ciuilis scientiæ propaginem esse; adeòque vnum sibi vtramque finem constituisse, vt Oratores sua ætate ciuiles se magistros appellarent, atque pollicerentur auditoribus suis administrandarum vrbium rationem; quod etiam apud Platonem Gorgias facit, & sequutis deinde temporibus Tullius, Quintilianus, alijque plures conscriptis voluminibus professi sunt; ex quo fortasse in certamen adductæ sunt vis bellica, & togatæ prudentiæ robur eloquentiæ sociatum ab Ouidio lib. 13. Met.

Quippè manu fortes non sunt tibi Marte secundi
Consilijs cessere meis, tibi dextera bello
Vtilis, Ingenium est quod eget moderamine nostro
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides. In tantum corpore prodes
Nos animo. Quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium, quanto dux milite maior
Tanto ego te supero, nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu, vigor omnis in illis.

Subdens etiam paulò infrà ad eamdem rem

Mota manus Procerum est, & quid facundia posset
Tunc patuit, fortisque viri tulit arma disertus.

Atque

Atque vt de Oratore iam dicere propriè aggrediámur, quem Vlyssis Homerici similem fecimus, constat inter illius potiora munera esse, dicendo præsertim fidem facere, fidem inuenire, dictis suadere, atque animos audientium semper commouere; & illa omnes in se numeros eloquentiæ habebit oratio, cuius tale seligatur dictionis genus, selectumque disponatur, quod argumentorum pondere mentem, & affectionum perturbatione voluntatem flectat; flectet tunc oratio audientium animos, cum verborum, ac sententiarum pondere grauis, rationibus integra, atque incorrupta erit, non verbis tantummodo vagis, atque lassantibus fluens, cuiusmodi apud veteres dicebatur, In ore nasci, non in pectore: Etenim cum audituris animus ità sit obsidendus, vt ad assensum, ac deditionem compellatur; cumque hæc omnis aggressio, atque expugnatio argumentorum vi pertractanda sit, eò cultissimæ orationis robur intendendum, vt semper vincatur qui audit, & subornatis intimis affectionibus eò etiam pertrahatur, quò trahi nollet. Quo satis deprehenditur illorum oratorum deceptio, qui se putant Oratoris finem consecutos, si tantum fusæ, ac fluentis orationis pompam latè explicent, si tantum vocibus calamistro delicatè confertis eloquentiam eneruent, ad fucos solummodo, & pigmenta confugientes; ex quo à Ciceronis excessu nutare eloquentiam cæpisse scitè testatur Seneca Epist. 40. atque iam inde in tempora adeò mala nos deuenisse, vt viuæ, ac spirantis eloquentiæ effigiem propè nullam teneamus, sed tantum vmbram, seu potiùs laruam illius prosequamur; vt mihi sæpenumero hac super re cogitanti, nostraque tempora cum anteactis componenti illud in mentem venire soleat, quod extincto Alexandro de eius militia scribit Plutarchus, milites Alexandri, duces, & Dynasthas velut cadauera abeunte anima dissoluta esse, atque diffluxisse, quo prorsus modo sublatis veteribus Græcæ, ac Romanæ facundiæ Ducibus dicitur eloquentiæ corpus, quod ab illis animabatur, statim elanguisse; & quamuis Oratores aliquot Portij, Senecæ, Plinij, tamquam plena adhuc animæ membra cadentem, colentemque spiritum exceperint, breui tamen in mora in Oratorum cadauera degeneratum est, ex quibus nec licet nobis nunc temporis sparsos bonæ eloquentiæ cineres colligere, sed tantum ad primæuæ eloquentiæ busta lamentari.

Tantùm igitur vnusquisque veri Oratoris nomen, & famam redipsci potest, quantum per Antiquorum vestigia ab ipsorum semita non discedet; eritque ille perfecta dictione probabilis Orator, qui incorruptè dicat, acuratè, atque ad suadendum appositè; qui non tenui venula per calculos fluat, aritudini obnoxius in æstu dicendi, sed ingenti latè copia redundet, vbique tutus à metu siccitatis; qui suaui, & conspersa verborum sententiarumque luxuriæ dulcedinem quamdam in animis audientium conciliet, vt eos vertat quocunque velit; qui cuncta rationum momentis firmet, partemque nullam sinat otiosam esse, & etiam, si sit opus, peracutis doctrinis ingeniosè philosophatur; qui denique pro orationis libito suspensam ab ore audientium multitudinem modò ad

dò ad iracundiam, atque indignationem succendat, modo lenitate, ac mansuetudine mitiget, modo rapiat amore, modo asperet atque exulceret odio; modo confidentia trahat, modo timore retrahat; in omnem denique partem arbitrarius animorum moderator, modo laxatis, modo retractis habenis pro arbitratu aut impellat, aut coerceat.

Hinc antiquitùs etiam Legati, qui ministri seù Nuncij ad Principes, atque Resp. mittebantur Oratorum nomine cohonestabantur, vt adhibito præsertim in legatione Oratorum munere, atque eloquentiæ officio, quid vellent, ipsis Principibus oratione suaderent; cum enim oratio sit acerrimum Legationis telum, vnus ille ad res Reipub. arduiores legandus est, qui sit, vt inquit Ennius.

Flos delibutus populi, suadæque medulla.

Cuius suasione possint iræ principum mitescere, odia detumescere, omnesque animi perturbationes discuti, si sit opus, qui solent esse Legationis triumphi; Idque in Oratoribus æstimatur melleum illud vocis modulamen, quo aures Getarum bellè tactas, & feros animos flexos, ait Athenæus, quo Athenienses sæpius quam armis fuisse deuictos testatur Plato, cum ad eos præsertim Gorgias Leontinus Sophista simul, ac celeberrimus Orator mitteretur; Ideò dictum est apud Euripidem, & Antiphanem, neque Oratorem, neque Legatum bonum esse, si sit ineloquens, aut elinguis; & inde quoque dicebat D.Hieronymus lib. I. epist. 16. esse ridendum illum legatum, qui in sua causa egeat patrono. Hinc docebat Plato in Theæteto æquè Legati, atque Oratoris ingenium debere esse solutum, expeditum, industrium, vt efficacitate dicendi in intimis animi penetralibus impetum imprimat ad illam motionem, quam ipso ingenio præmeditatur.


Verum vt ad propria Oratoris munera reuertamur, quæ in hac dissertatione inuestigamus, triplex præsertim Oratori proponimus dicendi, seu suadendi genus, laxius, nimirum, concisum, & medium, illud Asiaticum, istud Laconicum, hoc medium vocatur; cum illa tamen in dicendo, atque in vsu horum generum animaduersione, vt Asiaticum genus in materijs tantum non ita sublimibus vsurpetur, Laconicum in materijs politicis, nimirum in ferendis Senatorijs votis, in reddendis ad legationes responsis, in orationibus militaribus, & similibus, Atticum denique ad res medias, atque prompta eloquentia, & facundia pertractandas. Hinc etiam in Oratore ornatus triplex in dicendo desideratur, vnus in paruis rebus, qui dicitur subtilis, alter in magnis, qui dicitur grauis, postremus in intermedijs, qui dicitur mediocris; exemplum est ornatus subtilis in Demosthene in oratione de Lege Leptinæ, cui etiam similis est Oratio Ciceronis pro Aulo Cluentio; exemplum ornatus grauis apud Ciceronem in oratione habita pro Milone, pro Sestio, & pro P.Sylla. Exemplum denique ornatus intermedij apud eundem Ciceronem in oratione pro Deiotaro, pro Marcello, ac pro Ligurio; qua etiam ratione Athenis summè laudatus est Thucydides, quod Oratoribus horum omnium vsu, atque exercitatio-

citatione magnum attulerit ornamentum. In eadem verò oratione pro rerum varietate quæ proferendæ sunt, etiam varij ornatus proferri possunt, ita tamen vt oratio, quæ nunc ad mediocria deflectit, rursum ad alta, & sublimia resurgat, qualis est graphica illa descriptio in 5. Æneid. de Scylla, & Charybdi,

Sorbet in abruptum fluctus, rursumque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat vndis.

Aliàs Oratoris partes apud Isocratem, Hermogenem, Ciceronem, & Demosthenem facile est inuenire.





LEX XIV.

AD

HOMINEM POETAM.

NON huc improbam, impudicam, turpem, atque solummodo amatoriam Poesim aduoco, quæ meritò inter malas artes, vtpotè malos progignens artifices, connumeratur; sed facultatem illam, quæ ingenij exercitationi, morum confirmationi, atque animorum remissioni maximopere inseruiens, summè quoque Ciuibus, ac Ciuitatibus prodest; cumque hoc loci non credimus esse nominandum Poetam, qui numeris tantum liberè lasciuientibus animos adolescentium pelliciat, atque obscœnæ aucupio voluptatis irretiat; quod sanè malum excrescens in dies cum nostra hæc tempora inter deformia, ac fœda carminum portenta iugiter detenta patiantur, operepretium est sanctum Poetæ nomen ab eiusmodi improbis fabulationibus prorsus abolere, ac simul ab eorum capitibus veræ germanæque poeseos laurum, & laudem detrahere.

Atque vt rem totam paucis ratiocinando conficiamus, ea poesis genuina apud Sapientiores extollitur, quæ homines à virtute non auertit, ciuesque à fælicitate, quæ est bonæ Reipub. meta, non deducit; Inter cæteros Plato lib. 10. Polit. politici personam agens præcipit, ne Poetæ in suis imitationibus meliorum exemplis relictis peiorum acta consectentur, aut proferant; & si quæ imitatio ipsis exercenda sit, ea tantum exerceatur, quæ legentium, aut audientium mores componere queat, non dissoluere, aut vitij fœditate corrumpere; qua ratione Aristoteles ipse docuit in Poet. inter cæteras artes, hanc vnam, nimirum Poeticam, operam suam præstare sine Deo non posse, honesto afflatu animum adimplente, iuxta doctrinam Platonis præceptoris sui affirmantis Poetam rem sacram esse; neque occinere posse nisi Deo, & honestate plenum; ac propterea optimo iure etiam Socrates Poetas cum annulis, orbibusque comparare solebat,

quod

quod ſicut magnes, dum ferreum ad ſe annulum trahit, vim quoque cum illo communicat, vt annulos alios, atque alios arcanis nexibus abducat, ita medius inter Deum, & homines Poeta pertrahere nequeat ad ſe hominum animos, ni priùs ipſe tamquam annulus à magnete, hoc eſt à Dei Numine commotus, raptuſque ſit. Hinc in artium choro, quæ ſunt politicæ facultati ſubiectæ velut pars diuinior eſt à Græcis ſapientibus, ac Legumlatoribus collocata Poetica.

Quod ſi ita eſt, ſi poeſim inſeruire ſolitam accepimus ciuili facultati, atque huic potiſſimum rei natam, profectò finem poeſeos eum interpretari debemus, qui ad benè formandos hominum mores adminiculum ſit, operamque accommodet ſuam; qua de cauſa poeticæ finem minimè aſſequentes eos appellat Plutarchus, qui ad Homeri Poetarum magiſtri carmen accedentes, cum ex eo ad omnem virtutem inuitamenta poſſent accipere, diuina hæc omnia oſcitanter, ac ſtolidè prætereunt, in eo dumtaxat laborantes, vt illuſtre aliquid, ac memorabile inde mutuentur, vbi impuræ nomen voluptatis ſonat, vbi amatorijs fabulis ad ſtomachum vſque nocentibus, atque titillantium voluptatum illecebris, interiectu Veneris vbique lenocinantis mares animi emolliuntur ad necem; cum tamen poeticæ parens Homerus, ſicut & cæteri ſapientiores carminum artifices eò luſorijs amorum, ac rerum turpium figmentis, vt plurimum colliment, vt vitiorum expoſitione prorſus deteſtanda, ipſorum cautelam in homines benè moratos inducant; non enim turpia, atque inhoneſta narrari ab ijs ſolent, quaſi imitationi proponantur, ſed eo afferuntur, atque adhibentur, vt eorum turpitudine deprehenſa, faciliùs euitentur: vt enim virtus ſi Poetæ in carmine viuat, oculiſque diſpiciatur attentè, mirabiles ſui excitat amores, ità vitium ſuis ſi coloribus exprimatur, ſi vt eſt fœdum, ac ſordidum prodire cogatur in Scenam, abſterreat profectò contemplatores ſui, atque in odium pariter, fugamque conuertat neceſſe eſt.

Ne tamen ſit hoc aſylum Poetarum impudica ſcribentium, aut inhoneſta tuentium, quo tutiùs obſcæna proferant, illud Euripidis ad hanc rem exhibendum cenſeo, in iudicium vocati, vt ſcitè Ariſtoteles ipſe aduertit in poet. eo ſolummodo accuſationis titulo, quod in fabula verſum ediderit populum peierare docentem in Hippolito.

Iurata lingua eſt, animus iniuratus eſt

Si enim Euripides ludicro pro carmine impietatis reus ad pœnam ſeriò expetitus eſt, eo præſertim quod peierandi vitium in populum induceret, quanto maiori improbitatis, & ſupplicij nota damnandi ſunt illi, qui turpia ſemper, ac fæda meditantur, ad corrumpendos hominum mores inſtituta; etſi reprehendebatur Euripides eo etiam nomine, quod Ixionis flagitia theatro expoſuiſſet, licet idem ipſe purgaretur quodammodo, non ante Ixionem è Scena remouiſſe, quam notæ affixiſſet; quanto magis redarguendi illi, qui improbitatis amorem abſque pœna, & ſupplicio carminibus

suis assolent conciliare. Habent hoc (ait Plutarchus) poetica facinorum malorum commenta, vt si cum eorum execratione, atque authorum dedecore narrentur, vtilitatem nihilo quam philosophorum præcepta minorem ferant; cæterùm si nuda, si felicem sortita exitum describantur, officere bonis moribus, ac magno esse ad virtutem impedimento. Atque hinc est, quod summus Poeta Homerus non modo Achillem, sed Agamemnonem, Diomedem, vtrumque Aiacem, Hectorem, & reliquos illos Martis proceres ab omni obscœnitate, atque amantium vitijs, quoad fieri potuit, vbique separauit; quia vt à turpitudinis suspicione Agamemnonē præsertim eximeret, in quam videbatur incidisse, cum ereptam Achilli Briseidem diu in suo tabernaculo habuisset, iurantem inducit per Iouem, Terram, Solem, atque Erynnes peierantium vltrices ab se restitui puellam planè intactam, atque illibatam; cuius etiam rei Deos, Deasque omnes, quibus curæ sunt luminum periuria vocat in testes; quo exemplo apud cæteros poetas cordi affixa maneret poeticæ compositionis integritas, nec castra, prætoria, campos per paginas turpi carmine fœdatas amoribus implerent.

Quam scribendi integritatem si nostri temporis vates, qui se ipsos populo venditant Homeri sobolem, imitarentur; si non ità facilè strenuos quoque bellatores à Martis ad Veneris signa transferrent, quanto ampliorem in scribendo mererentur, atque consequerentur laudem? Sed dum auidè nimis in omnem lasciuiendi occasionem intenti in colligendis omnibus voluptatum sordibus iugiter desudant, iisdem sudoribus irrigatam infamiam, atque ignominiam in æuum excrescentem sibi conciliant; Neque ipsis vlla ratione suffragatur, hominem non facilè ad virtutis celsitudinem pertrahi, si arduum per iter, inuiosque saltus rectà ei obtinendum sit; satiùsque semper fieri si per amæna priùs diuerticula eò deducatur; siquidem eiusmodi turpia ad illecebras, blandimenta lasciuiente poesi exarata, cum media mala sint, in honestatis metam nunquam collineare possunt; semperque nocentior est animi pernicies per Venerea deducti, quam inter rigida, ac salebrosa diuersantis; quod adhuc testatur satis adolescens ille apud Terentium in Eunuc. qui spectato Iouis simulacro aureo imbre ad Danaen descendente, quod prius figmentum meliùs quàm pictor expresserat Poeta, inde summas hausit libidinis flammas, quibus flagitium suum altiùs adornaret; sicque secum Iouis exemplo ratiocinari cæpit.

Deum se se in hominem conuertisse, atque per alienas tegulas
Venisse clanculum per impluuium?
At quem Deum? qui templa cæli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non faciam?

Et si vera fateri vellent ij omnes, qui eiusmodi poeticis lenocinijs turpibus commentis propinatis corrumpuntur, sanè profirmarent ex prauorum poetarum delirijs multa se vitia didicisse, quæ priùs omnino ignorabant, atque inde plura sibi flagitia specioso aliorum exemplo condonasse, nec

nec non plurimam pudoris, atque honestatis iacturam sensim sine sensu fecisse: vt meritò D. Cyprianus lib. 2. epist. 2. in Tragædos inuectus, qui impurissimos quosque Deorum, hominumque in scenam referrent, grauiter doleat, istorum carmine fieri, ne quod fœdè semel admissum est olim, vlla in posterum antiquetur, aut exolescat ætate; quo etiam nullo æui senio delicta moriantur, quæque debuerant scelera sæculorum obliuione sepeliri, in lucem subinde eruantur ad admonendas ætates iterum fieri posse, quod aliquando factum licet in fabularum annalibus, comperitur.

Poesis igitur ea tantum præ poetarum manibus habenda est, quæ sine artis iniuria, sine morum, atque animorum detrimento delectet pariter, ac prosit; illudque Socratis à quocunque poeta memoria tenendũ est, quod scripsit Plato in Ione, tunc se poetam ostendere Dei sobolem, cum digna, atque honesta carmina emittunt; cum enim inter artes poetica recenseatur, in earumque, & quidem nobilium choro nomen profiteatur suum, eiusmodi ars à Deo deriuata, atque ad hominum vtilitatem instituta solummodo in finem honestatis dirigenda est; quod apertè docuit Euripides, cum apud Aristophanem ab Æschylo interrogaretur, cuius rei gratia Poetam admirari oporteret, respondebat enim, si poeta efficax sit in commonendo, vt homines fiant in ciuitate meliores; quod voluit etiam innuere Horatius illis versibus.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci
Lectorem delectando, pariterque monendo.

Et si per omnes Poeticæ partes, formas, species, seù genera raptim discurrendum est, facilè deprehendemus nullum poeticæ genus inueniri, quod à virtute, ac benè formandis hominum moribus dissideat; ac primùm Epopæiam conuenientes, illud esse Heroicæ Poeseos munus agnoscimus, quod verum describit Heroem, nimirum perfecta virtute formatum, hoc est homine maiorem æstimandum; sicut enim virtus Heroica, vt disputat lib. 7. Ethic. Aristoteles, supra nos est, sonatque aliquid Diuinum, ita qui ab hac virtute Heroes dicuntur, non modo nihil in se habere turpitudinis, sed mortalium conditionem quodammodo excedere, atque ad Deos accedere ipso carmine ostendendi sunt. Tragœdia quoque quæ inter theatra ad populorum vtilitatem admissa est, funesta Regum, Principum, atque Dynastharum cæde proposita eò tantùm ex proposito collimat, vt principes ipsos, ac præpotentes memores fortunæ faciat, atque in omnibus turbidos animi motus componat, ac purget, demum excessus omnes mediocritati, in qua est virtus, restituat. Neque Comædiæ sales, ac ioca aliò quam in hominum vtilitatem virtute parandam spectant, vt, scilicet, derisa palam vitia, ac ludibrio in scenis habita proniùs euitentur. Denique cum tantum sortita est finem Lyrica poesis apud Ægyptios, Hebræos, Phæacas, & Græcos, vt Deorum laudes, ac decora, vt virorum fortium res præclarè gestas hymnis, ac pæanibus ad templa, & aras complecterentur. Vnaquæque igitur poesis si in hominum vtilitatem atq; felicitatem conspirat, castè, & sanctè tractanda est, nimirum absque vlla tur

pitudinis labe; idque agens Poeta verum Poetæ nomen nancifcetur, illud Horatij in arte poet. femper aduertens, quod plerumque.

— *vbi plura nitent in carmine, non ego paucis*
Offendor maculis.

Ne tamen morbis in poetica interlabentibus fua remedia defint, vnum poetis quandoque deflectentibus monitum relinquendum eft, vt fi rerum turpium fimulachra quandoque carminibus exponere neceffitas poftulauerit, ea pauciffimis adumbrentur neceffe eft, atque verbis tantum proponantur ad animos ab obfcenitate auuertendos fatis idoneis; quo turpia ipfa, fœda, atque impudica quafi pudibunda lucifque fugitantia in confpectum ægrè veniant, quo tanquam fulgura aciem oculorum feriant, ac fugiant; non alliciant, ac teneât; vt enim in Tragœdia, quod terribile eft, referri quidem debet, non ità tamen, vt interdum ob rei atrocitatem, feritatemque fatiùs non fit intus agi, quam in promptu poni, atque in fcenam oculofque deduci; fic turpia videntur eo vfque pertractanda, quoufque animi perduci queant, vt extrà femitam vel metam honeftatis non diuagentur; & quotiefcunque impudicè facta neceffitate cogente narrantur, ita enarranda funt, vt femper cenfura aliqua, & obiurgatione caftigentur.





LEX XV.

AD

HOMINEM DIVINATOREM.



IVINATIONEM, quam à Dijs, seu à Diuis dictam accepimus, multiplicem hic proferimus, vt quænam sit admittenda, quæ verò velut insana, ac superstitiosa reijcienda, reuocemus ad trutinam; non enim omnis Diuinator homo damnandus est, aut in crimine constituendus; sicut neque omnis laudandus, atque probandus; neque agitur hic de illa Diuinatione, siue rerum futurarum præsensione, qua ea prænosci, aut prædici solent, quæ in causis naturalibus impedimento haud obnoxijs continentur, vt sunt Eclypses, siderum ortus, cæteraque eiusmodi, quæ ex rata dispositione, constantique cælestium corporum motu dependent; sicut neque illa hic præmanibus habenda coniectatio est, qua quisq; res quoquo modo verisimiles facile subodorari potest; quo sensu vates optimus habitus est apud veteres Thales qui ex varijs temporum signis exuperantem olearum prouentum prædixit; quo etiam Pherecides aquam ex puteo haustam cōspiciens dixit terræmotum instare, hæc enim in artibus periti, quæ coniecturales dicuntur, præscire, ac prędicere facile possunt; nemo siquidem (ait Cicero) aut quæ tempestas impendeat, melius conijciet, quam gubernator; aut morbi naturam acutiùs, quam medicus; aut belli administrationē prudentiùs, quam Imperator; Sed ea dumtaxat Diuinatio intelligenda est, quę de rebus merè fortuitis, atq; non habentibus causas, solet à quibusdam Diuinatoribus perfutura semper rimantibus, ac prospicientibus exerceri; Cum verò eiusmodi Diuinatio omnis, aut sit artis particeps, qualis erat in Auguribus, Auspicibus, Haruspicibus, Sortilegijs, & id genus alijs; aut eiusdem artis omnino expers, qualis illa, quæ apud veteres neque ex obseruatis, neque ex collectis signis instituebatur, sed solum aut cuiuspiam Genij apparitione, & affatu, aut concitatione quadam, ac animi furore diuinitus immisso; optimum erit singula ad hanc rem spectantia percensere, vt fas nefasque in arte Diuinatoria coniectemus.

Non est porrò quod in artificiali Diuinatione reijcienda tempus teramus; siue

siue enim hæc per Augures, Auspices, aut Aruspices habeatur ex auium cantu, & volatu, aut ex cæsarum victimarum extis; siue per sortilegos ex sortibus; siue per interpretes ex somnijs, ostentis, ac portentis; siue per Physiognomos ex delineatione, habituque corporis externo; siue per Metoposcopos speciatim ex fronte; aut per Chiromantes ex manu; siue per Geomantes, Hydromantes, Neromantes, Pyromantes, Astromantes, seù Astrologos ex terra, aqua, aere, igne, astris; nobis apertissimè constare debet, eam prorsus quæcumque sit, inanem esse, futilem, atque vitandam; cum enim ars illa, quæ inter omnes diuinatrices principem obtinet locũ ex ijs, quæ aduersus Astrologiam à nobis dicenda sunt, nugatoria sit, neque omnimodè probanda; multò magis cæteras eiusmodi æquum erit inde inanes, atque inutiles arbitrari. Quidni verò, cum eæ iam nulla religione teneantur, haberi tales debeant; cum etiam olim, dum passim Religio eas obseruare iubebat, à peritis nihilominus, cordatisque viris improbarentur; quippe ab ætate vsque Sapientum notum est Consiliũ à Thalete Periandro datum circa editum e qua monstrũ semihumanum, quod Sacerdos iam declararat seditionem portendere; itemque Anaxagoræ factum, quomodo contigisset nasci Arietem cum vnico cornu, quo portendi vates dixerat præualituram eius factionem (duæ, scilicet, erant in vrbe) cuius in domo natum esset ostentum; aliorum deniq; Græcorum Sapientũ qui vnanimiter artes illas elusere velut insanas; Vulgatum denique satis est illud Catonis assertum, qui referente Cicerone mirari se aiebat, quod non rideret Haruspex, cũ Haruspicẽ videret. Quod verò Magni etiã Duces hæc contempserint tritum est præsertim circa Haruspicinam exẽplis tum Hannibalis, cui apud Regem Prusiam exulanti cum pugnare placeret, & ille quod exta prohiberent, negaret, an tu (inquit) Vituli curunculæ credere mauis, quam veteri Imperatori? Tum Cæsaris, qui cum à summo Haruspice moneretur, ne in Africam ante brumã transmitteret, transmisit tamen; quod ni fecisset (ait Cicero) vnum in locum omnes Aduersariorum copiæ conuenissent. Et si de auguribus, & augurijs sermo habendus est, notum est illud P. Claudij Pulchri, qui cum bello punico primo prælium nauale committere vellet, atq; auspicia more maiorũ petijsset, & pullarius non exire cauea pullos nunciasset, abijci eos in mare iussit, dicens, bibant, quia exire nolũt; tum M. Marcelli, qui dicebat, si quando rem agere vellet, ne impediretur auspicijs, lectica operta facere se iter solere; sed illud præ cæteris velut illustrius hic proferendum est, quod Hecatæus apud Eusebiũ narrat, se iter ad mare Erythræum faciente, cum tota multitudo ad vnum Auguris auem obseruantis constitisset, ac Mosomachus Iudęus causam requisijsset, Augurque respondisset, si auis quidem ibi constaret, expedire, vt omnes eo in loco hærerent; sin progrederetur, pergerent; sin reuolaret, regrederentur; tum Iudæum nihil cunctatum auem sagitta confixisse, Augureque & alijs indignantibus excepisse, eaque protulisse, quid deliratis miseri? Isthæc ne, quæ suæ saluti prouidere potis nõ fuit, sani aliquid de suscepto à vobis itinere prænunciare potuit? At nimis esset in eiusmodi exemplis immorandum, si singula essent recensenda; hæcq; sint satis, vt eius-

modi

modi diuinationum, & diuinatorum leuitatem mentis pondere perscrutemur.

At cum duo præcipua sint fundamenta, quibus artes omnes diuinatoriæ habentur innixæ, experientia nimirum, quæ omni ratiocinio præhabenda est, cũ nulla sit vera ratio, cui ipsa refragetur, alterum Prouidentia, quæ par esse ducitur, vt cum nostra intersit futura prænosce, ea diuinitùs præsignificentur, hæc duo præsertim diuinator homo spectare tenetur, vt quam ineptè sint diuinandi artes maturè conijciat; licet enim condiderit Deus eo modo naturam, vt singulis rebus mirandas, ac peculiares vices certarum actionum effectrices indiderit; hisque actionibus, & effectus certi, & contingentes euentus lege quadam naturæ congruant, ac respondeant; licet ex arcana sua sede veluti prodiens hoc pulcherrimum mundi domicilium summa sapientia fabrefecerit, summaq; rerum varietate compleuerit, atque exornauerit; licet hominem tanta mentis perspicacitate, tamque præstanti intelligentia instruxerit; atque hęc omnia supremam conditoris prouidentiam commendent; non proinde ad futura præsentienda, aut diuinanda voluit humanas vires adaptare; idque ea solummodo de causa, ne in ipsorum hominum perniciem cumularentur errores, simul atq; supplicia. Neque ex eo quod quædam in natura ipsa condiderit signa, quibus in certis rebus velut notis futuri præsignentur euentus; qualia sunt ea, quæ vel spectantur in Luna, quæ si triduo ante, vel post nouilunia, vel plenilunia, aut medium tempus, quo Soli quadratur, tenui puraque luce nituerit, nilq; circumdederit eam, serenitatem spondebit; qualia etiam Cometarum indicia, vel concussionem aeris, fluctuumque tempestates prænunciantia, vel mutationes magnas, clades, atque calamitates portendentia; qualia denique ea sunt, ex quibus sumptum est ab Arato Prognosticon de futuris tempestatibus, nimirum ex halonum numero, situ, & dissolutione, de quibus dictum est.

Area si verò totam comprehenderit, vna
Aut tribus aut gemina Phæben complexa corona
Vna Austros, vna Soles promitte serenos
Rupta Austros, Soles sed rarescente serenos.

Ex eo, inquam, proptereà cætera diuinationis signa magni pendenda sunt; quibus sanè nec dicitur experientia fauere, neque Diuina prouidentia; & licet dicat Tullius Flaminium cum exercitu perijsse, quia non paruit auspicijs experimento comprobatis, possunt tamen illi obiectari Paulus Romanus, Regulus, Mancinus, Cæsar alijque plures, qui auspicijs ijsdem, ac signis paruere, qui tamen in bellis cecidere, aut nõ tulere triumphos; ex quo ad rem optimè D. Cyprianus de Idol. van. ait, Regulus auspicia seruauit, & captus est; Mancinus Religionem tenuit, & sub iugũ missus est; pullos edaces Paulus habuit, & apud Cannas cæsus est; Cæsar denique spretis augurijs, & auspicijs vetantibus ne ante brumam in Africam nauigia transmitteret, eò feliciùs nauigauit, & vicit; Atque excusantibus se diuinatoribus quod ars illa coniecturalis sit, ac propterea res interdum secus, ac fuerint prænunciatæ contingant, eò magis ijdem incusandi sunt, quod eo ducantur errore, vt artem coniecturalem dicant, quæ

prorsus

prorsus fictitia, atque improbabilis sit; ille namque artes coniecturales sunt, quæ aliquas habent causas, quibus positis, id, quod est probabiliter euenturum, aliqua ratiocinatione prædicitur; quarum sanè albo minimè adscribenda diuinatoria est, quæ mero nititur casu, atque hominum mente deceptorum arbitratu; & quamuis quidpiam interdum eueniat ex ijs, quæ prædicuntur, non proinde arte euenire aut futurorum notitia credendum est, sed potius forte, atque incogitata fortuna.

Quod verò spectare ad Prouidentiam Diuinatores volunt, vt quæ sunt nobis euentura, diuinitùs significentur, error quoque censendus est; Consuluit enim satis Deus hominibus, cum eos prudentia, consilio, atque sagacitate donauit, qua se se ipsos regere, atque in futurum prospicere, quantum quidem ipsis necessarium foret, optimè valerent; qua sanè de transactis rerum, atque sequuturis euentibus facilè iudicium ferè possunt, cum vt plurimum præteritis eodem tenore futura respondeant; sicque penè certò perdiscunt,

Vtentes non diuinatione, sed rebus

Vt ait Euripides Idolatria, Tyrannide, libidinibus Imperia paulatim laxata esse sine mora penitus euertenda, atque labefactanda; sicut contra pietate, iustitia, sapientia, moderatione, conatu publicæ pacis, atque tranquillitatis ceù nexibus firmissimis, tutissimisque præsidijs esse longiùs duraturam Imperiorum maiestatem, atque magnitudinem; hacque ipsa exemplorum, atque euentuum varietate, quam mentis rimetur obtutus prudentia duce, optimè nouit quilibet homo numquam diù intra eosdem limites res humanas publicas, & priuatas se continere, sed ab incæpto facillimè exorbitantes in alterutrum extremorum quodam vicissitudinis impulsu corruere: Et hoc est illud Diuinationis genus, quod Sapientes omnes sola sapientia assequuntur, quo longè plura diuinant, præmonentque, quàm argumentis alijs fallacibus inhærentibus coniecturis; possunt enim esse vniuscuiusque sapientis ea vaticinia reddita ab Oraculis Batto, & Pausaniæ,

Qualia quis patrat, talis manet exitus illum
Pæna luenda sibi est, affert iniuria damnum.

Quæ sanè consonant cum oraculis diuinis in sacris literis, Qui gladium acceperit, gladio peribit, Omnis Anima quæ fecerit abominationes eradicabitur, Væ qui spolias, quia spoliaberis, & id genus alijs.

Ad ipsam verò, quod attinet Diuinationem omnis artis expertem, valdè fabulosum videri potest, quod perhibetur ab Ethnicis de quibusdam genijs, qui non obscurè apparuerint, atque familiari quodam affatu quidpiam futurum ante nunciauerint; & quia in ore omnium præ cæteris est ille Bruti Genius, qui ipsi celebrem ad Philippos cladem, ac simul iteratam sui apparitionem prædixerit, ideò videtur operæpretium hic paucula insinuare, quibus ea apparitio, atque prædictio vocetur in dubium; cum enim grandi instante prælio (vt à Plutarcho obseruatum est) obdormiret Brutus; atque in eius mente interim obuersaretur quo in discrimine Resp. foret, recordatus etiam quam infelix in

pari

pari causa fuisset Pompeius, nec suppeteret quidnam sibi foret consilij capiendum succedentibus malè rebus, tunc dicitur sibi visus videre Genium nocte iam profunda, & silentibus castris occurrentem, qui cladem in Philippis sequuturam prænunciauit; cum tamen reuera (vt testatus Cassius) potiùs Brutus somniauerit, quam Genium viderit, atque audierit; quodque tunc nulla fuerit Genij prædictio, sed somniauerit Brutus tria quædam argumenta sunt; vnum quod ex pueris suis requisierit, audiuissent ne aliquid; quippe non habens soli fidem subdubitabat, vnum illud vigilanti sibi, an dormienti potiùs contigisset. Alterum quod pueri se nihil nec vidisse, nec audijsse responderint, cum tamen horrendam illam imaginem vel videre, vel eius vocem audire debuissent; dixerat enim spectrum illud, Tuus ò Brute malus Genius sum, in Philippis me videbis; & fabula quoque est illa apud Homerum 1. Iliad. vbi inducitur Minerua Soli visa Achilli. Tertium quod memorat Plutarchus sedatum fuisse Bruti animum, postquam perorantem Cassium exaudiuit, nempe quia potuit ex illius ratiocinio deprehendere, rem totam fuisse somnium, captæque mentis delirium; hisque etiam de causis non asserit Plutarchus historiam illam excerptam esse ex probatis authoribus, sed quasi fidem liberans, ex rumore quodam disseminato, inchoat enim illam verbo, dicunt, quin apud ipsum Plutarchum Pub. Volumnius vir philosophus, qui ab initio Bruto commilitauit, licet pleraque alia de ipso recitet nihil de hac re commemorat. Eandemque fidem quam obtinet Genius Bruti obtinet etiam Genius Dionis, qui legitur ipsi apparuisse cum summa rerum Syracusanarum penes ipsum esset, & discrimen immineret ob expulsum recens tyrannum; & denique Genius seu Dęmonium Socratis, qui cum in morum pręceptis totus versaretur, artificio Genij sibi semper adstantis vti potuit, quo maius pődus argumentis salutaribus adderetur; si quidem satis notum est, quantum authoritatis habeat, quisquis ex afflatu diuino monita dare creditur; hinc licet tam Plutarchus quam Apuleius de isto Socratis Genio tractatus integros conscribant, quibus in id conspirare videntur vt verum fuisse Dæmonem credant; nihil est tamen quod conuincat ipsum fuisse aliud, quam solertiam, sagacitatem, rationem, prudentiam, sapientiam animo Socratis ingenitam, ac deinde meditatione, exercitationeque philosophica excultam, quæ velut rectum quoddam dictamen Socratem semper admoneret, quemadmodum etiam prudẽtiam indiuiduam Vlyssis comitem Mineruam appellat Homerus, cuius ope dicitur Vlysses omnia horrenda subijsse, omnia aduersa superasse; hocque exemplo velut argumento ad nostram roborandam doctrinam videtur vti etiam Apuleius.


Ad eam denique animi concitationem qua sepè vti fertur diuinator homo ad futura prænoscenda, aut prædicenda, non id spectare vllo modo fatemur, quod non paucis veteribus philosophis probatum est, nempe quod ipse sit aut Dei aut Animę mundi particula, ac propterea sua ex natura omniscius sit vtpotè eiusdem cum Deo naturæ, aut saltem nihil rerum mundanarum ignoret, cum ipsa anima mundi vbique præsens sit; nam & quamuis non adhuc præsentem

futuris

futuris ipsis rebus animum facerent; præsentem tamen earum causis, nisi proximis saltem remotis putabant esse, quæ continuata serie cum euentibus, atque effectis in ijsdemmet contentis colligantur, vt enim in seminibus (inquit Cicero) vis inest earum rerum, quæ ex ijs progignuntur, sic in causis sunt conditæ res futuræ; & licet animnm in corpus immersum, quasi epoto in ipsa immersione lethæio poculo omnia actu peruidere non asserant; potestate tamen omnia peruidere posse tuentur; aut si vi morbi ita concitetur, vt immersionem quasi moliatur, quemadmodum eos qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, censebat Aristoteles Cicerone testante lib. 1. de diuinat. aliquid in animis habere præsagiens, atque diuinum; aut si ratione aliqua placidiore se quasi abducat, auuocetque à corpore, quod quidem per somnum potissimum fit, tum enim vt longè quam per vigiliã solutius, facilius, clariusque diuinat, & appropinquante etiam morte, cum iam à corpore solui incipit, multò est in se ipso diuinior. Hæc vtcunq; sint, atq; à cæteris fidem extorqueant, nobis fabulæ semper erunt; neque enim animi haustus sunt diuinæ substantiæ, neque partes animæ mundanæ, quæ prorsus fictitia est; ideoque, neque furore, neque morbo, neque melancholia, neque somno, neque morte correpti diuinare possunt; aut futura prænoscere, vel prænunciare; & licet casu contingat quod quidpiam hac ratione prædictum eueniat, id tamen idem perinde est, ac si quis totum iaculans diem, aliquando collineet; & qui in talorum lusu sæpè iactat, Venereum aliquando iaciat; futura namque in suis prospicere causis ex earum cum euentibus serie, atque colligatione, soli Deo conceditur, qui omnia condidit, atque dispofuit (dicite nobis futura, & dicemus quia Dij estis.)



LEX



LEX XVI.

AD HOMINEM MAGVM.



NON hic infamem illam Dæmonum commercijs inauſpicatam, carminibus, & nefariæ curioſitatis arte concinnatam Magiam ſuſcipimus expendendã, ſed eam quæ cum ſit ſummus naturalis philoſophiæ apex, hominem Magum aut facit perfectum naturæ miniſtrum, ac ſcrutatorem (vt vult Plotinus) aut eumdem hominem facit diuinorum interpretem, atque ſapientiæ cultorem quales erant Magi apud Perſas, quos Latini appellabant Sapientes, Greci philoſophos, Ægyptij Sacerdotes; Cum enim naturalis Magia ea ſit, quæ rerum omnium naturalium, atque cæleſtium vires contemplata, earumdemque ſympathiam curioſa indagine ſcrutata reconditas, ac latentes in natura poteſtates in apertum producit; quæ inferiora ſuperioribus, atque terrena cæleſtibus colligata, & quadam naturæ lege ſubiecta, inuicem etiã ſibi obſequentia demonſtret; exinde fit, vt Magi hanc ſcientiã profitentes ſtupenda plerumque videantur miracula patrare, non tam arte, quam natura ipſa in miniſterium adhibita. Ob id Ægyptij naturam Magam vocauerunt, quæ vim in alliciendo, atque attrahendo ſimilia per ſibi ſimilia poſſideret; quæque naturæ cognatione traherentur Magicos attractus dixere; idque deſignaſſe videtur etiam Plato in Alcibiade, qui Zoroaſtri Magiam cæleſtiũ, & terreſtrium ſcientiam appellabat, qua inter Regalia imbuebantur Perſarum Regum filij, vt ad mundanæ Reip. imaginem, & ipſi ſuum Regnum, & Remp. regere, & adminiſtrare condiſcerent; vt enim mutuo diſcenſu, atque conſenſu natura mundũ gubernat, ità & ipſi conſentientium, atque diſſentientium rerum notitia, quæ in naturæ vniuerſitate cernuntur ſe, & alios harmonicè gubernare ſatagerent.

Ea verò hominẽ Magum, quẽ nunc delineamus, nouiſse præſertim oportet, ad quę addiſcenda, atq; perquirenda Pythagoras, Empedocles, Democritus, & Plato è patrijs diſceſſiſse regionibus legimus, exilijs potius, quã peregrinationibus ſuſceptis; decet enim hominẽ Magũ tanta doctrinæ vbertate pollere, vt vir in philoſophia exactiſſimus ſit, cõſumatus, atq; cõſultiſſimus; docet ſiquidẽ ipſa

Quid calor efficiat, quid terra, quid humus & aer

H *Quid*

Quid generent vnde magni primordia cæli
Vnde maris fluxus, variisque coloribus Iris
Reddere quid faciat clamosa tonitrua & orbes
Quæ secreta faces noctu, quæ causa Cometas
Proferat, & tumidas quæ cæca potentia terras
Concutiat, quæ sint auri, quæ semina ferri
Totaque naturæ vis ingeniosa latentis.

Verum id, omne non rudi quadam crassaque Minerua, sed suis causis rationibus,& principijs attingere hominem Magum oportet; & præ cæteris, quomodo multiuagis cælorum flexibus, ac motibus cælestia dona arcana quadam liberalitate fundantur terris,vnde omnis emanat in natura philosophandi ratio; Deus namque qui ab initio cælos,sidera,omniumque rerum primordia, ortus, atque interitus apto quodam modulamine condidit, inferiora hæc omnia supernis ancillari fatali necessitate sanciuit, & formam vnicuique suam quasi sydereo illapsu(vt sensit Plato)ità viribus cumulatam immisit, vt sine cælo, à quo potissimum tota penderet natura, nihil efficere posset, nihil moliri auderet; sic ab ipso cælo deuenientes potiores naturæ vires dũ Magus homo instituit contemplari ad eorum facilè notitiam progredietur, quibus vel miranda, atque inusitata in orbe per ipsam naturam conspiciuntur; aut per Magicæ artis industriam,& applicationem patrantur; ijque prorsus sunt illi Platonis annuli, quibus homo quilibet Magus superiora cum inferioribus coniungẽs naturam ipsam,quò lubet, pro arbitratu trahit,ac retrahit; Cumque magis Ægyptijs nullum oboriretur dubium, quod inferna supernis semper ancillarentur, ipsisque insolubili seruitutis vinculo colligarẽtur, propterea ausi sunt omnes naturæ effectus ità metiri,vt omnia quæ mira essent in ipsa natura, cælis ac syderibus adscriberent,vnde etiam certis horis,statis temporibus,notatis aspectibus omnia quæ ab ipsis agenda essent, accuratè parabant. Inde Aristoteles dum superiorem latiorem cunctorum causam, & principium esset contemplatus, quæ si desisteret,hæc illicò deperirent, dixit mundum hunc elementarẽ necessitate quadam cælesti fuisse nectendum,vt vniuersa inde virtus gubernaretur; tantamque vim à Sole diffundi nouerat,quod satis concinnè protulerit, in obliquo circulo flexuosum Solis meatum progeniem, atq; interitum omnium caducorũ esse, & accessu recessuque temporũ non rerum interualla modo, sed quæ mirabiliora sunt,causari; Nec Lunæ,quæ propria, Solisque etiam luce operatur sua miranda desunt, quæ speciem redolent Magiæ; hæc enim cæteros planetas terræ vicinitate exuperans, humidorum domina, & conciliatrix est, & cum ea tantã habent affinitatẽ sublunaria, vt animata, atq; inanimata sui incrementa, decrementa,& dãna ex ipsa sola persentiant; Si flumina nunc crescunt, vel deficiunt, si properè fluctuant,vel tardo ferũtur cursu; Si maris æstus ità reciprocãdo perpetua vicissitudine agitatur, vt nũc auido haustu absorbeat, nunc intumescens decẽdo refluat,id nisi Lunę motui solet adscribi; Sic in reliquis si cęlũ,si planetæ si cętera obseruẽtur signa,quę æthere cõtinẽtur, sẽper admiranda deprehẽdẽtur

tur; atque ex ijs dignoscet Magus Arcturum imbres mittere, ac pluuias facere; Sirij exortu in rabiem agi canes, viperas, & serpentes furere, stagna moueri, in cellis vina fluctuare, maximosque etiam impendentium malorum effectus causari. Hinc tradit Heraclides Ponticus Magos quosdam Caniculæ exortum quotannis obseruare solitos, vt ab ea coniecturam caperent, salubris ne an infestus annus futurus esset; nam si obscurior, & quasi caliginosa esset deprehensa, proximumque ipsi cælum pingue, & concretum, metuebantur mala, quod signum ità metuebant veteres, vt ei canem sacrificare instituerint,

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas
Sanguine lactantis catuli placatur & extis
Pro cane sydereo canis hic imponitur aræ.

Sic ex Ouidio, & Columella deducimus; Ex quibus omnibus homo Magus qui idem est, ac philosophus astrorum, & naturæ scrutator intimus, satis ediscere potest, quomodo ipsi terrena sint cælestibus subijcienda, vt arte moueantur quæ solet ipsa natura mouere.

Hinc fit quod homo Magus certa quadam singularium virtutum cognitione, & applicatione, quæ in natura latentes, homines vniuersè latere solent, effectus plures inusitatos, & admirandos, quorum incomprehensibilis videtur ratio, moliuntur; & cum naturalis Magia sit secretior, & abstrusior illius sapientiæ pars, quæ semper perficit mira, viris doctis minimè dubitandum, quod si quis benè occultas rimetur rerum virtutes, multa ad vsum, atque experimentum accommodare potest, quæ sanè plusquam naturalia conficient miracula. Naturalia quidem miracula eà decantantur apud Plinium lib. 2. cap. 96. nimirum quod iuxta Harpasa oppidum Asiæ cautes stet horrenda, quæ si vno impellatur digito mouetur, si toto corpore resistit; Quod duo sint montes iuxta flumen Indum, quorum alteri natura sit vt ferrum omne trahat, alteri verò vt respuat; Quod in Nymphæo exeat è petra flamma, quæ pluuijs accenditur; Quod in Dodone Iouis fons sit qui accensas, si admoueantur, extinguat faces, extinctas accendat; Quod in Illyrijs supra gelidum fontem expansæ vestes accendantur; Quod Adamas (ità Græcè dictus, quod nec ferro, nec igne dometur) hircino tamen rumpatur sanguine; Quod Magnes ità ad se trahat ferrum, vt acum nauticam sua vi tactam eatenus agitet, quoad illa directè Septemtriones spectet. Quod denique Remora pisciculus paruus nauigijs adhærens, licet ea ingentia sint, cursuque incitatissimo ferantur, eorum tamen ità impetum frenet, vt stare cogat non labore vllo, nec renitendo, nec aliter quam adhærendo. Nec modo, quæ ratione carent, sed homines quoque mira edere, ac non cernentibus propè incredibilia testatum reliquit Diuus Augustinus varijs exemplis; Nouimus, inquit August. lib. 14. de Ciuit. Dei. cap. 23. hominum quorumdam naturas multum cæteris dispares, & ipsa raritate mirabiles, quædam vt volunt de corpore suo facientium, quæ alij nullo modo possunt, & audita vix credunt; sunt enim qui aures mouent, vel singulas, vel ambas simul; sunt qui totam

cæsariem capite immoto quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, reuocantque cum volunt; Sunt qui eorum, quæ deuorauerunt, incredibiliter plurima, & varia, paululum præcordijs contrectatis, quod placuerit, integerrimum proferunt; Sudant alij pro lubito cum volunt; flent alij, atque vbertim lachrymas fundunt, sistunt quoque cum adest in votis. Erat quidam nomine Restitutus, qui quibuscumque volebat, ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solum vellicantes, & pungentes minimè sentiret, sed aliquando etiam igne vreretur admoto sine vllo doloris sensu; nec in eo vllus inueniebatur anhelitus. Hæc ibi Augustinus; Quibus addit Magnus Albertus, duos quondam in Germania natos esse pueros, quorum altero iuxta domorum ostia incedente, omnia ostia versus sinistrum eius latus aperiebantur, tametsi clausa essent; idemque contingebat alteri puero illius fratri versus latus eius dextrum; idque aliò negat referri posse, quam in proprietatem occultam, quæ vtrique in eorum ortu indita est à Cælo.

Si igitur tam mira sunt naturæ opera, cur non homo sapiens recondita rerum naturalium cognitione, vsuque præditus similia facere potest? huiusque artis Magicæ excellenti peritia censet Philostratus, Apollonium, Thyaneum mira, quæ de eo narrantur, effecisse; idemque sensit de illo Iustinus Martyr in quæst. ad Orthodoxos quæst. 24. Atque eiusdem naturalis Magiæ fiducia ausus est Archimedes admirandum illud theorema ponere, quantumlibet onus quibuslibet viribus moueri posse; quod cum Regi Hieroni incredibile videretur, dictum ad opus, & ad praxim traduxit, ingentem nauem onerariam, quam ingens hominum turba vix maximo labore mouere poterat, ipse solus quieta impellens manu vi quadam multifidæ machinæ, tranquillo quasi mari prolaberetur, ad se adducens; & cum Marcellus maximo exercitu terra marique Syracusas obsideret, Archimedes solus ad vrbis propugnationem tot mirabiles terribilesque omnis generis machinas ad perdendos hostes inuenit ope Magiæ, vt Romani incredibili admiratione, terroreque perculsi dicerent se non contra homines, sed contra Deos pugnare; Atque is ille idem est à quo tradit Cicero in lib. 1. Tusc. & in lib. 2. de Nat. Deorum Sphæram editam esse omnes cælestium orbium conuersiones suis motibus clarè, ac perfectè repræsentantem. Quibus affinia sunt illud columbæ simulachrum ab Archyta Pythagorico fabrefactum ex ligno quod volare visum est aura spiritus mirabiliter inclusa; Illud quoque caput æneum à Magno Alberto fabricatum, quod maxima spectantium admiratione loquebatur; Illa etiam Seuerini Boetij metalla mugientia, æneos angues sibilantes, fictas aues dulcissimè canentes, & id genus alia, quæ vulgus potius in Dæmonum artem, quam in scientiam naturæ referebat.

Verum tamen est, quod licet naturalis Magiæ miracula ab hominibus vi scientiæ excellentis edi possint, cum tamen plura sint, quæ tantum vel simulata, vel apparentia sunt; aut naturam ipsam excedentia, maximè cauendum est, ne quis naturam ipsam, artemque ex natura quæsitam cum

Dæmo-

Dæmonum fraude, atque calliditate confundat, ex quo hominum lapsus in carmina grauiora ad perniciem irrepat; Ita quamplurima à magis antiquitùs conficta ad decipiendos homines falsa omninò existimantur, qualia fuere ea quæ à Virgilio lib. 4. Æneid. referuntur de Maga illa

Quæ se carminibus promisit soluere mentes
Quas velit, ast alijs duras immittere curas
Sistere aquam fluuijs, & vertere sydera retrò
Nocturnosque ciere manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Quis namque hæc & similia sibi persuasa habeat, quæ ipsius ordinem naturæ funditus inuertunt, cum tamen rerum naturalium notitia ex ipsa natura paretur; hacque de causa Plinius nullam omninò esse putauit Magiæ vim, & potestatem; quæque de Magis feruntur, omnia vana, atque futilia esse, eaque ratione etiam damnanda, & reijcienda; vnde in plerisque hæret adhuc anceps animus, an verè Claudia Vestalis, quo suam castitatem probaret, nauem illam zona sua alligatam Romam deduceret, quæ hærens in Tiberi nulla hominum aut animalium vi poterat dimoueri; An Thuria quoque Vestalis ad pudicitiam ostentandam aquam Tiberi haustam cribro tulerit vsque ad Capitolium anno vrbis conditæ sexcentesimo nono; Plura siquidem eiusmodi similia Magorum opera simulata sunt, atque spectantium oculos fallentia, cum nudam tantum eorum præ se ferant imaginem, quæ repræsentant, non autem veram habeant naturam, vel enim prorsus fabulosa sunt, vt ea de Circe, & Medea, de socijs Diomedis in aues conuersis, quæ longo post tempore circa templum Diomedis volitabant; De socijs Vlyssis, quos Circe mutauit in bestias; De Arcadibus qui traiecto stagno vertebantur in lupos; De Socero Medeæ qui de senectute reuocatus est ad iuentam, & de alijs id genus fabulis, quas poetę, vel ad legentium oblectationem, vel ad mysticam hominum eruditionem adinuenere; vel figmenta sunt hominum mentes palliata quadam veritatis specie deludentia, quemadmodum illud fuit, quod Apollonio accidisse tradit Philostratus lib. 4. cap. 5. Erat enim quædam Lamia, quæ speciem gerens pulchræ mulieris, simulabat se captam amore cuiusdam Menippi Iuuenis formosi, eique nubere velle; die igitur nuptijs dicato mulier illa conuiuium apparauit instructissimum, quò cum ingressus esset Apollonius, conuersus ad eos qui ibi aderant (inquit) Tantali hortos videtis, qui ex Homero aliquid esse apparebant, cum tamen nihil essent; & mulier, quam spectatis, vna est ex numero Lamiarum, quas aliqui laruas; aliqui lemures appellant; atque his ab Apollonio dictis, totus ille rerum apparatus euanuit.

Cæterum alia esse Magorum opera vera quidem, & admiranda omnibus in confesso est, ea præsertim quæ arte per scientiam naturam applicante efficiuntur; cum enim dicatur naturalis Magia Physicè, ac Mathematicæ doctrinæ pars nobilissima, atque per eas doctrinas nedum multa sciri, sed etiam effici queant, consequitur inde Magiam quoque ad multa, & mira

H 3 per-

peragenda posse à Magis adhiberi, quemadmodum adhibita perhibetur à Zoroastro, ab Archyta, Apollonio, Magno Alberto, alijsque pluribus, quibus, inquit Plato, Artem quamdam datam esse, qua res ipsas in similitudinem naturæ generarent; Vnde de hac re scribens Cassiodorus ad Boetium virum excellentis ingenij, atque multiplicis eruditionis, Tibi, inquit, ardua cognoscere, & miracula monstrare propositum est, tuæque artis ingenio mugiunt metalla, Diomedes in ære buccinatur, anguis insibilat, aues cantilenæ dulcedinem emittere probantur; quæ quidem licet sola rerum naturalium indagine, vnione, commixtione, aut alia quauis applicatione fieri possint, cum tamen vt plurimum etiam dæmonis ope, & arte fiant, valdè suspecta esse debent, atque hominibus vitanda; licet enim docuerit Democritus Artem in pluribus posse naturam in rebus mirandis imitari, quo pacto ipse confecisse dicitur Pharmaca quædam, quibus boni, felices, ac fortunati progignerentur filij; dicatque Virgilius herbas quasdam Ponticas virtutem habuisse patrandi miracula

His ego sæpè lupum fieri, & se condere syluis
Merim, sæpè animas imis exire sepulchris
Atque satas aliò vidi traducere messes

Tamen cum semper alia quædam superaddantur nefarijs carminibus, atque diabolicis deprecamentis concinnata, hoc scientiæ genus semper periculosum erit, malèque cunctis ominabitur; eruntque homines Magi de illa gente, de qua dictum est

Gens inuisa Dijs, qui cœli & sydera mundi
Iuraque fixarum possunt peruertere rerum;
Nam nunc stare polos, & fulmina mittere norunt
Aethera sub terras adigunt, montesque reuellunt.



LEX



LEX XVII.

AD HOMINEM PHILOSOPHVM.



NVLLVM præter nominis inter Philoſophum, & Medicum inueniri diſcrimen ait Max. Tyr. ſer. 134. idque ea potiſſimum ratione, quod ſicut medico corporis valetudinem tuēdi onus eſt, ità philoſophi officium, ac ſtudium eſſe debet, vt animi ægritudini conſulat, eiuſque ſanitatem enixè tueatur; philoſophandum eſt (ſunt verba Tyrij) non ad ſpeciem, ſed ſeriò, neque enim opus eſt nobis vt ſani tantum corpore videamur, ſed ſani reuera ſimus; quod conſonat illi adhortationi, qua Pythoclem monet Epicurus, vt ſe non ad oſtentationem, ſed ſeriò phyſiologiæ dedat, quod non inanis gloria, ſed mentis tranquillitas vitam iuuet; eo namque modo, quo in corpore ſanitas intelligitur donec eſt ab omni prauorum humorum, & vitiatarum qualitatum oppreſſione liberum corpus, læſaſque actiones non habet; ſic in ipſo quoque animo intelligitur, cū nullis affectibus perturbatus ſuarum actionum dominus eſt, atque ideo in ſumma tranquillitate commoratur; ac proptereà meritò Epicurus ſuadebat philoſophis id agendum non eſſe, quod egit Thales Sapientiſſimus vir circa coniugium, quod cum auuerſaretur, reſpondit primum matri ad nuptias adhortanti, tempus nondum eſſe; ac poſtmodum, tempus ampliùs non eſſe; cum enim nihil magis ſit ſecundum naturam, quam beatum appetere, ac quærere ſtatum, idque ſola philoſophia paretur, inſanus eſſet qui diceret, aut nondum adeſſe, aut iam præterijſſe tempus philoſophandi; eſt quippe hoc ſapientiæ ſtudium illud de quo dixit Perſius Satyr. 4.

——— Petite hinc iuueneſque ſeneſque
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.

Vbi viaticum appellat Perſius imitatione Biantis, Ariſtippi, Anthiſtenis, & Ariſtotelis Philoſophiam; qua nihil pulchrius aut laudatius in via vitæ tum adoleſcentibus tum Senibus, vt ſiuè florentis, ſiue maturæ ætatis aſſequantur fructum, & decorem; Hinc bene Diogenes idem eſſe putabat viuere, ac phi-

philosophari, & cum aliqui hortarentur, vt aliquid de studio, ac labore philosophiæ remitteret iam senex, & impotens, respondebat, turpissimum esse currenti stadij metam non pertingere, cursumque sine causa abrumpere, ad quam rem perpulchrè fortasse Manilius 4. Astronom.

Quid tam sollicitis vitam consumimus annis
Torquemurque metu, cæcaque cupidine rerum
Aeternisque senes curis, dum quærimus æuum
Perdimus, & nullo votorum fine beati
Victuros agimus semper, nec viuimus vnquam?

Cum itaq; absurdum sit homini, dicere, ad beatam vitam tempus nondum aduenisse, aut iam præterijsse, consequenter quoque erit insanum ea non meditari philosophiam, quæ beatitudinem ipsam in animo gignunt; hicque felicitatis nomen philosopho accipiendum est, non vt eum referens statum, quo nullus possit melior, suauior, desideratior excogitari; in quo nihil sit mali quod timeas, nihil boni quod non habeas, nihil quod agere libeat, ac non liceat, qui denique constantior sit, quam vt amitti vnquam possit, talis namq; felicitas donec mortalem viuimus vitam, in voto potius quam in re est; sed quatenus felicitatis status dicitur ille, in quo quantum licet, quam optimè sit, idque ab homine teneatur, quod eius explet appetitionem secundum naturam, idque triplici præsertim clauditur bono, animi nimirum, corporis, & fortunæ, in quibus semper homini philosophandum est, vt beatus euadat & felix, iuxta illa Pythagoræorum præcepta apud Stob. ser. 101.

Virtus colenda, sors petenda alijs bona.
Hæc quippe duo cui suppetunt, is viuere.
Et vir beatus, & bonus simul potest.

Hæcque philosophiæ documenta cum sint, vtique hominem philosophum addecet ijs præsertim incumbere, quæ præsertim voluntatem, & appetitionem humanam huc illucque in deteriora propēdulam ad honesti formam traducat; & primi illi Sophi, quos ceu diuinos venerabatur orbis, hoc philosophiæ genus summoperè excolentes, hanc eo ordine digestam profitebantur, vt inter breues acutasque sentētias, quæ honestatem simul, & hominis felicitatem edocerent, omnia benè beatèque viuendi dogmata concluderent, nilq; magis obuium erat in triuijs & compitis viarum, quam Statuæ quædam Mercuriales erectæ, quas Hermas dicebant, gnomis ethicis exornatæ, quarum Author perhibetur Hipparchus Pisistrati hæres inter Athenienses necessitate potius, quam animo Tyrannus.

Quinam verò fuerint homines verè philosophi, non adeò planum est omnibus; & cum plures referantur à Tatiano, & etiam ab Eusebio, præ cæteris commendatur Thales ille Milesius, qui dum Cyrus Persas, Romanos Tarquinius, Solon Athenienses, Lydos Cræsus regerent, huic philosophiæ, quæ ad vitam optimè instituendam conducèret, initium fecit; cui postea, si Laertio fides habenda, successere Anaximander, Anaxagoras, Archelaus Magister Socratis,

& alij

& alij deinceps; vnde valdè decepti comprehenduntur ij, qui vel Aristotelem, vel Socratem, vel Pythagoram eiusmodi inuentores disciplinæ effecere; Sed fortaffe à plerisque Philosophorum primus, & magister dictus est Pythagoras, quoniam primus ipse, qui priùs cæleftia tantum, resque naturæ abditiores scrutabatur, scientia syderum relicta, in hanc solum morum institutionem omni studio visus est collineare, eamque quodammodo à cælestibus orbibus veluti iniecta manu ad homines pertrahere; Id ominante illa Aquila alba, quæ de cælo ad finum volitans Pythagoræ cælestis sapientiæ amorem, pariter, & candorem inuexit; quapropter sensere quidam i nominis Pythagoræ discriminatum, & partitum in ypsilon in eodem eiusmodi philosophiæ cultum commēdare, atque septa virtutis, & vitij veluti condiuisa significare. At sanè longè altiùs nobis petenda est veræ philosophiæ origo, quam à Socrate, à Pythagora, aut à Talete; etenim habemus ex Protagora Artes illas, quæ ad tuendam vitę incolumitatem humanis subseruiunt vsibus, esse ab hominum sagaci excogitas, atque adinuentas industria; illas verò quæ ad benè beatèque viuendum quasi manducunt mortales, sublimiorem humana originem nactas esse, Dijsque potiùs, quam hominibus fuisse prognatas; Cuius sententiam confirmans Cicero in lib. de orat. Philosophiam inuentum Deorum nuncupauit; licet enim Philosophi nomen communi iam vsu multis datum esse sciamus, olim tamen Solis Ethicis, ac moralibus viris proprium erat, cum eam tantummodo veram esse philosophiam dixerit Seneca, quæ rectè agere docet; de qua philosophia loquebatur opportunè Zeno, cum discipulos alloquens, tamdiù eis esse philosophandum asserebat, quousque euaderent Duces exercitus asinarij, eò nempè peruenirent, vt facultatis appetentis impetus, atque irruentia vitia valerent compescere, & coercere.

Atque ea de causa Ariston ille Chius sapientissimus vir, egregiusque philosophus cæteras philosophiæ partes præter moralem, & ciuilem eiurabat, conuellebat, ac penitus damnabat; Illa namque pars, quæ cælestium notitia gloriatur, licet discurrentium interualla syderum radijs notet; licet fixas stellas distribuat in centurias; licet defectus Solis, Lunæque errantes gressus Ciuitatibus denunciet; intereà tamen animum fluxis hærentem rebus relinquit, nec dispicientem ea, quæ ante pedes euentis quotidie fortuitis obijciuntur, quod ferebat egerrimè Diogenes Cynicus; Et altera quæ naturæ venatrix, rerumque occultarum indagatrix dicitur, quamuis Cæli concaua, ac conuexa rimetur, quamuis oculis minimè contenta vniuersi fibras, ac venas scrutetur intimas extrà conspectum ab authore naturæ subductas; tamen perturbationum fontes, & vitiorum flexus inuolutos ignorat; nec latebras illas intrare penitus audet vbi insidiosæ latitant, ac se recipiunt cupiditates, & illecebræ: Rerum quidem omnium initia quatuor explorat, sed quaternas illas animi virtutes, humanæ felicitatis totidem Elementa non videt: Corporum ortus, obitusque considerat, sed consideratio eiusmodi hominem mortis pauore conterritum, atque consternatum nec leuat nec solatur; Vndè rectissimè quidem labes philoso-

phus

phus ille Thebanus, qui nobis ex Pythagoræ Parmenidisque decretis humanæ vitæ simulachrum exposuit, cum intrà circulos quosdam, & Zonas pro studiorum varietate varius, omnes inclusisset mortales, fecit eorum aliquos è semita, quam fuerant ingressi, ad moralis philosophiæ septum retrocedentes; propterea quod animaduertissent, ad fucatas inutilesque se artes contulisse, vbi solida tantum erat quærenda, ac minimè fallens animi disciplina. Quod planè vt omnium oculis contuendum subijceret etiam Sextus Chæronæus scepticæ familiæ Philosophus philosophiam hanc assimilabat areę omni fructuum genere luxurianti, murisque circumseptæ; in qua parietum firmitas Logicam referret, Arborum proceritas Physicam, suauitas verò fructuum moralem hanc disciplinam.

At melius fortasse opinati sunt, qui eiusmodi philosophiæ partem Artem illam arcanam appellarunt, per quam homines Deos euadere posse censebat Mercurius Trimegistus teste D. August. lib. 8. de Ciuit. cap. 23. potest siquidem disciplina eiusmodi, quæ vitium sæuum naturæ hostem castigat, atque virtuti adblanditur geminam illam portam, hominumque viam referre, quam ex Platone describit Macrobius, vnam descensus, quo purgentur animæ, & ad lethæum deducantur flumen, vt inde malorum bibant obliuionem, & ad supera conscendant iuxta illud Virgilij 6. Æneid.

Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno
Scilicet immemores supera vt conuexa reuisant.

Alteram Deorum in Capricorno, qua pateat aditus ad lacteum in signifero circulum, qui locus beatorum sit, quo priusquam animæ pertingant, necesse sit per erraticas oberrare stellas, vt in Saturno Sapientiam, in Ioue agendi vim, in Marte ardorem, atque in cæteris planetis his similia nàciscantur; dum asseclas suos purgatis primùm vitiorum sordibus, penitusque depositis, sola radiante virtute ad limina beatorum deducit; stimulosque admouens, quibus indomitas animi libidines ceù ferocientis equi penitus edoment; solius rationis imperio subijcit, & sic quodammodo vertit in Deos omnis perturbationis expertes; censebant enim veteres homines virtutis doctores, & sectatores post obitum Cælum conscendere; ibique in Deorum numerum, & consortium transcribi; eosque omnes putabant, Deos euasisse, qui præclaris virtutum gestis, diuinitatis nomen, & famam sibi parasent, ad hæc annuente eodem Marone 6. Æneid.

——— facilis descensus Auerni
Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras
Hoc opus hic labor est. pauci quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad sydera virtus
Dijs geniti potuere, &c.

Et pręter hęc Pindarus in suis carminibus assiduus præceptor Ethicus inter Elisias beatorum insulas canit viuere, & lætari Achillem, Cadmum, & alios virtute præstantissimos viros, quos etiam appellat Deorum germina; sicut alios malè pro-

promeritos describit apud Inferos pænas luere, & supplicijs torqueri; qua etiam ratione Lycurgum legislatorem & philosophum præstantissimum, dum limen templi Apollinis Delphici exosculaeretur, Deum potius quàm hominem fuisse ab ipso Apolline iudicatum Theodosio Imperatori contestatur Themistius in suis orationibus; cum enim esset excellens in arte, & scientia virtutis, qua sanctas vbique conderet leges, inuiolanda iustitiæ, & pietatis iura dictaret, omnes à recto aberrantes per optimam institutionem atque doctrinam reuocaret ad viam, illud à Numine promeritus est præconium, vt velut alterum Numen haberetur.

Ad mea templa venis donis opulenta Lycurge
Carus cælitibus cunctis, summoque Deorum
Sed mihi te ne Deum, an mortalem carmine dicam
Incertum. at potius spe adducor dicere Numen.

Pluris siquidem facta sunt ab Apolline earum documenta virtutum, quibus Spartam nactus, nullis pænè legibus, probisque moribus vtentem, eamdem ad cultum virtutis traduxit; quam quod plurimis, & maximè insignibus potiretur victorijs, incursantes vndique deleret hostium copias, & phalanges; Nisæis equis triumphales traherentur currus; ac melius denique quam Xerses Darij natus Hellespônticum hostem profligaret; Idque ea ratione, quod illa omnia improbis quoque ac stultis hominibus possunt abundè suppetere, quos tamen ne dum Deorum, sed nec in hominum numero, ac loco habendos esse censemus; Neronem in exemplum proferente eodem Themistio; cui licet Romanorum Imperatori in idem ingredi templum, in quod erat ingressus Lycurgus, contigisset; risus est Apollo hærens, ac anceps quo eum nomine, belluæ ne potiùs, vel hominis nuncuparet; nam etsi Cytharam manu gestaret Nero, lauream coronam, eaque omnia teneret, quibus Apollo oblectari solebat; cum tamen morum disciplinam summè ignoraret, tantum abest (inquit Themistius) vt eum aduenientem Apollo humaniter exceperit, quin potius summè detestatus, eidem à templo egredienti à capite extenta vi Imperatorium abstulerit Diadema; eo prorsus modo, quo etiam meminisse iuuat primum Regem, nostrumque parentem ab orbis exortu totius Imperij iura tractasse, quousque hac sola, inter cæteras scientias cælesti largitione profusus, sapientia coronante redimitus apparuit; at vix primæuus ille istius philosophiæ occidit nitor, & regiam, & regnum, & sceptrum deserere coactus est, atque damnatus ad glebas pro rusticano tentorio Imperatorium commutauit ædile; Indeque simul Opificis summi atque potentissimi simulachrum haud obscuris delineamentis primo homini ingressum statim deletum, obliteratum penitus est; Inde virum nimis vxorium, conditionisque suæ nimis ignarum in omne ærumnarum genus præcipiti casu deuoluit insania; & quanto omnes anteierat principatus, atque intelligentiæ dignitate animantes, tanto fœdiorem in ruinam illapsus, miseriorem subijt viuendi consuetudinem sudoribus, procellisque scatentem, seque in libidines, ingluuies, cæterasque eiusmodi calamitates sponte detrusit; nec mirum postmodum,

dum, si veluti naues in alto deprehensæ per sæuam colluctantium ventorum tempestatem iactatæ factum est naufragium vbi ereptis syderibus ac die, nullus in gubernatore reliquus fuit Artis magistræ vsus, vbi omne absorptum est nautarum lumen, scientiæ nimirum lumen dirigentis ad rectum; quapropter optimè quidem ad rem Marius Victor in Genes. de primo homine loquens hęc habet.

His illata dolis, hoc crimine nata subegit
Mens hominem culpa in cunctos manante minores
Quæ semel antiqua pulsis virtutis ab arce
Multiplicem lauta porrexit strage ruinam.

Hinc iure merito Platonici, annuente Marsilio, huic parti philosophiæ morumque disciplinæ, à qua honesti dictamen velut à fronte promanat, Solis sedem inter reliqua artium, & scientiarum sydera concessere, sicut enim pereunte Sole occidere prorsum, nec vltrà collucere mutuata stellarum lumina lex naturæ iubet; sic nihil præfulgidum aut splendescens mens illa potest retinere, quæ istius splendoribus doctrinæ vacuata delitescit; nec secus ab huius splendore ac lumine, ac ab vno Sole reliquorum syderum moderatore, omnis lux, omne decus, omnis ornatus deriuatur in splendidas illas artes, quæ animum hominis dicuntur instruere, simul, & exornare; Quid namque esset Ars illa, quæ orationi moderatur, atque in sermonis cura, & diligentia versatur; quæ syllabas exigit ad vnguem, literarumque apices vel propagatione producit, vel amputatione castigat, si moralis doctrinæ inuiolabili lege luxum in rebus vniuersis inhibente, vel dicendi non coerceretur libido, vel calami scribentis, & excurrentis non restingueretur cupiditas? Quid benè dicendi peritia appositè suadere contendens, si hæc disciplina, & eruta à venustate virtutis, & à turpitudine vitij scatentia non suppeditaret argumenta; vt meritò Pericles ab Anaxagora moralia perdocente, cuius diù multumque fuerat auditor violentiam illam dicendi dictus sit hausisse, qua fulmen, qua tonitruum, qua Græciæ terræmotus meruit nuncupari? Quid possent commenta poeseosque ad Elisias non minus pellicientia oblectationes, quam triplici deterrentia Cerbero, fremitu Cocyti, Acheruntis transuectione, Rhadamanti iudicio Regiones mortis delineant, nisi multiformibus, monstruosisque illis imaginibus inferorum ad terrorem expressis poetæ ipsi edocerentur vitia prorsus eliminare, atque amplexari virtutes; simulatis portentis vera quædam demonstrantes nimirum in Tantali fugitiuo lacu, atque fallentibus pomarijs auaritiam plecti, in rota Ixionis non minus Ixionem iactari quam ambitum, & elationis fastum torqueri, & circumagi; in Titij dilaceratione miserrima, non tam puniri Titium, ac affici pænis, quam dolore carpi, & lacerari libidinem. Quid Geometria de recta, & obliqua disputās linea, quamcumque formam in quadratum redigere pertentans, agellos ac latifundia æquè dimetiens, si hæc animi doctrina animum ipsum primum recti lineas ducere, & ad exteros quoque perducere non indigitaret? Quid Astrologia quæ cælestium notitia gloriatur ac discurrentium interualla syderum radijs notat, si hæc eadem animum sustollere non satageret, ac fluxis emergentem

gentem rebus, & caduca omnia deſpicientem ſuo dictamine non redderet. Quid venatrix naturæ rerumque occultarum indagatrix ſcientia, cæli materiam quærens, Elementorum naturas, & qualitates explorans, ſi ab hac non ediſceret cæleſtia per virtutem meditari, terreſtria deſpicere, ac vitiorum incurſus naturam ipſam depugnantes feliciter euadere? Quid denique eſſent cæteræ omnes artes, ſcientiæ, facultates, atque diſciplinæ, ſi hæc vna quæ perficit omnes deficeret; ſi Sol iſte ſyderibus ſuis lumen non impertiret?

Excipit in ſinum ſuum hæc ſola tamquam benigna parens ex alijs ſcientijs feſtos, ac fatigatos refugas, & quos horrenda cæterarum ſeuticeta pupugerunt, hæc ſola propoſita laboramenta ſolatur, demulcet, adblanditur; nec non ea, quæ congenita ſunt noſtris ingenijs ſcientiarum ſemina in nouum veluti, atque induſtrium tranſacta cultorem, efficit ſola, vt creſcãt, maturiuſque adoleſcant; & niſi habeant excellentes animi ad virtutem, & laudabiles actiones per hanc doctrinam vltrò prouocantem excitationem, quidquid erat inchoatum in ipſis propemodum cunabilis ſtatim occidit, & funditus euaneſcit; parum ſiquidem eſſet Indolem planè factam ad literas, ſcientijſque aptatã vniuerſis quemquam ſortitum eſſe, parum in delectu diſciplinarum naturæ ductu, monituque ingenium feliciter deſtinaſſe; ſi paulatim irrepente vitio flaceſſeret ingenium; ſi ſubeunte virtuti ignauia deprauentur indoles; ſi denique dominante voluptate natura ipſa aberraret à recto, atque extra viam veluti ſaucia contabeſceret, tuncque ſanè veritati hæreret vetus illa, ac nata pænè cum hominibus querela curuam reddi propemodum animam ſcientiarum pondere grauitante depreſſam, ſi philoſopho, aut cuicumque homini ſcientia deeſſet illa, qua quiſque ſe ipſum nóſcens, quò tendat, quà ſua fatigatione collimet, aſſiduè perſcrutatur; & nihil ſanè eſſet ætatem quæ ſpontè conſumitur per artes omnes, & facultates ſingulas velle continenter atterere, ſi nulla ſperaretur felicitatis ſcintilla, nullus affulgeret beatitudinis ſplendor, cum ea ſolummodo ſapientia magni pendenda ſit, qua non tantum ampliſſima excurrimus diſciplinarum ſpatia, ſed qua rota vitæ ad virtutem velociùs currente ille paratur requietis portus, vbi ampliſſimò bonorum quæſtu labores noſtros, & opera fæneramur; hæcque ſola hominem verè Philoſophum facit.





LEX XVIII.

AD HOMINEM MEDICVM



QVANTVM in homine construendo natura excogitarit industriæ, quod artificij genus delineauerit, vel ipsamet quotidiana operis conseruatio apertè declarat, cum ad multos morbos, vel in venis, medullisque insidentes depellendos tot medicamenta parauerit, quæ non præmonita sensibus, non manibus præmunita certos quosdam humores bonam hominis valetudinem inficientes, aut extrà corpus, & venas attrahunt, aut vi quadam intimiùs latente, ad exteriora propellunt; Idque semper fuit summum ipsius naturæ munus prorsus admirabile, quod exiguis, atque attenuatis medicamenti particulis ingentem humorum copiam, cui vel fortissimus homo succubuerat, agitatam primùm, deinde subactam, denique penitùs reiectam passim intuemur; At qua id soleat ratione contingere, non omnibus philosophis, ac medicis vna sententia est; Primusque omnium Aristoteles cui meritò illud Homeri de Tyresia referemus

Ipse sapit solus; reliqui velut vmbra vagantur

Rei propositæ rationem afferens problem. 43. inquit, medicamenta cum animantiū calore concoqui nequeant atque domari, licet ęgrè dissoluantur, soluta tamen venas, quo cibi feruntur, ingressa, humorum vniuersitatem perturbant, tantumque agitant, vt ad extremum non amplius indomita, & obsistentia, sed superata ad secessum deducant; causam verò cur humorum vniuersitatem Pharmaca perturbent, atque commoueant, in caloris frigorisue ipsorum exuperantiam reuocat. Quæ Atistotelis sententia quamuis, & tanti viri authoritate illustris, & rationum momēto grauissima, haud tamen veritatis rationē assequi videtur, quippe causam non reddit, ob quam certa quædam medicamenta certos etiam educāt humores; omnia enim iuxta eum Aristotelis sensū animantiū calore non domita, omnem humorem agitarent, omnem pariter educerent; nihilque proprium esset, quod determinatos humores attraheret; experientiæ

verò

verò sensus iam plenè docuit hoc medicaméto hosce humores alio alios tantū educi; ità vt meritò nō Apponensis modo eorum problematum expositor, sed fidus etiam Aristotelis Commentator Auerroes ab hac sententia discesserint.

Erasistratus verò quemadmodum cognatione proximus Aristoteli, ità vt ius sententiam tueretur, non determinatum à determinato, sed omnes pariter humores ab omnibus medicamentis educi vltrò cōcessit; quod deinde ex eius Erasistrati familia omnes approbarunt; qui tamen etiam Hippocratis demonstratione redarguuntur; quippe medicamenta sunt, quæ bilem, sunt, quæ pituitā propriè trahunt, aut expellunt, nec alios attingunt; ni ratione quadā consequētiæ per eas, quas medici superpurgationes appellant, moueātur: Vel si morbo (vt inquit Galenus) a bilis copia suborto, medicamentū, quo melancholia educatur, exhibeatur, nihil quidem contra eius morbi vim grauitatéque contenditur, nihil ex eius causa detrahitur, melancholia tantum educta; at si Pharmacū, quod bilem propriè alliciat, assumatur, continuo eumdē morbum, bile deiecta, videbit medicus contabescere; quod sanè certissimum est argumentum determinatis humoribus, determinata pariter medicaméta cōuenire. In qua re neq; audiēdus est Asclepiades apud Galenum, qui attractricis facultatis hostis acerrimus, nō attractos à Pharmacis, quos expulsos videmus, humores credidit; sed ipsorum potius vi denuò genitos, & quamuis alienos, in eorum, qui expellūtur, naturam inuersos; certis enim medicamētis certos generandi humores vim voluit inesse, quæ se se ad omnia porrigēns, quidquid intra venas attingit, in illorum, qui sibi proprij sunt, facilè speciem, naturamque conuertit; Cuius opinionis commentum deleuit iam dies, iudicia naturæ cōfirmans; etenim humorum copiam medicamento purgante cernit medicus imminui, instantes morbos arceri, inualescētes reprimi, omniumque impetum frangi, atque sedari; quæ procul dubio haud contingerent, ni præter eos, in quos possunt fortasse medicamenta conuerti, alij pariter humores eorum morborum causæ educerentur.

Galenus, cui hac præsertim in re, & plebei pariter, & nobiliores medici subscripserunt, se potius hac difficultate, quam difficultatem expediens, totus circa similitudinem versatur, quæ medicamentis cū humoribus intercedit, huiusq; vi certos humores allici, atque educi contendit; cuius doctrinam amplectentes alij tantam medicamentorum cum humoribus affinitatem, atque similitudinem esse affirmarunt, vt ea sola vi omnes qui noxij sunt, à corpore attrahantur humores, si affinitas, & dissimilitudo dignoscatur; Sic sæpè visum est quædam animantia quæ certis, tamquam cibis, medicamentis vtuntur, vt præsertim Elleboro Conturnices, eos vberiùs humores aggregare, quos in alijs ea medicamenta trahere consuescunt; vt ea ratione quosdam Conturnicum carne completos, melancholicis morbis oppressos viderit Galenus lib. 6. Epid. Atque huic sententiæ visus est assentire etiam Cardanus, qui docuit ventrem, siuè potius intestina medicamentis quodammodo destributa eorumque viribus infecta, quamdam ea ratione cum attrahendis humoribus similitudinem contrahere, qua vrgente eos verè humores attrahunt, attractisque la-

cessita expellunt;qua verò ratione id cōtingat,siuè per quādam ex congruentia qualitatum seù temperatione resultantiam vt vult Auicenna; siue per formarum substantialium tum in humoribus,tum in medicamentis similitudinem, quarum vna trahat aliam,vt volunt alij,adhuc apud medicorum scholas ignotum est;Idque vnum apud Medicos omnes statutum esse debet medicamēta in humores non agere nisi aut similitudine, si admittitur attractio, aut dissimilitudine, & contrarietate, si detur expulsio; quod prorsus illud est à recentioribus quibusdā medicis inuulgatū hominis valetudinem aut rerū sympathia,aut antipathia,partim etiā vtraque seruari;vnde Medicus peritus humores illos,quos, medicamētorū similitudine nō valet expellere, debet cōtrarietate propulsare.

Munus igitur medici potissimum est in homine ægrotante humorum peccantium, atque medicamentorum adhibendorum naturas optimè perpendere, ac perscrutari, vt scitè passiuis applicentur actiua, etenim

——— vbi corpore in vno
Frigida cum calidis pugnant, humentia siccis
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus

Ea diligenter spectanda sunt,quæ possint in erbis, & humoribus à naturæ præscripto exorbitantibus adaptari; quemadmodum enim singula membra corporis humani sua habent propria in substantia, & viribus ex primæ cōmixtionis,atque conformationis ratione; sic & in rerum natura reperiuntur plurima, quæ vel similitudine cognationeque substantiæ, ac proprietatū ex conuenientia,& consensu naturæ fouent,roborant, tuentur, & cōseruant totum,& partes; Vel contrarijs viribus ex eiusdem naturæ discrepantia,idem totū infestant, corrumpunt, ac perimunt; atque ideò non promiscuè aut confusè medicamenta euacuandis humoribus adhibenda, sed quorum ratio aptiora trahendi,aut expellendi officia suppeditabit; Præsertim verò monet Arnoldus de Villa noua, dolum in medicis esse, vbi in promptu habentur simplicia adhibere composita; esto enim quædā sint compositiones ab antiquis medicis excogitatæ, atq; vtiles inuentæ,quas etiam tamquam expertas liceat recipere; tamen à tutiore medendi methodo alienæ censendę sunt,quemadmodū etiam, vbi fieri potest, explodūtur ab Hippocrate,Galeno,Dioscoride,Erasistrato, Celso, Scribonio, Auicenna,alijsque pluribus, quorū doctrinas hic subscribere nimis longū esset.

Id etiam in curandis morbis medicus spectare debet,quod dicitur cęlo cōsistere,aut à cælo ipso dissentire;nimirum vt cælorum aspectus, planetarumq; rimetur influxus,quo tutiùs,quæ saluti consulere possunt, atq; opitulari, medicamēta disponat; At nō proinde medicus ille laudādus,qui omnē humanū euētū cælestibus adscribens,omnē hominē ortū,atq; interitū,ab astris in omnibus pēdere existimat,nemineque victurū, aut moriturum esse diiudicat,nisi disquisita primū Astrorū,& planetarum ratione;licet enim mundus hic à cælestibus intexentibus eum,intextuq; concretis gubernari vltrò cū Aristotele in 1. met. concedamus;non sunt tamen ità medicorum mentes occupandæ, vt caligine quadam circumfusæ neglecto terrenorum obtutu referant in cælum; vana siquidē

semper

ſemper Horatio viſa eſt eiuſmodi Aſtrorum in Medicis obſeruatio, inquit enim ad Leuconoen Od. 11.

Tu ne quæſieris, ſcire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Dij dederint Leuconoe; nec Babylonios
Tentaris numeros, vt melius quidquid erit pati
Seu plures hyemes, ſeu tribuat Iupiter vltimam.

Neque enim vt vera à Medico tenenda eſt Heraclidis opinio, qui primum hominem ab orbe Lunæ cecidiſſe affirmabat, adeoq; fidentiſſimè docebat homines omnes Lunæ præſertim dominatum in morbis eſſe paſſuros, ſine cuius aſpectu fauente numquam æger conualeſcit, ſicut infeſto necatur; putabat enim Heraclides omnia, quæ apud nos ſunt in orbe Lunæ reperiri, eaque ad nos per radios ferri, his quoque deliramentis ſubſcribente Theſpeſio Cilice; qui cum ex alto præcipitans expiraſſet, tertio die reuixit, atque intereà mente raptus ad cælos, mira conſpexit, quæ ad nos ab ijs per radios traducebantur, adeo vt non mirum videatur, ſi apud Pindarum quandoque Luna deliquium patiatur nimijs in cælo, atque quod nos concuſſa puerperijs.

At inter præcipua medicinæ præcepta illud etiam ab Hippocrate traditum eſt Medicis, vt anni tempora, & tempeſtates ſedulò obſeruent; Etenim in medicinæ compendio, quod librum Aphoriſmorum vocant, identidem monet, vt eadem anni tempora ſeu in euacuationibus, ſeu in cibis exhibendis, ſeu alijs quibuſcumque medendi rationibus conſiderent; ibique etiam Hippocrates vniuſcuiuſque tẽporis mutationes, morboſque tam graſſantes pluribus doctrinis complexus eſt; eſt namque pro varia temporis anni ratione variandus Medicis medicamentorum vſus, cum aliter æſtate, aliter hyeme, aliter vere, aliter autumno corpora purgantibus moueantur; neque promiſcuè fas eſt quodcumque medicamentum arripere quacumque tempeſtate. Sic inter varias temporis rationes varij etiam dies à Medico obſeruandi ſunt; licet enim Heraclitus, Heſiodum redarguat quoſdam dies probos, & felices, quoſdam verò malos, atque infortunatos facientem, cum non videantur dies ex motu ſolari quem participant diſcrepantes; tamen experientia ſatis apud Medicos compertum eſt, quoſdam dies eſſe ægrotis fortunatiſſimos, ſaniſſimos, imò beatiſſimos; alios verò infelices, atros, ſanitati aduerſos atque ipſius vitæ regimini valde infeſtos; quapropter peritiores medici in propinandis potionibus, in morbis dijudicandis, in methodo curandi dies quoſdam aduertunt, præſertim eos, quos Criticos appellat Hippocrates, qui etiam per ſeptem fieri dicuntur.

Neque à Medico negligenda eſt illa affectuum animi notitia, quæ in curandis morbis tam magnum monumentum habet; ex eo namque quod plerique ſint, qui eò vſque artem medicam peruenire mirentur, vt etiam immaterialis curandis incumbat, atque ſpiritum quoque introrſum rimetur, quaſi Medicis omnes rerum ſubſtantiæ, naturæque ſubderentur; non proinde à dignoſcendis animi affectibus in ægrotante debet Medicus abſtinere; Cum meminiſſe ſit fas, quantum cæteris præſtare oporteat eum, qui circa ſubiectum

tam nobile, tam excellens, tamque diuinum, quale est corpus humanum versatur; & sanè si in architectis, vt est apud Vitruuium, tanta, tamque multiplex requiritur scientia, vt secundum mechanicen non peccent; quantum notitiæ, & doctrinæ in medicis requiretur, qui præstantissimã materiam pertractat, quam spiritus eformat, mens animusque gubernat; mens enim seù animus, quandiù in corpore degit, eo ad agendum tamquam organo vtitur, atque hunc, vel illum, prout temperamentum, aut organum se habuerit, affectum elicit, alieno, nisi intra se habeat, indiga subsidio; & cum quatuor primis humoribus temperamentum in homine cõstituentibus, quatuor primi animi affectus addicti sint, calori nimirum seu bili, ira; frigori seu pituitæ mansuetudo, siccitati seu melancholiæ tristitia; sanguini gaudium; hique sint, atque id genus alij animi affectus, de quibus ratiocinamur; Idcircò à medico in ægroto animaduertẽdi sunt accuratè, vt ne dum à corpore, sed etiam ab animo curationem instituat; à corpore quidem humores attemperando, ab animo verò vsum rationis suadendo; Atque vtinam in medicorum apothecis illud primum Recipe sciretur.

Nisi purgatum est pectus, quæ prælia nobis
Atque pericula est ingratis insinuandum
Quantæ conscindunt hominem cupedinis acres
Sollicitum curæ quantique perinde timores
Quidue superbia, spurcities, petulantia, quantas
Efficiunt clades. Quid luxus desidiesque
Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
Expulerit dictis non armis, nonne decebit
Hunc hominem numero Diuum dignarier esse?

Et cum id quod pretiosius, quodque carius homini esse potest, mens sana sit in corpore sano, iuxtà sapientiorum dogma apud Stoicos, apud Pythagoricos, & etiam Epicureos; hoc solummodo tamquam optimum quid esse precandũ à superis monentes; Idcircò qui in corporum cura exercetur, debet etiam animis curandis incumbere, cum nulla, ea Epicuro perfecta habeatur in corpore salus si deficiat sanitas mentis, neque enim opus est nobis, inquit Epicurus, vt sani tantum exteriùs videamur, sed vt sani re vera hoc est mente, simus; quod etiam consonat illi adhortationi qua ab eodem Epicuro monitus est Pythocles vt se non ad ostentationem, sed seriò Physiologiæ dedat, quod non corporis valetudo, sed mentis beatitatem perficiat; quapropter scitè Horatius 1. epist. 2. reprehendit hominem illum, in quem ea iactari possint.

Quæ lædunt oculos festinas demere, si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum.

Quæ obiurgatio potest etiam medicos illos afficere, qui in curandis corporis morbis, intimas adire renuunt animorum affectiones, ex quibus non rarò ægritudines solent in corpus erumpere; nec minùs damnandus est medicus, qui corpus nequaquam inspecto animo curat, quæ est pars hominis potior, quam improbanda illa apud veteres Græcos medicorum consuetudo capiti, alter

alter oculis, alter aluo incumbebat, vni tantum corporis parti manus admouens, quod ex Galeni libris intelligi posse testatur Petrus Victorius, & etiam ex Cicerone in 3. de orat. & lex illa ità medendi ad Græcos dicitur ab Ægyptijs promanasse, apud quos vt habet Herodot. in Euterpe Medicina erat in hunc modum distributa, vt singulorum membrorum singuli essent medici, adeòque tunc temporis (inquit Herod.) omnia erant plena medicis, ac medicinis referta.

Quantum verò Medico præstet animum primùm inspicere ad medendum ex eo coniectare licet, quod cum animus, & corpus in homine æquè ægrotare possint, ad id potissimum in ipso homine respiciendum est, quod locum, & partem obtinet Principem; quo factum est vt animi valetudinem è cælo labentem, atque ad cælum ipsum remeantem, crederent quidam, corporis verò sanitatem telluri congenitam, atque in ipsam desinentem opinarentur; ac fortasse ea de causa in supplicationibus veterum carmen illud adhibebatur, vt benè aduertit Max. Tyr. ser. 41. Beatorum sanitas antiquissima, in reliquam tecum sim vitam; vt indicarent animum benè valentem omni temporis interuallo omnis esse indigentiæ expertem, quod de corpore etsi benè valente, ac viribus præstantissimo dici non potest. Et quod maius est, etiamsi infectum vndique collabatur corpus, cunctaque membra tabescentia propendeant in ruinam, dummodo intaminatus perduret animus, vnus potis est corpus omne à morbis redimere, atque ab ægritudinibus vindicare; agit enim id animus noster, si benè conualeat inter subiecta corporis membra, quod in Atheniensium Ciuitate, quam dira pestis inuaserat, agebat Pericles ab ægritudine intactus, qui solus (vt inquit Max. Tyr.) Sanitate vigens totam ciuitatem ex malorum incursu iam penè obrutam, & iacentem excitauit, effecitque vt ad resumendas absumptas vires respiraret.

Hacque sola ratione doctrinam Ethicam supra medicinam extollit Plato in 1. de leg. & etiam Arist. in 1. ad Nicomachum, subdens vterque artem circum virtutes animi versantem esse de genere artium supremarum; tantamque huius doctrinæ dignitatem, & celsitudinem, quæ animum curat, agnouere etiam Stoici, vt medicinam dixerint esse gradum ad mortem, hanc vero doctrinam gradum fecerint ad vitam, quo ad superos scandit animus virtute sublatus, extat enim adhuc istius doctrinæ elogium apud Horatium

——. fuit hæc sapientia quondam
Publica priuatis, secernere sacra prophanis
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Cui sapientiæ consociata corporis medendi ars medicum efficere potest (inquit Galenus lib. de facult. nat.) vndequaque perfectum; hacque sola de causa antiquos peritissimos medicos legimus relatos in Deos, eisque velut Numinibus diuinos impensos honores, atque excitata delubra, Chyroni præsertim, Podalirio, Hippocrati, alijsque eiusmodi pluribus, Regesque ipsi præclarissimi Medorum, Arabum, Persarum, Ægyptiorum ea Ethicæ, & Medicinæ fœderatione

ratione

ratione sibi conscita, medicorum appellationes non reformidarunt; quin immo Ouidius Apollinem ipsum introducit medicinæ nomine gloriantem.

Inuentum medicina meum est, opifexque per orbem
Dicor & herbarum subiecta potentia nobis.

Ex quo etiam Philon Medicus quidam celeberrimus, cuius meminit Cel. in lect. antiq. postquam alexipharmacas quasdam potestates ad corpus simul, & animum curandum effecisset, imposuit nomen, Deorum manus; & quotquot vmquam à mundo condito vixerunt vno omnes ore, & consensu, ea tantum ratione, medicinæ initia Dijs immortalibus adscripserunt, & à Moyse vsque scriptum est Deum optimum Maximum fuisse medicinæ authorem, eaque omnia quibus vtimur ad sanitatem tuendam, morbosque propulsandos è nihilo condidisse; vnde fortasse nec temere Hippocrates qui æquè animis, & corporibus medicamenta suppeditabat in sacris Eleusinijs secundus ab Hercule monstrorum domitore tamquam Deus est initiatus; & Homerus ipse inter viros quamplures virtute præstantissimos solum Medicum speciatim commemorat.

Vir Medicus siquidem multis virtutibus vnus
Præualet ante alios multos.

Etsi apud quosdam præsertim veteres dedecus, & ignominiam perpessa est medicina, id non ex artis dedecore, probro, aut abiectione ortum est, sed potius ex prauo ipsius artis vsu, quo ab Ethicæ regula seiuncta est, atque in pessimis artificibus collocata, quod quidem contingere potest absque ipsius facultatis iniuria aut læsione; Et licet Æsculapium ideò scelestum hominem commemoret Lactantius scribens ad Constantinum Imperatorem, vt in eo coercendo Iouis fulmine opus fuerit, attamen non proinde Medicinæ artem vituperatione dignam ducit, sed potius summopere tollit; refert enim ex Pindaro prauum Medicinæ vsum in Æsculapio fulminis pœnam ideò subijsse, quod medicinam, nocenter, atque in magnum Reip. damnum exerceret ob auaritiæ vitium; non quod ars ipsa, quæ semper optima fuit censuram aut castigationem pateretur; eo prorsus modo quo etiam Romani sub Catone Censorio Medicos omnes ex vrbe tota pepulerant, quoniam multo plures erant ij quos quidam ipsorum occiderent, quam sanarent ex artis incuria, aut ignoratione; essentque etiam qui venenorum peritissimi, odio, ambitione, aut lucro facilè ducti, venena pro remedijs ministrarent, & sæpè etiam pacta mercede hominum vitæ molirentur insidias, testante id præsertim exemplo Medici Regis Pyrrhi, qui Fabritio Romano promiserat se Regem medicina interfecturum, quod facinus auuersatus Fabritius Pyrrhum quamuis inimicum per epistolam monuit vt caueret a Medico, de qua re cecinit Claudianus


Romani scelerum semper spreuere ministros
Noxia pollicitum Domino miscere venena
Fabritius Regi nudata fraude remisit.

Vnde benè hoc medicorum genus auuersatus Cato, ac præsertim quosdam Græcorum medicos notans, scribit ad filium, vt summoperè caueat, ne & ipse medi-

medicina necetur; eiusdem generis medicos vetat Socrates apud Platonem in Remp. recipi, artemque exercere; ampliora siquidem incommoda sunt, quæ à prauis medicis in Reip. perniciem aduehuntur, quam bona, & vtilia quæ ab ijsdem adueniunt; ac propterea aiebat Plinius Medicos præ cæteris bonis æquè moribus ac scientijs indigere, cum enim Medicinæ ars, vt aduertit Petrus Apponus Conciliator inter planetas adscribatur Marti, qui omnium infensissimus est, omnisque iniquitatis, & malitiæ author, ipsis quoque enixius virtuti incumbendum est, qua præsertim ægrotantium corpus, & animum leuent.

Medico denique in cura morborum, quicumque sint, etiam natura incurabilium ab arte dæmonum, & veneficijs abstinendum est; sicut enim nihil negligere debet Medicus, nihil non moliri, quo pressuris leuet ægrotum, dummodo honestati cohæreat; ita inhonestum omne ipsi vitandum est, quo possit vita etiam deperdita redonari; quapropter iure ad medicos fabula illa de Apione Grammatico lata est, qui vmbras euocauit ad percontandum Homerum, qua patria, quibusque parentibus genitus esset; non tamen ausum profiteri, quid sibi respondissent, sed prodidisse herbam quamdam Cynocephaliam diuinam, quæ contra omnia veneficia valeret, vt edifcerent medici ad corpora curanda, medicamenta, quidem non verba aut veneficia esse adhibenda. quo ipsis quoque notum esset, esse plusquam palmare medicinæ crimen rebus ad curandum superstitiosis vti, eaque adhibere quorum vsus ratione naturali minimè probatur, licet faustus ea probet euentus.





LEX XIX.

AD HOMINEM MVSICVM.



NTER artes quibus solent homines ad exercendas virtutes benè erudiri videtur adprobare Plato in lib. de leg. & etiam in lib. de rep. Musicam artem,quam etiam laudat satis Arist. 8. polit. cap. 3. & Terentius ipse, vbi Parmenonem inducit laudantem Musicum Eunuchum,& licet quædam adhuc præstò sint populorum exempla musicam è ciuitatibus, ac rebusp. depellentia velut enecans virus, hoc tamen de quadam tantum musicæ forma intelligendum est, non de quocumque harmonico concentu, quemadmodum etiam eo respexit Lycurgus cum vetuit Spartanos musicæ operā dare, Alcibiades cum Cytharam è ciuitate reiecit, Alexander Macedo, cū lyra Paridis contempta Clypeum,& hastam Achillis postulauit,Aristoteles denique cū quandoque in politicis edocuit;Musicam neque vtilem, neque necessariam esse;hi namque omnes Musicam repudiantes eam tātummodo musicæ rationem repudiarunt,quæ non probis consulit moribus,sed animos potiùs frangit, mollesque reddit;non enim musica vel Cythara vniuersè Sardanapalum fecit effęminatum,& mollem,Neronem crudelem,& Tyrannum,Alexandrum insolentem,Homerum insanum, Herculem furentem, Pariden adulterū; sed musicæ quoddam genus turpe, potius eiusdem musicæ abusus homines obscænos, voluptarios,atque impudicos efficiens; quemadmodum sæpè è ciuitatibus Tibia expulsa est,quod furore quodam Bacchio,& Berecinthio concitet audientium animos, & etiam Cythara, quæ maximè sensus prolectat, subtrahitque à lege rationis, licet narret Plutarchus in Gracchо ipsum Gracchum Plebis Tribunum,cum esset dicturus ad populum numquam prodijsse, nisi apud se Cytharædum haberet, cuius varia modulatione, prout res ferebat, & dicentis, & audientis concitaretur affectus.

Ex tribus verò quæ sunt omninò principes ipsius musicæ formæ,nomenque obtinent à Lydia,Phrygia, & Doria, commendatur magis pro homine ad virtutem instituendo modulus ille qui Dorius dicitur,semper honestus,& grauis,

atque

atque ad morum probitatem animis interferendam accommodatos;ficut contra ea muficæ genera femper refpuenda funt, quæ nullo modo inftituẽdis profunt affectibus,fed potiùs obfunt; debet nãque mufica vt Ariftoteles docet hominis animum harmonicum reddere,fibique confentientem atque omni virtute temperatum; & hunc animi concentum in mufica exercenda fpectabant veteres fapientes, qui in ciuitatibus, & regnis muficæ ftudium admittebant; huiufque muficæ curam impẽdio complexus eft Lycurgus ipfe, qui duriffimas ac veluti ferreas Lacedęmonijs condebat leges;& illæ Refp. quæ muficæ iftius neglecto ftudio animi concentum à fuis mænibus exturbarunt, grauiora etiam mala,& exitia fubierũt,adhuc enim celebre eft exemplum Cynethenfis Reip. cuius populi contempta tam falutaris cura difciplinæ, qua à maioribus fuis fuerant inftituti,humanitatem illicò atque vrbanitatem exuentes,ferarum more vitales deinceps auras traduxere; poftremis denique bellorum ciuilium fluctibus iactati, cum totius Reip. interitu naufragium fufcepere; quæ res præfertim narratur à Polybio lib. 4. vbi refert Cynethenfibus maiorum lege cautum efse, vt omnes adolefcentes vfque ad annum trigefimum in muficæ ftudia diligenter incumberent.

At velut aptiorem moribus componendis atque fedandis affectibus profert Caffiodorus,Muficam,non Ioniam,quæ florida nimis, & iucunda eft, Non Eoliam quæ foporifera eft; Non Afiam quæ nimis varia,& multiplex eft;non Lydiam quæ folum adhibebatur, & querula dicta eft ab Apuleio in florid. Non Phrygiam quam barbaram, vehementem, & nimis incitatam appellat Horatius, fed Doriam duntaxat (inquit enim) de eiufmodi modulis valdè inter fe diffentientibus, Phrygius pugnas excitat, & votum furoris inflammat, Eolius animi tempeftates fedat, fomnumque iam placatis attribuit, Lydius intellectũ obtufis acuit, & terreno defiderio grauatis, cæleftium appetentiam bonorũ inducit operator eximius, At folus Dorius prudentiæ largitor eft, & caftitatis effector; quæ muficæ munera in tam varias ac multiplices formas difpertita optimè complexus eft ille,qui muficam de feipfa his verfibus obloquẽtem inducit.

Vinco, flecto, rego, cantu, dulcedine, plectro
Dira, cruenta, feros, tartara, monftra, viros
Languentes releuo, morituros excito, mæftos
Erigo, pallentes munio, vinco Deos.

Præfertim verò Plato, & Ariftoteles hominem quemcumque Dorijs modulis exerceri iubent, quod ijs duntaxat infanus homo fanus fiat ac mentis, & virtutis compos;& Pythagoras ipfe ijs pręfertim vtebatur erga difcipulos fuos,quos ebrius,procaces,aut ira detentos comfpexiffet; atque inter cæteros laus Cliniæ Pythagoræi non eft omittenda,quẽ refert Ælianus folitum fuiffe ad iracũdiam præcipites harmonico concentu cohibere, quemadmodũ etiã fertur de Timotheo tibicine celeberrimo cautiones coram Alexandro Macedone canẽte,modo eũ ad arma cõcitaffe,modo fedato bellico furore ad pacem demulfiffe,quapropter optimo iure dictũ de mufica in humanos affectus dominatũ exercente.

Quem

Quem non blanda iuuant varij modulamina cantus
Huic iecur, & renes, ægraque corda stupent
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile vocis opus
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abilit
Dulcisonum reficit tristia corda melos.

Data siquidem est musica hominibus, tamquam lac animæ, gratissimum sollicitudinis leuamentum, laborum solatium, atque velut pharmacum saluberrimum ad inducendum humanarum calamitatum obliuionem, quibus vita hæc nostra vndique septa deprehenditur; quo circa Salomon, vinum, & musica (inquit) lętificant cor, & super vtraque dilectio sapiētiæ; Atque in tantum honoris culmen apud quosdam veteres processit, vt non in conuiuijs dumtaxat, & Magistratuū epulis, sed etiam in sacris, & Deorum puluinaribus, adhiberetur, testantibus Athenæo, & Macrobio, qui eam subdunt rationem, non solum quia compositos animos sacrificantium, & ad aras Deorum accedentinm esse oportere significabant, cum metro compositæ preces domo essent ad Altaria deferendæ, sed etiā quia, cum Deos esse corpora cælestia arbitrarentur, è numeris, atque harmonicis proportionibus Deos ipsos constare putarent; sicque per hymnorum, & instrumentorū, & saltationum rythmum Deorum naturam imitantes, festosque agentes dies conabantur pro viribus ad Deorum immortalitatem accedere.

Musicam igitur suauem morum concinnitatem in hominibus gignere nemini dubium esse debet; nam, & ipsum etiam Socratem, cum in summa seueritate consenesceret lyræ ediscendæ nauasse operam Athenæus scribit lib. 14. & maximam semper fuisse in quacumque Rep. vim harmoniæ post Platonem testatus est etiam Aristoteles 7. & 8. polit. eique illud respexit quod Orpheo, & Amphioni tributum est suauisonæ testudinis concentu fera hominum corda mitigasse, agrestes expoliuisse mores, & dispersos, vagosque mortales in cætus congregasse, de vtrisque Horatio ea occinente.

Syluestres homines sacer interpresque Deorum
Cædibus, & victu fædo deterruit Orpheus
Dictus ob hoc lenire Tigres, rabidosque Leones.
Dictus, & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet.

Idque eo dictum est, non quod vterque flumina cantu stiterit, animalia ratione carentia, syluas, rupesque attraxerit; nec quod ex Deucalionis, & Pyrræ iactu lapidum post orbitatem diluuio inductam, lapideum emollitum fuerit hominū genus, cuius labes vix omnibus vndis cælum tangentibus potuit aboleri vt est apud Ouidium 1. met. sed quod affatus suauitate, operumque harmonico concentu homines incultis moribus rudes, gentesque sine cultu rationis ferocientes, & barbaras, ad obsequij ciuilis pellexerit disciplinam. Et hinc Diogenes Cynicus carpere solebat musicos, qui cum lyræ chordas congruenter temperarent,

rent, animi mores inconcinnos haberent; similique mordacitate Isidorus Cynicus Neronem palam transeuntem clara voce corripuit, quod Nauphij mala benè cantitaret, sua verò bona malè disponeret, neque vllum in vitæ tenore temperamentum adhiberet; fuit enim Nero fidibus oblectatus ad insaniam vsque,& in Theatris musica decertauit non sine Maiestatis Imperatoriç dedecore, atque ignominia, vnde & nummos lyræ nota percussit, & statuas sibi Cytharædico habitu posuit, vt est apud Pierium lib. 47. Hieroglyphic. nec minus scitè columnis adscriptum publicè fuit Neronem cãtando Gallos excitasse, postquam Galli atrocem eius fastidientes mollitiem, defecissent; vt quos puderet Cytharædo potius quam Imperatori obedire.

Vsq. adeò verò omnis humani animi habitus harmonico concentu gubernatur vt & ad bellum progressui, & item receptui canatur, cantu, & excitante, & rursus sedantę virtutem; & quod mirere magis Lacedæmonij etiam ad Lyram, Cytharæque sonum acies instruebant, ad eamque modulationem pugnas solebant inire, & certamina, quo significaretur esse prælia sine tumultu sedatiore animo subeunda; Etenim Homerus barbaris in bello rudibus strepitum, & tumultum dedit; Græcos verò sensim,& taciturnos sine tumultu progredientes induxit; Alexander etiam Antigenide tibicine modulante vsque adeò velut lymphatico impetu incitatus exarcisse dicitur, vt concussis armis è medijs proripiens epulis manus in adstantes intenderet illectus sono bellico, & verum esse ostendens illud Laconicum.

Vrget ferrum scitè fidibus canere.

Sicut etiam contra molliori sono, ac motiori cythararum ictu legimus eumdem ab armis ad epulas reuocatum; Et si ad minora quoque accedendum est, ipsi Agricolæ rudes,& callosi æstiua Sole intolerabiles alioquin labores Syluestri attenuant musa, & cantu;& ipsa rustica anus, quæ vel antelucanis horis nere, aut lanam ducere numquam cessat, cantando omnia leuiora facit, quin eadem musica post imbres, tempestatesque sonoras fluctuantibus nautis solatium est; peregrinantibus,& fessis meta, & requies; vinctis, & carcere conclusis pro libertate putatur; Ipsis quoque infantibus musices vsum à natura insitum videas, cum horum vagitus ad nutricis cantum sedari perspicuum sit satis; propterea à Platone in Timæo potentissima artium musica dicta est, cuius harmonia virtus est ad bonum omne conciliandum, ad malum omne abigendum; tantumque dixit musicorum esse in commouendis animis vigorem, vt homo modulis velut vinculis vi quadam extra se raptus, agat sæpe quod agere non dignoscit; & licet plerumque musica eiusque vsus disponat ad mollitiem modo animum, modo ad iram, & furorem, aliosque impetus à ratione, & virtute dissonos atque discrepantes impellat, id in crimine musicæ non est, sed potius in praua agentis dispositione, quæ etiam bona sæpè sæpius in mala conuertit.



LEX XX.

AD

HOMINEM MVNDANÆ ORIGINIS ASSERTOREM.



RIMAM temporis originem, seù temporaneum mundanæ creationis exortum extrà diuinę legis oracula ex sacris fontibus deducta etiam rationibus inuestigare non est omnino scelus, non semper nefas; cum enim plerique plusquam palmari errore decepti, non solum fallente quadam authoritate veterum sapientum freti, sed etiam improbabilibus ducti argumentis, mundanæ molis initia prorsus abiurauerint, consentaneum quoque videtur, non modo eos Diuini reuelantis authoritate confodere, sed etiam euidentibus propè rationibus ad lumen veritatis detracta errorum caligine perducere; Idque agens iure merito Mundanæ Originis Defensor appellatur; vt ille, qui rationum ponderibus, ac momentis mundum ipsum non sempiternum, sed à Deo Immortali certo tempore conditum firmare toto satagit conatu, quo ex hac præclaræ originis conditione augeatur in nobis non tantum de sacris literis fiducia, quam singularis erga Deum tantæ molis opificem admiratio.

Ea igitur hominis mundi initia confitentis doctrina sit, constans, firma, nullisque concutienda argumentis, quæ non modo Hebræorum fuit, sed etiam, Caldæorũ, Pythagoræorum, Stoicorũ, Academicorum, Arabum, saniorũ denique Philosophorum, & Theologorum, Epicuro ipso in eamdẽ sententiã concurrente apud Plutarchũ, quod nimirum non solum naturę, & rationi consentaneum sit, mundum quodam temporis initio ortum traxisse, sed etiam valde congruens supremi molitoris sapientiæ, bonitati, atque libertati; Neq. ex eo quod primus omniũ Aristoteles tum à maioribus, tum à Magistro Platone dissentiens mundum æternum statuere ausus sit, ob vnius Philosophi authoritatem, licet inter cæteros summus computetur, à veritate recedendum est; maximè quia Galenus, & Varro, qui omnium Latinorum, & Græcorũ doctissimus

à Tullio

à Tullio appellatur, Aristotelis in hac re rationes veri tantum similes, non veras atque necessarias esse diiudicant; quia Aristoteles ipse in lib. de cælo ait rationes aliorum cum suis comparatas rem efficere certiorem, cùm nulli sint aditus demonstrationis aquirendæ, quæ sanè verba philosophi sunt de re proposita dubitantis, satisque perspectum reddunt mundi æternitatem non posse per demonstrationem euinci, quæ sua luce perspicua est nullam dubietatem patiens. Sic Plato, qui Deum post operis tanti molitionem ad res genitas orationē conuertere fingit, quas ob id interituras affirmat, quod ortum haberent; Diuina tamen volūtate fore perpetuas; hic Aristoteles verba Platonis excipiens, si mundus, inquit, nō est interiturus, igitur ne ortum quidem habet, propterea quod, quę ortū habuerunt, aliquando sunt casura, quæq. intereunt, orta fuisse necesse est, quæ à Platone didicerat Aristoteles in Phædro, & in Timęo; vbi propterea mentes originē habuisse negauit, quemadmodū scribit D. Aug. lib. 10. de ciu. Dei, ne aliquādo essent interituræ; mundi verò statum eumdē semper fore iussu diuino. Vter in philosophia grauiùs lapsus sit, alter, qui præpotēti Deo liberam de rebus suis statuendi facultatem reliquit, derupto de rerum exitu decreto ipsi naturæ conformiori; alter verò, qui, quem vniuersi moderatorem confitetur, & quidem omnium causam effectricem, ei tamen omnem adimit operis sui immutandi potestatem, rectè philosophantium arbitratui censeo relinquendum.

Id vnum non minus temerè, quam impiè dictum ab Aristotele, cōtumeliosè nimis Dei libertatem lædens occurrit præsertim hic homini mundanæ creationis propugnatori expugnandum, quo cætera quoque in hac dissertatione argumenta voluuntur, nimirum necessitate quadam mundum à Deo factum, necessitate etiam regi, atque conseruari, cum sit Deus summus opifex agens non liberum, & voluntarium, sed necessarium; Atque in primis id assumentes, quod Aristoteles ipse disputat cōtra Stoicos, qui fatalem in rebus omnibus necessitatem ponebant, nimirum experimentis compertum, ac sæpè testatum esse, quædam voluntate, quædam necessitate, quædam fortuitò, quamplurima casu facta esse, ex hac ipsa doctrina, quæ ipsius Aristotelis est in lib. de cælo, & in libris de Interpret. licet euincere, non omnia necessitate contingere; & cum ex eo fatalem necessitatem in homine temperaret, quod esset homo per arbitrium dominus sui non videtur quo iure sit ita obligandus Deus, vt omni prorsus in rerum effectione libera careat voluntate; consequens enim esset vt Deus, neque Solis cursum sistere, nec cęlestium siderū vim prohibere, nec quicquam in vniuersa natura cōuertere posset, quo nihil stolidiùs, nihil ineptiùs; ac propterea cū Arist. iam sui ipsius puderet, homini cōcessisse, quod Deo eripuerat, conatus est pluribus in locis verbis quidē voluntatē Deo tribuere, reuera tamē necessitate coactā; cōcedens nāq. Deo voluntatē, ea lege cōcedit, vt mutari nō possit, facta scilicet, pro eius libito, & arbitratu in rebus factis, vel faciendis mutatione, & deniq. cū multa tā variè in natura cōtingere dispiceret eò delapsus est, vt fortunam, & casū ex opinione plebis statuere mallet, quā Deo potestatē adscribere, qua agēs liberū esset, quo nihil indigniùs in philosopho excogitari

poteſt,qui nihil ſine cauſa fieri docere debet; quod ſcitè inter cęteros aduertũt Plutarch. & Lactantius vim omnem agendi à caſu,fortuna,& fato eripientes.

Si verò altero innitantur principio temporaneę creationis Euerſores,quod nimirum,& nihilo nihil progigni poſſit,ac propterea, quod eſt, oportere ſemper fuiſse,in hoc etiam facillimè oppugnantur, argumento præſertim à Philopono excogitato,cum enimAriſtoteli nullum videatur abſurdum è priuatione pura manere quoquo modo formas, ità neque abſurdũ videri debet materiam primam de nihilo ſui fluxiſſe; quia Theophraſtus ipſe cum videret plantas, nõ modo in terra, ſed etiam in ſaxis ſine ſemine naſci nihil aliud afferre potuit in lib.1.cap.5. de cauſis ſtirpium,quam cæli vim,atque agendi efficacitatẽm. Simile eſt illud, quod nihil in cælo ſibi contrarium eſſe aiunt, ac proinde nihil ab interitu metuendum nec ſperandum ab ortu; Simile quoque illud, quod quoſdam etiam è noſtris vehementer conturbat,quod, ſcilicet, mundi exiſtẽtia fuerit,aut neceſsaria,aut poſſibilis,aut impoſſibilis; ſi impoſſibilis,nunquam mundus extitiſset; ſi neceſsaria ſemper extitit; ſi poſſibilis, antequam exiſteret,poteſtas exiſtendi, ſeù poſſibilitas fuit in aliquo ente, igitur erat aliquid, quod de potentia in actum exiret;quæ omnia, & id genus alia ab homine mundanæ originis propugnatore facilè conceduntur,ea potiſſimum ratione, qua cauſa effectrix ſempiterna,quæ in ſua eſsentia æterna eſt, neceſsaria, atque immutabilis, & cælum eiuſque motus immutabiles in tempore, ac pro tempore potuit efficere; & ipſam quoq; mundi exiſtentiam,quæ quoad eſsentiam poſſibilitatem, atque creabilitatem neceſsaria,& ab æterno fuit,creare in tẽpore contingentẽ.

Reliqua quæ in hac re argumenta proferuntur præſertim à Proculo, qui à Platone magiſtro diſcedens mundum putauit æternum, parui ponderis ſunt. Quod,ſcilicet,Deus mundum ſempiternum efficere potuit, igitur voluit, igitur res ipſa,quam voluit,illicò confecta eſt,cum nõ ſit entis ſummè boni, nõ ſemper velle, aut non ſemper bonum efficere,ſi poſſit. Deinde quod Deus ab otio ad negotium tranſire non poteſt,neque in eiuſmodi mutationes abire,cum immutabilis ſit, ac ſemper agens; quapropter valdè abſurdum eſſet Deum innumerabilibus ſæculis ignauiter quieuiſſe. Eiuſmodi ſiquidem, atque ſimilia argumenta nullo prorsùs negotio refelluntur; cum omninò falſum reputatur à Theologis Deum ea omnia bona velle, ac neceſſariò efficere, quæ liberè vult, quæ efficit pro arbitratu, cum enim bona quæ vult, aut efficit bonitatem non contineant infinitam, nequeunt Dei voluntatẽ, quæ infinita eſt, efficaciter, aut neceſſariò mouere;Sicut falſum itidem eſt Deum ipſo ab otio ad negotium, à labore ad quietẽ ferri,atq; per eiuſmodi tranſitũ immutari; nam Deus qui propriè moueri nõ poteſt,etiã quietis incapax dicitur;quod agnouit etiã Ariſt.in 6. phyſ. qui docet Deũ non tantum immobilem eſse in orbium cõuerſione, quã immutabilẽ in tuenda mundi ſalute; perſuaſũ enim ſibi habuit Ariſtoteles Deũ rerum omnium moderatorem non ſolũ immobilem eſse,ſed etiã omni ſolicitudine,ac labore vacuũ,ſola ſua potentia,atque virtute gaudere; omnis itaq; mutatio,quæ inſipiẽtibus in Deo eſse concipitur,in rebus ipſis tantũ eſt,quę de nihilo

hilo trãſeunt ad eſſe; quàpropter ſi ab Ariſtotele,& etiã à Platone ſupponitur ſapiens ſemper agere,atq; ſua actione,ac præclara quadam mentis agitatione beari, quantò magis Deus erit ab otio, atq; à quiete remotus,qui per actũ ipsũ agendi, nullã aliã potentiã admittentẽ, quã illam, quæ dicit rationẽ principij,vt ſcitè docet Doctor Angel. in ſua deitate cõſtituitur? Quod ſi Origenes prouidiſſet attẽtiùs, nõ ità facilè eo errore deceptus eſſet, quod Deus ſingulis momẽtis nouos,& nouos mundos procreet, ne inertia langueat, aut torpore marceſcat.

Repudiata igitur in hac diſputatione Ariſtotelis, Proculi,& aliorũ malè ſentientium doctrina, ita firma debet eſſe apud omnes mundi origo, atq; procreatio, vt vel nemo ſit, qui amplius valeat dubitare; accedente pręſertim vulgatiſſima illa Phyſicorum ratiocinatione, mundum eſſe vel corpus ex materia, & forma concretum, vel aggregatum ex multis corporibus coagmentatum, quo innoteſcit apertiſſimè non potuiſſe mundum effici à ſe ipſo, ſed cauſam ſui efficientem habuiſſe, eamque fuiſſe Deum, licet de hoc dubitauerit Cardanus; atque ea eſt cauſæ efficientis conditio, vt ne dum natura effectum ſuum antecedat; ſed etiam tempore; Ex quo conſequitur mundum non ſolum ortum ſuum à Deo duxiſſe per creationem, quę temporanea ſit, non æterna, ſed etiam ad interitum pro tempore eſſe declinaturum iuxta id quod fatetur etiam Lucretius Epicuri diſcipulus:

Vna dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentitata ruet moles, & machina mundi.

Qua ratione Auicenna contra quoſdam mundum ideò ſempiternum eſſe aſſerentes, quod moueatur à Deo ſempiterno motore, cuius actio debet eſſe ſine termino, negauit mundum ipſum à Deo moueri, ſed ab alio motore finito, ex cuius finita actione mundum finitum eſſe conſequatur; cenſebat enim ipſe finito corpori, vt mundus eſt, infinitum motorem copulare, planè abſurdum eſſe, ex eo quod finiti ad infinitum nulla ſit ratio, vel cohærentia, vel habitudo; Non eſt igitur Deus eiuſmodi (inquit Auicenna) vt ità mundo velut effectui cohæreat, vt ſine ipſo conſiſtere non poſſit, ac vno exiſtente, alterum quoque exiſtere neceſſe ſit, quod eueniret ſi Deus ab æterno mundum procrearet quadam agens ſuæ naturæ neceſſitate, potiùs quam libertate.

Quod ſi dicatur à quibuſdam mundum ſemper fuiſſe, ſed temporum incognitorum viciſſitudine, quæ ipſa æternitate comprehenduntur, modo incendijs,& eluuionibus per ſæcula extinctum eſſe, modo reuixiſſe; atque ità quod viſum eſt nobis non eſſe, tantùm latuiſſe, iuxta opinionem quam ab Ægyptijs acceptam Solon in Græcia diſſeminauit; hæc & id genus alia velut pura figmenta accipienda ſunt; quin ab ipſo Ariſtotele velut nugæ deridentur, cum nec tot frequẽtes, nec tam grandes vmquam extiterint flammæ, aut eluuiones, quarum vi, atque exundatione mundus omnis, cælum, & ſidera celari, aut operiri potuerint; neque id conſtet ex tot retroactis ſæculorum curſibus, aut annalibus, in quibus tamen affirmant fabulatores iſti, mundum ſæpè ſerio confectum eſſe, ac materiam omnem elementarem vetuſtate labentem.



LEX XXI.

AD HOMINEM ARCANÆ NATVRÆ SCRVTATOREM.



ANTIQVISSIMVM illud Saturni patris, quod Poetæ finxerunt, Regnum, eoque innoxiè imperante felicissimum, vt Cælum, maria, ipsosque Inferos concludebat; ita tribus deinde limitibus partitum tres eius filij occuparunt; cælestis namque regio Ioui, Neptuno maritima, Inferna Plutoni obtigerunt; proprijsque sedibus tanta quilibet authoritate regnauit, vt in eis omnium rerum potentissimus aliena imperia non turbarit. Eadem prorsus ratione primæuum rerum Patrem intellectum, cuius est (vt inquit Aristoteles) omnia facere, amplam rerum omnium cognitionem obtinuisse; & felicissimè quondam, perseuerante nimirum innocentia imperasse censendum est; vt hoc etiam nomine crediderim omnium sapientum consilio, quemadmodum refert Plato in Philebo, intellectum ipsum cæli terræque Regem appellatum; Hocque deinde longè latèque patens regnum sibi successores partiti, alij cælestem videntur sortiti regionem; dum in omnibus causis naturalibus assignandis vtuntur cælo, cælestia tantum exagitantes, cælum dumtaxat iactantes, cæloque omnia adscribentes; Altera quæ maris erat portio alijs concessa posteris est, ijque videntur esse, qui in scientiarum generibus perquirendis subiectas tantum sensibus qualitates pro causis agnoscunt, easque qualitates aquarum marisque nomine designari satis ad rem acutissimus Picus in Neptalo annotauit; nam præterquam quod perenni illo aquarum fluxu, & refluxu continua sensibilium qualitatum vicissitudo denotatur, & tellus ipsa aquis irrigata velut semine repleta, varios concipit hinc inde, procreatque fœtus; & materia quoque ijsdem qualitatibus affecta omnia parit; quare & Neptunus apud Platonicos generationis antistes effingitur. At quando mare his concessum, illis cælum diximus, reliquum iam planè erat, vt inferi alijs adscriberentur; atque ij profectò sunt qui ad perscrutandam naturam omnes inferorum fibras rimantur, &

tur, &

tur, & receſſus, cum tamen tenebris, & caligine circumfuſi, nihil inde in apertum retrahant, quo perducantur in lucem; adeoque arduum, & difficile eſt inferorum abdita penetrare, vt meritò de illis dicat Virgilius 6. Æneid.

—— non ante datur telluris operta ſubire
Auricomos quam quis decerpſerit arbore fœtus.

Hæc cum ita ſint, opinantur quidam, nec parui nominis philoſophi naturæ ſcrutatorem maximè dedecere, dum eiuſdem naturæ venatur arcana, ad ignotas atque occultas qualitates intellectum ferè omnem latentes peregrinari, vt inde cauſarum, & effectuum in ipſa natura quotidie mirabiliter emergentium deprehendant originem; at cum decem tantum in tota natura ſint rerum omnium genera, velut arguendi principia, atque ratiocinandi capita; duoque duntaxat ex ipſis ſibi vendicent poteſtatem agendi, ſubſtantia nimirum, & qualitas, quidquid actionis experimur in natura, ab his ſolummodo emanare affirmandum eſt; cumque omnis ſubſtantia ſiue prima, ſiue ſecunda, & omnes quoque qualitates quæ aut primæ ſunt, aut ſecundæ ſatis innoteſcat, non erit opus ſollicita indagine occultas perquirere rerum proprietates, vt plenam ipſius naturæ notitiam aſſequamur; nihil enim tam arduum, abditumque eſt, quod humanæ menti prudenti conſilio primas cauſas, & principia peruestiganti, aut facilè non occurrat, aut labore aliquo, & induſtria non reſeretur. Quia veris philoſophis ſemper durum fuit, quoſdam in naturæ ſerutinio deſudantes pati, qui quorumdam effectuum manifeſtas illico non attingentes cauſas, aut eos non eſſe credunt, aut ab alijs attingi poſſe deſperant. Propterea optimè Syneſius lib. de ſomnijs cap. rerum hanc vniuerſitatem libro varijs ſignato comparauit, in quo literæ quidem ſunt partim Phœniciæ, partim Ægyptiæ, partim Aſſiriæ, quarum qui naturas, & arcana ſcrutatur, quò ſcientior, eò plures, clariuſque perleget, nec proinde qui literarum Ægyptiarum notas non callet, eas debet cæteris occultas atque ignotas iudicare; Ab illis ſanè nec diſſimiles, qui in cæleſtis portionis imperio conſtituti, cælo ipſo ad omnes difficultates enodandas vtuntur, imo ad hominum ludibrium abutuntur, dum ampliore licentia, quorum cauſas ipſi non attingunt, omnes referunt in cælum, ſæpè natura, & etiam religione euerſa; Quamuis enim fateatur Plotinus Naturam in Cælo æque, atque ſubtus terram quamdam magicæ artis occultam vim exercere, dum variam ſimul atque conſtantem cæli conuerſionem, curſus aſtrorum diſpares, luminum defectus varios, corporum traſformationes, repentinos imbrium, atque ventorum impetus, tempeſtatum portenta, euentuum prodigia; rerum omnium viciſſitudines in hoc orbe molitur, atque niſi naturam ineſſe crederemus, Magam operari arbitraremur; tamen cum humanum ingenium omni miraculo admirabilius, nulla difficultate terreatur, nullaque rerum varietate confuſionem patiatur, omnia quæ ſuffuſa caligine videntur, ignota, aut cælo ipſo diſtantia, facili gradu facilique negotio permeat, conſcendit, rimatur pro libito.

Sic dum corpora inanimata eò vbi alterius fugam insequuntur, subito discessu feruntur, eoque festinant, quò semper natura sua refugere consueuerunt, hoc naturæ opus, exque eius industria factum ad seruandum in mundo continuum atque repellendam inanitatem, statim scrutator ipsius naturæ opinatur; cum tamen mirabile sit, pluribusque etiam incopertum, qua vi ac ratione id fiat; Illud quoque vnicuique admirationem mouet, quo pacto eadem natura ità varietatis amica, vt syluarum horrida, hortotum amænitates, montium summa, depressa vallium, arborum acies, plantarum exercitus, florum agmina, fructuum copias, cælorum discrepantes motus, pugnantes Elementorum qualitates ad iucundum nobis concinnandum prospectum iugi meditatione moliatur; non varijs postmodum, atque diuersis alliciatur rebus, sed similibus; & simile semper simili hæreat in ipsa natura, quæ etiam varietatis oblita similia similibus attrahendi non disformes indere vires consuescat; cuius rei rationem cum expedire non potuisset Homerus, ad Deum, vt sui moris erat, confugere visus est in Odyss.

Ad similem Deus adducit similemque paremque.

Cum tamen etiam in hoc similium attractu, quæ nomine sympathiæ velarunt multi, causas, & rationes à Scrutatore naturæ facile sit inueniri; Etenim cum omnes naturæ concentus, industriæ, atque conatus eò respiciant, vt non minus in rerum ortum, quam in rerum conseruationem intendant (est siquidem eorum quæ nascuntur finis conseruatio) idcirco non minus de ortu quam de conseruatione videtur solicita esse natura; & quemadmodum vires quasdam ad sibi similia ingeneranda rebus ingenuit; ita easdem vires ad sibi similia in similibus conseruanda videntur apposita; cumque maximam ingenuerit omnibus conseruandi sui natura cupiditatem; hinc quoque similium tamquam conseruationis authorem omnibus ingenuit appetitum.

Quod si ignoret naturæ scrutator, quid materiam in pluuias, aliaque consimilia relabentem sursum rapiat, atque è sede euocet sua; quid ingentes aquarum gurgites, imò ingentia flumina faciat ex æthere aut ex nubibus redundare, ità plerumque vt cælum ipsum aduertente Pontano in Vrania videatur conuersum in aquam,

Interdum rapidos amnes est cernere passim
Diffluere ac totum in pluuias descendere celum
Tantus in aereo sese globus orbe coegit.

Idipsum cum Peripateticis referat in aquam, quæ vel vbique terrarum diffusa, vel in maria congregata paulatim solis opera incalescit, sensimque extenuata vertitur denique in vapores, qui leues cum sint, se se ex aqua facillimè expediunt; eiusdemque caloris attractione ad certam quamdam aeris regionem sese eleuant, ibique vel loci frigore, vel consimili ratione conuescentes aquæ molem formamque resumentes, relabuntur in terram, imbres eluuiones, & id genus alia afferentes; & quamuis Elementa tam apte disposuerit natura, vt singulari quodam artificio proprium cuique circumscripserit habitandi lo-

cum ignemque sublunarium veluti coronam in supremo ipsorum vertice constituerit, aerem hinc, deinde aquam, postremo terram, omnia omnibus connexa, & iure quodam finitima copulauerit; tamen quia munus, cuius causa genita sunt, explere hac locorum distributione non poterant, hinc illa, quasi eadem natura se ipsam reuocaret, è destinatis sæpè sedibus deduxit, atque in alienas ablegauit; sed inter cætera Aqua est, quæ frequentiùs è propria sede deturbatur, quæ non in imbres tantum ruitura eleuatur, sed ad montium quoque summitates in flumina emersura, mirabili quadam virtute protrahitur; hæc enim, & genus id alia naturæ miracula, vel montibus ipsis (vt Aristoteles opinatur) adscribenda sunt, in quibus montosa, & exaggerata fastigia velut spongias suspensa, aquarum attrahunt humores, ac proinde etiam è maximis montibus maxima emergant flumina, quemadmodum ex Atlante cæli culmen, & vastitatem æmulante Nilum, ex Caucaso Phasim; ex Parnaso Bactrum, Cloaspem, Araxem, Tanaim, & Indum, scribunt historici; Vel exundanti barathro in terræ finibus collecto, quod vsq, ad montiũ cacumina fluctuando eleuetur indeque ruant in flumina, vt Plato excogitauit in Phedone; Vel denique exhalationi subterraneæ, cuius virtute ebulliant aquæ in montium cauitatibus reconditæ atque ebullientes prosiliant, vt docebat Albertus; siue enim coacto aere, concretisque intra terræ viscera vaporibus gignatur aqua in fluuios ex apicibus montium eruptura, siue ad barathrum vel ad mare referantur illarum aquarum origines, semper illius aquarum fluxus, qui è montibus procreatur, scrutatori naturæ benè omnia perpendenti innotescet.

Si verò inter arcana naturæ Papilionem quoddam volatile animal, ad ignem iugiter, ad faces, ad lumen aduolantem vt plurimum cum sui internecione admiretur naturæ Scrutator, id quoque miraculum non sine ratione fieri facilè animaduertit; siue enim Papilio ex virentibus folijs, vt placuit Aristoteli, siue ex rore, vt Plinio, sumat originem, ità mirabilem ab exortu sortitur suæ naturæ conditionem, vt non nisi cum lumine perire, atque inter flammas occumbere talem auiculam, quam alij amoris Pyraustam appellarunt, necesse est; & sicut quædam animalia sunt, quæ sua agnoscunt Numina, & tamquam Deos venerantur (quemadmodum Solis equos sacratos ferunt Peræ, eumdemque à gallis adorari credebat Pythagoras, eisque insitum dicebat cantibus, & hymnis tale numen aduocare, ipsique exurgenti iteratis vicibus plaudere; recrescentem denique Lunam venerari solitos Elephantos refert Ælianus) pari itidem ratione affirmare posset naturæ scrutator ignei luminis genus, tamquam sydus, numenque à Papilione adorari; aduolat enim audacter quidem ad igneum lumen Papilio, at iam proximus vix audet ignem venerari; quin vt adorantibus instituit Numa Romanæ Religionis author se in orbem conuertere, etiam Papilio se se quodammodo vertit in orbem dum aduolat, & reuolat; ni dicamus ad tantum facinus Papilionem vrgeri non religionis vi, sed amoris imperio; id namque in peruulgato amantium sermone versatur, se se tabescentes amore Papilionis calamitates subire, dum ille quo-

le quoque vnius luminis captus aspectu non ad aliud volat, atque in eo tantum hæret vt prorsus amore ardens pro osculi præda sui non vereatur incendium, nihili faciens illud Promethei monitum Satyro allatum.

Barbam caper tuam deflebis protinus
Tangentem adurit ignis.

Et cum obtineat ignis summam inter alia corpora leuitatem, ità tamen vt hoc in genere vni dumtaxat cælo cedere videatur; eoque semper velut indita lege ad superiora feratur, vt infrà cælum consistat, ipsumque quamuis alterius naturæ dignitate præfulgens, semper ambiat, ac veluti amplexetur; hæc quæ in Cælum exercet ignis, in ignem vel ipso naturæ instinctu exequitur Papilio, cum ipse quoque inter corpora velut ignis leuissimus, semper quærat simile suum contingere, & amplexari; Et si aliud probabile de hoc arcano naturę proferendum est; cum nihil lumini videatur affinius, nihilque eò proprius cohærere, quam illud quod philosophi Diaphanum appellant; hoc namque vel luminis materia est; vel aptissimum domicilium; hac eadem ratione Papilio, cum ex rore suæ procreationis (vt vult Plinius) sumat exordium; rosque summè inter omnia Diaphanus, seù perspicuus sit, idcirco suæ materiæ conditionem insequens Papilio, eius materiæ impetu agitur, trahitur ad lumen.

Sed quod his omnibus scrutatori naturæ admirabilius est, est ignota illa Remoræ pisciculi vis, quæ plenis velis euectam, cursuque rapidissimo concitatam nauim ità remoratur, vt inanis non modo fiat omnis remigum impulsus sed etiam ventorum impetus repente sistit, frangit, atque retardat; sensitque Actiaco Marte huius rei admirationem Antonius, prætoria naui, qua suos hortari properabat, his viribus impedita; Sensit, & Caius Cæsar ab Astura Antium remigans, indignatus etiam quadringentorum remigum conatui, & obsequio vnicum obstare pisciculum; senserunt tandem, & alij, & rei nouitate, & facti magnitudine obstupentes, nec dignoscere valentes vnde tanta vis sine impetu, tantus impetus sine mole prosiliret. Verum enimuero, neque huius causæ notitiam desperare debet naturæ scrutator, qui si ad Plutarchum confugiat inueniet nauim inter æstuantium aquarum inconstantiam firmiter per Remoram stabiliri, quod tricis veluti nonnullis, in quibus solet Remora stabulari, potiùs quam ipsius Remoræ viribus impediatur; quamdiù enim arida nauis est, nullis imbuta humoribus, omnique illuuie pura, tunc leuior eius moles, faciliùs motui obsecundans, concitatiore euehitur cursu; & vbi largioribus imbibitis humoribus non leuiter immaduerit, algarumque copia, muscique adpendicibus se se ipsam inuoluerit, tunc aucta mole grauior, eoque lentiore impetu magna ex parte refracto, concitatus ille cursus remittitur, atque lentescit. Quod si hæc Plutarchi doctrina naturæ scrutatori displiceat, eam poterit amplexari, qua dicitur quibusdam scopulis degere solere Echeneides, è quibus ea vis ad nauigia vsque expirat, qualem magnetis montes ad ferrum, vel nauigijs infixum emittunt; & quemadmodum magnetis vis, vbi tenacissimè infixum ferrum nequiret extrahere, nauigium proculdubio sisteret; ita, & ex eis,

ex eis, circa quos versatur Remora, scopulis consimilis vis, emanans, attractione quadam poterit concitatas naues remorari. Hac denique etiam doctrina non placente scrutatori naturæ, præstò esse potest illa, qua miraculum hoc omne, & Remoræ adhærenti, & formæ gubernaculi, cui adhæret Remora solet adscribi; in qua expendenda magis doctrina Aristotelem in Mechanicis poterit consulere.

Ad supremum tandem mirabilium quæ in natura sunt accedens ipsius naturæ scrutator Magnetem inuenit ferrum innata vi attrahentem, & rapientem, idque etiam qua fiat ratione, non erit ipsi arduum dispicere, licet enim admiretur quilibet ferrum licet inanimum magnetis sentire aspectum, sine alis ad eum aduolare, sine brachijs illum amplexari; si tamen etiam inter inanima suas cogitet amoris species, sympathias, atque similitudines, non erit illi nouum magnetem, etsi horridum lapidem ferrum excitare, licet informem allicere, elinguem aduocare, & vnius aspectus imperio deuincire; & ferrum ipsum nullis præditum oculis ad magnetis aspectum sese conuertere, carens sensibus, magnetis inhiare contractui, impenetrabile magnetis iaculis confodi, atque ità amoris vulnera sentire, & experiri quod vulnerare alios consueuerat, vt meritò de magnete cecinerit Claudianus Epig. 2.

Flagrat anhela silex, & amicam saucia sentit
Materiem, placidosque Chalibs cognoscit amores.


In qua re tamen non est admittenda Thaletis doctrina, cuius multos post annos fuit restitutor Cardanus lib. 7. de subt. qua credens Thales magnetem esse animatum, animæ eam vim tribuebat, qua traheretur ferrum, & quoniam vt cætera viuentia viueret magnes, ferro quoque vt alimento vteretur; Non enim in magnete cæterisque lapidibus fas est animam meditari cum nihil eorum, quæ vita fruuntur, in ijsdem conspiciatur; neque lapides aut duro anni tempore opprimuntur, aut placido recreantur, quemadmodum cætera viuentia, nec alias induunt aut subeunt vitæ qualitates, formas, aut figuras vt omnibus perspicuum est. Illi quoque qui magneti diuinas tribuere vires, inter quos Plato, Auicenna, & Galenus; aut qui mirabilem illam magnetis attractionem ex atomorum concursu à ferro, & magnete simul effluente atque ad vnionem properante, inter quos Epicurus, & Democritus, neque audiendi sunt à scrutatore naturæ, cui indignum est Deum in ijs aut imaginarios atomos conuenire, quæ natura ipsa vi sua præstare potest; vel enim cum Platonici Timei expositore Ficinio dicendum est magnetem ac ferrum ita naturaliter affecta esse, vt in se inuicem vehementer agant emissione vaporis atque virtutis, per quam aer vtrinque ad vtrumque pulsus, primò quidem, inter hæc cogitur in angustum, mox verò hinc effugit in amplum, quo effugiente, ne accidat vacuum, cernitur moueri ferrum ad aerem mox supplendum, quod etiam innuere visus est Lucretius lib. 6.

Principio fluere è lapide hoc multa necesse est
Semina, siue æstum qui discutit aera plagis

Inter

Inter qui lapidem ferrumque est cumque locatus
Hoc vbi inanitur spatium, multisque vace fit
In medio locus, extemplo primordia ferri
In vacuum prolapsa cadunt coniuncta, fit vtque
Annulus ipse sequatur, eatque ita corpore toto.

Vel cum alijs adscribendum est hoc naturæ mysterium ipsi rerum cognationi, & similitudini, quæ maximè inter ferrum, & magnetem intercedit; vt iure merito dixerint aliqui magnetem esse ferreæ naturæ, ferrum verò naturæ magneticæ; cuius cognationis atque similitudinis vi vtrumque trahi videtur, vt mutuò conseruetur. Reliqua quæ prorsus admiranda supersunt in natura, ita rimari debet naturæ inuestigator; vt semper eorum causas, & principia agnoscat in natura, quæ in omnibus, quæ quoquo modo mouentur, aut quiescunt, principium est, vt aiunt Philosophi.





LEX XXII.

AD

HOMINEM ATOMORVM OBSERVATOREM.



QVI corpuſcula quædam rerum omnium principia, primordia, initia, ſemina atque Elementa in naturam inuexerunt, fuere non pauci; ijque diuerſo ſemper vſurpato nomine, licet in vnam Atomorum coiuerint ſententiam & aſſertionem; eoq; fortaſſe fuit ipſis in nomine diſſidium, quo maior eſſet in re ipſa concordia atque vnanimitas; Vulgatior tamen corpuſculorum omnia componentium denominatio Atomus eſt, quæ ſiue ſit vnitas velut numeri impartibilis, vt volebat Pythagoras; ſiue ſit aliquid patiendi incapax & ſectionis, vt plerique alij philoſophi cum Epicuro Democrito & Leucippo docuere; ad omnium corporum concretorum conſtitutionem dicitur pertinere; non enim eſt corpus aliquod in natura conſtitutum intelligere ſine corpuſculis, ſeù Atomis, licet fortaſſe eiuſmodi Atomi non modo indiuiſibiles ſint, ſaltem phyſicè ob illarum exiguitatem, ſed etiam inuiſibiles. quemadmodum de ijſdem ſcripſit Auſonius

——— tenuiſſima tantis
Principia & noſtros non admittentia viſus
Paruarum ſerie conſtant connexa Atomorum
Sic ſolidum imprimis, nullique ſecabile ſegmen.

Quinam verò fuerit primus Atomorum aſſertor, ſeù qui primus de Atomis opinionem in philoſophiam induxerit, non adeò perſpectum eſt; & ſi vocem tantum attendamus, non defuere, qui Epicuro illius primam excogitationem adſcripſerint; atque præ cęteris Theodoretus, poſtquam docuit corpuſcula dicta Democrito plena, & Metrodoro chio indiuiſibilia (ſubdit iſta verba) Epicurus Neoclis filius dicta illis Naſta, & Adięreta appellauit Atomos: Quod ſi verum ſit, oportet lapſum fuiſſe Lactantium, dum huius nominis impoſitionem refert ad Leucippum Magiſtrum Democriti, & etiam Sidonium Apollinarem, qui eamdem refert ad Archelaum Soctatis præceptorem, vt planè ex illis eruitur verſibus

Post hos Archelaus diuina mente paratam
Conijcit hanc molem, confectam partibus illis
Quas Atomos vocat ipse leues.

Vtcumq; autem de hac voce (Atomus) sit, quod ad rem ipsam attinet percelebre est quamplures philosophos cum Epicuro doctrinam de Atomis fuisse ex Democrito mutuatos, non quod Democritus propterea de Atomis primus disputauerit, tanquam illarum primus inuentor vt Minutio Fęlici in lib. de Fato visum est, sed quod Democritus vir sagacissimus, & vndequaq; sapientissimus rem hanc & doctrinam pręcœteris illustrauit; quippe & hoc nomine excusari debet, quod Cicero eũdem Atomorum inuentorem facit; cęterum enim Leucippus Democriti magister is fuit, qui primus (si Laertio credendũ) principia rerum Atomos statuit (si credendũ inquam) nam ne Leucippus quidem ipse videtur primus omniũ disseruisse de Atomis, cum Possidonius Stoicus, referente Empirico, Moscho cuidã Phęnici id tribuat; & Strabo idem referens, vixisse hunc Moschum adijciat ante belli Troiani tempus: In qua tamen, si meã, fas esset, interserere sententiã dicerem, tam insigne Atomorum inuentũ esse soli Democrito adiudicandũ, vtpotè illi, qui nouam in vnaquaq; re nec alteri primò excogitatam adinuenerit philosophandi rationem; atq; inde Plato diuino penè inuidens Democriti ingenio, quod omnes Doctrinarum fontes & origines tum in moralibus & physicis, tum in Mathematicis & Mechanicis lustrauerat, omnes tanti philosophi libros, qui erant sine numero, vt aduertit Chrysostomus Magnenus in Democrito reuiuiscente, statuit comburere, idq; affirmat Aristoxenus in commentarijs apud Laertium; & cum iam Plato maximam exẽplarium copiam magno sumptu, maiori diligentia congregasset, ab hac impia designatione fertur abductus ab Amycla & Cliuia Pythagoricis ex eo, quod iam apud plerosq; diffusi essent eiusmodi libri; Laertio quoque in hoc Aristoxeno assentiente, qui silentium Platonis de Democrito, vbiq; suorũ operum seruato, grandem facit sceleris suspicionem; & cum fortasse non auderet contra optimum philosophorum certamen inire, neq; eius nomini adeò florenti, & cõmendato voluit laudibus suffragari suis: At quod designauerat Plato Alexandri ope exequutus est Aristoteles, quasi parũ esset Alexandro se Asiæ dominatorem efficere, nisi etiam Aristoteli ius in philosophos daret, quo solus inter cęteros emineret, cęterorum nomine deleto, dum enim Regũ fortunas vnica vincendi libidine ductus euerteret Alexander, superbissimo furore ambitiosus nominis Aristoteles in philosophorũ Principes debacchatus est, vnoq; incẽdio cõgestas triginta sex sęculis tot sapientię diuitias absũpsit; & si quę voluit superesse funeri, ea omniũ ludibrio, dicterijsq; lacessenda tradidit posteris; eaq; de causa fortasse Plin. in Pręf. ad Vespas. Imper. dũ Aristoteles in optimorũ philosophorũ bona inuehitur, at Labscissis perditisq; statuarũ capitibus, suũ singulis imponit, literatij peculatus reũ facit. Nec propterea tamen Democriti nomen interijt, sed vbiq; inclyta viuit sapientiæ fama, æuoq; viuet in doctissimorũ monumentis; tantiq; Democritũ facere sapien-

pientes omnes, vt vbiq; locorum inueniantur in eius laudes effusi, de quo etiã Iuuenalis Satyr. 10 viro alioquin barbaro atq; è Thracia nato ita scribit

Tunc quoque materiam risus inuenit ad omnes
Occursus hominum; cuius prudentia monstrat
Summos posse viros, & magna exempla daturos
Veruecum in patria, crassoque sub aere nasci.

Tanti igitur Philosophi Doctrinam, cui iuremerito à sapientioribus adscribitur atomorum inuentum, sequi debet atq; amplexari Earumdem Atomorum assertor seù defensor; eiusque doctrinæ placita potissima ea sunt 1. quod nulla sit materia prima præter Atomos & Elementa, quæ vocat omnium rerum primordia & figurarum seminaria. 2. Quod Elementa sint inuicem in transmutabilia, cum ob soliditatem & firmitatem nulli passioni, aut mutationi obnoxia sint. 3. Quod tria tantum sint Elementa Ignis, Aqua, & Terra; Aerem vero vocat Atomorum elementarium receptaculum ad omnia ęque indifferens. 4. Quod omnia quæ sunt componantur ex Atomis, earumque sint infinitæ figuræ, semperque mutabiles. 5. Quod omnis generatio fiat per Atomorum congregationem, sicut omnis corruptio per Atomorum Segregationem. 6. Quod paucis mutatis Atomis totum mutetur, immo ex ijsdem aliter dispositis fiat diuersum quid, vt ex ijsdem literis fit Tragędia & comędia; ex qua etiam complicatione varios emergere colores censuit. 7. Quod omnis alteratio fiat per meatus corpusculis siue Atomis proportionatos sibi poros subeuntibus; indeque etiam omnis intensio, & remissio qualitatum fiat per nouam atomorum ordinationem, sicut omnis motus per ipsarum imperum. 8. denique quod Atomi indiuisibiles sint saltem modo communi & physico qua ratione nequeant partiri, tribuens prę- sertim Atomis igneis Sphęricam figuram; Ex quibus doctrinæ placitis inferre potest Atomorum assertor cum ipso Democrito omnia quæ in mundo sunt, immo mundum ipsum ex atomis coaluisse, siue id fortuitò & casu contigerit, vt illi opinantur qui in crassis gentilium tenebris errantes adhuc versantur; siue Deo Atomos ipsas velut rerum principia condente ab initio, quo pacto & conditam fuisse materiam ingenerabilem & incorruptibilem, ex qua sint omnia, affirmant saniores philosophi; ita tamen vt ex Doctrina Democriti primum id statuat ex Atomis coaluisse, quod in tota inanis immensitate dicitur exterior mundi pars inuolucrumque omnium nempè cœlum extimum, quod in prima sui origine tenerum appellat Virgilius

Et ipse tener mundi concreuerit orbis.

qua prima concretione facta, cui præsideret principium illud sempiternum à Democrito vocatum indemonstrabile, cęperunt in aere conclusæ atomi varijs cieri motibus, tum localibus, tum etiam ad figuram; cumque includerentur vastissimo illo carcere; quod dicitur inane, seque mutuò quęritarent ad generationes, in centro mundi circumferentiæ vastitatem enitantes sibi ad inuicem consenserunt; ac primò quidem coaluisse fertur Solare corpus,

quod è delitijs Elementorum compactum, cum maximam ignis portionem haberet, prius in orbis centro detornatum, vt gyrosis anfractibus, motuque volutationis perpetuo se se iugiter circinaret, sursum ad sedem suam, vnde nunc lucet, summa rapiditate delatum est; hocque Principe adminiculo influente vertigo ipsa cęli solidior tamquam excoquente calore facta est, cęterique inde Planetæ efformati in suas turbinatim iuere Sphęras; & stellæ fixæ quæ pariter in orbis centro detornatæ sunt stelliferum orbem tandem adiuere. Factis ita sideribus cętera atomorum multitudo crassa Minerua inuicem permixta est, atque in orbis centro remansit, vt animantium generationibus subseruiret, atque amicitiæ & inimicitiæ stimulis iugiter agitata in medium aerem velut in arenam prælijs vndique & certaminibus pro rerum generatione & corruptione indictis, inuicem lacessita conueniret iuxta illud T. Car. ad rem occinentis

Multa minuta modis, multis per inane videbis
Corpora misceri radiorum lumine in ipso
Et velut æterrio certamine prelia, pugnas
Edere turmatim certantia nec dare pausam
Concilijs & dissidijs exercita crebris
Conijcere vt possis ex hoc primordia rerum
Quale sit in magno iactari semper inani

Ea vero ratione admittenda esse eiusmodi corpuscula in natura debet euincere Atomorum tutator, quod cum natura nihil ex nihilo faciat, redigatvè in nihilum, eo modo quo Aristotelei aiunt oportere quidpiam superesse in cōcretionum dissolutione, quod inexsolubile sit, atq; intransmutabile nimirum materiam primam ita affirmare fas erit Democriti sectatoribus, naturam cum concreta resoluit, ea in particulas impensè exiguas resoluere, quæ dicantur Atomi insolubiles, ingenerabiles, atque incorruptibiles; sintque omnium rerum immediata principia; potest enim etiam Atomorum assertor, si lubet, quatuor vulgaria Elementa cum cœteris philosophis admittere. Verum ea tantum admittere debet quatenus partes principes mundi componentes, non quatenus concretorum principia, nisi secundaria, magisque propinqua; si quidem ipsa quoque & Atomis constare tamquam ex principijs primis, atq; immediatis necesse est, cum sint Atomi illa prima rerum semina,

Vnde Mare & Terræ possent augescere, & vnde
Appareret spatium Cœli domus, altaque tecta
Tolleret à terris procul & consurgeret aer

vbi illud (Cęli domus) accipitur à Lucretio Epicurum interpretante lib. 2. pro igne, seù pro regione, in qua Astra ignea credita collocantur, & quam dictā ęthera ab vrēdo Anaxagoras censuit; licet Aristoteles ęther dictū putet an sēper currendo, seù à perpetuo siderum motu. Neq; obstare debet, quod actu multiplex esset infinitū admittendum in natura, si vniuersum ex sola Atomorū multitudine coalesceret in vnū; censenda nāq; esset ingenio bene philoso-

phan-

phanti ad quodcunq; Elementum constituendum, seù ad quamlibet vniuersi partem perficiendam infinitã accurrere Atomorum multiplicitatem; Etenim multi Doctorum philosophantium à quocumque infinito seù in rerum magnitudine, seù in multitudine non abhorrent; solumq; reseruant infinitatem essentiæ, quippe quæ cum non alia ab essentia diuina esset, atq; eminentissimè genus omne perfectionis contineret, tam repugnat talem essentiam creari, quam Deum ipsum creari; cœteroquin non adeo horrendum debet infinitum existimari, vt quoquo modo non placeat etiam Platoni, Aristoteli, alijsque pluribus philosophis, qui omnes in vno continuo partes infinitas admittunt, & non pauci etiam actu distinctas; quæ partes infinitæ cum in vnaquaque multiplicentur quantitate multiplex quoq; debent infinitum constituere. Sicut etiam in vno numero infinito possent cogitari infinitæ vnitates, infiniti binarij, infiniti ternarij, & sic de reliquis. Neque eiusmodi Atomis infinitis spatium congruens deesse posset, cum etiam Doctorum nostrorum quamplurimi spatia etiam vltra hunc mundum protensa defendant sine horrore, ac sine metu; Illi enim omnes qui fatentur potuisse Deum mundum ampliorem, atq; ampliorem in infinitum creare, debent etiam spatium admittere, in quo amplior moles illa esset recipienda; quod pari modo dicendum est, cum admittimus posse Deum præter hunc Mundum plures, pluresq; alios in infinitum producere, sic equidem id intelligendum est debere illos in spatijs, quæ præter istud sunt, à quo hic mundus occupatur, receptum iri; Id namq; quod dicunt nonnulli, si Deus crearet alios mundos, spatia quoq; alia, in quibus collocarentur creaturum esse, inextricabiles patitur difficultates, quæ obijciuntur ex interiecto spatio inter quoslibet mundos, qui crearentur, cum illud quoq; cadere in mensuram posset & per maiorem, maioremq; distantiam explicari.

Si denique audiat Atomorum defensor, nullo modo euitabiles esse scopulos quos obtrudunt Atomorum proprietates, figuræ, motus, magnitudines, concursus, & id genus alia, consulat ad cautelam Epicuri Physiologiam à Petro Canendo in Animaduersiones distributam, & etiam Democritum reuiuiscentem Io: Chrysosthomi Magneni, vbi ad omnia euitanda pericula modum & doctrinam inueniet; nimis siquidem nobis longum esset singula recensere, quæ in huius doctrinæ tutamen afferuntur; neq; id nostri esset instituti.





LEX XXIII.

AD
HOMINEM FATI PROPVGNATOREM.

NON satis est Tullius lib. de Fato cap. 1. anilis plenum superstitionis ipsum fati nomen ostendere; Non satis sunt Anaxagoras & Epicurus Fato semper aduersantes eius planè inanem famam abolere, cum semper ijs Hectoris vocibus insusurret Homerus

Nam nisi Fata vocent, nemo me mittat ad orcum
At Fatum vitat nemo, mihi crede, virorum.

quibus adnixus homo Fati propugnator non solum Fatum non improbat, sed Fato omnia regi constanter affirmat, siue Platonicis & Stoicis consentiat, qui Fatum rem esse omnino diuinam dixere; Siue alijs Philosophis Democrito, Heraclito, & Empedocli præsertim, qui Fatum rem merè naturalem autumarunt; Et illi quidem qui Fatum pro æterna illa substantia atque ratione intelligunt, quæ cuncta ab æternitate vsque disposuit, causasque causis ità innexuit, vt ex earum serię contingant, quæcumque contingunt, Fatum ipsum idem cum Deo esse, cum Ioue, cum mente dixerunt; humanasque actiones omnes ad Iouem referentes Agamemnonis se excusantis voce loquuntur apud Homerum 1. Iliad.

——— non ego causa
Verum Iupiter est & Fatum

siue id pro ipso Deo immutabiliter iubente adstruant, siue pro Decreto ac Dei iussione, qui diuinus dicitur actus, quasi Fatum ab actu fandi, dicendi, seu destinandi traxerit ortum, quo sempiterna atque indeclinabilis rerum series facta est, quasi catena (vt inquit Chrysippus se voluens & implicans per æternos consequentiæ ordines iuxta illud Lucani lib. 6.

At simul à prima descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia Fata laborant.

quo etiam sensu intelliguntur omnes illæ Fati appellationes, cum dicitur

quod

quod ſit nexa, apta, continens quædam rerum ſeries; Quod omnia in hoc ſtatu rerum definita contineat; Quod immutabili definitione coerceatur; Quod nihil moliri aduerſus eius tenorem liceat; Quod æterna conſtitutio ſit; Quod ſit vnicuique facta diſtributio; Quod vt ortus, ſic interitus rerum omnium illi ſubiaceat; Quod denique ſit Parca, ſeù ſors, ſeù portio cuique deſtinata & ſi qua alia id genus ſunt; Quandoquidem Parca, quæ omnium rerum ſtatum ſed ſpeciatim hominum vitam, quaſi vendo determinat, ex Heſiodo diſtinguitur triplex; primaque dicitur Atropos propter irreuocabile præteritum tempus, quod eſt ceù filum in fuſo perfectum; Altera dicitur Clotho propter decurrens, ſiue præſens, quod eſt ceù filum in manibus nentis; Altera denique dicitur Lacheſis propter futurum, ſortemvè, quæ adhuc vnumquęque manet quaſi linum nondum intortum; quam Parcarum interpretationem adhibet Apuleius ex Platone, apud quem Lacheſis præterita regit, Clotho præſentia, Attopos futura; Quin idem Plato, cum Animam mundi Fatum diceret, ſummam eius partem, quæ eſt in regione inerrantium Clothonem appellandam cenſuit; Succedentem, ſeu quæ in regione Planetarum Attopon; Infimam ſeù quæ infrà cęlum & circa terram Lacheſim; quo loci dum adijcitur Lacheſim cęleſtes Sororum actiones excipere, connectere, atque in ſubiecta terreſtria diſtribuere indicatur opinio illa de cauſa diſponente apud Manilium lib. 3. Aſtron.

Fata quoque & vitas hominum ſuſpendit ab Aſtris

quam idcirco Aſtrologi auidè arripiunt, dum volunt Fata hominum deſcripta eſſe in ipſis Aſtris; ac proinde ea à peritis cognoſci poſſe atque diuinando reuelari, non minore certitudine, quam per Sybillas & Oracula, quæ fata canere dicuntur.

Cœterùm cum in hac ſententia patia ſint, qnæ Platonicis æquè, ac Stoicis obijci poſſunt, ea tamen ſolent potiſſimum aduerſus Stoicos vrgeri, quod ipſi præſertim viſi ſint eam defendere, quam Seneca 2. nat. dicit quęſt. 5. Neceſſitatem omnium rerum, actionumque quam nulla vis rumpat, nam & Fata (inquit) ius ſuum peragunt, nec vlla commouentur prece, non miſericordia flectuntur, non gratia; ſeruant curſum irreuocabilem; ex deſtinato fluunt: quæ neceſſitas cum videatur actionum omnium humanarum libertatē funditùs tollere, nihilque in noſtro arbitrio relinquere, ideo ab omnib. Fati impugnatoribus euertenda eſt; Si enim animi quoque noſtri, cum ſint in ipſa rerum ſerie conſtituti, neceſſitate immobili, ineluctabili, ineuitabili omnia faciant, perit humanæ vitæ ratio, neque vllus omnino eſſe poteſt liberæ conſultationi, aut electioni locus; hincque vana prorſus eſſet prudentia, vanum Sapientiæ ſtudium; Legumlatores omnes vel ridiculi, vel Tyranni, cum ea præcipiant, quę aut omnino facturi ſumus, aut facere prorſus non poſſimus; quo nomine omnis etiam adhortatio, aut dehortatio ſuperuacanea foret. Sic nulla virtus, nullum vitium; omniſque vel laudatio, vel vituperatio immerita, cum illi ſoli laude digni habeantur, qui malè agere cum poſ-

possent, agunt bene; & illi soli vituperio digni, qui virtutem sequi cum possent amplectuntur vitium; & vt nemo ob præclarè gesta erit laude ac prœmio dignus, sic neque supplicio propter scelera, quoniam vt ille non potest se honestè non gerere, sic in potestate istius non est, vt se à prauitate contineat. Sic etiam inutiles ad Deum preces, inutilia vota, inutilia sacrificia, ac id genus cœtera omnia. In qua re ad derisum videtur Lucianus Stoico placito permotus non illepidè inducere Cyniscum Ioui obijcientem. Non timere se eius fulmina, si in Fatis quidem non sit, vt hac ratione pereat; Quippe & Iouem & cęteros Deos esse ipsi alligatos Fato; illosque simul ac homines ideò consetuos esse Parcarum, quod ne Dij quidem moliri quid possint, nisi quod Parcæ decreuerint; Esse præterea quamobrem rideat, quod Iupiter alias gloriatus circa Catenam celebrem apud Homerum fuerat, ac existimet Parcis iustiùs, quam Ioui tribuendum imperium. Neque omnino Poeticum esset illud Philemonis

Nos Regibus, Reges Dijs subseruiunt
Necessitati Deus

aut rursus illud de quo Iupiter conqueritur non potuisse se Sarpedonem filium contra Fatum à morte eripere apud Virgil 10. Æneid.

Tot nati cecidere Deum, quin occidit vnà
Sarpedon mea progenies.

quibus addendum esset illud, quo Crœsi Legatis oracula ex probantibus ipsemet Apollo seù Pythia respondit, Sortem Fato destinatam, ne ipsi quidem Deo de fugere, possibile esse; quod fortasse desumptum est à Seneca lib. de prouid. cap. 5. vbi docet, nos semper Fata ducere, & quantum cuique restat, primam nascentium horam disponere; eamdemque necessitatem Deos alligare, quemadmodum voluit etiam Lucanus vbi cecinit

Finxit in æternum causas quæ cuncta coercet
Se quoque lege tenens.

Verum sicuti eiusmodi doctrinæ, quæ solum quodam Theologicæ veritatis sensu accepta, in ijs quę immutabili lege supremi omnium rerum moderatoris decernuntur, admitti potest, multa &, multa aduersantur; ità quoque non facili negotio opinio eorum circa Fatum probanda est, qui id rem esse merè naturalem, atque à nullo moderatoris decreto pendentem persensere; cum enim admitterent hi seriem causarum, quæ essent ita dispositæ & connexæ, vt posteriores pendentes semper & motæ à posterioribus, ea quæ agerent non agere non possent, sicq; ex omni æternitate, sequeretur necessitas, quæ impediri nullatenus posset, essetque omninò par illi, quæ deducta est ex superiore sententia, eo solum discrimine, quod iuxtà illam prædicta causarum series esset à Deo constituta; iuxta hanc verò flueret ipsa per se, neque ideò minùs necessariò atque inuariatè perseueraret; ijsdem propè telis sicut primi Fati assertores essent confodiendi; licet enim Fatum id quod admittunt isti nil aliud fortasse sit, quam ipsa rerum natura, quæ eadem sem-

ſemper agit; cum tamen naturam ipſam naturę Authori minimè ſubijciant, poteſtatemque ab ipſo etiam tollant, eorum, quę facta ſunt, ordinem inuertendi; merito ipſi quoque redarguendi ſunt à veri Fati propugnatoribus; Cum Deus ipſe, qui omnibus rebus, ipſarum omnium conditor, aut neceſſitatem, aut contingentiam, aut libertatem impoſuit, ita quoque eaſdem benè diſpoſuerit, vt pro libito immutare atque etiam penitus abolere ſemper poſsit

Non Deus eſt Numen Parcarum carcere clauſum
Quale putabatur Stoicus eſſe Deus
Ipſe poteſt ſolis currus inhibere volantes
Ipſe velut ſcopulos flumina ſtare iubet.

donauit ſiquidem ea perfectione cæleſtia corpora vt nullis eſſent obnoxia affectionibus, ſuiſque ſine ceſſatione circumagerentur motibus certis, ac ſtatis vicibus, & curſus ſemel peractos mox eadem lege conſtantiſſimè repeterent; at eo hunc ordinem condidit conſilio, vt rurſus cum vellet, aut cum res ipſe exigerent, neglecto ordine, & cauſarum connexu, ſiſtere poſſet concitatiſſimos orbium motus, aliarumque cauſarum vires pro voluntate aut extenuaret, aut roboraret, aut etiam omnino deſtrueret; Quod ſiue tantum ex potentia logica (vt aiunt Theologi) adſtruatur in Deo, nimirum ex quadam rerum non repugnantia ad agendum quidquid vult ipſe Deus; ſiue ex potentia phyſica ipſius volentis, & agentis, parum intereſt, dummodo ſupremam in Deo dominantis dignitatem etiam ſupra naturam non imminuamus.

At quia verum Fatum videntur dumtaxat Theologi ipſi cognouiſſe, eos præſertim hominem Fati propugnatorem conuenire fas eſt, diſcatque ab ipſis Fatum verum nil aliud eſſe, quam Diuinam ipſam Prouidentiam omnia certo ordine atque in certos fines dirigentem, cuius partes ſunt omnes diuinæ, & æternæ rerum prædefinitiones, prædeterminationes, atque hominum prædeſtinationes; qui actus licet vt diuini, immutabiles ſint, atque infallibiles, optimè tamen cum noſtro dicuntur cohærere arbitrio, ipſique abſque libertatis læſione adaptari; manifeſtum ſiquidem eſt Deum ab æterno, & cauſas voluiſſe neceſſarias & etiam liberas, quas etiam voluit à mundi primordijs in hanc lucem euocare; & vtraſque ita feciſse Diuinæ Prouidentiæ ſubiectas, vt vtræque ſuas, ſuiſque modis agant vices, hoc eſt neceſsariæ ex neceſſitate, & liberæ ex libertate; atq; ità licere tum per Philoſophiam, tum per Theologiam Fatum, quod hactenus oppugnatum eſt propugnare, cum Deus huius ordinis immutabilis author & cuſtos immota lege, & cum cauſis neceſsario ſemper agat neceſsarijs, & cum liberis liberè; & licet videatur hac veluti fatali lege Deum teneri, atque aliquo neceſſitatis vinculo conſtringi, vt ita ſemper agat, non ex horreſcunt tamen Theologi Deum ità alligatum contemplari, cum illa neceſſitas, qua quodammodo Deus ipſe compellitur, ſpontanea ſit, atque vltro ſuſcepta, quæ etiam ab ipſis vocatur Ne-

abſo-

cessitas non absoluta & antecedens, sed ex suppositione, & consequens.

Quia verò ex hac distinctione manifestum sit, necessitatem quidem absolutam obstare tum diuinæ, tum humanæ libertati, quò minus actio eliciatur libera, non obstare autem eam, quæ ex suppositione est, Ideo ad rem præclarè ratiocinantur Theologi, quidquid euenit à Deo prouisum necessario quidem futurum, sed necessitate dumtaxat ex suppositione, ob quam libertati, aut prouidentis, aut operantis nihil adimatur; neque mirum sanè hanc necessitatem libertati non aduersati, quoniam ipsam eius vsum non antecedit, sed sequitur, & tam in ipsa re est, quam in ipsius volentis aut temporis circumstantia; Siquidem cum Petrum negasse dicitur necessarium, necessitas hæc intelligitur, non sanè fuisse antecedenter in ipso Petro aliquid, quod ad agendum coegerit, sed solum iam esse in tempore ipso, pro quo liberè actio aut facta est, aut præfinita; ex suppositione verò quod sit, non potest non esse, aut aliter esse, eo modo quo neque præteritum, vt præteritum non potest non esse pręteritum, licet potuerit simpliciter non esse. Sic cum Deus omni scius sit, præuidet quidem Petrum negaturum, at præuisio negationis aut sequitur, aut saltem simul est cum pręuisione liberæ determinationis Petri ad negandum; ac ideò solum pręuidet Petrum negaturum, quia præuidet Petrum se se liberè ad negandum determinaturum; Idem dicendum de reliquis actibus diuinis, siue sint pręuisiones, siue pręductiones, siue prædeterminationes; Vnde & cum vrgetur nullum ex his actibus Diuinis posse esse fallacem, id sanè verissimum est, quia nihil à Deo futurum præuidetur, aut prædicitur, quod reuera futurum non sit; Cum instatur verò, Si Petrus non negare posset, & libertate sua. Vsus reuera non negaret, fore vt in Dei præuisione, aut prædictione esset fallacia; respondetur nullam admitti fallaciam aut fallibilitatem in eo quod ita euenit, sicut præuisum est; ita enim Deus præuidit Petrum negaturum, vt simul & semel præuiderit etiam Petrum posse in oppositum sua vti libertate, atque non negare; præuidit namque negationem illam libero modo esse faciendam; & licet in homine pręuideri non possit simultas actuum oppositorum (vt aiunt Scholastici) cum præuideri non possit, quod fortasse esse non potest; potest tamen præuideri in homine potentia illa, quæ dicitur simultatis, ea nimirum, quæ etiam sub vno actu constituta, retinet ad oppositum potentiam, & facultatem.

Hæcque eodem modo tum ab ijs tenenda sunt, qui opinantur Deum ex omni æternitate prædestinasse seu elegisse ex futura hominum congerie certum illorum numerum, quibus sine vllis eorum meritis, operibusq; præuisis atque ex pura bonitate æternam felicitatem decreuerit, reliquos autem reprobasse, seu illos damnasse, sed præuisis nihilominus prauis ipsorum operibus ad infelicitatem, seu pœnas æternas; tum etiam ab ijs qui tuentur Deum tam prædestinasse aliquos ad gloriam ex præuisis eorum operib bonis, quam reprobasse cœteros ex præuisis eorum operibus malis; Cum enim Deus ab æterno decreuerit mundum condere, atque in ipso homines, qui benè, &
male

malè merendi pro vsu rationis ac libertatis forent capaces, decreuit etiam omnibus hominibus concedere supernaturale quodam auxilium, vt qui pro sua libertate huiusmodi gratia ad bene agendum vterentur ij destinarentur ad gloriam infallibili euentu; qui verò abuterentur, malèque agerent, ij destinarentur ad pœnam; ità tamen vt ad vtrumque vires suas, & concursum præberet præuisa libertas; Nec proinde bene inferretur fieri posse aut fallacem diuinam præuisionem, aut mutabile diuinum decretum, si homo libertate sua atque libito suo posset obstare libito Dei; remque oppositam velle; Cum præuisio atque decreti constitutio facta sit, supponendo quid homo liber esset acturus; nec aliter hominis actio decreta est, nisi vt aliquid ex se potens, seù ex propria libertate non esse.

Atque vt rursus redeamus ad Philosophos, ij quoque, qui cum Aristotele nullum aliud agnouere Fatum præter Naturam, hæcque modo naturaliter seù necessario agat in rebus naturalibus, modo liberè in rebus liberis, debent Fatum nostro modo propugnare; cum enim opera naturæ non semper ex absoluta fiant necessitate, cum plura sint, quæ modis pluribus vel impediri, vel variari possunt, ponendus est in ipsa natura modus, qui rebus agendis seu producendis semper adaptetur; & Democritus ipse qui omnia fecit ex Atomis, eam debuit agnoscere animorum ex Atomis contexturam, vt ipsorum quoque naturam in omnem partem flexibilem fateatur, adeoque libertatis adstruat radicem; quare & animus cuiuspiam rei imagine allectus, abripitur quidem versùs illam, sed non ità tamen quin si aliunde imago alia occurrerit, allici ea rursus, & abripi possit; adeò vt à priore deflectens, constituatur quasi in biuio, & ad vtramque partem indifferens sit, quod sanè est liberum esse, & benè in omnium sententia Fatum propugnare.



LEX



LEX XXIV.

AD HOMINEM FORTVNÆ SECTATOREM.

CVM semper mirandæ fuerint rerum humanarum vices, miru semper volubilitas atque inconstantia fortunæ, data est Poetis occasio fortunę velut Numinis effingendæ, quod rotundo semper insisteret globo, & globi volubilitate perpetuum ageretur in gyrum; Alij verò extra cætum Poetarum existentes, ne homo fortunæ sectator ipsius fortunæ authorem aut penitus ignoraret aut contemneret, nullam aliam dixere esse fortunam, quam supremum illum rerum opificem immoto ordine cuncta regentem atque in fines suos disponentem, inter quos etiam Plato Deum dixit, Deumque fortunam humana cuncta gubernare, idque ea de causa (inquit Marsilius) vt sciat homo quid agat, cum sua in fortunam dirigit rota; Ob id priscis etiam illis temporibus, in quibus obseruante Macrobio erat apud omnes innominata atq; incognita fortuna, omnia quæ fierent, referebantur ad Deos, quos euentuum Præsides arbitrabantur, Deorum nomine ipsam cohonestantes fortunam, quemadmodum etiam apud Delphos, vbi fortuna velut Numen inuocabatur, solo Apollinis connubio salutabatur; Ó fortuna atque Apollo; licet Lactantius dicat, homines cum nomen Dæmonis peruersi ignorarent, fortunæ vocabulum inane finxisse, quemadmodum etiam Euripides homines inducit

Falsò putantes esse Dæmonum genus
Fortunam & ipsis prouidere singula.

Vtcumque sit, videtur stultitia, error, cæcitas & ignoratio rerum atque causarum fortunæ nomen induxisse; sicut etiam ad arguendum hoc insanum humanæ mentis delirium ea protulit Iuuenal. Sat.10.

——— *Sed te*
Nos facimus fortuna Deam cœloque locamus

siue enim stolidè & incogitanter mota procedant feliciter, optatosque consequan-

sequantur fines, siue iam perdita ac desperata rursus se erigant, vt speratam obtingant metam, siue postrema primordijs respondeant, aut non respondeant, Deus est, non Fortuna, qui concinna admodum serie, ope etiam causarũ confluente omnia regit, omnia disponit; & licet plerumque mens humana causas tam mirandæ gubernationis ignoret, non tamen eam ex fortuita aut fictitia atomorum collisione atque coalitu prouenire cum Epicuro putãdum est, sed à suprema agentis sapientia, diuinoque prorsus consilio, quo solo hominum fata, & fortunæ ità sæpè dispertiuntur, vt euehantur improbi, opibus affluant, honoribus ac dignitatibus floreant; contra verò varijs procellarum ictibus iactentur boni, tyrannide premantur, laborent egestate; Sic etiam cum imperiorum negotia subijciantur fortunæ, vt pro eius lubito videantur mutationum momenta quasi in certos temporum articulos distributa, sola Diuina prouidentia atque æterna Sapientia laudanda est, quæ sola efficit, vt modo nascantur imperia, consistant, ac vigeant; modo verò inopinato corruant casu, atque inter se se collisa collabantur; quod præsertim per Sybillina oracula de Imperio Philippi Macedonis prænũciatum est, qui priùs Macedonici regni dictus est vindex, instaurator, atque amplificator

Commoda nunc pariet regnans, nunc damna Philippus

cuius inchoata felicitas cum Alexandro desijt filio, sicut Vespasiani potentia cum Tito, Marci Antonini cum Commodo, Valeriani cum Galieno, Cypseli Corynthi cum Petinto, & sic de cæteris.

Quænam verò fuerit Platoni, Aristoteli, cęterisque sanioribus Philosophis fortuna ex eo coniectate facile est, quod, pleraq; fortuitò atq; inopinato euenire in hoc rerum orbe dispicientes, causas quasdam esse statuerunt per accidens agentes quibus, veluti rerum contingentium principijs, & originibus, Fortunæ nomen indiderunt; atque adeò Fortunam in ijs tantum quæ fieri & non fieri, quæq; ancipitis euentus sunt, vnanimiter docuere, allato hominis terram fodientis exemplo, qui eam eo consilio defodiens vt arborem plantet, fodiendo inuenit thesaurum, de quo non cogitauerit; Sicut enim inuentio thesauri euentus fortunæ est, nimirum effectus fortuitus nulla intentione speratus, ita fossor vir dicitur, cui fortuna fauet, dum licet sit causa per se fossionis, causa tamen tantum per accidens dicitur inuentionis thesauri. Eo tamen Fortunam à casu discriminari Philosophi solent, quod fortuna sit solum in causis agentibus liberè; Casus verò etiam in inanimis, qui sine delectu agunt; Vnde & esse quidem omnem Fortunam Casum volunt, non verò contra, omnem Casum Fortunam; Et quia contingentia seù euentus ambigui ex eo redduntur, quod vel libertas interueniat, ob quam res alioquin futura, non fiat; aut non alioquin futura fiat; vel causa alia, quæ præter sui destinationem, & quarumdam aliarum rerum non præmeditatum concursum, præstet vt quidpiam non alioquin euenturum eueniat, aut euenturum non eueniat; Constat, hoc posterius contingentiæ genus esse id, quod Casum vniuersè appellant; & si speciatim

M fue-

fuerit in ipsis hominibus, præter quotū mentem aliquid eueniat, esse id quod Fortunam dicunt; nisi quod interdum vtrumque confundunt, ac perinde habetur idem, quod siue casu, siue fortuitò, aut fortuna contingit; Ac propterea Lactantius lib. 3. c. 28 Fortunam describens, dixit vniuersè eam esse accidentium rerum subitum atque inopinatum euentum, atque adeò variarum interueniat causarum concursus absq; mutuo consilio factus; qua ratione cum ad inuentionem thesauri requiratur non modo qui fodiat, sed etiā qui prius thesaurum occultet, perspicuū videtur Fortunam, seu causam talis inuentionis esse ipsum occultationis, & effossionis eo loci cōcursum nullo mutuo agētium interueniente Consilio; Si. n. quis thesaurum occultet eo fine, vt ab homine, quem fossurum esse prænouit, inueniatur, tunc non respectu quidem illius, talis euentus fortuitus est; sed fortuitus solum respectu fossoris, qui ignorauit occultationem; parique ratione cum dominus agri idipsum ignorauerit, Fortuna est, quæ dicitur ipsi fodiente seruo, thesaurum quæsijsse Sic non omninò fortuitum respectu Nitocridis fuit, quod circa Sepulchri violationem contigit, quatenus præsumpsit non defore aliquem Regem, qui Sepulchrum ea inuitatus inscriptione adaperiret. (Si cui Regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto Sepulchro, sumito quantumcumque libuerit; ne tamen nisi indiguerit, aperito; non enim in rem eius fuerit.) At fuit respectu Darij Fortuna, quod loco pecuniæ hoc intus scriptum reperit. (Nisi esses pecuniæ inexplebilis, & turpis lucri cupidus, defunctorum sepulchra non aperuisses;) quæ omnia apud Herodotum sunt lib. 1. Sic tametsi Democritus vt ex Eudemo refert Simplicius, referre ad Fortunam noluerit, quod Æschylo testudinis casu confractum fuerit caput, opinatus Æschyli caluitiem causam Aquilæ fuisse, cur eam credens lapidem esse, eo testudinem dimiserit; Fortuna nihilominus fuit, quod is euentus fuerit non modo præter Æschyli mentem, qui talem casum non prouiderat, sed etiam respectu Aquilæ, si ipsi mentem dederis, vtpotè quæ testudinem alio dimiserit fine, quam ad confringendum caput.

Fatendum tamen maximè propriè appellari posse Fortunam, cum ex omnibus quæ concurrunt causis, nulla cogitat id, quod est ex ipso concursu euenturum cuius rei exemplum illustre afferri solet in Socrate, atque ipsius mortis dilatione post latam sententiam, de quo ea referuntur apud Plutarch. ex Phædone. (Fortuna quædam Socrati euenit, cum pridiè quam iudicatus est, coronari contigit nauim, quæ in Delum quotannis ab Atheniensibus mittitur) in ijs siquidem vocibus (Fortuna euenit) non nudè significatur quidpiam factum esse, sed aliquid contigisse multiplici causarum concursu; nam Sacerdos quidem non Socratis, sed alterius rei causa coronauit nauigium: Ipsi verò Iudices illum aliam ob causam damnauerunt; neque necesse est vt causæ omnes simul agant, sed satis est, vt quomodocumque quidpiam conferant in eumdem effectum. Interim verò constat Fortunam esse per se, ac reuera nihil, cum vbi ipsas per se causas se posueris

super-

superſit ſola negatio prænotionis concurſus, & intentionis euentus; ipſeque concurſus ea ſolum ratione dicatur cauſa, qua & dicitur, quæ nominari conditio ſine qua non ſolet; quippe quo modo admotio rei combuſtibilis ad ignem dicitur cauſa combuſtionis prout eſt conditio,ſine qua combuſtio nõ fieret,ita prorſus ſe habet ille cauſarum non deliberatus concurſus; & cũ concurſus eiuſmodi incerto ſemper modo fiat,nimirum abſque vllo conſilio,quo cauſæ eligantur,atque connectantur, Ideo bene dicitur Fortuna apud Plutarchum,cauſa quædam perſonis,temporibus,atq; modis inſtabilis,quaſi innueretur homini Fortunæ ſectatori; Sperandum non eſſe vt Fortuna ſemper eadem facie ſit,quod cauſæ inter ſe neque eædem, neq; eodem modo conſtanter concurrant; Excepta ſola cauſa diuina atque ſempiterna, cui omne conſtans eſt, omne ſapientiſſimè prouiſum nihil vnquam fortuitum.

Quod ſi quidam ex Ethnicis Fortunam ipſam quomodocumque cogitatã fecere Deam, id ex ipſorum mentis imbecillitate ortum eſt, vt quod non capiebant, non modo mirarentur, ſed eſſe etiam quidpiam diuinum ac ſupra ipſam naturam putarent; ignoratio namque tot concurrentium cauſarum in fortuitis euentibus eos induxit, vt Fortunæ eam laruam obtenderent, ſub qua deinceps eam colerent velut Numen; parum quidem curantes quid ea ageret,poſſetue in rerum natura; at quando in rebus humanis viſa eſt plurimum pollere, idcirco quibus proſpera fuit, habita eſt pro bono quodam atque propitio Numine, quibus aduerſa habita eſt pro malo atque inclementi. Hinc fuere templa illa Fortunæ titulo Bonæ, Malæ, Blandæ, Auerruncæ, Caluę, Equeſtris, & ſimilium; itemque ſimulacra varia etiam bis loquuta, quæ licet Plinium,Plutarchũ aliosque authores legere; Hinc quoque (inquit Plinius) toto mundo,& locis omnibus,omnibusque horis omnium vocibus Fortuna ſola inuocatur, vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur; ſola laudatur, ſola arguitur; & cum conuicijs colitur; volubilis, cæca,inconſtans,vaga,incerta,varia,indignorum fautrix; huic omnia expenſa,huic omnia feruntur accepta; & in tota ratione mortalium,ſola vtramque paginam facit; adeoque obnoxiæ ſumus ſortis, vt ſors ipſa pro Deo ſit, qua Deus probatur inceſtus. Vbi cum apud huiuſmodi errantes viros Fortuna dicitur Deus, menti exhibendum eſt, quod ait Lactantius lib. 3. cap. 28. loquens de Philoſophis (ne aliquando non errent in te ſtulta volunt eſſe Sapientes, qui Fortunæ ſexum mutant, eamque non Deam ſicut vulgus, ſed Deum dicunt; cum tamen de iiſdem met Philoſophis dicat Pacuuius apud Authorem ad Herennium lib. 2.

Fortunam inſanam eſſe, & cæcam perhibent Philoſophi
Saxoque illam inſtare globoſo prædicant volubilem
Ideo quo ſaxum impulerit ſors, cadere eo fortunam autumant
Cæcam ob eam rem eſſe iterant, quod nihil cernat quo ſe ſe applicet
Inſanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inſtabilisque ſit
Brutam quia dignum atque indignum negat internoſcere.

M 2 quia

quia adeo exiguam Sapienti sapientiores omnes putarunt adstare Fortunã, vt licet ea quoque quæ in vita accidunt, crediderint esse fortunæ subiecta, magis tamen Sapientiæ dominationi subiacere confessi sint, cuius munus est, ea quoque quæ fortuitò eueniunt, temperare, moderari, atque ad beatitudinem vsque fortunare; & licet dictum sit à Menandro

Vitam regit Fortuna non Sapientia

ac proinde ferè omnes à fortuna dependeant, illique soli nuncupent vota, si tamen altiùs rerum series reperatur, fortunæ ipsi solam præesse Sapientiam deprehendemus, eo prorsus modo, quo dum aleæ ludo vita hominum comparatur cui intermiscetur ludentis industria, iactus qui etiam fortuitus à perito est, dicitur in melius cedere, quam si esset ab imperito, solam fortunam dirigente Sapientia; ex quo etiam dixit ille apud Plutarchum Fortunam, & Sapientiam res dissimillimas esse, sed quam simillimos effectus sortiri.

Inde quoque Fortunam cum ipsa Diuina Sapientia atque Prouidentia conciliare viro ipsius fortunæ sectatori facillimum erit; sectari namque Fortunam cuique licere facilè potest, si Fortunam intelligat, Diuinæ intelligentiæ consilium esse atque diuinæ voluntatis decretum, præter quod nihil omninò fiat, est enim Fortuna germana significatione accepta, & causarum concursus, & rerum euentus, qui hominibus improuisus Deo tamen semper prouisus est, qui cuncta disponit quæ ad hominem quoquo attinent modo; & licet plurima hominibus non suspicantibus adueniant, Deus tamen nihil omnino ignorare censendus est; sicque cum vox Fortunæ præter causarum concursum præuiam euentuum ignorationem indicet, respectu hominum quidem admitti potest, non autem Dei; Sicut contra nil obstat, quo minus dicamus Fortunam partem esse Diuinæ Prouidentiæ, quæ tam præuisa hominibus, quam non præuisa complectitur; Quo sensu dixit etiam Plato Deum apparare Fortunam lib. 4. de leg. nec secùs accipiendum quod dictum ab eo iam meminimus Deum, & cum Deo Fortunam cuncta gubernare, adeo vt neque Proculus malè Fortunam definierit, Diuinam quandam vim qua in vnum exitum diuersæ congregantur causæ; Vnde & videtur Fortuna posse copulari cum Fato ea ratione, qua species non est aliena à genere; & quia Pausanias Pindarum commendat, quod Fortunam esse vnam Parcarum cecinerit; Sed quid intersit inter Fatum, & Fortunam dabit homo Fati propugnator.



LEX



LEX XXV.

AD
HOMINEM IMMORTALIS
ANIMI VINDICEM.



Icet Cebes Sapiens Thebanus tanquam vulgarem eam referat opinionem, iuxta quam hominis anima in suo discessu, egressuque à corpore non secus ac flatus, aut fumus dissipetur; eaque etiam vsi sint similitudine impij illi, qui Sapientiæ cap. 2. dicebant, (*Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus, quoniam fumus afflatus est nobis*) dicatque Tragicus vates in Troade

—— vt calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breue sordidus
Vt nubes grauidas, quas modo vidimus
Arctos Boreæ dissipat impetus.
Sic hic quo regimur, spiritus effluet
Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

Plurimi tamen semper fuere qui animi immortalitatem asseruerunt, pauciores qui eandem negarunt; & quamuis Cicero 1. Tuscul. & Laertius lib. 2. scribant Pherecydem primum dixisse Animos hominum sempiternos fore; atque adijciat Cicero Platonem primum rationem de animorum æternitate attulisse, obseruat tamen Stobæus, antiquissimos Sacerdotum, quos fuisse constat Ægyptios; ea Pherecydis, septemque Sapientum ætate vetustiores, opinionem hanc defendisse; quin etiam testatur Laertius Magos quosdam veteres reuicturos homines fuisse opinatos, atque inde immortales semper extituros; inter quos Ennius apud Ciceronem 1. Tuscul. refert Cascos populos quosdam antiquissimos, quibus insitum erat, esse in morte sensum, neque excessu vitæ sic hominem deleri, vt funditus interiret; Græci denique veteres eo etiam nomine laudandi perhibentur, quod fuerint immortalitatis assertores; at ij omnes quadam mentis suffusi caligine videntur in errorem illum incidisse de refusione in animam mundi, nimirum sic existimantes

animas omnes particulas esse Animæ mundanæ, quarum quęlibet suo corpore vt vase includeretur, atque iterum corpus egressura, quasi disfracto vase efflueret, & ad animam mundi eiusq; vnionem, è qua deducta fuerat, denuo conuolaret; nisi quod putarent etiam Animas ipsas ob contractas in impuro corpore sordes, vitiorumque maculas non prius vniri, quam sensim omnes sordes exuerint, & aliæ seriùs, aliæ ocyus repurgatæ immunes ab omni labe tandem euadant; Atque ità præ cęteris Pythagoras & Plato, de quib. ne plura ex ipso Platone alijsque corrogemus, sufficiat nobis quod Plutarchus ait sensisse illos Animam postquam è corpore excessit, in congeneam sibi Animam mundi concedere; & quia ipsam Animam mundi aliquando Deum dixerunt ob partem illius præstantissimam, mentem .s. (quæ omnia disponat; aliquando Cœlum propter analogiam ad regionem splendidissimam, ideò intelligitur, quo sensu autumarint Animam diuinæ auræ particulam esse, dixerintq; animos vel ex mente diuina delibatos, vel è cœlo deductos, iterum ad Deum atque ad cœlum redire iuxta illa quæ in 4. Georg. insinuat Virgilius

—— Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris cęlumque profundum
Hinc homines, armenta viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenues nascentem accersere vitas.
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri
Omnia, nec morti esse locum, sed viua volare
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.

Quo sensu intelligendus est etiam Empedocles, cum apud Plutarchum dixit, præsentem vitam exilium esse, è quo animus sit in pristinam sedem demigraturus; quo etiam sensu intelligitur, quomodo voluerit Plato, discere nihil aliud esse, quam reminisci, nempè quatenus Anima mundi omniscia est, & quælibet eius particula tanquam homogenea eiusdemque conditionis cum tota, omniscia similiter sit; tametsi quo momento demergitur in corpus, obfuscetur, & quasi lethæum bibens poculum omnium obliuiscatur, quæ variè deinceps per sensus excitanda sunt, & in memoriam reuocanda. Atque inde etiam ortam fuisse opinionem de transmigratione animorum tot fabulis inuoluta, autumat Proclus, quæ postmodum in vulgus inuecta tantum peperit errorem, vt homines animalia omnia reuererentur, in quibus possent animæ etiam parentum contineri, ac propterea ab eorum cæde semper abstinerent, quod à Plutarcho notatum est lib. 2. de esu carnium; Ad quem errorem etiam accessisse videntur Stoici, quatenus existimantes animati mundum suo illo igne, quem dixerunt Iouem, censuerunt nostras animas particulas esse ex illo deductas, & in eumdem vel citò, vel tardè esse reducendas saltem in illa generali conflagratione, qua in vnum Iouem vniuersa reconflabuntur.

In tanta igitur errorum ac tenebrarum varietate id tantummodo debet im-

immortalis animi propugnatori affulgere quod veritas, & Sacra fides docet, esse nimirum in vnoquoque homine singularem animam, rationalem, & incorpoream, quæ à Deo creetur, infundaturque in corpus vt sit in ipso tanquam informans, & non simpliciter assistens; & prout se in corpore gesserit, aut felix futura admittatur in Cęlum, aut infelix detrudatur ad inferos; resumptura denique corpus proprium, vt cum ipso bonum vel malum, prout gesserit in ipso accipiat; Cui Sacræ fidei Statuto, diuinoque lumini super naturaliter affulgenti, si naturalem rationem addere contendat immortalitatis propugnator, ab eo potissimum supposito cauere debet, quo dicitur animam humanam ex substãtia duplici, corporea scilicet & incorporea fuisse conflatam, sicut etiam ab illo discrimine, quod non pauci inter animam, & animum principem ipsius animæ partem solent inuenire; quamuis enim patres & Concilia eos tantum videantur damnare, qui duas in homine, distinctas constituunt animas, vel quoquo modo plures, cum tamen ad hunc errorem videantur accedere etiam illi qui diuersas in anima substantias ponunt, ideo ij quoque à Catholicis philosophis cauendi sunt; Ac propterea ad stabiliendam in animo, seù in Anima immortalitatem ille dumtaxat rationes adhibendæ sunt, quæ illæsam omnino relinquunt fidei Doctrinam præ quibus illa non est Catholico istius veritatis propugnatori spernenda, quæ ab animæ immaterialitate depromitur, quod enim materia carens est, careat etiam mole, ac partibus, in quas distrahi, atque exsolui possit necesse est, saltem per naturam; putatur siquidem omnis dissolutionis, seù corruptionis origo in natura ipsa materia; & licet Deus, qui solus naturæ author improductus dicitur, possit Animam ex nihilo conditam, ad nihilum redigere, inde non infertur, Animam ab intrinseco mortalem, aut corruptibilem esse, sed solum vt ad externam quandam relata potentiam, quæ ipsa maior sit vtpote diuina; solus namque Deus ille est, qui immortalitatem dicitur absolutam retinere, cum cętera ab ipso condita, licet incorporea sint, precaria tantum immortalitate congaudeant.

Etsi præter physicas aliquæ etiã ex moralibus rationes attingendæ sint immortalis animi assertori, ea præsertim sumenda est, quam generalis omnium populorum consensio suppeditat; tametsi enim circa statum, quem Animæ post mortem induunt, aut circa locum, in quo degunt, cæterasque circumstantias quædam discrepantia sit, vniuersè tamen conspiratio est, quod sint à morte superstites, atque immortales perseuerent, quare cum omni in re (vt Cicero inquit) consensio omnium gentium lex naturæ putanda sit, oportet profectò immortalitatis sensum esse à natura inditum, eosque à naturæ principijs abhorrere qui ausint illam diffiteri; & licet in nouo orbe detectæ dicantur gentes quædam adeò ferarum similes, vt illas nulla immortalitatis opinio imbuerit, tamen maxima semper earumdem regionũ pars sic immortales animos putat, vt illis etiam vel transmarina, vel transmontana assignet loca, & cum deprehendantur aliunde exhorrescere Dæmo-

mo-

monem, seù malum quempiam genium, nocturnis perterreri spectris, permoueri perstigijs constat inde creditam omnibus quoque esse immortalitatem. Itaque tam altè immortalitatis opinionem dicitur natura omnibus hominibus insevisse, vt in dies magis ac magis conformata, videatur iam vbique locorum efflueſcere, nullusque sanè iam inuenitur, qui innato quodam appetitu, vt aiunt philosophi à morte superesse non exoptet; & si de quibusdam fabulata est antiquitas oblatam à superis immortalitatem respuisse, quemadmodum de Chirone dictum est; vel pro eadem reclamasse, Iouemque incusasse, vt de Iuturna & Prometheo perhibetur; hę prorsus nugæ sunt & fabulæ flocci pendendæ; quin illi quoque qui immortalitatem impugnarunt ad ostentationem potius ingenij, famamque adipiscendam, quam ad veritatis patrocinium, illius spē & opinionem in ipsa fama captādā dicuntur iugiter retinuisse; neq; in hac re necesse est commemorare Cleombrotum aut Hegesyæ discipulos, qui statum illum immortalitatis tanto ardore concupierunt, vt prę potiundi desiderio pręmaturam mortem oppetierint. Idq; solum cogitandum est, neminem esse, qui sęcula consequutura ad se pertinere non putet, ex quo omnibus auiditas illa producendæ in perpetuum famæ aut institutione Rerumpub. veræ politiæ nitore coruscantium aut pręclarorum in bello facinorum, patratione etiam cum salutis & vitæ dispendio; aut Erectione Pyramidum, Mausoleorum, Statuarum, aliorumque monumentorum; aut rerum conscriptione memoria dignarum; aut alijs demum similibus, quæ argumento sanè sunt cunctis hominibus naturam indidisce immortalitatis appetitum; vnde, & efficitur, vt, cum natura nihil frustra faciat, neque verisimile sit nos ea curare, quorum nullum sensum habituri sumus, idcirco supersint à morte animi, ad quos status ille immortalitatis, quem iam præsentimus & expetimus, pertineat; in superstite si quidem à morte fama quam peroptabat Ouidius metam. in fine, cum diceret

Ore legar populi, perque omnia sæcula fama
Si quid habent veri vatum præsagia, viuam

immortale quoque vitæ genus affectabat, quo tantum viuere homines posse dicebat Heraclitus.

At si iustum quoque Dei regimen in inquirenda veritate fas est, eò quoque contendere debet immortalitatis propugnator, vt tandem ex ipsiusmet Dei Iustitia Animam ęuo duraturam agnoscat; si enim bonis benè, malis malè esse debet, neque id videamus plerumque in hac vita contingere, oportet vita alia sit, in qua bonis præuia malis supplicia distribuantur, sicque egregie ad rem hanc sępè argumentabatur D. Crysostomus ser. 4. de prouid. si nihil est post hanc vitam, neque Deus est, si Deus est iustus etiam, & iuxta merita vnicuique distribuit, & ideò necesse est tempus post hanc vitam esse, quo singuli pro meritis sint accepturi; si autem secus esset ianua præcluderetur virtuti, via aperiretur sceleri, corrueret religio omnis, pietas omnis euer-

euerteretur, societas omnis turbaretur. Neque sat est adducere in oppositum ipsam virtutem sibimet esse pulcherrimam mercedem, ipsamque malitiam sibimet flagellum quo horribiliùs nullus tortor excruciat, ac proinde non esse illo statu opus, in quem virtutis præmium, malitiæ pœna differatur; etenim solam virtutem non esse dignum sui ipsius pretium ostendi videtur, ex eo, quod præter ipsam semper aliud affectetur ab homine; nec Stoici qui id magnificè suadere satagebant à gloriæ immortalitate, quæ esset præmium quoddam vlteriùs virtuti propositum abstinuerunt. Nec M. Curius parta Patriæ victoria ad eadem aratra redijsset, vnde sublatus fuerat, nisi inde quoddam immortalitatis nomen se esse aucupaturum sperasset. Quæ verò ad euertendas in alia vita pœnas congessit Lucretius Epicureus in lib. 3. quo etiam de immortalitate opinionem euerteret, prorsus fabulosa sunt, atq; omnino ridenda, cum ea solummodo fuerint excogitata de causa, vt sublato hominibus inferorum metu solutiùs viuerent, amplioresq; sine pœnitentia perciperent voluptates eòq; sanè respexere illa carmina

Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditùs, humanam qui vitam turbat ab imo
Omnia suffundens mortis nigrore; neque vllam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.

tametsi enim fabulosa essent, quæ sunt de inferorum pœnis à poetis prodita, & Cicero proinde notet 1. Tuscul. philosophos quosdam, quos in eo gloriari non pudet, quod Inferos videant, ac se liberatos grauissimis Dominis dicant nimirum terrore sempiterno, diurno ac nocturno metu, nihilo tamen minus inde non sequeretur, nullas omnino pœnas esse, quæ à scelestorum animis exigantur; suggerit enim cuique ratio reuera supplicia dementibus stabiliri, aliquo tempore, & aliquo loco inferenda; Et Plato ipse, qui persuasionem Inferorum è sua Republic. eliminatam voluit, omnesque Poetarum Inferos ablegauit, quod pœnarum formidine animos faciant humiles, pœnas tamen, quæ improbos manent, vniuersè reijcere non potuit, imo nec debuit, cum ingenita ratio & cuique insita conscientia rem illam ignorare non patiatur; & quantumlibet expellatur, vi tamen & sponte sua recurrit, vt exemplo esse possunt non modo Diō Dorysthenites, sed etiam quotquot status postfuturi persuasionem deponere affectarunt. Deinde cum Inferorum pœnæ, qualescumq; illæ sint, non nisi malos, improbos, iniustos, scelestos attineant viros, summum opus Diuinæ prouidentiæ est neminem ex illis pœnarum eiusmodi metu esse eximendum, cum hæc sit quasi Iustitiæ pars, vt hocce immani quasi vulture sub pectore alto habitante tundantur; ac nulla sit tam fera Erinnys, nulla tam feralis Enyo, quæ aduersus eos inuocanda non sit, quamdiu illa patrant, ob quæ pœnas metuunt. Et si rursus afferat Lucretius celebre illud Epicuri argumentum, quod scilicet mors nihil ad nos pertineat quoniam dum sumus, ipsa non est, & dum ipsa est, nos non sumus; siquidem licet dum mors est,

nos,

nos corpore simul animoque non simus, animo tamen semper esse possumus, post mortem quemadmodum sumus etiam ante mortem.

Neque ex eo quod plerumq; dicatur Animus noster gigni, adolescere, vigescere, senescere, atq; quodammodo cum corpore ipso deficere, quemadmodum cum Lucretio alij plures poetæ & philosophi putauerunt, ij spectatis versibus hominis animum, mentem, atq; ingenium apposite delineantibus

Præterea gigni pariter cum corpore & vnà
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde vbi robustis adoleuit viribus ętas
Consilium quoque maius & auctior est animi vis.
Post vbi iam validis quassatum est viribus æui
Corpus & obtusis ceciderunt viribus artus
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque
Omnia deficiunt, atque vno tempore desunt.

error eiusmodi in plerisque iam damnatus hęreticis admittendus est; licet enim illud tritum axioma verum sit apud philosophos, quidquid natum interire, id tamen admittitur ab ijsdem in rebus solummodo corporeis, atq; compositis ex corruptionis & generationis principijs, non vero in incorporeis & simplicibus; atque mutatio omnis, quæ videtur in anima eiusque ratiocinãte facultate, in solo contingit corpore, cuius tantum est adolescere, senescere, & deficere; & si quid in ipsam animam ex corpore mutationis redundare intueamur, id phantasiæ eiusque organo adscribendum est; etenim cum anima in corpore existens omne id, quod ad notitiam rerum pertinet, hauriat à phantasia atque phantasmatis in ipsa, velut imagines, per sensus traductæ, residentibus; ideo dicitur eadem anima sub initium ętatis nihil, parumvè ratiocinari propter pauca, aut nulla phantasmata, ex quibus tantum ratiocinium texere potest; qua etiam ratione progressu temporis dicitur felicius ratiocinari, infelicius verò decrepita iam subeunte ętate. Sic propter eamdem quam habet sensibus subiectionem anima, quamdiù in corpore degit, dicitur quodammodo cum corpore ipso laborare morbis, ebrietate turbari, desipientia atque insania iactari, cum tamen hæc omnia potius ad corpus, quam animam ipsam sint referenda, vt optimè consulunt Medici, cùm animo ægretotanti sæpè mederi satagunt.



LEX



LEX XXVI

AD

HOMINEM INDIVISI ANIMI HOSTEM.



Peruersa omnino ac cæca sententia fuit, vtpotè ab Amore hausta præceptore vtique mente simul & oculis capto, illa, quam summa Cyri admiratione professus est Araspes Medus Pantheę custos apud Xenophontem Cyrop. lib 6. cum enim is, accepta à Cyro in Custodiam Panthea Abradatæ Susorum Regis vxore genere & forma præclarissima in bello capta, nobilissimæ fœminæ constantiam non modo Lenocinijs & blanditijs, sed ferro quoque aggrederetur, atque re ad Cyrum per internuncium delata ab ipso ob scelus mirissima obiurgatione redargueretur, quo faciliùs militaris animus pudori aditum aperiret, ea protulit verba in excusationem (Duæ Cyre mihi sunt animæ, hancque philosophiam didici apud improbum Sophistam amorē; nam vna si esset anima, non & bona simul esset & mala, neque rés pariter honestas & turpes amaret) Quæ tamen quam longè aberrent à vero ex eo satis coniectare licet, quod in tuendis etiam erroribus adeò contumaces sumus, vt admissorum scelerum culpam aliquando transferamus in Deum, quasi animæ duplicis conditorem in homine; In quo sanè argumento illud statuendum est, Animam hominis simplicem quidem atque indiuiduam, ab omni verarum partium distributione longissimè positam esse; à duplici tamen appetitu non abhorrere, quorum alter à ratione, à sensibus alter nomen accepit, & recepto à philosophantibus vocabulo, Appetitus rationalis & sensitiuus appellatur, in quo etiam ille diuinam, hic expertem rationis, & sensuum ludibrijs obnoxiam partem occu pauit, quam quoniam communem nobis cum brutis animantibus natura concessit, hominem animalem Apostolus nominauit (Animalis homo non percipit quæ spiritus sunt;) Et licet Centauros ad adstruendam aliquam in homine partitionem ingeniosa excogitauerit antiquitas, quorum caput & pectus ad humani formam corporis machinata est, reliquas in equum partes inaudita rerum permixtione transfudit: id tamen bipartitam tantummodo appetitus in homine di-

ne di-

ne distributionem nobis obtrudit, quæ à nulla philosophantium natione reijcitur, sed ab omnibus siuè ex Licęo, siue ex Academia, siue ex Porticu consentientibus animis excipitur, vt eo etiam animam humanam ex eo duplici appetitu veluti ex duabus conflatam partibus fateantur.

At non duo tantum, sed tria veluti membra in singulis animis, qui natura simplices sunt, esse constituenda omnes philosophantium voces affirmant partem nimirum Rationalem, Concupiscentem, atque Irascentem, atq; hoc est multiforme illud naturæ an potiùs ingenij portentum, quod pro tẽplorum vestibulis Egyptij adhibere solebant (Sphingem nimirum) cuius egregia forma Virginem vultu mentiens, in auem paulatim, inde postrema corporis parte in Leonem degenerare videbatur, vt triplici hoc discentientium partium simulachro triplicem animæ facultatem nobis ob oculos ponerent, quò annuit fortasse Claudianus in quarto Honorij Consulatu, cum cecinit

——— cum conderet artus
Nostros æthereis miscens terrena Prometheus
Sinceram Patri mentem furatus Olympo
Continuit Claustris; indignantemque reuinxit;
Et cum non aliter possent mortalia fingi
Adiunxit geminas. Illæ cum corpore lapsè
Intereunt, hæc sola manet, bustoque superstes
Euolat: hanc alta capitis fundauit in arce
Mandatricem operum, prospecturamque labori
Illas inferiùs collo, præceptaque summæ
Passuras Dominæ, digna statione locauit.
Quippe opifex veritus confundere sacra prophanis
Distribuit partes animæ sedesque remouit

ratio siquidem in humani capitis arce tanquam in nobili capitolio, vt Timęi ennarrator Calcidius memoriæ prodidit, imperium tuetur suum; sentientis verò animæ satellitium, quod belluis etiam à natura communicatum intuemur, reliquis monstri partibus continetur; & licet Aristoteles partes eiusmodi in animo ab intellectu tantum excogitatas affirmet, & Animæ substantiã integram solo corde circumscribat, vt Cęlo Deum, facultates tamen etiam illas agnoscit, ex quibus veluti propagines animorum ęgritudines enascuntur; Ex quo etiam aptè Clemens Alex. ratiocinantem, internum hominem vocat Deo subditum, Irascentem feram immanem nemini obtemperantem, Concupiscentem deniq; Protheum varium, ac versipellem.

Atque id prorsus est, quod aduersùs animi simplicitatem afferre solent Platonici quidam cum Alcinoo in lib. de doctrin Platon. cap. 17. cum tres esse in homine eiusdem animi partes, primùm origine, deinde sedibus distinctas atq; discretas affirmant, etenim cum videretur ipsis valde defforme atq; inconcinnum, quod vis animi diuina atque immortalis à formatoribus Dijs

ad im-

ad imperandum instituta mortali quadam fatuitate impleretur, alias duas animi partes mortales atq; supremæ inferiores adiunxere; quæ tamen omnia eo duntaxat respiciunt, vt scitè aduertit Ficinus doctissimus Platonicus lib. 2. Epist. vt prænumeratas in anima sine distinctione facultates indigirent; vna siquidem (inquit Ficinus) anima est quę multiplex in multiplici cernitur munere, cuius sola munera, actus, & officia ad summū debent esse distincta, eo prorsus modo, quo ignis corpus vnum est & simplex, licet tribus qualitatibus agat tria, cum fulget luce, leuitate celer ascendit, calore calefacit & vrit, atq; etiam in qualibet ignis particula hæ pariter tres vigeant facultates sintque loco simul, licet aliqua proprietate secretæ. Vnde benè redarguitur à Crispo Gallipolitano in lib. de Ethnicis Philosophis cum Ioannes Grammaticus, quod in animo ipso aut ex diuersis essentijs compositionem admiserit, aut summam ipsius simplicitatem quoquo modo lęserit, locorum & facultatum secretione inducta; quamuis enim fuerit Io: Grammaticus vir quidem Christianus, ac etiam philosophus eximius, & etiam philosophiæ viribus multa Christiana dogmata defendere tentauerit, non tamen vsque adeo fęliciter id sibi euenit, quam pro zelo catholicæ religionis fieri opportuisset; quin in suos ipse errores lapsus proprijs philosophiæ laqueis est implicitus atq; irretitus; nam & ipse inditas in anima rationali notiones asseruit, & intellectum habitum potius, quam potentiam confiteri visus est; primam etiam mentis operationem nequaquam simplicem esse dixit, sed cum sensu ad substantias abstractas contemplandas implicari, vulgaribus hominibus nequaquam mentem, sed tantū mentis vestigium sua sponte inseruit, plurimęque potentiæ ab ipso in homine inuentæ sunt, quæ & debitum & numerum & exigentiam naturæ quam longissimè excederent. Denique ob pilorum incrementum & vngium, quod in cadaueribus sępè fieri cernimus, partem quamdam animæ vegetantis in cadauere remanere suspicatus est; atq; item animotum vehicula sibi repugnans admisit, immo etiam quod anima apud Inferos patiatur, vehiculum aureum in causa esse docuit, & cum de vmbris per sepulchra volitantibus dubitat proprio dilemmate, tamquam turdus (vt aiunt) sibi malum adsciscens, se ipsum inuoluit.

Vnus igitur Animus est simplex atq; incōcretus, licet ad modū multiplicis agat & cōcreti, vnoq; tātū animo volumus, nolumus, assentimur, dissentimus, recordamur, obliuiscimur, gaudemus, lachrymamur, & id genus agimus alia quę optimè expressit Maronis cātus in Laomedōtio heroe in illis carminibus

—— Leomedontius heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat æstu
Atque animum nunc hùc celerem, nunc diuidit illuc
In partesque rapit varias perque omnia versat.

quam etiam doctrinam tradidisse nobis videtur exemplo vnius carinæ, quæ pluribus soler iactari procellis Althea Meleagri mater apud Ouid. met. cum duorum filiorum cędem à Meleagro illatam vlcisci tentaret, inquit enim

—— ——— utque Carina
Quam ventus, ventoque rapit contrarius æstus
Vim geminam sentit paretque incerta duobus
Thestias haud aliter dubijs affectibus errat
Inque vices ponit, positamque resuscitat iram

& si quis humanam eandem Animam secum, suisque potentijs pugnantem modo vincentem, modo succumbentem explicatiùs videre cupiat ad ea etiam Ouid carmina 7. met. oculos conuertat, in quibus Medeam noui hospitis Iasonis accessu iam non amore captam solum, sed lymphaticam penè sibi repugnantem introducit, hinc patris inde Iasonis salutem sibi suadentem, à quibus non longè distant ea etiam quæ Seneca in Tragedia eiusdem nominis memorat, vbi incipit

Medea nunc sum, creuit ingenium malis

cum reliquis quæ sequuntur; Atque ex hoc tam vario facultatum agentium in animo discrimine ortum est, quod celebre semper fuerit apud vetustiores philosophos duas distingui animæ partes externam vnam, quæ nimirum externos sensus complecteretur internam aliam, qua dum externi feriantur sensus non desinit animal quidpiam apud se agitare; quippe tametsi Tertullianus imitari visus Asclepiadem in eos excandescat, qui vt res distinctas sēsum, & intellectum habent; cæteri nihilominus habuere vt res inter se distinctas, licet in vnam animæ substantiam conuenirent; Inde quoque multiplex semper fuit de sede earum partium seù facultatum controuersia, cum alij rationalem tamquam principem in corporis arce, capite nimirum, seù cerebro constituerint, alij verò irrationalis partem irascentem in corde, concupiscentem in Iecore posuerint, ita tamen vt ex multiplici parte ac facultate vna fieret animi natura, vnumque etiam & idem esset iuxta expressionem Lucretij lib. 3. Animus & Anima

Nunc Animum, atque Animam dico coniuncta teneri
Inter se, atque vnam naturam conficere ex se
Sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto
Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus.

& licet alibi Lucretius videatur reuera probare Animum quidpiam esse ab anima distinctum, eo quod aliquid agat & patiatur animus, non coagente, aut compatiente anima; sitq; semper animus ille, qui vehementiore affectione percellitur alia tamen sanè non est inter hæc duo excogitanda distinctio, quam illa à Philone Iudęo excogitata in lib. de mundi opif. vbi ait Deum animę concessisse mentem vt esset animę quasi anima, eo modo quo sapiētiores dicunt esse oculo concessam pupillā vt sit oculi quasi oculus; qua occasione videretur etiam animum comparari posse cū rotę centro atque modiolo, Animam verò cum radijs ab ipso deductis, si quidem sicut depereunte centro atq; modiolo totius rotę concidunt radij, ita prorsus animo in anima ipsa deficiente, qua etiam comparatione satis innotescit Animun & animam vnam eandem

eandemq; rem esse. Inde denique factum est quod philosophi quamplures Animum totum hominem esse, seu maius, Hominem solum animum esse, cũ enim nullum in homine quatenus homo est agnoscerent compositionis vestigium, licet homini corpus adhęreret, eò prolapsi sunt, vt hominis nomen soli animo conueniret; qua ratione Plotinus triplicem constituens hominem lib.7. Eneade 4. primum Idealem facit, alterum solam animam dicit esse, tertium verò hominem quasi non hominem esse vult; quæ tamen ablata animi simplicitatè, quam indicare videntur, quasi ad errorem accedere censendi sunt, cum homo vere illud sit humanum compositum, quod ex anima simul & corpore coalescit, animalque dicitur rationale.

Neq; Oraculũ illud Zoroastris vulgare inter eos, qui Chaldaicę disciplinę ęnigmata volutantes, Magorum doctrinam admirari consueuerunt, per ea verba dictatum (Tuum vas habitabunt bestię terrę) arguit præter rationalem belluinam in anima constitutionem; licet enim dicat Zoroastres Animam humanam vas esse, quod dicitur à belluis habitari, id tamen intelligit solummodo qu od facultates illas, irascẽtem nimirum & concupiscentem, quę solent perturbationibus concuti & agitari more ferarum; belluarum si quidem nomine, & maxime ferocientium intelliguntur à pręclarissimis philosophis affectiones in animo, à quibus ipsa hominum natura sæpè sepius violenter abrepta solet tyrannidem quandam experiri, & sępissime quoque in bestiarum sortem degenerare; quò sanè respexit Plato 10. de rep. cum diceret se Orphei animam vidisse Cygni vitam in odium muliebris generis eligentem, cum nollet ex mulieribus, à quibus interfectus fuerat rursum renasci; Animam quoque Aiacis Telamonij, Leonis vitam suscepisse, vt magis hominis naturam auuersaretur & memoria iudicij illius, quo ipsi Achillis arma iniustè fuere pręrepta; Animam Agamemnonis propter varias Ærumnas, quas dum viueret perpessus est, Aquilæ vitam accepisse, & sic de reliquis, qui in feras commigrasse dicuntur ob ferinas susceptas affectiones; quo etiam ea intelligenda quæ multiplicem adstruunt in vno homine animarum speciem; dicuntur enim à philosophis rationes aliarum animarum specificæ in vnam rationalem animam conuenire, ità tamen nullam in ipsa compositionem ponant, sed solummodo quandam supracœteras perfectionem, qua rationalis anima eminentiore quodam modo dicitur etiam cœteras continere quoad actus & officia; indeque solum dictum est esse quidem in homine animam plantarum & brutorum, & non eo modo quo est in plantis aut in brutis, vt ratione & esperimento satis constat.





LEX XXVII.

A D
HOMINEM CONSILIO ET RATIONE LIBERVM.



Strorum, ſyderumq; iura, quæ fortaſsè in Elementa, & animantia bruta exercentur, hominem, qui ſola arbitrij lege gubernatur, vi ſua prorsùs relinquunt immunem, eaque bona quibus perfruitur homo vt homo eſt, aſtris ipſis altiora ſunt atque in ſublimiori collocata; qua propter numquam benè illi auditi ſunt, qui dixèrunt omnia hominis bona quaſdam eſſe cœleſtium planetarum particulas ex ipſo cœlo ruentes, quibus ſine labore atque libero agendi ſtudio ditantur homines. Fictitium quoque ſemper fuit, atque inſanæ mentis commentum animal illud nemini nocuum, cunctis proficuum, quod cœlo hominibus delapſum, aſtrisque congenitum Stoici quidam efficere, virtus nimirum nullo hominis labore parta, cui eſſet Sapientia caput, oculi Prudentia, crura Iuſtitia, ſanitas Temperantia, vires Fortitudo, manus liberalitas, Lingua fides, pectus religio, collum pietas cor amor; hæc namque omnia ipſius hominis libertate concluſa cęleſtem dominatum excludunt, neque planetarum admittunt imperium; quamuis enim perſæpe homo non diſſentientem à Planetis motum gerat, eiſque conſentientes prorsùs operationes exerceat, id propterea euenit (vt ſcitè aduertit Angelicus Doctor in 3. cont. gent,) quod Sydera, aſtra, & planetæ ad præſtituendam primarum qualitatum temperaturam plurimùm valeant abſque eo quod animum hominis eiuſmodi temperamento ſubiacentem aut parentem efficiant; Indeque aſtrorum ductu, nutu, renutuque ſyderum adhibito falluntur ij omnes, qui ex inditis in corporibus quibuſdam à natura ſignis, inditijſque exteribus in intimas animi affectiones penetrare audent, vt etiam ex iiſdem fauſtos vel infauſtos prænoſcant euentus; eo etenim dumtaxat fas eſt remota quædam lemmata in corpore conſtituta decerpere, quo fiat animus velut in homine princeps dominator in ea omnia quæ ſuſcipienda ſunt, iuraque ſemper addictæ ſibi libertatis illæſa tueatur.

Atque

Atque vt à vi planetarum in homines effusa exordiamur, potest quidem Saturnus planetarum omnium supremus, ac maximus sui particulam quodammodo immittere in homines quosdam hirsutos, iracundos, atque ad generandum procliues, qui cum sint semiferi, pilis horridi, ac maximè libidinosi etiam in sacris literis viri salaces, & pilosi vocantur, sicut etiam in antiquis fabellis Satyri à Saturno dicti; non proinde semper ex vario istius planetę statu nascuntur homines modo graues, profunda cogitantes, consilio optimo, atque intellectu ditari; modo infortunati, tristes, suspicaces, mendaces, deceptores, auari, inuidi & id genus alia suscipientes crimina, quæ vt plurimum ab arbitrio pendent humano; & si quandoque hæc tribuuntur astris, id potiùs ex hominum placito, atque ad cœlum vsque protracta humanæ mentis libidine, quam ex veritatis lumine solet contingere; quemadmodum etiam Iupiter accepto nomine à iuuando dicitur quoquo modo homines cordatos efficere, prudentes, religiosos, apertisque moribus ingenuos; fingebatur enim Iupiter ab antiquis ętate hominis perfecta, barba promissa, oculis pulchris, candidis, & gratiarum plenis, propterea quod tales in homines transfunderet dotes, & virtutes ori consonas delinearet. Ita denique à cœteris Planetis improprio quodam sensu variæ hominibus dicuntur virtutum particulæ impertiri à Marte, quod est astrum ardens & efficax, bellica virtus & fortitudo, à Sole quem Phœbi nomine dictum & depictum cum cithara accepimus, Iucunditas & hilaritas à Venere geneseos domina, propensio à generi propagando dedita, de ipsa namque canit Lucretius de rerum natura

—— per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, si sitque exortum lumina solis

à Mercurio studium disciplinarum & aptitudo ad mercaturam; à Luna denique modo decrescente, modo lumen reparante mutabilitas & inconstantia; qua ratione de Luna loquens Virg. in lib. 1. Georg. monet in suscipiendis operibus Lunam quintam esse fugiendam tamquam male ominantem, cum quidquid Luna perficitur quinta, minimè firmum sit, cęterisq; minimè proficuum, & si hominum natiuitas sub Luna quinta respiciatur, dicitur natos efficere superbos, Deorum contemptores, atq; ad omnem vergentes impietatem

Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge, Pallidus orcus
Eumenidesque satæ, tum partu terra nefando
Coeumque Iapetumque creat, sæuumque Tiphœa
Et coniuratos cœlum rescindere fratres.

quæ tamen omnia intelligenda sunt absque libertatis lęsione & sine illius supremi imperij discrimine, quo potest homo ipsis astris & planetis Dominari.

Error fuit Porphirij in libr. tertio de sacrific. animal omne consilio

& ratione liberum esse, & posse virtute præstare, cum enim consilij & libertatis vsus homini tantum proprius sit; in quo etiam solo potest virtus imperare, fit ideo hoc solum inter homines & bruta esse statuendum discrimen, quod etiam aduersum naturæ propensiones possit solus homo liberè & inuictè pugnare, atque ita astrorum dominatum pro libito detrectare; neque ità ex brutalibus naturæ notis esse homines syderibus subijciendos, quemadmodum subijciuntur cœtera animalia. Quod si à philosophis & à poetis in hac re æquiparantur quandoque Brutis homines ipsi, hæc tantum sub mysterio intelligenda sunt, quemadmodum sub mysterio Cyrcęo conuersiones hominum in belluas ex vitiorum cumulo descripsit Homerus; persępè namq; contingit vt quem vitijs deformatum inspicimus, hominem vix æstimare possimus

Non furor est tantus Pantherę siue Leonis
Siuè immanis apri, quo vix vehementius vlla
Persurit, & rabie desęuit bestia tanta
Pantoïdę claris vt quanta ferocia in armis

existimans ad hæc carmina etiam Plutarchus Homeri mentem fuisse, innuere, animas hominum quos vitia ab arce rationis deturbarunt, in bestiarum corpora commigrasse, ac prorsus consilium & libertatem exuisse per circularem orbium cœlestium reuolutionem quam ipse Cyrcem appellat, & Solis filiam facit; atq;adeo Vlyssem qui à Mercurio virtute & Sapientia communitur talem subire mutationem minime deprehendi.

Hacque etiam de causa Platonici, quidam, cum viderent animarum hominum alias furiosas, alias rapaces, iracundas alias, cogentibus astris, eas luporum ac Leonum corpora subire putauerunt, quæ verò incontinentiæ ac luxuriæ se dederunt, in Asinos, aliasq; eiusce modi belluas abire iudicarunt, cum cuncta animantia bruta ad indita sibi à syderibus propensione vendicent vt ad quędam vitia, turpes motus, & alia naturæ crimina proripiantur nulla imperante ratione, aut dirigente virtute.

Omne adeò genus in terris hominumque ferarum
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres
In furias, ignemque ruunt, amor omnibus idem

fuit Maronis cantus mutuatus à Sophocle ad delineandas animalium hominumque cupiditates, quibus deest libertatis & rationis imperium; abripitur enim etiam quandoque homo incontinentiæ labe fędatus vi quadam in cupiditates & crimina, sed apprehensa postmodum virtutis & rationis habena, pręceditur ne ruat in præceps quod agunt bruta sine repagulo.

Frustrà igitur laborãt, qui hominis libertatẽ astris, syderibus, aut soli naturę propensioni, quemadmodũ in brutis, adscribunt, omneq; adimunt benè vel prauè agẽdi dominiũ idemq; prorsus est ab homine libertatem ablegare atq; hominẽ, ipsum humanitate exuere; quod tamen quidã errore dementati cogitarunt, vt familiaria magis homini efficerent scelera, eumque omni culpa libera-

berarent, relatis quodammodo criminibus atq; inducta peccandi necessitate, vt etiam aiebat ille

Odi nec possum cupiens non esse quod odi
Auferor vt rapida concita puppis aqua

neque fatalis illa ex astris agendi necessitas quam in hominibus adstruebant Stoici neque Genij illi fatales, quos hominibus in lucem, & natiuitatem erumpentibus æquè diuidi per superos arbitrabatur Symachus, queunt hic locum habere; cum enim homo ea ratione dicatur homo, qua rationis, & libertatis particeps est, insanum sanè esset arbitrari hominem esse, & hominem agere, nihil agente ratione, aut imperante voluntate; in qua re etiam meritò reprehensus est Cardanus à Carpētatio digressione 11 in Alcinoum, eo quod ausus sit ex sinistro astrorum in Christum natum aspectu, dignum mala Cruce vaticinium fundere, quasi Christo fatale fuerit de Cruce pendere, ibique emori, cum tamen liberè oblatum, quia ipse voluit Diuinæ testentur oracula disertissimè; Et licet appetitum humanum persæpè ferocientem experiamur, ac summa quadam capacitate in facinoris consortium voluntatem ipsam abripientem, nullam tamen posse liberæ facultati necessitatem inferre docent Theologi atque Sapientissimi omnes: prostat enim peremptorium summi Principis, & Authoris naturæ edictum ad hominem nequam sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius; Nec ipsa diuturna criminum series, quæ hominem summè perditum reddit vt plurimum, &c. morbosa vitiorum consuetudine penè tabescentem potens est in ipso homine libertatem adimere, aut imminuere; licet enim consuetudo sit, vt vulgò iactatur (quædam altera natura, adeòque frangas potiùs, quam corrigas ea, quæ in prauum indurauerunt,) vt ait Quintilianus (nulla tamen consuetudinis vis, quantumuis potens, ità cum homine pugnat, vt hominem, & libertatem expugnet; & quamuis Catullum & Scipionem) vt optimè aduertit Latinus Pacatus (diuturno iactante vitiorum turbine, fluctuantes ac naufragos penè fecerint errores quidam, tamen in melius immutatos reuexerunt tandem ad portum rationis liberæ resipiscentiæ flatus) hancque rem totam concinnè admodum claudere videtur Prudentius in Hamartigenia, vbi habet

Non fit spontè bonus cui non est prompta potestas
Velle aliud & noxque animi conuertere sensus
Atqui nec bonus est, nec collaudabilis ille
Qui non spontè bonus: quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, sordetque in gloria virtus.

Liber itaque homo est, vt bono ac malo sibi ob oculos posito, eligat aut bonum eius specie permotus, aut malum, si illi obtendatur ea boni species, quæ & clariùs appareat, & vehementiùs proinde alliciat, moueatque, quam species ipsiusmet boni. Vt propositis item duobus bonis, sequatur aut maius, cuius moueatur specie, aut minus, si illius species euidentior fiat

&c.

& attrahentior sit quam maioris: Vt denique propositis duobus aut maius refugiat, eius specie abactus, aut minus, si illius species vt horribilior visa, ita fugantior extiterit; quo spectat illud Platonis in Protagora docentis neminem volentem ad malum ferri; neque esse in hominis natura, vt velit ad ea, quæ reputat mala, bonorum loco deflectere; Vbi eum statim occurrat illud Medeæ apud Ouidium 7. Met.

——— *Video meliora proboque*

Deteriora sequor.

idcirco adnotandum est id, de quo semper miratus est Aristoteles, quomodo scilicet fieri possit, vt qui de rebus rectè æstimat, incontinens fiat; neque enim abs re Socrates aiebat fieri non posse, vt in quo sit scientia, in eo aliud quid dominetur; atque adeo vt qui de rebus rectè æstimat, non id quod est optimum agat; cum si agat, necesse sit id ob ignorantiam fieri; Vnde & desumptum videtur, quod dicitur vulgo ac verbis Medeæ opponitur omnis peccans ignorans est; quod vt explicet Aristoteles, docet, aliquid aliquem scire duobus contingere modis aut habitu aut actu; siquidem potest quis scientiam habere, qua non vtatur, vt si mentem alio, quam ad illud, quod scit, diuertat; aut dormiens furiosus, vel vinolentus sit; Sicut etiam eadem pro libito vti potest, si ad illud quod scit, actu animum conuertat; hincque fit quod si quis ab eo quod scit, animum actu distractum non habeat, quidquid agit dicitur sciens agere; si vero habitu solum sciat seu ea, quam habet, scientia non vtatur, perinde est, ac si ea careret; hacque ratione peccata agens dicitur ignorare; nimirum exoritur semper in eo, qui peccat passio aliqua siue voluptatis, siue iracundiæ, siue ambitionis, siue auaritiæ quæ animum commouet, perturbat, ac scientiam agendi ita peruertit, vt quidquid boni in virtute, quidquid mali in vitio est, caligine obducat; adeò vt aut lateat, aut ægrè appareat quid mali in vitio est, & quidquid boni in virtute velut in aperta luce constituitur; indeque fit vt bonum quod est in virtute imbecilliter alliciat atque turbat, malum quod in vitio impotenter abripiat; ità tamen vt semper agendi libertas necessario suffusa lumine atque operum notitia illæsa perseueret.


Neque idcirco est cur homo se excusandum reputet, quod ignorans agat, quod bonum quale appatet, sequatur, quod denique secus agendi careat potestate, verèque dictum ab illo sit

Nemo malus vltrò est, neque beatus non volens

non ideircò, inquam, est, cur ista obtendat; etenim licet inter ea, quibus peccata excusantur, connumerari ignorantia soleat; excusans tamen hæc ignorantia inscientia est mera, vnde & ignorantia pura ac inuincibilis dicitur, qualis fuit in Cephalo dum Procin inter dumos latentem, ac feram esse existimans, numquam caram esse coniugem suspicatus, innocenter occidit, quod egregiè describit Ouid 7. Met. Quo nomine etiam absoluta fuit (referente Aristotele lib. I. magn moral.) ab Areopago mulier illa, quæ amatorium

rium poculum non prouiſa morte ſubinde inſequuta, Amaſio exhibuerat; Is igitur qui ignorantia peccans eſt aut malè agens, tunc ſolummodo excuſandus eſt, cum nulla prorſus interpoſita criminis notitia, aut ſuſpicione, nulla data negligentia aut ſceleris cauſa deflectit à recto, aut ab honeſtatis lege deerrat; & licet quidam hærentes Hegeſiaci Senario apud Laertium dixerint peccata digna eſſe venia, cum nemo peccet volens, ſed perturbatione coactus; conſtat tamen apertiſſimè cum cauſa quoquo modo perturbationi datur, coactionem non interuenire, & ità neque culpam adimi, neq; libertatem.

(∴)



LEX



LEX XXVIII
AD
HOMINEM ANIMO
IMBECILLEM.



VIDAM sunt, qui licet eos fortissimos viros iudicet vulgus ex eo, quod proprio iudicio, & voluntate sibi mortem consciscant, animo tamen mollissimi, timidi, atque imbecilles sunt iudicandi, dum ad effugiendas tantum calamitates, & dolorum pondera excutienda sibi exitiales inferunt manus; fracti enim semper animi fuit, incommoda ferre non posse, quæ rebus aduersis in hominem inuehuntur, atque ad fortem solummodo latum est monitum illud

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

idque ea ratione quod animus nulla pressura consternatus summum ostentet robur, neque malorum declinandorum causas quærat, singulos refugiens modos sibi necis inferendæ; & ij sanè semper inertes, & imbecilles habendi sunt, qui ad effugiendos quos parit amor, dolores, violentas ad necem sibi manus inijciunt, quemadmodum de Phædra, Pochri, Euriphyle, Didone, Pyramo, & Tysbe alijsque pluribus dictum est à Poetis, quos fortasse innuens Virgil. 6. Æneid. canit

Proxima deinde tenent mæsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manus, lucemque perosi
Proiecere animas.

& paulò infrà

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.

Sicut etiam molles atque omni animi robore destituti censendi sunt, qui ad vltroneam suscipiendam necem compelluntur, aut propter rerum inopiam, & paupertatem, quales sunt, quos idem Virgilius collocat apud inferos, atque velle maximè & exoptare

Hunc & paupertatem, & duros perferre labores

aut propter morbos, & ægrotationes, cuiusmodi fuere Atticus ille Ciceronis,

nis, & Anaxagoras præstabilis Philosophus quos memorat Plutarch aut propter insanam immortalitatis cupiditatem, quorum numero adscribuntur Calanus ille Indus Philosophus magni nominis, qui diù multumque Magnum sequutus Alexandrum ad extremum ipso vidente se coniecit in Pyrham, ratus se ita apud ipsum Alexandrum, & posteros fumum immortalitatis adepturum; Et Empedocles, qui in Etnæ craterem insiluit vt pro Numine haberetur immortali

—— Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit.

Quæcunque sint ejusmodi causæ sibi mortis consciscendæ semper inertiam redolent atque animi mollitiem malorum incommodis nimium succumbentis, sicut contrà excellens est fortitudinis opus mala ipsa fortiter pati, atque in ipsis vitam seruare, cum satis vulgatum sit illud Martialis

Rebus in aduersis facilè est contemnere vitam
Fortiter ille facit qui miser esse potest.

ac propterea Euripides Herculem ipsum fortissimum virum inducit ex animi robore etiam in aduersis vigente sibi necem inferre recusantem

—— licet maximis sim in malis
Ne ignauiæ suspicionem præbeam morte vltronea
A morte me continebo.

quod etiam fortitudinis opus egregium commendat Seneca in Antigone, & Plinius Iunior in Tito Aristone, qui mortem sibi consciscere, licet molestissima ægritudine pressus recusauit; hacque sola de causa in probrum imbecillitatis humanæ apud Platonem in lib. 9. de leg. illi omnes qui sibi ad necem manus intulissent, inhumati atque insepulti relinquebantur; sicut etiam apud Thebanos velut sui carnifices, & immanes habebantur, quin Athenienses in pœnam tanti criminis dexteram velut facinorosam abscindebant, & proijciebant.

Fuere tamen Stoici quidam & Platonici quamplures qui putarunt non omnes omnino causas voluntariæ mortis esse viro forti eripiendas, sed nonnullas permittendas esse, quæ imbecillitatis notam non inurant, inter quas commemorat Laertius in decretis Zenonis, Patriam, Amicos, dolores acerbos, morbos ægrè curabiles, additque Lucretius in lib. 3. senectutem vltimam & onerosam qualis fuit in Democrito

Denique Democritum postquam matura vetustas
Admonuit, memores motus languescere mentis
Sponte sua letho caput obuius obtulit ipse

atque præter dictas alias etiam ennumerant alijs causas voluntarij interitus subeundi, inter quas potissimum adest illa, si sapientiæ amittendæ, aut sanæ mentis informandæ periculum subsit; in ejusmodi enim euentu ex Cicerone, Seneca, & Epicteto docet Lucanus

Par

Par animi laus est, & quos superaueris annos.
Perdere, & extremæ momentum abrumpere lucis.

Olimpiodorus præ cæteris ex doctrina Platonis opinatus est, quinque incidere posse tempora, in quibus fas sit vitam abrumpere, quia eius abrumpendæ, iusta necessitas sit; idque vt planiùs ostendat mortalium vitam facit conuiuio persimilem, ex quo consequens esse vult, vt quemadmodum quinque sunt iustæ, idoneæ, ac necessariæ absoluendi conuiuij causæ, sic totidem sint relinquendæ nostro iudicio, & arbitratu vitæ; primamque tollendi conuiuij causam tum esse ait, cum dominus seù princeps ad nos diuertere, ac nostro excipi hospitio vult; secundam, cum discordia, rixa, aut digladiatio super mensam inter conuiuas exoritur; tertiam, cum conuiuæ iam ebrij sunt; quartam, cum interuenit aliqua suspicio veneni epulis adspersi; quintam, cum epulæ iam desunt, aut malè nos habere & grauiter ægrotare super mensam incipimus. Primæ causæ simile vult esse, si Principi aut Reip. mors nostra salutaris futura sit; secundæ, si quis discordiarum, & belli se fomitem, & originem esse dignoscat; tertiæ, si quis impotenter amore, velut ebrius vino, aliauè cupiditate teneatur; quartæ si pollutus aliquis eo scelere sit, quod contagione serpit ad alios; quintæ, si premamur inopia, & morbis minimè ferendis laboremus. Quemadmodum ergo excedere mensa, & conuiuium abrumpere necesse est, domino locum atque hospitium reposcente, sic vitam relinquere oportet (inquit Olympiodorus) cum Principi, aut Reip. necessarium id, aut vtile reputamus. Quemadmodum rixantibus iam, atque digladiantibus conuiuis è vestigio conuiuium soluere decet, ne illis arenam suppeditare videamur & campum certaminis, sic ei animam è corpore soluendam putat, qui intelligat se belli aut discordiæ materiem esse. Quemadmodum ebrios haud ampliùs par est, esse super mensam conuiuas, sic eos viuere amplius debere non censet, qui vel amore, vel alia animi cupiditate impotenter abrepti à ratione ac sensibus videntur alieni. Quemadmodum accedente veneni suspicione, tollendæ sunt epulæ, ne veneno corripiantur omnes peste illa serpente conuiuæ; sic eos è vita discedere, ait, oportere, qui quoniam polluti aliquo immani scelere sunt, quasi veneno quodam ac lue ciues inficiunt suos. Quemadmodum denique deficientibus epulis, aut doloribus, morbisque ingruentibus deserere conuiuium haud turpe putamus; sic eos existimat vitæ conuiuium relinquere posse, quibus aut inopia molesta sit, aut graues ægrotationes, aliæue calamitates eueniant.

Has igitur voluntarij interitus causas probasse videtur Olympiodorus cum alijs quoque Philosophis Platonicis & Stoicis, qui mortem ijs de causis vltrò susceptam, & accersitam præclarum appellarunt excessum, vt testis est Laertius in vita Zenonis, rationem illam afferentes, quod tam vita quam mors inter ea ponenda sint bona, quæ indifferentia dicuntur, adeòque sumi possit vel non sumi, prout opportunitas erit, vel necessitas postulauerit; tale enim quiddam arbitrabantur illi, quale in conuiuio est aut in ludo, à

quo

quo ſicut iam ſatur abire poteſt abſque nota, & ludum vbilibet ludens relinquere; ſic è viuis excedere vnicuique fas eſſe putabant, vitamque deſerere, quos ſequutus Lucretius lib. 3. ait

Cur non vt plenus vitæ conuiua recedit

& Statius quoque voluntarium interitum appellare ſolebat libertatis viam, cum, de Hemonide, qui ſe coram Eteocle ſponte interfecit, ita occineret

Tu tamen egregius Fati, mentisque nec vmquam
Indignum paſſure ſitum, qui comminus auſus
Vadere contempti Regis, quaque ampla veniret
Libertas monſtrare viam.

Idque ſæpè reſpiciens etiam Seneca, dicebat, Sapientis eſſe viuere quantum debet, non quantum poteſt; ſtultique prorſus eſſe in vita manere cum miſer euadit; quia naturam ipſam omnibus ſuadere vt voluntate mortem accerſamus in malis externis, atque ad hoc communem matrem noſtri miſertam venena inſtituiſſe vt faciliſſimo hauſto nullum ſentientes laborem extingueremur


Nam turpe vitam diutinam viro peti
Malis eum quæ liberatura haud fiet

aiebat apud Sophoclem ſe ipſum perimens Aiax.

At quidquid ſit in hac re de Stoicorum, Platonicorum, aliorumque Philoſophorum doctrina, nobis conſtantiſſimè ſentiendum eſt, fractiſſimi animi argumentum eſſe atque molliſſimi ſponte mortem ſibi conſciſcere, ad mala, quæcumque ſint euadenda, ſemperque nefas eſſe ac prorſus deſperantis viri vltrò vitæ ſtamen abrumpere, humerosque à prementibus anguſtijs ſubtrahere; quo pacto non fortis ſed deſperans dictus eſt Vticenſis Cato, Brutus, & Antonius cum alijs pluribus, quos voluntarius interitus non ſtrenuos, & fortes, ſed molles & ſocordes effecit; quo etiam decreto, non Platonici modò, Stoici, cęterique Philoſophi veteres proſcribendi ſunt, verum etiam Chriſtiani quidam improbi, & proiecti pudoris hæretici, quos Circumcelliones appellat D. Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 69. ſeu Circuitores, quorum hominum genus tantæ fuiſſe audaciæ (inquit) Auguſt. vt non in alios ſolum ſemper immania perpetrarent facinora, ſed ne ſibi quidem parcerent inſana ſemper feritate ſæuientes; ſe ipſos modo igne, modo aquis, modo caſibus perimentes, aliosque in eumdem adigentes furorem, ea doctrina, vt qui ſe ſic occiderent, haud minùs martyres eſſent, quam qui pro religione decederent; & quoniam cum hiſce flagitijs regiones varias circumcurſabant, circumcelliones, aut Circuitores ſunt appellati.

Et inde maximè hominum ſe perimentium molliriem atque imbecillitatem impetit hæc culpa, quod fortis nemo Imperatoris iniuſſu à ſtatione ſua decedit, ſed tamdiù perſeuerat, quouſq; decedere iubetur, licet intereà mala exundent, & torqueant pericula; ac propterea olim etiam apud Ethnicos infame & execrabile fuit hoc ſe ſcelere impiare, vſque adeo vt Demonaſſa Cy-

priorum legislatrix insepultos obijci voluerit, qui manu sua perijssent, idque etiam in filio seruari edixerit, cum se ipse interemisset, quod est apud Ioannem Grisost. orat. 64. Sicut etiam Theodoret. lib. 8. contr. Græc. supra omnes impios grauiùs esse in hac parte culpandos, qui ferale hoc placitum æternis dignum tenebris euocarunt à Tartaro; est ei dogma ita insanum, & scelestum vt diuinum vsque subuertat Imperium cum vitæ humanæ dominium soli Deo innato iure debeatur; qui licet concedat principi, communitati, seù Reip. vitæ & mortis humanæ potestatem, cum id ferunt delicta, id recto populorum exigente regimine, inde tamen non efficitur concessum homini à Deo simpliciter in vitam hominis Imperium, sed facultatem dumtaxat, qua de vita hominis id commeriti disponat nomine ipsius Dei, cujus ea in parte iussa capessit moderator Reip. saluo semper soli Deo iure dominij in vitam humanam.



LEX



LEX XXIX.

AD

HOMINEM SVÆ INDOLIS ACCVSATOREM.

HOminem, quem potiùs naturæ impulsu, quam ductu in malū iugiter ruentem aspicimus, quamdam etiam ab ipsa natura indolem ad lapsus aptatam, & proclinantem sortitum esse, fateri debemus; licet enim plerique sint, & quidem Sapientissimi viri, qui hominem virtuti non obsequentem contra naturam agere, eiusque propensionem conniti testentur, eorum more, qui in malitiam conuersi, humanam perhibentur exuere naturam, ac belluinam induere, hi tamen eo dumtaxat audiendi sunt, quod hominem, qua homo est, solo animo, & ratione semper recta & excelsa meditante constitutum intelligant, dempta ea sensuum parte, qua sæpè dicitur hōmo brutescere; idque est quod etiam docuit Homerus ab animo propensionem secernens in malum cum dixit

Talem animum planè mortalibus esse necesse est
Jn lucem primo qualem Deus extulit ortu

Si enim vitia, & mala omnia etiam à facultate hominis sentiente quoad radicem exularent, aut abscinderentur, non essent sanè tam frequentes de hominis prauitate querelæ, qua dicitur ad malum pronus ab adolescentia sua, puerosq; à Galeno in exemplum adductos huius rei, satis commonstrare eosdem non naturæ facilitate in bonum honestum propendere, sed vix redargutionibus ac minis adhibitis, ipsa etiam virga probitatem conciliante à vitijs absterreri, in quæ procliui de lapsu atque impetu summo quasi naturæ incitatione feruntur; Idque ipsum vnusquisq; in semet experimento nouit, numquam etenim desinit interna nostra æua, & coęua fragilitas virilem partem rationem nempè pertentare, quousque eam vitiorum tyrannidi non subijciat; Indeque fit quod omnes naturæ quadam propensione ardua declinamus facilia sequimur, cum tamen facilis sit descensus Auerni

At reuocare gradum hoc opus, hic labor est.

hancque veritatem dispicientes Theologi eam ex lapsu primi parentis in omne genus humanum euulgarunt, ex quo imbecillitates innumeras innumeros lapsus prodijsse testari sunt; quod tamen Philosophi quidam apud Platonem ad ortum ipsius materiæ, ex qua homo confectus est, retulere, in qua insitam esse peccati escam, internumque calcar quo ad vitia ab ortu vsque concitamur constanter affirmant; ex quo Plato ipse cum in 2. de Rep. commendat vatem qui de homine sic canit

Mortales vitum penitus labuntur in omne
Præcipites, quoniam facilis via ducit ad ipsum
Hoc quia vel nobis iam tum nascentibus hæret.

Hincq; etiam interrogatus Pythagoras quidnam inter vera veriùs enunciaretur, respondit, quod homo natura malus sit; additque Max. Tyr. in illa dissertatione, (Num quis diuina tantum sorte bonus fiat) humanum omne duplicem ab initio indolem sortitum esse, alteram qua ferretur in bonum, alteram qua ad improbitatem declinaret, ad quam etiam facit ipse iter satis lubricum, cum sit ingenitæ infirmitatis negotium; neque ex eo, quod homo suaptè indole, & natura proclinet in malum, inferre licet fuisse Deum scelerum ex ea proclinatione sequentium authorem, quandoquidem proclinationem illam hominis sic malè compositi ità rationis arbitrio, & potestati subiecit, vt numquam possit in malum prodire, nisi libertatis imperio annuente iuxta Sacri oraculi testatum, sub te erit appetitus tuus, & tu dominabetis illius; qua ratione homines spontè malos ac prauè agentes obiurgans Homerus inducit Iouem ità indolentem

Heù heù quam falsò Mortales Numina culpant
Esse malum à superis affirmant, cum tamen ipsi
Criminibus proprijs homines sibi damna crearint.

Aptatur igitur ità hominis Indoles ab ipsius ex ortu ad vtrumque vt pro libito queat & bonum prosequi, & etiam malum; cum enim exeat homo à natura (vt aduertit Max. Tyr.) velut in vno corpore duplex, & propter sensum, & intellectum in natiuitate susceptum quodammodo geminetur, vtraque illa hominis portio in consentaneum sibi bonum natura propendet, sensitiua nempè in sensibile, & oblectabile bonum, quod plerumque cum honestate decertat, & intellectiua iam bonum à ratione recta non alienum; hæcque partium in hominis natura diuulsio ea est, quæ ex sententia Socratis, Empedoclis, & Menandri duplicem genium in vnoquoque homine sortita est, cuius etiam meminit Plutarch. vbi tranquill. anim. dicuntur verò hominis Genij à Philone facultates illæ duplices omnem animam occupantes, quarum vna salutaris est, altera perniciosa, & geminari dicuntur in duplici propensione naturæ ad bonum, & malum, atque hasce duas propensiones Genius appellat Seruius Gramaticus ad illa Virgilij Verba

—— *Quisque suos patitur manes*

eo quod cum ijs vnusquisque genitus est, quod etiam aduertit Martianus in Nuptijs Mercurij & Philologiæ; Idque fuit duplex illud hominum genus procreatum apud Hesiod., quorum nonnulli dicti sunt terrestres filij: Alij Diuini, Superiores, & Cælestes, ex quibus terra prognatos canit Hesiodus cum Cælitibus pugnantes, hoc est, parti ipsius naturæ dominatrici rebelles, & aduersantes; Si quidem natura humana inter cælestia, & terrena vinculum est, & nexus, & dum superiore illa parte in rerum altissimarum contemplationem raptus cælestia semper meditatur, honesta scrutatur, turpia refugit, altera parte quæ inferior est, sæpè ad ima descendit, vitiorumque cæno volutatur.

Quod si affirmet quis hominem indole sua, atque indita naturæ propensione in virtutes magis quam in viria festinare, is non longè fortasse à veritate aberrabit; cum enim vulgatissimũ sit ex Peripatetica schola, res omnes in bonum velut in finem suum contendere, atque hominis finis sit beata vita virtute paranda, coniectare hic erit necesse propensiori conatu hominem ipsum virtutem affectare quam vitium; Neque appetitus sensitiuus qui solet hominem à virtute retrahere, & auuocare vim habere potest rationis vires superexcellentem, cum potiùs natus sit ad obtemperandum rationi, ex eo quod immutabili naturæ lege comparatum sit, vt moueatur à superiori quidquid est inferius; cum igitur pars rationis compos feratur in virtutem, pars verò consilij expers superioris imperium non detrectet, fit vt ratione in virtutem propensius inclinante fortiùs etiam ex ipsa in eamdem virtutem rapiatur appetitus, quam in vitium, & quidem hominem ex natura & indole sua propensiùs, seù potentiori conatu in virtutem contendere quam in vitium demonstrant omnes illæ causæ boni effectrices, quas in nobis ipsis intimè constitutas venabantur supremi Sapientiæ Antistites græci, vetus si quidem est ad hanc rem dictum illud, virum probum facilius natura facit, quam improbum, quod respondet doctrinæ Platonicæ in Timæo, in 8. de Rep. & in 5. de leg. Vbi docet facultates animi principes ducem ipsam naturam sequi; & hoc idem Aristoteles ipse pluribus tradidit in locis præsertim 8. phys. tex. 48. & 56. Vbi ostendit, naturam ex bono prodeuntem, bonique semper characterem seruantem, cuncta bene in bonum dirigere, subdens postremo, quod est melius semper arbitramur in natura esse, si possibile est; quin etiam à Stoicis, & à Zenone præsertim, cui consentit Cicero in 2. de nat. deorum. dicitur natura boni dumtaxat opifex, ex quo etiam natura ars Dei dicta est, vt quæ natura fiunt, ipsa diuina arte fieri dicantur; & propterea Themistius 1. phys. tex. 81. & Auueroes 12. Met. tex. 18. dixere naturam in homine quolibet ab Intelligentia dirigi non errante, quatenus ex ipso pendens bono, insitam ostentat bonitatis optionem, qua bonum ita semper quærit, vt nihil aliud expetere valeat, de ipsa hominis natura hæc canente etiam Silio Italico lib. 15. de bell. pun.

Cui ratio & magnæ cælestia semina mentis
Munere sunt concessa Deum

& paulò infià loquens de hominibus virtute præstantibus

Præcellunt cunctis, tribuit namque ipsa minores
Hos terris natura Deos.

Esse verò hominis probitatem, vel improbitatem ex natura, & indole coniectandam ostendunt satis characteres & signa ab ipsa natura hominib. impressa, tamquam futuræ frugis inditia, ex quibus etiam quæ in animo ventura sunt, sæpè prænoscuntur atque prædicuntur; & quamuis ea notitia sit admodum incerta, si agatur de singulis actibus liberè promendis, imò omninò sit fallax, si violetur arbitrij libertas, nemo tamen inficiari potest quin ex tali partium conformatione, earumuè colore, & habitudine petere liceat coniecturas aliquas de pronitatibus ad certos affectus & euentus quod nemo nescit in Socrate factum à Zopyro Physiognomo ex extraneis corporis notis intimam animi temperiem prænoscente, quod quidem fassus est Socrates ipse cum dixit, Naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illos cælestis spiritus habitator intrarit; Sacro etiam oraculo ad hanc rem annuẽte, Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus; ac proinde etiam Sextus Philosophus dixit Corpus esse quamdam animi imaginem ea quæ intima sunt exteriùs referentem; ex quo testatus est Proclus in primum Alcibiadem Platonis morem fuisse Pythagoreis per signa in corpore constituta, venientes ad eos iudicare vtrum ad meliorem vitam natura efformasset; & de Indis narrat Nicostratus lib. de Nuptijs, & signis exterioribus à natura impressis solitos fuisse inire connubia, qua etiam de causa tunc temporis in illis oris ferè omnes Physiognomiam exercebant.

Vlteriùs euincitur homo ex indole & natura prauus vel probus, quod corporis etiam temperies cuiuslibet iuncta naturæ maximè fauet probitati vel improbitati, velut quædam à parentibus corriuata propago; parentes namque cum semine corporisque temperamento mores etiam quodammodo bonos vel malos influere testatur Ouidius in [illegible] Met. vbi describit proles quasdam ijsdem passionibus atque perturbationibus obnoxias, quibus obnoxij fuere parentes iuxta ex Theognide desumptum

Sæpè solet similis filius esse patri

quod docuit etiam Aristoteles in 3. polit. cap. 8. vbi ait meliores ex melioribus oriri, vnde fortasse cecinit Horatius

Fortes creantur fortibus & bonis
———— nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam

ideò ex Diogene monebat Plutarchus Græcorũ primates vt in id maximam ac supremam intenderent curam, quo parentes filiorum essent benè morati, ne eorum intemperantiam & lasciuiam lueret proles malè morata; et licet

etiam

etiam interdum, vt ait Plato in 3. de Republ. ex aureo parente enascatur argenteus fœtus, ex ferreo aureus degenerante in natis ipsis à parentibus mutuata temperie, perrarò tamen id cernitur contingere; atque etiam re ita se habente eiusmodi variatio naturæ adscribenda est, docente Aristotele in 2. polit. cap. 3. formationi vniuscuiusque immisceri à natura aurum ijs, qui præstantissimi sunt futuri, argentum mediocribus, ferrum denique & æs ijs, qui sunt infimæ notæ.

Quò etiam spectant syderum ac cœlorum influxus, quibus dicitur aliquid inesse iuris in naturæ procliuitates ad bonum & malum inducendas; quamuis enim asserat D. Cyrillus in fin. libr. 10. contra Iulianum astrologicam obseruationem crimen esse græcæ stupiditatis, ludumque puerilem, ac vanam dementiam, potest tamē verè per cælestes influxus ità affici hominis temperamentum, vt varias ad bonum & malum propensiones ex astris etiam contingat enasci, excitata quidem solummodo naturę inclinatione, seruata iugiter arbitrij libertate; Neque enim censendæ sunt otiosæ prorsus illæ circa nos tot affulgentes stellatum flammæ, quæ se per influxus elementis infundunt, quæ misceant siccis humida, frigida calidis & inde dispensent temperamēta, ex temperamentis indolem, ex indole morum procliuitatem; Quod neque Theologorum rigidior censura exhorrescit affirmantibus præsertim Damasceno in 2. de fide, D. Thom. 1. part. q. 115 & opuscul. de fato, Scoto denique 2. senten. distin. 14. nihil magni in hoc mundo euenire, quod non habeat testimonium in Cœlo, consentientibus in hoc etiam Trismegisto, Pythagora, Seneca, & Platone, qui hunc esse vniuersi statum fatentur, vt supera se inferis commodent, & genesis infimorum à rebus cœlestibus repetatur, canentibus ad rem optimè poetis quam pluribus

Iuuenal. Satyr. 15.

Sensum à cęlesti demissum traximus arce

Manil. 4. Astronomic.

——— genitique accedimus astris
Ita quoque nos genitos nisi cœlo credere fas est
Esse homines.

Virgil. 6. Eneid.

Igneus est ollis vigor & cælestis origo

Lucret. 2. de natur.

——.—— Quod missum est ex ætheris oris
Id rursum cœli stellantia templa receptant


Stat. deniq. 10. Thebaid.

——— dant clara meanti
Astra locum.

Errant tamen Astrologi, philosophi, & poetæ omnes, si omnia ità in

Cœlum

Cœlum referant, vt nullo modo ſublunares cauſas comites adiutrices, vel etiam ſyderum dominatrices agnoſcant. Errant ſi credunt Stellas cauſas phyſicas & patentes bonorum vel malorum quæ crimine ſuo ſponte perpetrat homo, Aſtra namque ad ſummum proclinant hominem vt agant cum homine, non ſine homine, qui etiam poteſt aſtris ipſis dominari, & ſine illis actibus liberis agere.



LEX



LEX XXX.

AD HOMINEM SVÆ INDOLIS EXCVSATOREM.

IN prima illa huius vniuersitatis infantia, seu regnantis innocentiæ sæculo verè aureo tanta fuit humanæ mentis contumacia, vt luculento licet circumfusa veritatis lumine spontè tamē cæcutiens, tenebras suas vel sole teste clarissimas, ne fateri videretur, pertinaciter excusaret; diuinitatis siquidem desiderio tacta mulier venenum viro luctuosa humanitate propinauit; atque vterque dum graui se culpa perduellionis implicaret, neuterque tamen scelus profiteri auderet excusationem obtendit; illa serpentis calliditatem, hic vxoris lenocinium tam infeliciter quam falsò accusauit, quo ex hoc duplici malorum fonte mali Dęmonis fraude corrupto vniuersa excusationum pestis ad crimina contegenda mortalium animos occuparet; hucq; sanè male ominata excusationis natalia referenda sunt; non verò ad nobile illud Fratrum ex Iapeto atque Asia par, quos ad efformandos ex argilla homines industriam cōtulisse erudita fabulatur antiquitas Prometheum scilicet qui omnia prouidè circumspiciens in hominum formatione multum de Cęlo, quod limo suo permisceret, hauriret; & Epimetheum, qui vecordis artificij plastes, homines velut statuas inertes ac brutas sine vllo spiritu dicitur efformasse, quod postmodum laboris sui infortunium dicitur etiam excusationibus obuelasse; hęcque licet non adeò expresse visus est innuere Claudianus lib. 2. in Eutrop. cum de Prometheiatque Epimethei opificijs cecinit

Hi longè ventura notant dubijsque parati
Casibus, occurrunt fabro meliore politi
Deteriore luto prauus quos condidit auctor
Et nihil Ætherei sparsit per membra vigoris,
Hi pecudum ritu non impendentia vitant
Nec res antè vident, accepta clade queruntur
Et serò transacta gemunt.

cum

cum enim eò vterque parentum collimaret, vt omnem à se sceleris suspicionem amoueret atque ex eo diuersam excusationis viam ingrederentur ambo, eaque proferret Adamus (Mulier quã dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno & comedi) Eua autem ad suæ causæ patrocinium culpam tegeret in serpentem (serpens decepit me) inde factum est, vt noua semper apud filios mortales omnes ad excusanda crimina excogirentur argumenta; eoque etiam imprudentiæ atque insaniæ processimus, vt ipsis sceleribus plerumque & patrocinium è cęlo petatur & peccandi concilietur authoritas, quasi crimina nostra satis execranda nõ essent, nisi Deum in eorum societatem vocaremus. Hinc etiam quam poetas fures omnes in Mercurij clientelam accepti, ab impietatibus expiare se satagunt Mercurium ipsum furem aduocando, atq; inuocando, qui cũ esset immaturæ adhuc infantiæ sed adultæ improbitatis puer ętatula ad furandum gestentę è fumosa Vulcani officina malleum, forficemq; subtraxit, atque vt furto excusationem obtenderet, flagitiumq; perpetratum aliquo tegeret inuolucro, dixit, ne posset faber fulmina Tonanti cudere, quibus fures ipsi exterrerentur. Sic fœdo libidinum æstu abreptus Clodius aut Mamurra, qua licet, qua non licet indicto omni pudicitiæ bello, violatis omnibus integritatis iuribus, polluta omni castimoniæ sanctitate, alieni prædator corporis, prodigus sui, formæ insanus custos, famæ insignis decoctor Iouis exemplum trahit in scelerum excusationem, qui modo Cygnea vocis modulatione acerbas obiurgantium itas demulcens, modo taurinis carnibus vim legum & morum infringens, modo pluuio in turrim auro rigidam naturæ toruitatem in censoribus redimens ipso stellarum auro atque argento ad flagitij mercedem adhibito pretiosa quodammodo effecit scelera æstimabilem & diuinitate, & auri lenocinio improbitatem. Sic denique dormituriens nescio quis de Colophoniorum gente orientis occidentisque Solis iuratus hostis dum noctes simul & dies vno forani vinculo colligaret, ad duas illas noctes excusatione confugit, quas Iupiter ipse copulauit, vt magnæ fortitudinis Hercules nasceretur; vt his apertiùs dignosceremus ad acuendas mortalium cupiditates neque illud apud Veteres defuisse, vt Deorum exemplo, quo possent excusari, ad scelus erudirentur; & cum aliunde excusationes extorquere non valerent, Prometheum ipsum incusabant, quod bestiarum naturis cũ hominibus immistis, eisdem hominibus & Vulpis calliditatem, & canis rabiem, & asini tarditatem, & sæuitiam tigridis, & pauonis ambitionem, & vitia id genus alia tribuisset

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam vndique
Desectam & insani Leonis
Vim stomacho apposuisse nostro

qua etiam ratione dictus est suam esse Annibal tutatus perfidiam, suam crudelitatem Sylla, Ambitionem Cęsar, fraudem Lysander, atque imprudentiam Crassus.

At si

At si non à Maioribus dumtaxat, sed etiam à nostris temporibus excusationis probra repetantur, plerosque inueniemus nō suo tantum, sed etiam sęculi scelere nobilitatos, eo prorsus modo quo Hesiodus ferrea se natum ætate, quam ipse sibi fingebat, conquerebatur; hincque non pauci propriam incusantes ętatem velut criminum feracem senile illud Euandri votum sępius repetunt apud Virgilium

O mihi præteritos referat si Iupiter annos

aientes ętates solūmodo transactas verè beatas esse dicendas, in quibus vnusquisque cum vberi virtutum omnium prouentu vitam traducebat, quæ esset potius morum disciplina quam vita; atq; præclara illa, non tam hominum, quam sapientiæ nomina Socratem, Catonem, Traseam animo recolentes & voce indefectu germanæ ac solidæ virtutis, immortalitatem quoque operum defecisse pleno ore confirmant; cum tamen non aduertant etiam Socratis virtutem in ea tempora impegisse, in quibus & Aristophanis petulantia in theatro, & Xantippes contumelię domi, & Meliti calumniæ in foro & Tyrannorum sæuitia vbique cum Atheniensium crudelitate grassabatur; quemadmodum etiam ex eo spectabilior dispicitur Cato, quod Lentulum sortitus sit, cuius ore improbo inter orandum publicè conspueretur; quod cum Vatinio cōtenderit, cui in præturæ petitione posthabitus comitiorum flagitium repulsa probaret; quod populum denique passus sit, cuius furore sibi detrahi togam, caputque cerneret oris purgamentis aspergi. Quod si ætates, sæcula, & tempora relinquant suorum criminum excusatores, atque ad locorum conditionem excusatio delabatur, ea sanè nota damnandi sunt, qua ille afficiebatur apud Senecam scribentem ad Lucilium, qui dicebat (Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest viuere; Non ego sūptuosus sum, sed vrbs ipsa magnas impensas exigit, & sic de reliquis) nimirum, insania, cum putaret vitia esse locorum, non hominum; qua nota etiam planè ridendam facit Seneca in suis Epistolis vetulam illam Harpastem, quæ postquam vel ætatis, vel fortunæ vitio intelligentiæ lumen amisisset oculis etiam corporis capta in cubiculo deambulans, suæ cæcitatis ignara, dum cubiculi tenebras calumniaretur; fatua apud omnes habita est; Idemque prorsus ij omnes promerentur, qui dēsam, quam circumferunt animo, vitiorum noctem accersitis à loco excusationum vmbris nituntur extenuare; neque enim mentis caligo loci obscuritate discutitur, sed potiùs augetur, & animus, qui illustribus veræ virtutis radijs imbuitur, vel inter Cimmerios quam semel imbibit, lucem iugiter retinebit; ad quam rem fertur preclarè apud Plutarchum Thales Alexidemum Milesiū tyranni filium cum maximè ferociret, sua oratione compescuisse; cum enim is è cęnaculo se furiosè proriperet, quòd locum non satis (vt opinabatur) honestum in conuiuio iussus esset occupare, ipsum à turba seductum comiter obiurgauit Thales, quod indignitatem loci ad se pertinere stultissimè iudicasset, eo præsertim quod sicut nulla loci dignitas hominem ad virtutem trahit, ita nulla eiusdem loci turpitudo hominem ipsum à virtute reuocat; hoc-

que

que vnum omnibus inter fortunę deliria solatium est,quòd benè constitutus animus quamlibet in partem versari se nullo negotio sinit, vbique locorum semper erectus,alacer sibi constans, atque extra humanas vicissitudines collocatus; & si contingat aliquem ancipiti rerum humanarum turbine circumactum atq; humili depositum loco in lubrico aulæ culmine immerentes suspicere is, si sit,animo benè compositus numquam ad se excusandum aulā incusabit tamquam humanę sortis ludibrium,sed putabit potius aulam esse suę tyrocinium constantiæ, diuinæ consilium prouidentiæ, quo sæpè fit vt homo potius Diogenis Dolio,& Anacharsis tugutiolo licet, quam inter principum aulas humanæ diuinitatis augustale Persicis adoret obsequijs, sicque pretiosa ambitionis pericula paupere innocentia,morumque probitate declinet.

Nullam igitur à loco, sicut etiam de tempore dictum est, potest homo aut debet suorum criminum excusationem captare; eaque sunt stirpium potius quam hominum fata,vt ex telluris ingenio aut frondescant aut arescant,quia neque arboribus soli genius videtur semper fatalis, cum regionem quamdā narret Strabo in Geographicis quam combustam appellant,exanguē, ex succam,torridisque vaporibus semper æstuantem,vbi tamen & virtutis germina sobolescunt, & vitis etiam ramos suos feliciter explicat iuxta illud vaticinio testatum.

At licet infestus terram decoxerit ardor
Vastaritque amplos pestis Lipareia tractus
Vinea combustæ se subtrahit vna ruinæ
Et lęto grauidos extollens vertice ramos
Irrigat ardentes longo nectare rupes.

Alphęus quoq; Arcadiæ fluuius & Arethusæ amoribus,& poëtarum carminibus nobilitatus, cum admirabilior prodigijs fluat, quam auro suo Ganges, in eo tamen vim omnem stuporis extorquet, quod Adriatico, siculoque immixtus pelago natiuam aquę dulcedinem nec inficit nec amittit,vt philostratus author est; sic sui compos animus & virtutis tenax quocumque tandem loco illum fortunæ deliramenta constituant, nocentibus vitiorum auris afflari forrasse potest, corrumpi non potest, veræque sapientiæ beneficio solidatus nullis paret vel loci contumelijs, vel voluptatis illecebris, vel hostium fraudibus, vel sortis iniurijs, idque denique se à crimine per excusationem vindicantibus præ oculis habendum est, quod immunes Gigantum Statuæ siue in profundam vallis planiciem deprimantur,siue in ipso Olympi aut Caucasi vertice collocentur eamdem magnitudinem semper ostentant, quo apertius intelligant ad excusanda scelera non esse ętates,res tempora, vel loca obtrudenda, sed vitia ipsa rigidiori semper supercilio corrigenda, atque virtutis officio porsus abolenda.





LEX XXXI.

AD HOMINEM EX ANIMO FELICEM.



MEMORANTVR Philosophi quidam, qui inter Animam & Animum distinguentes, animam eam vocare solent, qua vniuersa nobis impenditur vita, quemadmodum etiam in sacris literis dicitur anima spiraculum vitæ; Animum verò illam dumtaxat animæ partem, qua ratione vtimur & pollemus; statuentes inde humanam felicitatem satiùs in animi, quam in animæ exercitatione esse constituendam; licet enim Animæ, quæ forma hominis vniuersè compellatur, tres concedantur veluti partes, atque agendi facultates, vnam qua viuimus, alimur, & crescimus; altera, qua sentimus, tertia, qua rationis participes efficimur, cum tamen ea sola, qua ratio homini inest, sit ipsius hominis propria, constat etiam proprium, ac præcipuum hominis bonum in sola intelligendi seù ratiocinandi operatione positum esse; reliqua namque quę ab Anima tamquam ab vniuersali quodam principio proueniunt, non sunt tantum hominis propria, quam stirpibus, plantis & belluis communia, & cum extrà animum sint, dicuntur quodammodo extrà hominem esse, neque ad hominem qua homo pertinere.

Eiusmodi igitur philosophi Socratem sequentes ducem non verentur asserere hominem quemcumque solo animo posse esse felicem, cum enim solo animo viuat homo quatenus homo corpus sit potiùs animi carcer & sepulchrum, quam vitæ sedes, atque felicitas sit actio quædam in vita perfecta, sequitur clarè hominem solo animo iure dici felicem; Hincque ex solo animo describit etiam Ouidius in met. hominem perfectè nasci, atque perfectiùs viuere

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset
Natus homo est.

quod etiam scitè tradebat Seneca Epistol. 77. docens id in vnoquoque optimum esse, cui nascitur quisque & quo ab ortu suo constituitur viuens; ac propterea in homine optimum quid rationem esse qua animalia antecedit, Deos sequitur, cœterisque meantibus ac remeantibus rebus superextollitur; idque etiam est optimum illud viuendi genus quod Aristoteles in lib. 12. Met. docebat competere Dijs, in quibus semper vegetum est, atque immortale rationis imperium.

Innumeri penè sunt sapientes illi, qui bona hominem beantia à corpore segregant, easque docent possessiones solius animi esse Anaxagoras beatam illam credebat esse mentem, quæ contemplationis studio à rebus auulsa corporeis imperium rationale benè gereret, ac semper ex animo gauderet.

—— Priuata dolore omni priuata periclis
Ipsa suis pollens opibus nil indiga nostri

de virtute canebat Lucretius lib. 1. cui sedes solus animus est. hinc benè (inquit Max. Tyr.) felicitatis cupido Diogenem Cynicum nudum coniecit in dolium, vbi latiùs spatiaretur, aut apricaretur animus, eoque iucundiùs vsus est Diogenes, quam Xerses Babylone, quam Choaspe Cambyses, quam purpureis amictibus Sardanapalus, quam hasta sua Alexander, quam suis Thesauris Cræsus Lydorum Rex. Benè felicem & beatum Aglaum Psophidium testatum reliquit Apollinis Oraculum, qui Arcadum pauperrimus, solo animo diues terminos agelli sui numquam excessit iuxta id quod ait Horatius

Beatus ille qui procul negotijs
Vt prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis

quo planè modo etiam Furij paupertas à Catullo decantatur felix, quod ipsius animo nihil vltrà optabile reliquisset, nihilque haberet, quod in pauperie exhorresceret, sed potiùs in Casa humiliori quietiùs obdormiret, simpliciori amictu commodiùs frigus depelleret, tenuiore cibo famem præclarius restingueret, omnem denique ex animi robore ac virtute sollicitudinem tolleret quæ felicitati posset aduersari.

Ob id Seneca Epist. 116. sub Nerone Imperatore pecuniæ coacervandæ miserias expertus docebat sola animi bona esse expetanda, eaque dumtaxat esse ad tranquillitatem, & beatitudinem paranda viatica, quibus ab ærumnis atque sollicitudinibus auuerteremur; Et licet Imperator Caligula, cum potentissimus esset, omnique bonorum ac delitiarum genere afflueret superabundè, tunc tantum, Suetonio teste, felicem se nosceret atque iactaret, cum super immensos aureorum aceruos potentissimo

mo diffusos loco inambularet, atque inter eos ex animi solatio volutaretur, iuraretq; sæpiùs nihil meliùs auro vel argento Deos immortales posse dare, aut habere; licet beatitatis domicilium duxerint esse poetæ omnes Æneá illam turrim robustis obseptam, & communitam foribus, vbi Danae seruaretur inclusa, quæ Iouem aureum imbre labentem mollissimo excepit; licet denique de Solis regia dicatur.

Regia solis erat sublimibus alta columnis
Clara micante auro.

hæc omnia tamen non sine sollicitudine inueniri aut possideri sapientiores affirmant, præsertim Thales, Solon, & Zeno, qui vitam quam priùs inierant quæstuosam reliquere, se se solius animi studio deuouentes, quo feliciùs ad beatitudinis portum enauigarent.

Sunt equidem corporis bona felicitatis, quæ in animo est, quædam velut præsidia & instrumenta; vir etenim animo felix corporis adminicula expostulat ipsi animo inseruientia, at eiusmodi bona, siuè naturæ sint, siuè fortunæ, cum sint animo extranea, eiusdem felicitatem ingredi nequeunt, velut Amuleta quæ ægiorãtium collo suspensa potiùs sanitatis signa atq; instrumẽta, quam iuuamina esse perhibentur. Qua ratione philosophi quidam Cyrenaici humanam felicitatem pingentes velut matronam comitatu suo in publicum prodeuntem, maiestate etiam ancillis ac pedisequis suffulta, dicebant ex corpore etiam sæpè animum beari, idque coniectabant ex eo, quod homo non sit mens sola à corpore secreta, sed mens cum corpore iuncta, atque adeo corpus quoque ad animum beandum ope sua enatum esse; Neminem enim sibi ipsi consentientem nouerant illi, qui felicem inter mortales illum diiudicaret, qui esset necessarijs egens, qui naturam in ortu non matrem, sed nouercam habuerit, qui fortunam semper inspexerit aduersam cui nulla tandem serena vnquam affulserit dies; hancque optimè concinnatam totius hominis felicitatem intuitus Boethius dixit hærens fortasse horum opinioni, felicitatem statum esse omnium bonorum aggeratione perfectum, annuente etiam Pindaro

Beatus qui simul opes & mentem possidet

Exploratum si quidem est satis externa corporis bona hominis felicitatem adiuuare quidem, at non interiùs conficere aut constituere, cum omnia naturæ munera sint quodammodo ipsius animi virtutibus respondentia, quod præsertim docuit Plato de bona corporis valetudine, quam virtuti Iustitiæ, de pulchritudine quam Temperantiæ, de robore quod fortitudini, & deniq; de bona senectute, quam respondentem facit prudentiæ; absque enim corporis valetudine nec facilè in animo boni recepantur virtutum habitus, neque honestæ actiones facilè emittuntur iuxta illud Iuuenalis

Orandum est vt sit mens sana in corpore sano

eaque fortasse de causa nemo beatum dixit Herodicum illum Salymbrianum, qui semper ægrotabat, licet cœtera in eiusdem felicitatem adspirarent.

Pulchritudo quoque quæ per iustam & decora partium inter se proportionẽ efformatur, quæq; nectit sibi eiusdem corporis proceritatem & magnitudinẽ ex eo felicitati dicitur humanæ inseruire, quod ad actiones virtutum exercẽdas summoperè conducat; ac præsertim ad ostentandam fortitudinem, qua cuncti beantur Heroes; felices namque recensentur ab ipso Aristotele in lib. 1. Eth. pulchri Iuuenes illi Pentathli, qui ex quinque certaminibus præmio atq; victoria potiebantur, nimirum ex lucta, cursu, saltu, disco, iaculatione, quæ ludendi ars ex quinque artibus, ludisq; composita Pentathlos appellabatur à Græcis; Et ipsi quoq; Phisiognomi docent neminem monstrosum in corpore esse beatum in animo, cum formæ decorem quædam mentis, seù indolis altitudo sequatur, qua homines beati esse solent, optimum ideo ac beatum Achillem Græcorum formosissimum Homero compellãte à bona etiam senectute, viriumque robore ac firmitudine eodem modo dicitur beari animus, quo solet idem roborari reliquis stipatus corporis bonis, at ità semper vt etiam ijs euanescentibus consistat, nec occidat animi felicitas, quod philosophi omnes vnanimiter asseuerant inter animastica & corporea scitè vt par est distinguentes.

Multò minus fortunæ bona, quæ animo prorsùs extranea sunt, hominem ipsum beare possunt; cum enim fortunę nomine vulgò non intelligatur Diuina illa atq; ęterna dispositio in secundarum causarum serie inuiolabiliter pręscripta, sed potiùs causa quædam contingens & incerta effectus suos præter intentum agentium progignens, aut res quædam fugax & erratica nullibi cõstans, nullique perpetua, nil esset à ratione alienius, quam firmissimum, atque suaptè natura constantissimum bonum à causa incerta, à re maximè volubili prodire; Quod euincit satis Aristoteles ipse in lib. 1. Eth. c. 5. vbi exẽplo Priami Regis fortunæ inconstantiam neminem posse beare constanter ostendit, quem satis dolenter deplorat Virgilius in lib. 2. Æneid. ad illa carmina


Hic finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Troiam incensam, & prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis, terrisque superbum
Regnatorem Asiæ. Iacet ingens littore truncus
Auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus.

qua etenim ratione hominis felicitas, quæ bonum est sola virtute solidatum genituram posset à fortuna sortiri, quæ constantis iugiter pertæsa moræ nouas semper quæritat sedes statim aliò migratura? & si quandoq; præter morem constans apparet fortunæ flustrum, tunc maximè suspectum cunctis habendum est, monente Maximo Tyrio, eos omnes quos sine intermissione secunda afflat fortuna, non longè abesse à miseria; Quin Philippus Macedo insolita fortunæ blandimenta velut flagellorum portenta extimescens preces fundebat in fortunam velut in Numen, At tu fortuna leuibus nos affice malis, iuxta id quod ex dicto Apellis, cum interrogatus cur fortunam fecisset sedentẽ, respondit, sedentem fieri quæ stare nõ potest, optimè etiam expressit Ouid.

Passibus

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat
Et manet in nullo certa tenaxque loco
Sed modo læta venit, modo vultus sumit acerbos
Et tantum constans in leuitate sua est.

Et licet Demosthenes sapientissimus vir in Clypeo suo fortunam insculpserit tamquam felicitati dominantem; licet Bupalus omnium primus fortunæ simulachrum pro Numine Smyrneis adorandum proposuerit, quippe quæ polum capite sustineret, manu verò Cornu Amaltheæ gestaret; Licet Liuius fortunam bonorum omnium ærarium appellauerit; Licet Seruius Tullius fortunæ erexerit templum ad fausta & felicia precanda, eo tantummodo factum est id apud Veteres omnes, vt iudicarent virtutem quandoq; qua sola beatur animus, etiam fortunam sibi sociam adsciscere, quemadmodum Aristoteles ipse non abnuit, docens in Ethicis sæpissimè etiam fortunæ munera virtuti inseruire, atque ipsius animi felicitati ancellari.





LEX XXXXII

AD HOMINEM EX ANIMO MISERVM.



CVM ad hominis constitutionem duo quædam admirabili coniunctione consentiant; corpus nimirùm, atque anima, in quorum nexus Dei potiùs quam naturæ manu vitæ totius ratio posita est, optimè quidem illud intulit Tullius, ita præclaram animi compositionem perturbationum æstu agitari, abripi, atq; absorberi, quemadmodum corporis coagmentatio, vel calore, vel frigore, vel aliqua alia vehementi impulsione labefactatur & frangitur, vtrobique namque morbus occupatas à se partes vehementer exercet, funestisq; febriũ, dolorum ac vulnerum nominibus in corpore, ex æquo ægritudines, cupiditates, & angores respondent in animo, quibus redditur homo solo animo miser; cuius miseriæ in animum infeliciter inuectæ præ nobile fuit exemplum apud Virgilium 6. Æneid. infelix ille Nisus, cuius calamitatem virtus nobilitauit, virtutemque calamitas non infregit; is enim Troiano excidio superstes, ideò cum Ænea visus est in Italiam nauigasse, non vt magnitudinem animi ex patriæ ruinis inauspicato nascentem in Ausonios agros veluti in solum fortunatius aliquando transferret, sed vt ab ea tùm potissimum ad interitum raperetur, cùm illius desiderio maximè properaret ad gloriam; is, inquam, nescius à morte se propiùs abesse, quam à victoria in ea concione, quã ad Eurialum amore sibi ac virtute coniunctum, postremam habuit, tanquam in exuenda mortalitate vaticinans, hæc protulit

—— Dij ne hunc ardorem mentibus addunt
Euriale, an sua cuique Deus fit dira cupido

quasi immanis illa Rutulos vlciscendi libido, qua per ipsa obsidentium hostium castra ferebatur, quamque sibi Deum fingebat, esset intimus eius animi carnifex opifexq; miseriæ atque infelicitatis; qua nisi sententia id omnibus intelligendum relictum est, cæcas hominum mentes dum suis furoribus adblandientur, sibi ipsis adsciscere, atq; aduocare miserias, eaque sint in animo

mo velut præcipua miseriarum capita voluptas & dolor, vtroque sine lege seu moderatione debacchante.

Et sanè si quis voluptatis atque doloris pugnantem semper, distractamque naturam diligenter animaduertat, mirabitur maximè, qui fieri vnquam potuerit vt ab vno eodemque hominis animo fœtus extiterint genere adeò discrepantes, instituto adeò contrarij solummodo in parentis cruciatus angores atque miserias iugiter consentientes; quod cum vidisset in Platonis Phædone Socrates, nullaque satis idonea ad soluendam dubitationem ratio suppeteret, quasi in nodum vindice dignissimum incidisset, tanquam Numen è machina Æsopum aduocauit fabulatorem, eiusq; nomine apologo concinnato, Deum (dixit) cum dolorem & voluptatem semper in animo pugnantes aduerteret, ita conciliasse atq; coniunxisse, vt vnum ab altero nunquam distrahi posset atque diuelli; horumque dissidio in diem magis ac magis in animis recrudescente, infelicissimum ex solo animo hominem effecisse; vt hac humani generis calamitate nihil funestius fingi aut excogitari posset, in quo vnus atque idem animus & area bellantibus esset, & præmium belli, & victori præda, & victo sepulchrum; Hinc, si Volupiam & Argeronam (Numina quondam voluptatibus, atque angoribus stultè proposita) non Ædem modo, sed communes etiam aras habuisse legimus, non ideo deridendum prorsus eam coniunctionem existimare debemus, cum in hominum natura, aut potius animo contemplamur voluptatem, & dolorem velut tortores ad excruciandum copulatos, templum sibi atque aram posuisse; Neque amplius Ægyptum pluuiarũ præsidio destitutũ admirari fas est, quod sit regionis tractus quodámodo in sua felicitate infelix, cui nimirum, licet cęlum nunquam nubibus obducatur, num claudantur sidera, sed perpetua serenitate colluceant, desit ros è cœlo, qui sitim atque restinguat ardorem; duplex siquidem illi aquarum genus ad iacturam iaciendam suppeditauit natura, alterum, quod effosis altè puteis è terræ visceribus emanat; alterum quod superfusus aruis Nilus, quem verè Ægypti colonum dixeris, ad alendas segetes, sitimque camporum reprimendam, propinat; ita tamen in hoc prouidente natura vt amaræ è puteis vndæ, dulces è flumine in Ægyptiorum commoda deriuentur, vt Plutarchus est Author; Ægyptus etenim verè humanus animus est virtutum & vitiorum suapte natura vberrimè feralis, qui etiam vndi alluitur reciprocantibus, cum modo super fundente se voluptate suauissimè irrigetur, modo autem doloris liquoribus ita perfundatur, ut amatus ille humor ab animo peruadens in corpus aliquando erumpat in lachrymas; Quod est etiam Hypanis fluuij prodigium ab Herodoto primum lib. 4. mox etiam ab Athenæo li. 2 posteritati transmissum, qui aliquot dierum via dulcissimus labitur, mox vndas amaritudine toto quatriduo inficit, atq; corrumpit; ut ad rẽ nostrá cõspectato fortasse non magis tragicè, quá uerè dictũ sit à Seneca

—— dolor & voluptas
Inuicem cedunt.

Et

& etiam sapienter à M. Tullio, Voluptatibus maximis ad nocentiùs vocandum animum finitimum esse fastidium; eaque semper huius æternæ necessitatis lex fuit vt Castores hi alterno semper motu in animis oriantur, & occidant, vitaque mortalium, & gemino voluptatis & doloris cratere delabatur: Quod si etiam extra cogniti orbis ambitum euagari liceret, inueniremus Theopompum inter Græcos historicos non incelebrem describentem regionem, & populorum multitudine peramplam, & morum varietate admirabilem, in qua ingens hiatus aperitur nec maturo satis illustris lumine, nec tenebris tamen omnino cæcus & horridus, quem flumina vsquequaque circumluunt, quæ doloris & voluptatis flumina ab incolis nominantur; vbi etiam vnicuique flumini arbores adnascuntur proceritate maioribus Platanis æquales; fructusque edunt doloris arbores, quos qui attingunt, perpetuo lachrymarum imbre perfusi tandem moriuntur; at poma voluptatis senectutem, curasque depellunt omnes, annos iam exactos reuocant in adolescentiam, atque ordine semper conuerso ad infantiam vltimam repellunt; vt tum demum viuere homines desinant, cum se vixisse non sentiunt. Vtrumque ad rem nostram, atque ad animi miseriam exprimendam documentum est, etenim in sublustri hoc humanæ vitæ crepusculo inter alternos voluptatis dolorisque fluctus aut nauigat animus, aut naufragium facit; fructosq; quibus vescimur, & quos nobis vtraque perturbationum arbor emittit, nos ærumnis frangunt delicijs eneruant, vt in adeptione virtutis non rarò ad primam infantiæ debilitatem & curas quasi Medeæ veneficio recocti redeamus, nobisque etiam non sentientibus vita elabatur.

Atque si elegantissimum Philonem Iudæorum Platonem in Sacris allegorijs lib. 1. de hominis infelicitate ex animo prodeunte differentem audiamus, cum animum ipsum in vnoquoque homine fingat ex cera, sine dubio in varias ærumnarum imagines elaboratum, huc & illuc disiectum atque versatum intelligemus; siue enim acerba, siue iucunda pro inconstanti vitæ conditione homini obtingant, hæc cereum animum violenter adorta, in eodem cum doloris vel voluptatis simulachro miseriæ imaginem relinquunt impressam, qua vnusquisque ideò miser efficitur, quod de tranquillo mentis statu deiectus, aut perditè concupiscit, aut impotenter irascitur, aut desperatè metuit, aut alijs eiusmodi furoribus turpiter litat, vt benè dixerit D. Augustinus serm. 13. de Verb. Domini. Vnicuique suam cupiditatem tempestatem esse; quin animum humanum Æoliæ nomine, quæ patria ventorum est, ab Æolo illorum principe sic appellata, optimo iure à priscis sapientibus designatum accepimus, ex qua erumpentes variarum perturbationum venti fluctus & procellas suscitantes tranquillitatem omnem commutant in horrorem; & quemadmodum ex innumerabili ventorum multitudine quatuor tantummodo seliguntur, qui ex aduersis mundi cardinibus cardinales nominantur, ita ex omnibus animi affectionibus quatuor à Sapientibus tanquam præcipuæ seponuntur, quarum uel permistione, uel conflictu totus animus con-

concuti solet; hancque comparationem, qua & animus cum mari componitur, & perturbationes animi per uentos designantur non iniucundè nobis obtrudit Seneca in Medea, ubi illa commemorat

Variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
Deducit, anceps æstus incertam rapit
Vt sæua rapidi bella cum venti gerunt
Vtrinque fluctus maria discordes agunt
Dubiumque pelagus feruet, haud aliter meum
Cor fluctuatur, Ira pietatem fugat
Iramque pietas.

eoque prorsus modo quo natura pro bonis hominib. concessis tanquam seuerus fænerator innumera mala à corpore extorquet uelutiin usurâ, quibus miserum euadat atque calamitatibus oneretur, dolores, febres vulnerum cruciatus in eiusdem corporis tortorem congerens, sic suorum malorum alluuione etiam animum inundat, quibus ad accersendam sibi miseriam ita disponitur, ut iugiter uel intemperijs agatur, uel gaudio efferatur, uel metu deprimatur, uel cupiditatibus exardescat, uel mærore contrahatur, uel inflammetur iracundia, uel inuidia contabescat, uel denique omni furiarum, aut furorum incorsu diuexetur; Neque illi qui Ceneos nescio quos Lapitharum Reges apud Ouidium 12. Met. Neptuni beneficio nullis vulneribus obnoxios, vel Achillem fatalibus Stygis vndis aduersus omnem hostium impetum obduratos excogitarunt, potuerunt vnquam animum à miserijs atque perturbationibus immunem excogitare; fabulasque, & nugas illas Stoicorum Sapientia nobis ad ingenij credulitatem adornatas Sapientiores omnes derisere, quod nimirum possit homo ita ab omni animi perturbatione intactus viuere, vt nullus in eo superfit aut vitæ, aut humanitatis sensus, cum hoc tantum à veritate atque ab hominum conditione recedat, quantum homines ipsi illum animi rigorem atque inflexibiliratem enutrientes accederent ad stipites; eosq; Æthiopes quos memorat apud Diodorum Agatarchides ira aduersus affectuum ægritudines obduratos, vt nulla eos vel ira sollicitet, vel mæror deprimat, vel amor extimulet, potius solidum lunensi de rupe marmor in humanam speciem efformatum, quam humanæ membra naturæ putamus; Etenim Stoici ipsi, qui nullam in sapientem cadere perturbationem docuere, atque adeò sapientem ipsum dixere etiam in Tauro Phalaridis beatum esse, naturæ iura non sunt inficiati, quibus homines si non ægritudines, aut affectuum morbos rationis moderatione ad animi valetudinem compositos, saltem eorumdem affectuum motus persentiscant; hosque Animum experiri necesse est, cum res ipsas aut boni specie concupiscimus, & persequimur, aut mali horrore auuersamur, & refugimus, siue appetitiones ipsæ rationis imperium subeant, siue detrectent, cum hoc solo discrimine quod eiusmodi motus in Sapiente semper ancillantur rationi, in stulto verò rationis principatum oppugnant atque obturbant.

Et

Et huc ad rem sanè referri potest, illud quod memorat Olaus magnus de populis quibusdam, qui Finni dicti sunt, solitis negotiatoribus aduersa tempestate diutiùs impeditis venales ventos triplici nodo constrictos exhibere; quorum vbi primum dissoluerent, ventis vterentur placidis atque tranquillis; vbi verò alterum, vehementiores expeterentur, ac tertio demum laxato horrendis omnino tempestatibus agerentur; Quemadmodum etiam apud Indos se dolia vidisse testatur Apollonius pluuijs ventisque referta, quibus regionem, vel nimio Solis ardore torridam ac dehiscentem opportunè irrigarent, vel madidam atque insalubribus vaporibus obductam salubriter exsiccarent: his namque quæque sint siue de ventis impostorum præstigiæ, siue ventosæ loquacitatis illecebræ, explicatur idoneè quale sit in animo Sapientis imperium, quod concutiente affectuum impetu solet per rationem exerceri; sed ita vt nunquam æstuantes in animo ipso desint procellæ aut debacchantes tempestates rationis vinculis cohibendæ aut in dolio claudendæ; vbi enim postulat ratio, & sapiens ipse irascitur, amat, odit, dolet, concupiscit, quæ sunt satis ad miseriam in animum inducendam, cum perfecta beatitas sola animi quiete atque tranquillitate compatetur; nec facilè Sapientem inuenire conceditur, qui sit velut lampas illa, quæ in Arcadia (vt tradunt Athenæus & Strabo) licet subdit constituta, nullis ventorum flatibus, nullis extingui pluuijs potuerit vnquam, de qua etiam illa vulgata sunt carmina

Pro foribus Diua, vacuoque sub aere pendet
Lychnus Sidereæ retinens commercia lucis
Quo facer assiduo lucet Vulcanus, & ingens
Educat æterna vigiles in lampade flammas
Quas nulla Æolijs tempestas obruit alis:
Non si prorumpant effracto carcere venti
Et diras acuant longis stridoribus iras
Non si tristis hyems fœdis glomerata pruinis
Incubet & pluuio contristet sidere cœlum.
Vna inter nigras acies, cœlique furorem
Fax micat, & flamma radians victrice superbit.

potest siquidem Sapiens uit inter illas tempestates, quibus gregarij plerumque homines à sede rationis exturbantur, sui compos manere, atque æquabili mentis tenore compositus, sed omnino rerum, quæ animum commouent, sensum exuere, nunquam potest; idque semper retinebit in animo, quo per ipsius animi ægritudines miser euadat.



LEX



LEX XXXIII.

AD

HOMINEM EX CORPORIS PVLCHRITVDINE ÆRVMNOSVM.



Illustris planè res est, singularis, ac propè diuina bene compacti corporis pulchritudo, sed nescio quonam humani generis infortunio factum sit, vt quæ mortalibus vel ad ornamentum præclara, vel ad præsidium necessaria diuinitùs obtigere, eadem incertis obiecta casibus, certis exposita iniurijs nobilitatem imbecillitate compensent, fructumque suum fragilitate corrumpant; inter cæteta adest eximia humanæ pulchritudinis dignitas atque maiestas, quæ tanta etiam humanæ infirmitatis humilitate deprimitur, vt non tam de illius præstantia gloriari, quam lugere pro eius debilitate possimus; hæcque sanè illa est, quæ licet solemnia in Græcorum ludis certamina ad sui æstimationem & pretium instituerit, (quod legimus in Athenæo) etiam iustissima Dearum iurgia prouocauit pastoris iudicis arbitrio dirimenda; atque vtinam semina illa offensionum atque rixarum in Idæ vertice Paridis sententia præfocata, in cœli hortos infelici satione translata non essent; sic enim non haberet Plato in lib.de rep.cur tantoperè Homericas Deorum pugnas exagitaret, styloque confoderet; æterna siquidem illa Numina admirabili semper animarum consensione in terrarum orbis administratione constantia, vbi semel Græci de pulchritudine repetenda litem Troianis contestati sunt, quæ integro decennio vtrinque ferociter est agitata, illicò distracta partium studijs exarsere; ijdemque cælestis Reipublicæ Senatores, qui (vt in Charidemo Lucianus animaduertit) in Titanum temeritatem consentientibus animis, armisque sæuierant, mox Helenæ pulchritudine de mentis sanitate deiecti odijs inter se plusquam ciuilibus sunt concitati, & quamuis in pertinaci illa, & maximè luctuosa Troianæ vrbis obsidione filios suos certò perituros Deorum plerique cognoscerent, tanti tamen fuit vnius sibi fœminæ pulchritudinem vindicare, vt deinceps perpetuis inuicem conflictarentur dissidijs, atq; insectationibus.

At

At licet, dicat quis, hæc esse delirantium somnia vocibus fusa Poetarum, neque rei grauioris veritatem esse à Poetis tanquam à testibus exigendam, quandoque tamen etiam fabularum inuolucra tantam doctrinæ speciem præseferunt atque sapientiæ, vt morum documenta apud prudentiores existimari queant, cum nil aliud significare aut prænotare voluerint Paridis iudicium, Deorumque digladiationes, quam ingenio, diuitijs, imperio, cæterisque fortunæ bonis vnam corporis pulchritudinem eorum exemplo esse anteferendam; nec amplius eorum admiratione seu potius stupore commouendi sumus, qui apud Pausaniam præstantissima Medusæ forma exanimari decantatæ sæpius fabulæ locum fecere, vt Gorgonis aspectu in lapides degenerasse crederentur; qui enim inter bona auspicatissima pulchritudinis occursum retulere, ij sanè diuinitatis radium seu simulachrum in formæ elegantia cum Platonicorum elegantissimis opinabantur coruscare, cuius illicio hominum animi violenter obrepti, corporisque diuersorium perosi, in extraria, vt ita dicam, pulchtitudine conquiescerent. Sed licet hæc pulchritudinis munera apud plerosque, & genere maxima æstimentur, & numero infinita, & specie præclara, & efficacitate mirifica, & ipsa commemoratione iucunda, cum tamen non sint stabilitate constantia, nec semper viriditate florentia, nec soliditate perpetua, nec viribus incorrupta, nec diuturnitate immortalia, heû quam celeriter immorientia hominem ipsum miserum faciunt & infelicem; momento si quidem temporis elegans omne naturæ sibi blandientis machinamentum, ipsa dixerim natura nouercante dissipatur, dissoluitur, euanescit; atque pulchritudo quæ flos corporis communi appellatione vocitatur, suæ formæ fragilitatem, fugam, speciemque ipsam iam iam deflorescentem indigitat; adeò quippe caduca, lubrica vere florea, nimirum continuò contabescens est elegantia vultus humani, vt apposite impauidus sacrarum literarum Philosophus Iobus pronunciauerit aliquando de homine, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut ombra.

Auream quamdam virgam mirabilium operum molitricem Mineruæ suæ affinxit Homerus, qua cum Vlyssem leuiter attigisset, præter omnium opinionem pulcherrimi principis species celeriter est deformata; honestissimi capitis crines illico effluxere, exaruit statim nitida cutis, vigor oculorum elanguit, flos denique vt vno verbo dicam masculæ atque heroicæ pulchritudinis prorsus extabuit; in qua re videtur plerisque operosè nimis diuinam Mineruæ virtutem se exeruisse, cum satis esse poterat, (vt scite Phauorinus aduertit) aut triduo inclyti Ducis corpus fame conficere, vel si libebat, febricula pertentare, aut rem ipsam temporis arbitrio permittere, aut animum importuno spiritu mæroris afflare, quibus omnibus miser & infelix Vlysses euaderet. Hinc ad exaggerandam pulchritudinis miseriam non minus verè quam tragicè in ea fabula, quæ ab Hippolito nomen accepit consenescentem formam Seneca lamentatur, cum ait

An-

Anceps forma bonum mortalibus
Exigui donum breue temporis
Vt velox celeri pede laberis.

& si liceret eos Virgilij versus vsurpare ad formæ mobilitatem delineandam quos ipse in 4. Æneid. adhibuit ad famæ exprimendam velocitatem ea de forma proferri possent.

Forma bonum quo non aliud velocius vllum
Mobilitate perit, viresque amittit eundo.

Quapropter fœminei potiùs, quam Philosophici iudicij est corpoream pulchritudinem & formam summum humanorum bonorum pronunciare; & merito Dius Pythagoræus apud Stob.ser.66.temerariam, ac stolidam vocat eorum opinionem, qui corporis formositatem felicitatis nomine donant, nisi id potiùs ad Oratoriam pompam, quam ad veritatem faciant, quemadmodum facit Dio Chrysostomos grauis alioqui motum censor cum melancomæ pulchritudinem tamquam summam eius felicitatem extollit; flaccessit namque pulchritudo (ait Clemens Alex. 3. pædag. cap. 1.) & citius quàm folia humi decidit, & priusquam venerit Autumnus, marcescit & interit; qua de causa iure Socrates apud Laertium vocabat pulchritudinem modici temporis tyrannidem, & Nazianzenus, temporis & morbi ludibrium; & licet daremus corporis pulchritudinem esse decorum quemdam animæ amictum, seù vestem quamdam vrbanam, vt eam nominat Tertullianus, cum tamen ocyssimè exedatur, gracilisque ac tenuis substantia sit; potiùs censendum est corporis formam vim miseriæ quam felicitatis obtinere; præsertim cum non mediocris sit externæ speciei nota, quod plerumque in compto, ac pulchro corpore deformissimus, atque incultissimus animus habitat; Sicut contrà, vt scitè aduertit Seneca, ex deformi & humili corpusculo magnus plerumque animus exit, ostendente in plerisque ipsa met natura posse excellens ingenium sub qualibet cute latere, cum satis nota sit Hipponactis nobilis poetæ fœditas vultus apud Plinium, Socratis deformitas apud Plutar. Æsopi monstrositas & Platonis gibbositas apud alios. Nec minimum est decoris corporei dedecus, quod ferè semper assolet esse peccati illicium, & vel illis, quibus obtingit exitium procreat, vel alijs malè consultis huius boni captatoribus, vel vtrisque; vt proptereà iure à Theocrito apud Laertium dicta sit pulchritudo eburneū detrimentum; atque ea de causa Cyrus apud Xenophontem aiebat, metuendum potius esse à pulchritudine corporis, quam ab igne, quod ignis propiùs dumtaxat accedentes exurat, pulchritudo autem etiam eos, qui procul remoti sint; ideoque optandum potiùs vnicuique in altero esse bonum corporeæ pulchritudinis, quam in se ipso; sicut præoptandum est splendidam vestem habere, quam vestem esse.

Quod si dicant speciei, formæ, ac venustatis propugnatores numeros felicitatis humanæ implendos esse ne dum per interiora animi bona, sed etiam per ea quæ extrinsecus accedunt, ac propterea nemine sine corporis pulchri-

tudine vulgo iudicari felicem, id intelligendum est assumpta corporis forma atque id tantum vsurpata, vt sit virtutis acquirendæ præsidium ac veluti instrumentum; quemadmodum Aristoteles ipse beatos ex pulchritudine appellauit Iuuenes illos Pentahlos, qui ex quinque certaminibus victores rediere, nimirum ex lucta, cursu, disco, saltu, & iaculatione, quæ victoria ex quinque ludis composita Pentathlos à Græcis nominabatur; Eiusmodi namque adolescentes optima membrorum dispositione, & consonantia conspicui omnium iudicio pulcherrimi dicebantur, atque ab omnibus diligebantur; cum tamen id ipsis contingeret potius ex virtute quæ rutilabat in animo, quam ex forma quæ splendebat in corpore, cuiusmodi pulchritudinis laude Iulium Cæsarem commendatum accepimus apud Suetonium, & etiam Æneam apud Virgil. 4. Æneid.

—— ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium

qui etiam in lib. 5. pulchros describit pueros illos, de quibus dictum est

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frænatis lucent in equis, quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Troiaque Iuuentus,

omnes enim eiusmodi adolescentes ideo ex corporis forma beati potius quam miseri describuntur, quod ea corporis venustas & oris species esset exterior quædam virtutis nota, quæ lateret in animo; hacque sola ratione nos quoque iudicare debemus hominem non esse ex corporis pulchritudine miserum & ærumnosum.



LEX



LEX XXXIV.

AD

HOMINEM EX CORPORIS VALETVDINE IRREQVIETVM.



OS omnes huc aduoco, qui sibi nimia corporis cura blandiuntur, atque vt valetudinem curent, nimis laboriosè desipiunt; hosque licet fortasses minùs idoneè, valetudinarios appello, cum inter corporis ægritudines aut curandas, aut arcendas magno animo studio, & summa occupatæ mentis impensa iugiter versentur, Harmodicum illum imitati, qui tam minutam atq; exactam in valetudinis curatione operam impendebat, vt inter mortis metum, & cruciamenta vitæ, sanitatem illam quam solidatam ac in tuto positam cupiebat, ad extremum euerteret, & pro vitæ incolumitate lentæ sibi, ac molestissimæ mortis tractum conciliaret; eo prorsus modo, quo Artemonem quemdam memorat Heraclides Ponticus apud Plutarchum, qui tam superstitiosè valetudinem procurabat, vt domi ferè semper desidiosè languesceret; & si tandem domo ipsi exeundum foret, ne quid sanitatis è capite malè sano ambientis aeris intemperies decerperet, æneo clypeo per mancipia supernè suspenso protegendum erat, quasi capitale cœlo odium indiceret, qui aduersùs cęlum ære caput armabat. Portenta hominum sunt huiusmodi viri valetudinarij, qui non trahunt uitam, sed potius trahuntur à uita in sanitatis cura semper ancipites & cunctabundi, fidem nec sibi nec alijs adhibentes, sed semper anxij, pauentes, morientes; quo sanè hominum genere in hac mortalitatis palæstra nihil à uitæ tranquillitate, quam quotidiè angoribus emit, longiùs ablegatum deprehendimus; si enim eiusmodi homines solis radios ad se quoquo modo pertingentes intueantur, ac si in perustis Æthiopum regionibus recoquerentur, statim totius fontem luminis conuicijs, iniurijsque proscindunt, radiosque ipsos vniuerso terrarum orbi salutares, tanquam sibi solis funestos noui Pythones declinandos putant; Lunam quoque humidum sidus ac fluoribus imperantem ità constanter auersantur, & curiosè

obſeruant, vt illius incrementis & decrementis omnia, quæ in vita agenda ſunt dimetiantur, ne ad incolumitatis læſionem exundet humiditas,aut plus nimio minuatur ſiccitas; Sic gregariam reliquarum Stellarum plebem ſanitati ſuæ ità mancipatam credunt, vt nihil niſi elato benigni ſideris lumine agendum ſuſcipiant, & cum domo egrediuntur,cum ineunt itinera, cum alia aggrediuntur opera, ſiderum oracula conſulunt, eorumque auxilium implorant; Et ſi fas eſt eiuſmodi inſanientes valetudinarios è cęlo deuocare, atque in aere ſuſpendere, omnes cęli plagas arbitrantur ſibi ex aere poſſe eſſe lethales atque exitioſas, illam nimirum capiti peſtilentem, hanc pectori noxiam,aliam ſtomacho grauem, aliam pedibus pernicioſam, aliam vaporibus denſam,aliam denique ventis obnoxiam ſeuerè denuntiantes; & ſi quod eſt in quo ingenioſè hominis valetudinarij deſudet induſtria, in eo certè nautarum omnium ſolertiam ſuperat, quòd non nomina tantum ventis imponit, ſed eorum naturam ac vires, quod proprium Sapientis eſt, penitus introſpicit, vt valetudinem tueatur; hincque ab Aquilone pleuritidem exhorreſcit, ab Auſtro grauedinem metuit, à Cæcia capitis vertigines ſuſpicatur, anginam timet à Coro, lippitudinem diuinat à Lybico, diarrhæam formidat à Zephiro; & quemadmodum inter ſidera ſolos Scorpios, ſerpentes, Vrſas præclarus calamitatum ſuarum artifex intuetur, ità etiam à Ventis,ſiue Tropæi ſint, ſiue Apogæi, ſemper naufragium meretur, ne ſcilicet eorum impetu ſanitas ad ægritudinis ſcopulos alliſa frangatur.

Quod ſi ab aeris ac ventorum turbis hominem valetudinarium ad menſam deducamus, Tantalum videbimus inter opiparas conuiuiorum delicias fameſcentem, atque in medijs nectaris fontibus ſiti perire; & dum noua ſemper adhibet temperantiæ genera priſcis etiam abſtemijs atq; ſapientibus incogitata, ſe ipſum quotidie vnciatim viuentem(vt ait Terentianus Geta) preſſuris & angoribus mactat; nam ſtomachus ne ſatietate diſtendatur ac nauſeet, inanitate contrahitur & langueſcit; ne caput vaporibus infuſcetur, debilitate de ijcitur; ne ſanguis incaleſcat vino, ſpiritibus deſtitutus contabeſcit; ne cibis onerentur hypochondria, flatibus cruciantur; ne vires opprimantur ingluuie,franguntur inedia,uno verbo, ne ſanitas apertè lædatur, per cuniculos proditur atque conuellitur.

Quin ſæpè etiam fit vt homo eiuſmodi nimius ſanitatis cultor illuſtriorem medicorum doctrinas ſcrutetur, vt quæ ſint res boni ſucci comeſtibiles, atque valetudini tuendæ aptiores dignoſcat; indeq; vt atræ bili ſubtrahat alimenta, bubulam carnem deteſtetur, ne ſanguis aduratur, aromata ab oriente Sole laborioſa peregrinatione transuecta extrudit à menſa, hortenſia Ægyptiorum numina, cæpe nimirum, Allium, & Porrum, exulare à ferculis iubet,ne inſitus nobis à natura calor alimento concoquẽdo diutiùs & fruſtra luctetur; cum tamen intereà non aduertat procuratam illam tam anxio ſtudio corporis valetudinem, quæ à rerum diuinarum contemplatione, à Reip. adminiſtratione, à ſtudijs doctrinarum, à conquiſitione virtutum ani-

animum auocat, meram ægritudinem esse sine vlla bonæ valetudinis societate miserrimam, immo potius omnibus morbis ac malis consociatam; sirque sæpe tanta corporis cura vas illud veneniferum, ex quo vt ait Horatius

—— macies & mala febrium
Terris incubuit cohors.

quin si vlterius ad deridendam prorsus vitæ consuetudinem in homine valetudinario accedamus, deprehendemus ipsum, sæpe etiam laboriosa negotiorum mole premente, nunquam excusso dormiendi satietate ab oculis somno per inertiam semper hærere, an denique ad opus sit sibi surgendum; & dum de cœli facie quæstionem instituit, delatoresque interim in aperta submittit, qui de ventorum afflatu, de nebulæ pertinacia, de nubium volatu conijciant, alternum sæpiùs reuolutus in latus, moratur in lecto. Atqui postquam amica omnia atque tranquilla coniectores retulerunt, aliud adest statim, quod adhuc cubantem excruciat, nimirum, nondum altiùs Solem prouectum esse, quo immaturæ crepusculum lucis capiti exitiosum maturetur; nondum aeris vitium solis ardore excoctum esse, humidæq; vapores noctis sufficienter exsiccatos; idque tantum in peragendis negotijs negotiosius esse homini valetudinario, quo valetudinis indemnitati consulatur, cum collapsa semel valetudine reliqua pessumdentur; neque enim Reip. ita traditum se putat valetudinarius, vt alienam securitatem curis suis suscipiendam arbitretur, cum valetudo vnicuique data sit vt priuatos intrà parietes cum illo congaudeat apud Senecam in Thyeste qui dicebat

Stet quicumque volet potens
Aulę culmine lubrico
Me dulcis saturet quies.

cum tamen sola animi incolumitas illa sit, quæ cuicumque maximoperè curanda est, vt viuat ad virtutem; sirque prorsus nefas animum ipsum pro domicilio conducto tam grandem corpori mercedem rependere, vt corporeum robur lapsabundo constet hospitio; sicut etiam turpissimum est Principem in homine partem principatus sui iura transcribere in seruum, atque omnia virtutum ornamenta ad mancipij pedes abijcere; Illudque præ cæteris homini cuicumque detestabile esse deberet quo tot tantisque tuendæ valetudinis impendijs quæritur, vt animus ipse si fieri posset, funditùs intereat, aut etiam viuens sepeliatur, cum aliundè habeamus per ægritudines quandoque corpus vellicantes animum ad summa virtutis officia excitari; cuius doctrinæ veritatem cum vellet Plato edocere, dum Academiam suam institueret, clementissimi aeris temperiem, in qua poterat illam excitare, auersatus est, eamque consultò loco insalubri collocauit, vt afflictæ valetudinis veneficio corporis petulantia perdomita, expeditior animus ac leuior per amæna sapientiæ viridaria vagaretur; hisque subscribens Plinius lib. 7. Epistola breui ad Maximum Epistola prolixas Philosophantum disputationes de hac re æquare conatus est, dum in illa fatetur se cuiusdam

amici languore satis admonitum fuisse, homines omnes optimos esse, quandiù infirmi sunt, cum neminem infirmum atque ægritudine laborantem auaritia, aut libido sollicitet sed potiùs funestus cineris ex ægritudine color in ore hominis altè subiectos virtutis igniculos in corde denuntiet, atque membrorum debilitas, & genarum macies sæpè inconcussum arguat in animo robur, & vegeros intelligentiæ sensus ostendat, respondente vt plurimum corporis gracilitati ingenij acumine: Quibus addi potest non omnem statim ægritudinem calamitosam esse, cum experimento non in frequenti conster vberrimos sapientiæ fructus in quorumdam animis à languoribus fuisse progenitos, quos prosperæ valetudinis illecebræ sine dubio corrupissent; qua in re si ad Poetarum figmenta confugiendum esset, Iouem inueniremus tanto capitis dolore correptum, vt penè prolapsus in rabiem opinionem diuinitatis exuerit; atque cum nullo medicorum artificio mollni potuisset dolor, Vulcanus morbi radices exscindendas arbitratus, Iouem dicitur securi percussisse, atque è medio vulnere Palladem Sapientiæ parentem, licet doloris filiam extraxisse; vt & nos ipsi edoceremur, quo tempore sequente ægritudine miseri, languentesque videmur, virtutum atque Sapientiæ semina morbis ipsis obstetricantibus in partum erumpere.

At ne me iuratum valetudinis hostem contestentur valetudinarij, osorem corporis, humanitatis euersorem, hostem vitæ, hominumque parricidam, velut eum qui abdicata prorsus corporis cura hactenus in solius animi obsequium declamauit, operæ pretium me facturum existimo, si corporis patrocinio suscepto ab animo ipso rectam curandæ valetudinis rationem auspicer; neque enim hactenus corporis carnificinam sed animi sanitatem quæsiui

Nam nec me genuit sola sub rupe leæna
Nec mare conceptum spumantibus exuit vndis.

corpus siquidem quod animæ socium atque administrum agnosco, non esse ab homine negligendum, aut iniurijs labefactandum vltrò confiteor; sed ita moneo vtriusque sanitati imminendum, vt alternæ ad virtutem operæ studiosè conspirent, viresque non distrahant, quas ad bene beatèque viuendum natura in nobis consentientes esse voluit atque conflatas; ad id annuente in Timæo Platone, qui vbi plura de mutua corporis, animæque temperatione dixisset, atque ex ea integram totius hominis pulchritudinem efflorescere pronuntiasset, vnam demum esse dixit ad vtrumque salutem & conseruationem, vt neque animam sine corpore, neque corpus absque anima moueamus, eaque mutua contentione exæquatis inuicem viribus sic bonam totius valetudinem tueamur; & sicut Pythagoras sapientissimè eorum detestabatur stoliditatem qui curis omnibus ad corporis incolumitatem traductis, firmiorem in dies animo carcerem construerent, ita acriter redarguendi illi sunt, qui omnino corporis obliti eiusque valetudinis aut perpetua rerum contemplatione cerebrum fluoribus inundant, aut se immodicis laboribus extenuant, aut denique extrema macie exhausto sanguine resolutis labore

vıı-

viribus omnia corporis membra conficiunt; sic enim iure posset corpus in animam illas querimonias fundere, quæ pro violatis mutuæ societatis officijs circumferuntur

Quid miserum excrucias, ingrata ò corporis hospes
Quidve iubes victum succubuisse malis?
Scilicet vt dubio semper casura sub ictu
Æstuet ancipiti vita trahenda metu?
Semper vt immeritis angoribus ægra labascat
Et gemat infaustas flebilis ire dies
Tu mihi, tu tantos ò hospes inhospita, luctus
Congeris, in morbos officiosa meos.

Valetudinis ergo beneficium si integrum illibatumque natura concesserit, libentissimè debent Valetudinarij amplecti, atque munerantis liberalitatem exosculari; sin etiam assiduis titubantem motiunculis, semperque ambiguam sanitatem eadem natura, siuè naturæ conditor commodauerit, nullus in ipsis debet excitari sensus, qui animi imbecillitatem fateatur; ægrotare siquidem hominibus lex est, non iniuria, non minus quam Soli occidere & rursus oriri; notumque omnibus esse debet morbos corpori conciliare mortalitatis tenorem, non fortunæ crudelitatem; fitque sæpissime ægritudinis pretio virtus ipsa venalis, quo demum statuitur non immodicis cautionibus esse curandam corporis valetudinem.



LEX



LEX XXXV

AD HOMINEM MEMORIÆ OSTENTATOREM.



RISCA mortalium gens in decernenda hominibus immortalitate vsque ad prodigium liberalis, Deorum magis, quam hominum censum auxit, pluresque cœlo mortales intulit, quam peregrinos ciuitate donauit; atque inter cœtera Numina, quæ à uirtutibus appellationem simulet munus acciperent, mente, Amorem, Fidem, Concordiam, Honorem, ac denique memoriam collocarunt, cuius tanta dignitas ac veneratio apud sapientissimos quosque semper fuit, vt supremo etiam cultu inter reliquas præclaras animi dotes coleretur; & si augustissimum Dei templum à Demosthene mortalium pectus appellatur, decebat sanè eam potissimum humani animi dotem diuinitatis elogio cohonestare, quæ cum sit homini diuinitùs data, multum de cęlesti cognatione trahit, atque originem suam cum ipsa dignitate repręsentat; memoria siquidem illa dicta est, quæ cœli prætorium in quo cum ratione imperaret, fertur occupasse. Quod vt planissimè intelligatur, aduertendum est, humanam corporis formam eiusq; structuram ità dispertitum esse Platonem in Timæo, vt medullam capitis, globosam ac teretem, quam cerebrum nominamus agrum feliciter excultum ad diuinum semen excipiendum dixerit; hocque idem cerebrum Homerus cœli nomine definiuit, in quo videlicet præclara illa numina. Ratio nimirum atque memoria tanquam in diuinatis augustali communicatis vtrinque fascibus dominantur; si enim hominum corpora animorum carceres esse tenebricosos ac fœdos opinabantur philosophantium antiquissimi, in quos carceres illa omnia cōfluxissent, quæ apud Inferos pœtarum excogitauit ingenium, Cocytus, Acheron, Stix, Prometheæ volucres, Tantali epulæ & huiusmodi deliramenta quamplurima, cur etiam beatitatem atque delicias non agnoscamus in nobis, & lethæo obliuionis fluuio memoriæ diuinitatem non opponamus? cum etiam in Trophonij templum ad vota nuncupanda & oraculum consulendum descēsuri epotis primò obliuio-

nionis liquoribus statim memoriæ vndas haurirent, vtroque fonte propè templum à Pausania collocato in Bœoticis.

At hic video quosdam, qui eruditos Mythologorum libros accuratè peruolutarunt, ægrè admodū ferre in cerebro à nobis esse constitutam memoriā, quę potiùs in auribus sedem fixit; cum enim frontem Genio, Iunoni brachia, pectus Neptuno, Cingulum Marti, Veneri renes, Mercurio pedes, Mineruæ digitos dicata fuisse annualium monumenta tradiderint, aures quoque Memoriæ fuisse consecratas prodidere; hinc illud elegantissimi pastoris

——— *Cinthius aurem*
Vellit, & admonuit.

hinc Plinij verba (est in aure ima memoriæ locus) immo etiam in Citharœdi digitis emicare memoriam putarunt quidam, dum aliud agens, & audientibus obuersus ad numerum tamen, atque concinnè citharam pulsat; fuere etiam qui cum Frontone memoriosos pedes existimarunt, dum sæpè incogitantes itinera perficimus, ac domum reuertimur; hæcque omnia inde fortasse aut excogitata aut pronunciata sunt, quia humana Anima immortalis, indiuidua, simplex, nec in singulorum partes distracta membrorum, nec vniuersa corporis mole confusa, semper sibi præsens, nunquam non actuosa, suis vndique potestatibus quasi satellitio circumsepta & videt in oculo, & mouetur in pedibus, & ratiocinatur in capite, & tangit in manibus, & recordatur in cerebro; quæ tamen etiam recordaretur in digitis, in auribus, vel in pedibus, si memoriæ conditoria, quæ in cerebro illi rerum natura composuit, in pedibus, alijsque membris inueniret, vt apud nos fixum maneat memorię Numen in cerebro hoc est in Homerico cęlo amplitudinis suæ regiam collocasse; hocque memoriæ Numen illud fuisse apud Platonicos quod sapientiā simul & Musas vnico partu progenuit & sororio quodam nexu colligauit, vt præclaro cognationis vinculo in humani generis beneficium mutua charitate & necessaria consociatione conspirarent; Sapientia siquidem hærentem in biuio Herculem ad præruptas virtutis rupes impellit, Musæ laboriosi comites itineris sub pondere fatiscentem recreant atque confirmant: illa perpetua belluarum venatione ac sanguine Achillem adhuc impuberem exercet, vt iræ præludat Troiano Imperio fatali; Musæ reuertenti citharam adornant sudoremq; detergunt: Sapientia ne diffluat voluptatibus animus seueritate lasciuientem coercet; Musę curis defatigatum & calamitatibus obrutum demulcēt: Illa perturbationes tanquam Bruta ratione catenria flagello domat; hæ Pythagoręorum more easdem harmonici concentus suauitate componūt: Fortunæ illa secundæ moderatrix inijcit felicitati frænum, ne animus efferatur; aduersantem musæ deliniunt ne succumbat: pugnat illa cōtra vitiorum monstra feliciter Epinicia hæ triumphanti modulantur. Immortalitatem illa meretur, hæ donant: informat illa animos, hæ oblectant; illa munit; hæ ornant; illa denique sapientia nimirum cœlo semper inhiat; hæ musæ scilicet homines in cœlum inuehunt; & quidquid vel ad animorum oblecta-

ctio-

tionem eruditione iucundum, vel ad mentis hilaritatem alacritate cõditum, vel ad acumen ingenij solertia perpolitum, vel ad exercitationem sibi diligẽtia excultum; quidquid ad mores componendos excogitatur idoneò, ad virtutem consequendam perficitur studiosè, ad ægritudines persanandas conquiritur opportunè, ad nominis æternitatem confertur gloriosè, id demum quantum quantum est solius memoriæ filijs musis nimirum atque sapientiæ debet literatorum natio, memoriæ parenti debet vniuersum genus humanum.

Verum sentio me vsque adhuc in memoriæ laudibus ita fuisse versatum, vt omnia potius alia prædicauerim præter ipsa, hominemque potius ex musarum & sapientiæ cultu felicem dixerim, quam ex memoria; licet enim, quę de filijs honorificè dicuntur, in parentes etiam iustè soleant transferri, vbi tamen vnusquisque censu suo diues est, alienæ suffragium commendationis præstolari non debet. Age igitur, & quomodo sit homo memoria felix inspiciamus. Animam hominis quæ rerum simulachra recipit per corporis sensus in se, veluti per traduces deriuata Tabulæ ceteæ aiebat Plato in Teæthea esse persimilem; atque in hanc ceram, dum rerum imagines quasi quædam sigilla altiùs imprimuntur, pro ceræ temperatione ac modo vel confusa vel distincta simulachra nobis occurrunt; necà Platonis sententia videtur Aristoteles discedere, qui in libello de memoria eandem signatorij annuli comparationem non ineleganter vsurpat; sicq; hominis anima corporis adstricta vinculis ita dicitur illius ministerio vti, vt ne intelligere quidem possit, quin ab ipso rerum notiones accipiat; atque traiectæ per sensus ad animã rerum imagines, in eam primò facultatem incurrunt, quæ à sensu nominata, dicitur communis; quæ deinde rerum simulachra ab imaginatrice collecta (quam phantasiam philosophantes appellant) atque in ordinem digesta memoriæ in thesauris asseruanda traduntur, quæ bonæ fidei custos, quotiescumque leuiter icta animo iubente percellitur, vniuersa statim habet in promptu; hincque rerum omnium thesaurus memoria à M. Tullio dicta est; cum enim memoriæ sinus ac latebras, in quibus tota rerum vniuersitas delitescit admiramur, Iliades illas Homericas nucleo conclusas, Myrmecidis ac Theodori quadrigas muscæ alis obrectas atque alia artis prodigia ideò maxima quia minima confidenter irridemus; Quid bonæ Deus hæc omnia ad immẽsam mensuræ capacitatem, ad summam ex memoria hominis felicitatem? Ex ipsa metitur homo interminatam Oceani vastitatem, indefinitam regionum magnitudinem, minacem montium altitudinem, latissimum agrorum æquor, immensum cœlestium orbium ambitum, naturæ miracula, artis machinamẽta, doctrinarum misteria, diuinitatis arcana. Nihil est in Historicorum monumentis tam reconditum, nihil in poetarum fabulis tam nouum, nihil in officinis Rhetorum tam sepositum, nihil in philosophantium exedris tam retrusum, nihil in gymnasijs Theologorum tam inuolutum quod homo memoriæ vi vno oculo ictu, vno intuitu non complectatur, ac videat; neque

ab eo

ab eo (si lubeat) aut gentium ritus, aut prouinciarum consuetudines, aut regnandi præcepta, aut regnorum iura, aut Sacrorum ceremoniæ, aut sacerdotum priuilegia, aut Magistratuum insignia, aut populorum scita, aut bellorũ euentus, aut bellandi documenta, aut triumphorum decora, aut denique triũphantium facinora excluduntur; cum neque sit ratio aliqua vel origine barbara, vel moribus efferata, vel longinquitate dissita, vel legibus inculta, vel superstitione impia, quæ memoriæ amplexus effugiat; dicitur namque homo ità quandoque memoriæ raptu simulque dono felicitate compleri, vt celeri cursu omnem terræ tractum peruagetur, atque in cœlum vsque conscendat, ibi solium diuinitatis pro libito contuens, beatarum mentium ordines enumeret, orbium conuersiones atque vertigines, stellarum lapsus, ex ortus & occasus speculetur, nuncque ad Orientem Solem conuersus, nũc ad Occidentem regressus alieni cęli sidera, nouas telluris fruges, inusitatas vitæ consuetudines, peregrinà gẽtium sacra, incredibilia artium ignotarum inuẽta rimetur, nunc etiam per sepulchreta licenter oberrans, eruta è cadaueribus intermortua penè facinora, iacentia à principum nomina, squalentes doctorum hominum lucubrationes immortalitati redonet; his & id genus alijs memoria sæpè hominem beatum facit.

At quænam fuerit vel naturæ sequientis iniquitas, vel miseriæ mortalitatis iniuria quæ tam luculentum, tam efficax, tam diuinum nobis patrimoniũ extenuauerit, diripuerit, exhauserit; quę hanc nobilissimam animæ partem infecerit, debilitauerit, infregerit non satis adhuc compertum est; neq; enim percipi potest, quommodo ità facilè ipsam naturam facti pęnituerit, vt etiam in se ipsam ferociens, partem in homine omnium stupore dignissimam, omnibus iniurijs spontè exposuerit, cum tamen eo modo quo terrarum eiectamẽta, gemmas scilicet potuit ea duritie solidare, vt nec vsu deterantur, nec ferro domentur, nec igne corrumpantur nec vetustate deficiant, eo inquam modo etiam memoriam necessarium generis humani bonum, quam in mollissima capitis medulla constituit, ad perennitatem durare potuisset. Et sanè ferendũ quodammodo videretur si ętatis tantum vitio memoria laboraret (quod sibi contigisse Seneca quærebatur) at in hac re illud onus importabile est, quod innumeris etiam præter ætatem periculis patet, legimus namq; Curioni incãtationes & veneficia, Messalæ Coruino morbum, Maximino Cęsari vini haustum, alijs lapidis ictus, alijs casus, alijs metus, alijs denique labores & vigilias aut labefactasse, aut penitus Memoriam ableuisse; ac si vias omnes, quibus interire aut profligari memoria posset malus quidam naturę genius data opera, consultoque labore inuenire voluerit; & licet multis ipsius naturæ vitijs dicatur homo obsistere posse, ita etiam vt vel omnino aliqua arte vincatur, aut saltem magna ex parte leniantur; ad reparandas tamen memoriæ ruinas nullum legimus apud priscos efficax excogitatum repagulum; pharmaca siquidem venarum sectiones, aliæque corporis exercitationes potius acerba dicta sunt obliuionis mala, ferique cruciatus, quam remedia salubria; illudque singula-

gulare fortunæ seù casus ludentis atq; illudentis portentum fuit, quo, referēte Petrarcha, factum est vt admirabilis Clementis Sexti Pontificis memoria ex vulnere capiti altè impresso tanquam armata ex Iouis cerebro Pallas exilierit; vt inde quoq; coniectaremus tantam esse memoriæ debilitatem vt nō nisi capitis languorem dolorem & vulnus parentē agnosceret, atq; memoriæ præsidia à solis supplicijs & tortoribus esse expectanda. Neq; hic ommittēda est stolida illi Caluisij Sabini diligētia à Seneca per otiū descripta, qua vt memoriæ securitatem sibi compararet, spontè seruorum seruus effectus est; cum enim venditandæ eruditionis libidine exarderet, nec memoratricē inueniret Simodinis artem, qua posset apud dicendi magistros inualere, poetarum versus seruorū memoriæ destinauit, Homericos vni, Hesiodicos alteri, Lyricos alijs, vt vnusquisq; poetæ sui versus, quoties opus esset, cum fide repræsentaret: Quin etiam olim in florentissimis eloquentiæ sæculis ità nota fuit memoriæ imbecillitas, vt Poetæ, Historici, oratores, & Philosophi omnes scriptis, & commentarijs ad eius præsidium vterentur; crebra namq; est apud Martialem, Iuuenalem Persium & Plinium iuniorem de eiusmodi recitatoribus mētio; atq; inter cœteros ne memoriæ defectioni succumberet Seuerus Cassius, quoties erat orationē habiturus, nō permittebat vt sibi dicēdi commentarius extorqueretur è manibus; quod deinde præstitere Cęsarū multi, & Augustus præsertim, qui licet & rerum gestarum & doctrinę opinione clarissimus cum sibi aut ad populum, aut ad Senatum, aut ad milites orandum esset, orationes habebat ex scripto, & plerumq; etiam priuata cum Liuia vxore colloquia referebat in commentarios. Ipse quoque M. Tullius Publij Sextij defensionem ex libello recitauit, & sic de cœteris, qui memoriæ diffidentiam eiusdem debilitatis experimento profitebantur; vsque adeò illustriores ipsi oratores ex memoriæ labilitate miseriam indicendo experiebantur; quidquid enim eorum memoriam præteruolabat, ad oculos erat opus reuocare, & quod cœca rapiebat obliuio, occulata sagacitas repetebat.



LEX



LEX PRIMA XXXVI.

AD

HOMINEM ETHICAE DOCTRINAE STVDIOSVM.



Omini, qui rationale animal est, nihil æque consentaneũ videtur, quam rectam rationem, quasi datam sibi à Deo facem vitæ ac vitæ ducem sequi, huiusque lege seù indiuidua sociante norma mores formare, honestas actiones colere, denique bene beateque viuere; qua propter ethicam doctrinam velut humanæ sapientiæ, atque prudentiæ altricem tenetur homo ipse studiosissimè amplexari, eo præsertim ductu, vt contaminata turpiter atque exuta vi quadam ipsius humanitatis innocentia primam illam, quam amisit, decoris atque integritatis speciem nanciscatur; ac propterea primi illi Sophi, quos seù diuinos venerabatur antiquitas hoc doctrinæ genus potissimum excolentes breues quasdam ethicas sententias ad aliorum eruditionem inuulgabant, quo faciliùs per aphoristica præcepta homines omnes eiusdem doctrinæ cultores euaderent iuxta consultissimum illud præceptum

Quidquid præcipies, esto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles.

vnde antiquitus vt author est Athenæus omnes etiam rudes & agrestes eiusmodi sententias ethicas perdiscebant, vt ijs velut legibus & præceptis aut malè acta corrigerent, aut malè agenda dimitterent; qua ratione etiam Hipparchus Pisistrati hæres, necessitate potiùs quam animo Tyrannus, cum eam sibi curam quam maximè putaret incumbere, vt populum Atheniensem ad virtutis studia excitaret, Mercuriales Statuas, quas Hermas dicunt, in triuijs & compitis erectas gnomis ethicis exornauit, vt in ijs præcepta vitæ quotidianæ legerent ciues, ac memoriæ consecrarent, quarum fortassis meminit Horatius ubi canit

Feruet Auaritia, miseraque cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
possis &c.

At licet Ethicus homo scire teneatur quinam fuerint ethicæ doctrinæ authores primi ac magistri, non tamen id adhuc satis compertum esse potest; plerique namque primum istius doctrinæ parentem referunt Thaletem Milesium, qui dum Cyrus Persas, Romanus Tarquinius, Solon Athenienses, Lydos Cresus regeret, huic scholæ principium dedit, cui postea, si Laertio fides habenda, successere, Anaximander, Anaxagoras, Archelaus magister Socratis, & alij deinceps; hisque valdè decepti comprehenduntur illi, qui vel Aristotelem, vel Socratem, vel Pythagoram disciplinæ eiusmodi inuentores effecere. Dictus est tamen primus ethicæ institutor Pythagoras, quia cũ priùs Philosophus iste egregius cęlestia tantum, resq; naturæ abditiores scrutaretur, postmodum scientia siderum relicta, in hanc solam visus est ruere, tamquam in artem ad rectè instituendam vitam homini saluberrimam; cum illa philosophiæ pars, quæ cœlestium notitia gloriatur, licet discurrentium interualla siderum radijs notet, licet fixas stellas distribuat in centurias, licet defectus solis, lunæque errantes gressus ciuitatibus denunciet; intereà tamẽ animum hominis fluxis hærentem rebus relinquit, nec despicientem ea, quę ante pedes euentis quotidie fortuitis obijciũtur, quod ferebat ægerrime Diogenes Cynicus: sicut etiam altera philosophiæ pars, quæ naturæ venatrix, rerumque occultarum indagatrix dicitur, quamuis cęli concaua & conuexa rimetur, atque oculis minime contenta, vniuersi fibras scrutetur intimas extra conspectum ab ipso Authore naturæ subductas, tamen humanarum perturbationum fontes, & vitiorum flexus inuolutos ignorat, nec latebras illas intrare penitùs audet, vbi se cupiditas, ira, incontinentia, & auaritia, & eiusmodi plura vitiorum mostra se recipiunt.

Hanc igitur philosophiæ partem præ cœteris excolere ac profiteri tenetur ethicus homo ita vt eos semper imitetur in Cebetis Thebani tabula delineatos, qui ad capessendum Deorum genus cęteris relictis studijs scientijs ac artibus ad septa huius doctrinæ remeabant; ac si esset Ethica doctrina illa ats arcana, qua ex Mercurio Trismegisto homines ipsi transferebantur in Deos, peracto illius geminæ portæ transitu, in quarum altera, vt testatur ex Platone Macrobius descensus animorum statuebatur, quo animi ipsi ad Lethæum deducti flumen, ibique malorum omnium bibentes obliuione ad superos purgatissimi conscenderent, de quibus canit Vrgil. 6. Æneid.

Lethęum ad fluuium Deus euocat agmine magno
Scilicet immemores supera vt connexa reuisa.

censebant enim veteres virtutis studiosos post obitum cęlum conscendere, atque ibi per erraticas oberrare stellas, vt in Saturno sapientiam, in Ioue agẽdi efficaciam, in Marte ardorem atque in reliquis planetis his similia nanciscerentur, quibus aquisitis in Deorum numerum & consortium transcriberentur, subdente adrem eodem Marone eodem loco

———facilis descensus Auerni
Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras

Hoc

Hoc opus, hic labor est. Pauci quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad sidera virtus
Dijs geniti potuere &c.

Et pręter hæc Pindarus in suis carminibus assiduus præceptor ethicus inter Elisios,& beatorũ Insulas canit viuere & lętati Achillem, Cadmũ, & alios Heroes præstantissimos, quos etiam appellat Deorum germina, sicut alios malè promeritos describit apud Inferos pęnas luere, & supplicijs torqueri.

Id verò potissimum ad colendam huius disciplinæ maiestatem, quæ diuinum propè dicitur sortiri decorem, hominem ethicum impellere debet, quod hæc vna à Platone inter scientias omnes scientia optimi vocitatur; imò facultas quædam & ars, quę sola dicitur reliquas omnes perficere & illustrare; cum sanè parum sit Indolem planè factam ad literas, scientijsque omnibus aptatam à natura nancisci atq; ad omne disciplinarum genus ingenium feliciter destinare, si irrepente in animum vitio atq; subeuntæ virtutis ignauia ingenium ipsum flaccesceret, deprauaretur indoles, & natura ipsa in benè agendo velut sancia contabesceret; nihil enim esset ætatem, quæ spontè consumitur per artes omnes & facultates singulas continenter atterere, si nulla spectaretur ex attritione illa felicitatis scintilla, nullus ex ethicæ doctrinæ lumine speraretur beatitudinis fulgor; nimisque laboriosum esset tot amplissima excurrere disciplinarum spatia, si tota vitæ ad virtutem segniùs currente semper illa distaret requietis meta, vbi labores nostros spes, nostras & vota amplissimo bonorum quæstu fœneramur; Qua de causa Lycurgum limen templi exosculantem hominem propè diuinum Oraculum appellauit Delphicum apud Themistium, ea solummodò ratione quod Ethicus potiùs quam politicus sanctas semper conderet leges atque sanctissima edictaret iura:

Ad mea templa venis domus opulenta Lycurge
Charus cęlitibus cunctis summoque Deorum
Sed mihi te ne Deum, an mortalem carmine dicam?
Incertum. at potiùs spe adducor dicere Numen

pluris enim facta sunt ab Apolline illarum documenta virtutum, quibus Spartam nactus nullis penè legibus vtentem, ad iustitiæ & pietatis officia traduxit, quam quod pluribus atque insignibus positus esset victorijs hostium copias & phalanges deleuisset, meliùsque quam Xerses totam Hellesponti regionem euertisset.

Ideò non solum Reges (vt præsensit Plato in Euthidemo) sed etiam supra Reges atque Imperatores Ethicos homines vocauit Epictetus apud Arrianum, quando exagerata Cœsaris potentia in pacando orbe atque eliminandis hostibus ex sola ethica disciplina propè diuinum Imperium ipsum sibi adscribi posse testatus; sicut versa vice Didonem Reginam alioqui sapientissimam, amisso semel huiusce disciplinæ nitore velut regio orbatam diademate deplorauit vates, dum tamquam compedibus Eneæ irretitam amoribus exundante perturbationum tempestate vsquequaq; iactatam

R 2 induxit.

induxit. Quinimo meminisse iuuat primum Regem, nostrumque parentem iam inde ab orbis exortu totius imperij benè hora tractasse, quousq; hoc disciplina coronante redimitus apparuit; at statim hac cęlestis iste ac planè regius occidit splendor, illico damnatus ad glebas pro rustico sentorio regum commutauit ædile; indeque simul supremi opificis simulachrum in ipso deletum ac penitùs obliteratum fuit, ac denique in omne miseriarum genus pręcipiti casu deuolutus est; & quantò omnes primatua dignitate anteierat animantes, tanto fædiorem in ruinam illapsus, miserrimam subijt viuendi consuetudinem sudoribus ærumnisq; scatentem, quæ omnia aptè satis Mar. Vict. expressit in Genes. illis carminibus

His illata dolis, hoc crimine nata subegit
Mens hominem culpa in cunctos manante minores
Quæ semel antiqua pulsis virtutis ab arce
Multiplicem lauta porrexit strage ruinam.

Atque hinc merito iure Platonici (Marsilio annuente) huic morum disciplinæ quam Ethicus homo vnicè debet profiteri, solis sedem appellarunt, sicut enim pereunte sole, occidere prorsum, nec vltrà collucere mutuata stellarum lumina ipsa lex naturę iubet, sic nihil pręfulgidum aut splendescens mēs illa gestare nequit, quæ huius disciplinæ splendoribus vacuata delitescit; nec secùs ab huius splendore ac lumine atque ab vno illo sole reliquorum siderum moderatore omnis lux, omne decus, omnis ornatus deriuetur, in splendidas illas artes atque disciplinas, quæ instruere animum hominis possunt; sicut contra eos omnes, qui istius disciplinæ lumen spernunt, vt aliunde splendescant, id prorsus agere (fatetur Marsilius) quod agebant Arcades illi, qui Lunæ fulgorem repetabant à stagno, vbi reflectebat, non à cęlo non à Sole perenni ipsius luminis fonte. Quin Iouem ipsum, quem fabulantur poetæ, non gemmato solum supremę diuinitatis solio ditadientem, sed etiam omniscium, testatur Hesiodus, ideò Mitem virginem, quæ rectæ vitæ morumque probitati præsidebat, præclaro sibi deuinxisse connubio, non vt è capite bibarbito Palladem cōsiliorum moderatricem effunderet, sed vt supremo orbis regimini prudentiùs atq; sapientiùs operam daret, quò aperte nobis indicetur nihili esse æstimandas artes cœteras, disciplinas atque facultates, si hæc vna lumini desit, nihil siquidem esset ars illa, quæ orationi moderatur, atque in sermonis cura, & diligentia versatur, quæ syllabas exigit ad vnguem, literarumque apices vel propagatione profert, vel amputatione castigat, si istius facultatis lege in vnaquaque re luxum inhibente, dicendi & scribendi libido non coerceretur oris vel calami excurrentis non restingueretur cupiditas; nihil esset benè dicendi peritia appositè suadere contendens, si homo eruta à venustate virtutis, aut à turpitudine vitij argumenta ignoraret, nihil possent commenta Pœseos tricipiti deterrentia Cerbero, Cocyti fremitum, Acherontis transuectionem, Rhadamāti iudicium de huiantia, nisi ex monstrosis illis inferorum imaginibus ad terrorem expressis inferret homo multiplices vitijs decer-

decerni pœnas, nimirum in fugitiuo Tantali lacu, atque fallentibus pomarijs auaritiam plecti, in rota Ixionis non minus Ixionem iactari, quam ambitum torqueri,& circumagi;in Titij dilaceratione miserrima,non tam ipsum Titiũ puniri & affici pęnis,quam dolore carpi & lacerari libidinẽ, & sic de reliquis; nihil denique esset Geometria rectam & obliquam lineam pertractãs, figurã quamcumque redigens in quadratum agellos & lati fundia dimetiens; nihil Astrologia quæ discurrentium interualla siderum,radijs notat, nihil venatrix naturæ scientia, si recti lineæ malè ducerentur in animo,si animus ipse fluxis nunquam emergeret rebus; si denique perturbationum fontes,atque inuoluti vitiorum flexus ignorarentur.

At hic miseram hominum conditionem indolet Dio Chrysosthomus orat 6. quod sensuum illecebris pellecti mortales vt plurimum istius doctrinæ studium negligunt atque auuersantur, tanto rectæ vitæ periculo, tanta morum iactura,tam certa animi pernicie,cum potiùs superuacaneas scientiarum bracteolos, teniasque leuissimas consectentur, ea omnia ignorantes, quæ in se ipsis admirabiliter condita sunt ad absolutę virtutis formam citò comparandam, inertia etiam ac stupore quodam accedente, quoad propria contemplanda sint semper hebescentes;diuinum eiusmodi intelligentiæ munus vertentes in infortunium; habent quippe excellentes animi, mentesque mortalium vltrò prouocantem ad virtutem & laudabiles actiones incitationem, sed si Ethicæ doctrinæ facultate destituantur,quidquid erat inchoatum in ipsis propemodum cunabulis statim occidit; ac funditùs euanescit.





LEX XXXVII.

AD HOMINEM RECTÆ VITÆ INSTITVTOREM.

DElineatur hic homo, qui ad rectam instituendam vitam, non aliorũ tantum, sed suorum quoque morum, atq; proprij animi notitiã studiosè capessit; cum enim hominem quemcumq; iudicio suo alienos tantum mores ad censuram & trutinam reuocantem proprijs dimissis facilè hallucinari deprehendamus, idcircò vtrinque lumen & normã vitæ regendæ decerpere, eidem homini, quicumque sit, optimum erit, eò tamen potissimum itinere instituto, captaq; agendi via, vt antequam de alienis moribus iudicium ferre sibi arroget, proprios non modo compertos & exploratos habeat, sed etiam emendatos, si sint emendationi subijciendi cum id diuturna experimenta apud multos obseruatum sit, hominem in se ipso probum, probè etiam de alijs iudicare, nec malum vnquam suspicari; ea siquidem quæ in nobis amamus tam bona, quam mala, vel ideò tantum quia nostra sunt, in alijs quoque, vel si adsint, amemus, vel si non adsint, saltem adesse fingamus, adeò

Stultus & improbus hic amor est, dignusque notari
Quod sibi quisque ignoscit.

quod ad rem scitè canit Horat. 1. Sat. 3. Quo fit vt nemo virtute prædicus, alium se deteriorem esse, neque vitijs pollutus se meliorem quemquam esse posse facilè credat; quod Tiberij exemplo apud Dionem Cassium satis declaratum est, cum de innocentissimo Germanico malè iudicauit, cum ipse malus esset, & etiã Claudij Neronis apud Suetonium qui, quia ipse impudicissimus erat, persuasissimum habuit nullum hominum esse pudicum, aut vlla corporis labe solutum: cuius rei ea potissima causa est, quod cæco quisque ad iudicandum feratur impulsu, exoculata nimirum ducente, seù potiùs abripiente cuiusque animi propensione, quemadmodum optimè exemplo suo exprimebat Martialis aduersus Sabidium, quem ferre atq; sustinere non poterat

Non amo te Sabidi; nec possum dicere quare
Hoc tantum possum dicere, non amo te.

hæcq; etiam eadem causa fuit, quæ tot sapientes & Philosophos permouit, vt vbiuis potiùs, quam inter ipsos homines in humanorum notitiam morum peruenire posse existimarent, & idcircò ab humano consortio se abducentes, secessus & latebras quærerent, quibus non tantum se ipsos abderent & occulerent, sed attentiùs quoque atque studiosiùs sibi ipsis vacarent.

Vt tamen de vitæ actionibus intemeratè statuere homini omnino integrū sit, nulla ratione à nobis ipsis, aut ab ipsa humana vita recedendum est; eoque splendidiori lumine nos ipsos & alios intuemur, vt benè instituamur, quo apertiùs aliorum acta nostris simillima ex veterum monumentis nobis ipsis proponimus amplectenda aut fugienda; dicitur namque historia vera lux veritatis, memoriæ vita, ac vitæ magistra; in qua neq; propter gliscentem amorē, aut adulationem vera supprimuntur, neq; propter æmulationem aut odium falsa de hominibus narrantur, vt inter viuos vsu fieri sæpè videmus; nec potest non de ijs qui suo Fato, & inuidia defuncti sunt, rectissimè & ex veritate statui, cum sit notum illud Ouid. 1. am. el. 15.

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit
Tunc suus ex merito quemque tuetur honor.

Et hinc præsertim rectæ vitæ institutori optimè consultum semper habebitur, si exactè illa sæcula lustret atque inspiciat, quæ quanto longiùs à nostris absunt suæ origini propiora, tantò etiam magis integritatem suam, atque incorruptam simplicitatem in suis annorum curriculis ac decursibus exhibent; & licet selecta quoque virtutum exempla nostra referant tempora, vix tamen fieri posse videtur, vt tot ex recentibus quot ex vetustis virtutum monumenta recolamus; quocirca meritò historiæ præsertim vetustæ illud debetur encomium, quo eam Diodorus Sicul. exornauit cum dixit, veterem historiam esse virtutis hominum memorabilium custodem, testem improbitatis malorum, beneficam denique in vniuersum genus humanum; & quamuis ibi potiora suppetant eiusmodi hominum exēpla, qui in Rebuspub. præstantiores dignitate præfulsere, quique ex publicarum rerum administratione se conspiciendos ac pernoscendos exhibuissent; aliorum tamen etiam inde virtus affulget, quam posteri omnes rectam viam, & vitam capescentes possunt imitari.

At etiam quantum humanis moribus ac rectæ vitæ instituendæ prosit seu conferat natura præter exteriora illa adminicula, quæ ex actis alienis nancisci solemus, operæ pretium est hoc loco inuestigare; atq; id primum obuium esse debet hominem omnem duplici substantia partitum in varias quoque distrahi agendi facultates atque operationes, quarum aliæ purè animasticæ vocantur, aliæ verò ab anima simul & corpore prodeuntes; atque cum ex fatali illo primorum hominum lapsu confusa penitus atque permixta appareant totius humanitatis officia, sintque ipsius naturæ vires, si non funditùs ablatæ, non modicè infirmatæ atque deprauatæ, contingit inde necessitas quædam ad rectæ vitæ institutionem morumque perfectum cum ratione

con-

conformationem primùm eiusdem naturæ studiosè corrigendæ atque emendandæ; & licet non adeò acceptum sit liberos animi mores corporis temperamentum sequi, (quod tamen plerique putarunt) non est tamen negandum omnino etiam nobis inditam à natura temperiem ad honestè vel prauè agendum quam plurimum valere; quo sanè spectarunt illi omnes, qui ad connatos nobiscum mores mutandos non exigui roboris esse primam à teneris annis institutionem docuere, atque

—— Adeo in teneris consuescere multum est

vt aliquando prima educatio animum in diuersum, quam à natura adeptus est, habitum transformet; cuius rei exemplum (ait Cornel. Nepos) optimè eluxisse in Dione Syracusano optimæ indolis adolescente quem Dionysij Tiranni mores deprauarunt; Sicut contrà Themistoclis vitia ineuntis adolescentiæ adhibita institutione magnis sensim emendata virtutibus defecere. At quam potens sit ipsius naturæ vis siue ad bonum in homine conciliandum, siue ad malum concitandum ex eo apertissime liquet, quod licet multa ad vim naturæ eneruandam conueniant, atque conspirent, ipsa tamen semper magis ac magis eualescit; hacque sola ratione sapientissimè Seneca epist. 11. pronunciauit, nulla sapientia naturalia corporis & animi vitia omninò euelli posse, sed quidquid natura fixum & ingenitum leniri quidem arte posse, non vinci; cuius doctrinæ congruit quoque illud Iuuenalis Sat. 13.

——— Ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari nescia.

In id verò rectæ vitæ instituendæ cura præsertim conuertenda est, quod examinandum suscepere Philosophi & Sapientes omnes, cum humanos cognoscendi mores viam ingrederentur, quod est virtutum æque ac vitiorum naturæ accurata disquisitio, quæ tamen ex ipso lumine honestè vel praue agente eruatur; quid enim prodest subtiliter inquirere, quid virtus vel vitium sit, quæ eorumdem differentiæ vel species sint, si nō prius constiterit, quanta hominibus insint, quam diuersos & effectus differentias in illis, quibus insunt, aut concitent, aut saltem concitare possint; non enim morborum humanorum causæ nisi ex eorumdem in homine inspectione deprehenduntur, neque ijsdem medendi ars, nisi ex varia obseruatione inuenta est. Cęterùm licet inde morum cognitio petenda sit, vbi vita ipsa in bene actis & agendis firmatur ad eamdem tamen vitam optimè instituendam maximè vsus & temporis obseruatio, sine qua experientia & prudentia ad honeste viuendum adeo necessaria difficillimè comparari potest; quod quidem etiam in pluribus theoreticis philosophiæ partibus valere certum est, cum in practicis vix vlla nisi ab exemplis ac vsu confirmata ratio obtineat; hincque illud ortum est inter sapientiam & prudentiam à Philosophis probatum discrimen, quo fieri Aristoteles ait, vt non Anaxagoras & Thales, alijque qui sapientes vocabantur, prudentes æquè haberentur, quandoquidem fortasse compertum erat, eos quis tam multa sciebant, illa nescire, quæ in humana vita vtilia ac ne-

necessaria forent; quos ex hoc etiam redarguere videtur Seneca in epist. 98. vbi conqueritur eos non præferre lumen, per quod acies dirigatur ad verũ, qui diligentiùs loqui, & disputare, quam viuere docent, magisque scholæ dant præcepta quam vitæ, & denique philologiam faciunt, quæ fuit Philosophia.

Ita cum constet hominem animal esse inter cætera multiplex, adeòque vitia, quæ idem nomen habere, multiplicem pro eorum, quibus insunt, ingeniorum diuersitate naturam habeant, non possunt ex eodem cuiusdam; aut quorumdam vitio, illius vitij natura vniuersa coniectari, aut signa peti, nisi intimæ quoque ad ea propensiones prænoscantur; præsertim cum vitia ipsa non tantum sint plerumque virtutis imitantia, sed & virtutibus ipsis affinia atque simillima

Et mala sunt vicina bonis errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpè tulit

quo fit vt suam quisque volens vitam instituere facilè in errorem impellatur, nec bene in se ipso iudicet, quæ sano iudicio essent adiudicanda; ac propterea errasse perhibentur Stoici cum Seneca & Cicerone, qui Catonis factum, quo sibi mortem consciuit, laudi ei verterunt, cum tamen potiùs vitio vertendum esset, licet velut virtus apparuisset; quapropter ante omnia animaduertere debet rectæ uitæ institutor, ne personatæ uirtutis colore deceptus uirtutes illas ducat aut æstimet, quæ potius uitiorum albo adscribuntur; nec contra statim in vitiorum numero ponat, quæ aliquam cum vitijs cognationem prima fronte videbuntur habere, sed singula priùs haud perfunctoriè excutienda sibi proponat, ut metam ueræ cognitionis attingat; plerique siquidem inueniuntur, qui & vitia dissimulatione occultare, & virtutes callidè simulare nouerunt.

Potissimum uerò ad rectæ institutionem uitæ impedimentum inde contingere docebat Plato, unde nimia animi cum corpore cognatio, & affinitas in hominibus exurgit; visum siquidem aliquibus est, præsertim vetustioribus Platonicis animas hominum ante corporum effectionem stellarum numero pares in cœlestibus habitasse; inde per lacteum circulum ad hæc inferiora delapsas, alis effractis, nouaque ebrietate trepidantes in corpora tanquam in ergastula fuisse detrusas, atque ex ea ærumnosa corporum societate quandam animis ipsis labem adhæsisse, qua à capessenda vitæ rectitudine retraherentur, cursusque omnis ac volatus ipsorum ad metam virtutis impediretur, ad hæc annuente etiam Virg. 6. Æneid. Vbi de animis nostris disserit in hunc modum

Igneus est ollis vigor & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque nec auras
Respiciunt clausæ tenebris & carcere cæco.

quæ

quæ à Platonicis & poetis prolata, ne in speciem tantum elegantiæ, uel ad orationis lenocinium censeantur dicta, potest etiam conueniri Plutarchus in eo libro, in quo desidiosos Epicuræorum mores exagitat, sententiasque conuellit, ubi disertissimè ostendit omnia uirtutis impedimenta perturbationes quasdam esse ex sola corporis consuetudine transcriptas in animum, qui cùm suapte natura à rerum corporatarum concretione sit segregatus, nisi mortalitatis pondere retardaretur, semper ad suprema conuolaret; alæ siquidem, quas vtrique ad volandum affixit animæ Plato, cognati corporis pondere prægrauatæ ad volatum, atque ad captum virtutis explicari non possunt, cum sit notum satis illud Horatij

Corpus onustum

Externis vitijs animum quoque prægrauat vna.

hincque ingenioso commento Venerem finxit Porphyrius Erotem genuisse pulchrum oppidò pusionem, qui matrem ipsam elegantia formæ ac pretio venustatis æquaret; Themidis tamen Oraculo monitam Anterotem edidisse amorem amori ex omni parte germanum; quibus in fratribus tanta consensionis seù cognationis vis esset, vt altero crescente cresceret alter, ægrotaret ægrotante, decumberet decumbente, moriente moreretur; quo pulchro animi & corporis simulachro intelligeret homo rectæ vitæ institutor animum diuinę sapientię molimine corpore exceptum eius contubernio mores quandoque induere ità corpori proprios, vt in naturam corporis commigrasse dicatur, indeque ad capiendam virtutem impotentissimum reddi; quod etiam in causa fuit, vt ex tam arcto inter animam & corpus necessitudinis vinculo amentiam in pueris, in senibus deliramenta, furores in alijs hominibus excogitauerit Galenus, eòque tandem deuenerit, vt nescire se quid esset anima, alicubi fassus sit.

Postremum denique ad rectam institutionem impedimentum inde manare debet agnoscere vnusquisque ad thronum virtutis conscendens, unde animus ipse in sua simplicitate quodammodo multiplex, diuisus, ac multiformis apparet; eā etenim dumtaxat diuisionis ratione dicitur animus impediri vnū sequi rationis lumen, vnum prosequi agendi modum, unum denique virtutis centrum ac metam constanter oppetere; non ità tamen esse animum humanum diuisum ac multiplicem censere debet, quemadmodum arbitrabatur Araspes Panthreæ captus amore apud Xenophontem, qui cum redargueretur à Cyro, quod toties in bellis victor, cupiditati tandem atque æstuanti libidini cessisset victoriam, crimini suo philosophicam quandam obtendens laruam dixit duas sibi animas esse, quarum altera bona esset, altera mala; in hac enim sententia quæ cęca omnino est, vtpote hausta ab amore mente simul & oculis capto non est excipienda illa animi multiplicitas, quam velut impedimentum ad aquirendam virtutem adstruit cum Platone rectæ vitæ institutor, sed eo tantum argumento intelligenda est, vt quamuis anima hominis simplex sit, indiuidua ac longissimè ab omni partium distributione seposita, à du-

duplici tamen appetitu non abhorrens, quorum alter à ratione, alter à sensibus nomen accepit, hac sola ratione dicitur quodammodo diuisionem pati, atq; ad rectè agendum impediri; exemplo Centaurorū, quos olim ingeniosa excogitauit Antiquitas, qui cum vna res essent, caput tamen & pectus ad humani corporis formam gerebant, reliquæ verò partes insueta rerum permixtione transfundebantur in equum; quod sanè optimum erat hominis simulachrum ex partibus inter se discrepantibus coalescentis in vnum, dum ratio in humani capitis arce tanquam in nobili Capitolio (vt ait Calcidius) imperiū tuetur suum, sentientis autem animæ satellitium, belluis etiam natura commune, reliquis monstri partibus delineatur; Quò etiam trāsferendi sunt equi Platonici currus, quæ animæ Plato fabricauit in Phædro, vbi velut aurigam homini imposuit mentem omnium perturbationum moderatricem, & ex iugalibus equis, ille, qui naturæ bonitate præcellebat, rationis appetitum referebat, alter verò intractatus ac contumax partem animæ sensuum motionibus agitatam exprimebat; eo prorsus mysterio, quo Ægyptij pro templorum vestibulis Sphingem adhibere solebant, cuius egregia forma Virginem vultu mentiens, in auem paulatim, inde postrema corporis parte in leonem degenerare videbatur, vt triplici illo dissidentium partium portento variam hominis rectè instituendi facultatem nobis ob oculos ponerent, indeque coniectaremus quam difficile esset hominem in immanem feram ex perturbationum colluuie declinantem bené instituere, corrigere atque emendare, cognitisque tot malorum fontibus, malis ipsi facilius occurrere posset rectæ institutor vitæ.

).(





LEX XXXVIII.

AD HOMINEM RECTE INSTITVENDVM.



SVmma est optimæ motum institutionis in hominis vita si à primæuo infantiæ & Iuuentutis exordio fundantur aut recipiantur semina virtutis toto vitæ curriculo exercendæ, ideo docebat egregiè Seneca lib. de breuit. Vitæ, rectam à teneris annis morum institutionem primam, secundam, & tertiam vitæ partem esse, qua deficiente vera deficit vita; hæc est illa temporis opportunitas in bonum contendentibus quærenda, quam dicebant Pythagorici primam esse & optimam causam, à qua omnibus bonum adest, eo quod à rerum initijs pendeant exitus, vitæque primordijs fines respondeant iuxta illud Manilij in 4. Astron.

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege
Longaque per certos signantur tempora cursus
Nascentes morimur, finisque ab origine pendet

quod etiám tradebat Plutarchus in lib. de educandis liberis vbi ad virtutis opera toto tempore obeunda, ait, addendam esse naturæ ab initio eruditionem, & disciplinam; eo modo quo in agrorum cultura non satis est fæcunda tellus, sed vltrà tellurem optatur Agricola, optantur effusa semina, quæ suo tempore reuocentur ad frugem; eratque monitum etiam Phocilidis Poetæ

Dum tener est gnatus generosos instrue mores

addente ad rem Horatio

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diù.

Tantam verò esse probam morum institutionem ab initio vitam capescétibus iniectam agnouit Plato in lib. de rep. vt non vereatur asserere inanes planè fore omnes rectè conditas leges, si in vrbe malè morati iuuenes instituerentur, nihil excellentiùs aut diuiniùs esse, quam si Resp. omnes consulant



& laborent, vt vigeant in adolescentibus cœterisque viris virtutis dictamina, iuraque dominentur & leges honestatis; Est enim homo vix natus Protheo similis omnibus planè formis suscipiendis opportunus, quæ sint portenta malorum, vnde ne vix in primam susceptus lucem tenebras induat & vitium, in quod suo quasi pondere videtur incumbere, statim muniendus est institutione recta, qua à præcipiti loco spontè ruentem natura ipsa retrahat pedem; viuit enim homo etiam prima sui ortus infantia in diuersorio Cyrcæo, vbi veneficis poculis ad nutum maleficæ in iumentum commutatur, nisi virtutis adiumento eius imbecillitas roboretur, vitamque ipsam velut procellosum mare, syrenum etiam cantibus infestum percurrit, vbi illecebris ipsi demulcentibus ad necem semper præsto adest naufragium; Idque iam omnibus exploratum est absque vitæ probitate, morumque institutione recta difficilimè tot aduersorum incursantium insidias posse declinari; Quæ vt Plinius magis ad probet, de natura ipsa conqueritur, quod etiam in prima nascentis roboris spe, & in primo, quo vitæ auras captamus temporis munere, quadrupedibus similes effecerit, dum vitiorum impulsibus solummodo acti atque circumducti, nulla obstetricante virtute in brutalia monstra degeneramus.

Id etiam primigenia naturæ culpa, qua nascentes omnes vitam ingredimur, factum est, vt in hanc lucem venientes serui statim, atque quodammodo multiplici ratione captiui efficiamur, nec alio sanè, quam rectæ institutionis beneficio reddimur liberi, & ferrea solummodo soluimus vincula benè vsurpato aureæ rationis imperio, quo etiam dicitur hominum infantia inter teneros ac veluti pampinantes affectus sollicita sarritione, atque assidua putatione ad regimen libertatis fortunari, etenim

Blandior ad falcem messor perducit aristas
Si rastris segetem pectere continuet

Sicut etiam sola & longa probæ vitæ assuetudine liberum se agnoscebat sapientissimus ille, in quo indolem lasciuientem suæ natiuitatis in temperantissimum vitæ genus commutauit virtus, exemplo quidem illi nimis aduersante quem de filio Zenonis Romanorum Imperatoris adducit Suidas, cui vt regimen omne, omnemque sibi & alijs imperandi potestatem detraherent quidam Imperatorij Proceres Sybariticos luxus bonam indolem sollicitantes assiduè proponebant, quorum lenocinijs citò simul ab Imperio detruderetur, & vita; Ideò bene iubebat Socrates, vel non esse procreandos filios, vel si gignantur & procreentur, oportere parentes esse de eorum cura valdè sollicitos, ut bonis moribus instituantur, idque est quod monet Plutarchus in liberis educandis, vt soboles generosa non nascatur solum, sed etiam ad magna enutriatur, inde enim (inquit ipse) in homine assurgit indigentia optimæ morum institutionis, vnde

praua totius ætatis opera, velut ex fontibus solent corriuare, cum verò tres sint in eodem homine omnium malorum fontes & origines, corpus nimirum, appetitus, & ratio, tria quoque per uitam bene moratam sunt obijcienda repagula, ne vsque ad totius boni internecionem exundent, omnemque in recta propensionem extinguant; ratio siquidem, quæ in homine omnia velut dux imperat congruente disciplina, atque agendorum regula munienda est ne exorbitet à recto, quod etiam suo modo statuendum est de appetitu imperatis obtemperante, & de corpore imperata exequente.

At eo potissimum bene instituitur & corrigitur hominis vita, quo effrenes motus ab hominis appetitu iugiter erumpentes solent validiùs coerceri, idque est assuetudo bona omni ætatis tempore virtute firmata; eo etenim modo quo mala consuetudo hominem facilè mutat & vertit in belluam, quemadmodum de Sardensi quodam narratur qui elapsus a parentibus, in Syluam se recepit Ceruorum gregalis, & socius, quorum ritu diù viuens, manibus pedibusque gradiens, eodem etiam pabulo vescens à Rege venante captus, atque parentibus restitutus non potuit diù apud ipsos detineri, quia iterum euadens, syluestria rediret ad pascua; ità assuetudo bona ad vitam rectè instituendam aut corrigendam fortis adeo esse solet, ut belluas ipsas conuertat in homines; propterea bene a Gorgia assuetudo bona dicta est quædam in omni natura reparatio sola potens primæuam naturæ ad malum propensionem obliterare; transit enim assuetudo bona in alteram naturæ legem, qua in ipso appetitu ius bonitatis acquiritur, & vbi viuit medullis quod necat, ubi alta viscerum turbantur (vt ait Ennodius) uis opposita adhibenda est, quæ dicitur assuetudo bona; ex qua etiam ait Seneca in 1. Suasor. omnibus gentibus, & Rebuspubl. orta esse suarum dignitatum decora, & ornamenta.

Fluctibus semper iactata est assuetudo mala, atque in oceano vitiorum mos improbus naufragium passus est; sola virtus pacem nouit, serenitatem, uitæ securitatem; indeque habet Animus noster quod gratuletur sibi, si bene ab initio assuescat virtuti, nec aliud quam assuetudo bona animos fecit in Alexandro, modestiam in Augusto, Clementiam in Cæsare, Temperantiam in Traiano, liberalitatem in Tito, mentem incorruptam in Curio, secreti tenacitatem in Pompeio, militarem disciplinam in Metello, continentiam in Scipione, vigilantiam in Mario, solertiam in Hannibale, animi moderationem in Fabio; Sicut contra assuetudo mala sola fuit, quæ Alexandrum ebrietate, Cæsarem ambitione, Syllam vindicta, Neronem crudelitate, Antonium libidine, Claudium intemperantia, Domitianum superbia fœdauit.



O felix

O felix hominum genus
Si vestros animos amor
Qui cœlum regitur regat

ait Boetius; sed ego addam ab initio, antequam praua inficiatur animus viuendi consuetudine.

Potissima verò viro benè morato cura debet esse, vt improborum consuetudinem fugiat; magna enim pars probitatis est à noxio cætu recessisse, non quod virtutis magistra semper sit solitudo, sed quod vbi adhortatur, ductor, & comes ad vitia est, ibi vir probus esse non potest; tantumque ad ingenerandam malignitatem malorum hominum consuetudo valet, vt qui malos socios sustulerit, vitia etiam sustulerit, cum nemo sit qui solus improbitatem explicet aut vitia sua in parietes effundat; etiam pacata ante maria, si socij accedant interturbantes venti statim in iras insurgunt, & nocituras minas; quin etiam pacatissima flumina, quorum lentitudo oculis ipsis eripit cursum, si incubent venti, statim exurgunt in fluctus, & mansueta illa, elementa, quę ouium instar ignorare motus videbantur, in leoninas exasperantur iras. At noxia præsertim viro benè morato muliebris consuetudo est, nam vt improbitas desit, forma rapiet, oculique etiam casti non castè ferient. (Longè fac à muliere viam tuam) inquit Salomon. 5. Prouer. (& ne appropinques foribus domus eius) quid diceret sapientissimus vir de mulieris contubernio atque familiaritate? quid de lasciuiore acu per crispatam comam luxuriante? quid de curiosa oculorum iactatione, dum in oculis ipsius captiua virorum mens tamquam in triumphum ducitur? quid dum omnium obtutibus vbera prostituuntur, vel velo non integente pudorem, sed decorem mentiente omnium ignib. obijciuntur; veriùs omnium virorum glacies & frigora soluunt, & in fornaces vertunt? nihilque aliud sunt inuitatoria illa libidinum quam folles ignibus excitandis adaptati.

Neque eorum consuetudine vir benè moratus debet oblectari; qui facili negotio in iras, odia, & cædes exardescunt; quisquis enim eiusmodi furentes impetus cohibere non valet, valdè distat à virtute, quæ animi furentis moderatrix est; impellunt siquidem iracundorum consuetudines ad pœnitenda, & sæpè etiam cogunt ad ea, quæ nullam emendationem admittunt, nullisque lacrymis elui possunt, cum semper serus post sanguinem mæror sit.

?)·(?



LEX XXXIX.

AD

HOMINEM RELIGIOSVM.

EAM virtutem, quæ omnium moralium eminentissima dicitur, vtpote diuinum respiciens cultum, rerumque supremarum venerationem exposcens, hoc loco delineamus, tantaque est in hac virtute prestantia, vt sola potens sit hominem ipsi Deo insolubili vinculo in æuum religare, ex quo etiam religio dicta est; quæ etiam tanti facta est apud Veteres omnes, vt dixerit Plut. lib. aduersus Colotem, in quacumque apud Veteres ipsos legum constitutione, velut rem primam & maximam positam esse de Dijs opinionem, præsertim à Lycurgo apud Lacedæmonios, à Numa apud Romanos, ab Ione apud Athenienses, & denique à Deucalione apud Græcos ferè vniuersos, apud quos populi primùm votis, iuramentis, sacrificijs, vaticinijs, oraculis, & id genus alijs ad religionem spectantibus consecrati sunt. Pertractatur verò hic religio vt virtus purè naturalis & moralis, ea scilicet ratione, qua Philosophi munus est solius naturæ lumine ducti, Deique cultoris omnem virtutem pertractare; illam enim altiorem religionis perscrutationem, quæ Theologis Christianis ex luminis infusi directione Philosophantibus propria est, huc accersere, non sinunt fines huius instituti; & licet quidam extiterint Philosophi quidam apud Lact. 2. Institut. qui omnem eiusmodi virtutem abrogato omnino Dei cultu sustulere, vt plurimum tamen errorem hunc detestatæ Philosophorum Scholæ, quod latè docet idem Lactantius. Sigillatim verò omnes religionis actus recensere & expendere infinitum propè esset, cum innumeræ sint hominis actiones partim internæ, partim externæ, quæ possunt in diuinū cultum vsurpari; quin etiam feriatio, & cessatio ab opere potest in diuinum cedere cultum, atq; ex eo fine assumi, vt velut idoneum ad exercendos actus diuini cultus medium exerceatur. Atque inter actiones quib. Deum colimus, numerantur actus pleriq; externi & corporei, quib. tanquam notis submissionis ex affectu colendi expromptis, tantam maiestatem quam veneramur, non animo dumtaxat, sed etiam corpore obsequimur, cum. n. non solo animo, sed

etiam

etiam corpore constemus, decet proinde aliquid etiam ex parte corporis in Dei venerationem conferre; ac propterea ad eiusmodi cultum non solum interiorem, sed etiam exteriorem obstrictus fuisset homo, si in statu puræ naturæ conditus esset, atque ad solam Philosophicam sanctitatem creatus, quidquid blaterent Ethnici quidam omni impietate celeberrimi, omnem externum cultum, ipsamque etiam vocalem orationem abolere pertentantes.

Initio igitur ducto à rebus, quib. religiosus homo vsurpat aliquid ad Dei cultum iuramenti seu adiurationis modos in exercenda religione proponimus; Ethnicis.n.quoque ità sactum ac religiosum dicitur fuisse iuramentum, vt illud solo ducente ac prælucente naturæ lumine sub nomine sacramenti vsurparent; nomen quippe sacramenti significabat apud ipsos militare quoddam iuramentũ, in quod adigebantur, qui nomina ad militiam dabant; vnde & sacramento solui dicebantur qui eo iuramento liberari exsoluebá ur militandi onere; quemadmodũ etiam Sacramentales à iuramento dictos legimus eos, qui quamuis rei, de qua quærebatur testes ipsi non fuissent, tamen ex eius animi sententia, cuius res agebatur, de eius probitate confisi in eadem cum illo verba iurabant; Vel solo igitur naturæ lumine ducti Ethnici Sacramentum siue Iuramentum vsurpabant ad aliquid confirmandum, rati conciliari inde honorem Numini iuxta illud D. Ambrosij Epist. 30. contendentis non restituendam Victoriæ aram ad præstanda iuramenta, quod Symmachus flagitabat; Quin Aristoteles ipse Iuramentum appellauit rem honorabilissimã, quia scilicet fit in Dei cultum, eiusque potentiam profitetur; ac propterea ad contestationem inuocari Dei vindicis, si fraus necteretur, habemus contactos iurantis oculos ex puero iurante apud Petronium; quemadmodum etiam alius libidinum magister de periura quadam muliere dixit

Perque suos illam nuper iurasse recordor
Perque meos oculos & doluere mihi.

Hincque benè dictum est Deum maximè coli & honorari per iuramenta tãquam per religionis instrumenta; verè.n.dicitur honorari Deus, cum tamquam suprema veritas fallere & falli nescia, & profunditatis cordium rimatrix adsciscitur in ad promissorem, sponsorem, vel testem; & propterea nõ nisi per Deum iurare fas est; ex quo ortæ sunt quamplures veterum Christianorũ vexationes, quod nollent per Cæsarẽ, eiusuè genium iurare vt est apud Tertull. Apolog.c.32. & licet interdum creaturæ assumantur ad iurandum, non in se aut ex se dicuntur assumi, sed vt ad Deum relatæ, & vt aliquid eius; in quem sensum etiam Porphyr.3.de abstinent.interpretatur iuramentum Socratis per Anserem, & Cretensium à Rhadamanto edoctorum, per omnia animalia; nec aliter Nicetas ad orationem Nazianz.44.interpretatus est quod ibi à Theologo proditur de iuramento Pythagoræorum per quaternarium. Ad eumdem modũ Iudæi pleriq; per templum iurabant, tamquam per Dei domum; quod legitur etiam apud Martialem sub finem li.11. vbi Verpa quidam, qui Hierosolymita seu Iudæus perhibetur, iurasse profertur per templa Tonantis

Ecce negas, iurasque mihi per templa Tonantis
Non credo, iura, Verba, per Anchialum.

Quomodocumque diuinum nomen in iuramento vsurpetur, ita à religioso viro vsurpari debet, ut solummodo contestantis confirmetur ueritas, uel pollicentis concilietur firmitas in ipsa promissione postea implenda, ne voluntas neglecti Dei contemptũ auersata resilire audeat; qua ratione Deus in iuraméto tantum assumi debet, vel vt testis assertionis quæ fit, vel ut sponsor & fideiussor præstandæ suo tempore executionis; ex quo etiam habetur quanta esse debeat iuramenti sanctè, & piè adhibendi cura, eiusque non violandi religio, cum tam arctum sit eius uinculum pro reuerentia Deo debita, vt siue assertioni simplici, siue promissioni, aut assertioni de futuro accedat, eã semper indubitatam, & undecumque firmatam reddere creditum sit etiam apud Ethnicos, qui nullum vinculum ad astringendam fidem iureiurando arctius esse voluerunt, quod satis indicarunt leges in duodecim tabulis, indicarunt Sacra, indicarunt fœdera, quibus etiam cum hoste deuincitur fides; indicarunt notationes, animaduersionesque Censorum, qui nulla de re diligentiùs, quam de iuramento inquirebant; & etiam apud Suetonium refertur Eques Romanus qui noluit vxorem dimittere, quem in stupro inuenerat absque Tiberij dispensatione, cum primum se numquam vxorem repudiaturum iurasset.

Alia quoque sunt religionis testimonia, quibus cultum erga Deum solet contestari religiosus vir, quæ tamen eo modo adhibenda sunt, vt potiùs verã adorationem, quam superstitionem ostendant, cum ex ipsis verus honor Deo sit exhibendus; ac propterea apud Veteres adorationes quædam omnino ridendæ atque superstitiosæ habebantur, quemadmodum fuit illa, qua manu ad os admota post contracta sigillaria totum circumagebatur corpus, cuius meminit Lipsius 6. electorum c. 6. & Plin. li. 28. c. 2. quem adorandi modũ iure improbat Plutarchus in vita Numæ, vtpotè factam ad imitationem cælestis motus; qua ratione improbata addit aliam ex mente sua, quod ea esset templi positura, vt ingredientis, & Numen salutantis facies ad occasum obuerteretur; ideoque ait salutato Numine, circumactum fuisse precantis corpus, vt pars mundi, vnde Sol oritur, veluti salutaretur, indeque ad precationem perficiendam fieret regressus; Addit etiam rationem aliam, significatum fortassis ea mutatione & rotatione corporis omnia in orbe rotari, & nostrum esse id solummodo à Deo flagitare precibus, vt vbi velit Deus, ibi quiescat vita; quò etiam referuntur Ægyptiæ illæ rotæ quæ detinebantur in templis, quas commemorat Clemens. lib. 5. Strom. Ex quibus Antiquorum moribus & exemplis id colligendum est orationes, preces & vota esse religioso viro velut religionis testimonia in Dei cultum, & honoré adhibenda, ac propterea eiusmodi actus honestissimos esse, & quam maximè laudabiles; ideoq; cordatiores Ethnici preces & vota in suis cultib. ingiter frequẽtarunt, tãquã actus diuinæ venerationi peridoneos, aptissimosque ad exorandũ Deũ, à quo

omnia

omnia in nos bona deriuari non ignorabant; nominatim verò Aristotelem sapientissimum virum pro ægrotantis Nicanoris incolumitate precatum esse, & vota nuncupasse memorat Laert. in eius vita, dixitque de Socrate etiam Max. Tyr. dissert. 30. quod in Piræum ibat quotidie vt preces funderet, nec aliam fuisse Socratis vitam, quam perpetuam precem; qui etiam asserebat, testante Val. Max. lib. 7. nihil vltra à Deo hominem petere posse, vel debere, quam vt tribuat bona, eò quod solus norit, quæ nobis conducibilia sint, quęque petenda, aut peroptanda; eoque nomine dicitur Socrates laudasse Lacœdemonios in Alcibiad. 2. quod non aliud vnquam Deum rogarent, quam vt pulchra sibi bonis cumularet. Ex quo monitum excerpere debet religiosus vir, esse temporalia bona sibi ea temperatione petenda, si te vera bona sint futura, eaque assequi expediat; quo fit, vt quæ tenera mala sunt, aut cum peccato coniuncta, tametsi vtilitatem aliquam temporariam aduectura sint, nulla ratione petere licet; & idcircò Pythagorei vt est apud Clement. 4. Stromat. volebant orationem fundi ad Deum alta voce, non quod existimarent Deum eos exaudire non posse, qui tacitè loquerentur, id enim fatuum foret arbitrari, sed quod iustas vellent esse preces, quas non vereretur quis fundere; multis eas scientibus & audientibus; quod religionis & orationis præceptum cóstat ab eo negletum fuisse, qui memoratur apud Flaccum lib. , Epist, 16.

Iane pater, clarè clarè cum dixit Apollo
Labra mouet metuens audiri. Pulchra Lauerna
Da mihi fallere. Da Sanctum iustumque videri
Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem.

hocque quod de precibus dicitur, etiam de votis quibus colimus Deũ dicendum est; est enim uototum cum precibus connexio magna, ut propterea Græci affinibus uocibus uotum & precem expresserint, quasi non sit ante fũdenda oratio, quam uotum præcesserit; antiquitùs enim homines nihil Deo, uel Dijs uouebant, nisi ad impetranda quæ desiderabant; ac propterea mirum non est, si semper uotis preces subnectebant iuxta illud ex 6. Æneid.

Cessas in vota precesque.

apud Hebræos tamen & Christianos emissa etiam uota sunt sine relatione ad preces.

Summo deniq; in religionis cultu debet eminere apud religiosum virum sacrificium, cuius germana ratio in eo breuiter statui potest, quod est signum sensibile deputatum ad diuinam excellentiam, & subiectionem illi ab homine debitam significandam per alicuius rei permanentis Deo oblatæ immutationem, intelligitur namque sacrificij nomine cultus eminentissimus à Sacerdote vt publico ministro exhibitus Deo in supremę potestatis recognitioné. Licet autem eiusmodi sacrificij cultum priuata quę libet persona possit ex natura rei ad vsum suum instituere; Deus tamen in lege scripta, & in lege gratiæ præuenit hac in parte humanam potestatem, statuens ne vllum sacrificiũ vsurparetur, quam quod ipse approbasset, qualia pleraq; erant in lege veteri, & vni-

& vnicum ac omnibus modis singularissimum in lege noua; & quamuis in primo illo rudi statu, quem legem naturæ appellamus, permiserit hominibus delectum & determinationem sacrificiorum saltem regulariter, & frequētiùs; id quod multò magis locum habuisset in statu puræ naturæ, si fuisset institutus, tamen sicut homines sunt suapte natura membra vnius communitatis, quam tanti refert consortio visibilium signaculorum colligari, & coagulari in vnum religionis nomen, vt S. August. loquitur 19. contra Faustum; ita cōuenientissimum fuit, reque ipsa apud omnes gentes semper receptum est, vt ea tantum sacrificia vsurparentur, quæ per publicam potestatem fuissent deputata. Quod validè ex eo confirmare licet, quod certum sit sacrificium & Sacerdotium connecti, cum sacerdotium non sit nisi propter sacrificium, & vbicumque est sacerdotium, esse item Sacrificium, & è contra; & tamen constat neminem priuata authoritate assumere sibi potuisse sacerdotij honorem, sed publica authoritate prouehendum ad huiusmodi gradum fuisse.

Plura alia sunt quibus se debet vir religiosus exercere, vt religionis virtutē profiteatur, sed singula recensere ad moralem philosophum non spectat. hęc potiora sunt, quibus si addantur veterum sacrificiorum exempla, & reliqua religionis ostentamenta, quæ apud scriptores passim inueniuntur, erunt satis in hac re expleta legentium vota.



LEX



LEX XL.

AD

HOMINEM PIVM.



EA hic virtus in homine commendatur, quæ erga parentes officiosa ipsorum cultui addicitur, ac propterea quędam religionis pars vocitatur, cum enim in Decalogi mandatis post honorem Deo præscriptum, statim honos parentibus debitus præscribatur, meritò in vtrisq; vnum esse religionis cultum autumarūr, eo tantum discrimine, quod omne obsequium Deo delatum sit propter ipsius excellentiam, qua inter omnes eminet creaturas, parentum verò obseruantia sit ipsis duntaxat exhibenda propter dignitatis gradum, quem à supremo ordinum principio sibi nanciscuntur; parentibus enim tamquam vitæ & educationis nostrę principijs specialis cultus debetur; & quia in consanguineis parentum sanguis inuenitur; idcircò pietas aliquatenus quoque ad consanguineos extenditur, tamquā respersos primario illo & fontali iure, quo parentibus obstringimur; qua etiam ex causa aliqui ad pietatem referunt debitum parentum erga liberos, & maritorum erga vxores, quod liberi parentes repræsentēt, & eorum sanguine coaluerint; vxorque etiam sit cooperaria ad naturam à parentibus acceptam, & sanguinem eorum in posteros transfundendum. hoc tamen loci nihil est à nobis dicendum de eiusmodi coniugis, in coniugem, aut parentum erga liberos officijs, quæ eleganter Saluianus lib. 2. ad Eccles. vocat Iugum incarnatæ necessitudinis, & vincula charitatis; sed ea aliò amandantes sistemus in officijs liberorum erga parentes, & occasione parentum erga consanguineos; præterea verò, quia patria parentes fouet, & opportuna ac necessaria ad ortum nostrū, & educationem subministrat, idcircò pietas ad patriam quoque extendi censetur.

Prima igitur pietatis officia, quæ debent erga parentes exhibere nati, ea sunt, quæ pijssimè quidem commemorat Socrates apud Platonem 4. de legib. constitutis si quidem primo Deorum honoribus, ita curandos statuit parentū superstitum honores, vt intelligat quiliber natus, omnia quæ penès se habet, eorum planè esse, à quibus genitus est, & in hanc lucē eductus & educatus, ac proinde arctissimo sciat se teneri debito ad omnia obsequia pro viribus parenti exhibenda; sicque parenti debere, si opus sit, omnia bona & facultates, quibus

quibus vtitur ad tuendam vitam, debere etiam corporis, & animi bona, si quæ suppetunt præstanda, ita vt hæc omnia ita à liberis persoluantur tanquã mutuo data, ut cum aliquo fœnore rependantur. Quin imò addit ad hanc rem Pempelus Pythagoricus lib. de parent. nullum esse sanctius simulacrum, cui uenerationem ac cultũ omni tempore adhiberi par sit, quam parentum nexum; Dijsque & hominibus inuisum censendum omnem illum, qui secus fecerit, nec parentes, quam natura indicit, ueneratione & obseruantia dignatus fuerit; sicut contrà maximè Dijs accepti homines illi commendantur, tamquam insigni pietate fulgentes, qui ex ipsa pietate parentibus suffragia & opitulationes præstitere; in quorum numero recenset Seneca 3. de benef. siculos quosdam iuuenes, qui ætnico incendio in magnam insulæ partem effuso, parentes suos omni spreto periculo humeris euexerunt, quibus ex eo pietatis officio, crateres Etnæ abruptos ad totius insulæ conflagrationem patefactos omnino innoxios fuisse perhibentur idque refert præter Senecam Aristoteles ipse lib. de mundo ad Alex. cap. 7. eosque iuuenes nominat Claudianus in Epigrammate de ea re edito Amphinomum, & Anapum; & si etiam à Romanis fas est in hac re accipere pietatis exempla, non alia ratione inter reliquas aues Ciconias anthonomasticè pias appellarunt (quod nomen vix vni Imperatori Senatus Consulto delatum dicitur) quod depositi patris artus per longæuam senectutem plumarum tegmine, alatumque remigio nudatos circũstans soboles pennis proprijs fouet, collatitio cibo pascit, cœteraque naturæ reparat dispendia; qua ratione etiam D. Paulinus carm. 13. quod est ad Cytherium laudat pietatem pullorum Aquilæ sic canens

Vt pullus Aquilæ dicitur repascere
Cura parentes mutua
Quos vis Senectę rursus implumes facit
Nidoque pascendos refert
Donec replumi vestiantur corpore
Pennisque florescant nouis.

In quem verò parentum magis vrgere debeat pietatis officiũ, patrem ne, an matrem adhuc sub iudice lis est. Patrem siquidem præferre, eique prius quam matri subueniendum esse contendit Libanius declam. 44. in cęci Apologia; licet pro matre faciant vteri fastidia, partus periculum, infãtiæ educandæ atq; in ætatem firmam promouendæ labores, cuius idcircò in filiorum procreatione dicitur operosius officium, & periculosioris aleę plenius, ex quo proles ei arctiore debito pietatis adstringi videtur, quam patri, vt tamen salua sit patri dignitatis prærogatiua, & liqueat sobolẽ spectata generatione arctiori debito obseruantiæ patri obstringi, non est attendenda operositas paterni beneficij sicuti materni, quasi penes difficultatem illam crescat momentum doni, & debitum obseruantiæ; sed spectanda est, vt scitè docet S. Thom. 2. 2 q. 26. art. 1 c. ratio principij generationis, quæ in patre longè excellentior est, cum principiet per modum agentis, quam in matre; & quamuis mater quoque

iusta probabilem, sententiam conferat principium actiuum generationis tamen efficacitas paterni seminis est longè maior & simpliciter necessaria; itavt, quamuis posset soboles procreari matre etiam actiuè interueniente, & côferente materiam efformationi fœtus idoneam, tamen si paternum deficiat semen, numquam erit procreanda proles ob seminis materni hebetudinem & inefficacitatem præ paterno, quod proinde dicitur generationis principium simpliciter necessarium, & fundamentum obseruantiæ maioris, eo titulo debitæ patri, quam matri; quod multo faciliùs suaderi potest, si mater vinculum illud coagulumq; amoris, quo parentes cum filijs natura consociat, interscindat, aut dissuat, ablegato à se partu, & ad nutrices amandato; vbi enim vigor maternæ flagrantiæ restinguitur, ibi æquum est, vt vicissim in filio ardor ille pietatis refrigescat, qui perdurante nutricationis fomento perdurasset; quod Perillus sui exemplo vnius è gente Gracchorum ex Iunio Rustico testatum facit Tiraq. lib. de nobil. c. 20. Cæterùm quia quibusuis in cera patre natis, mater tam tum certa est, monet Synes. epist. 3. ab his matri duplicem honorem deberi, cum patre, cui dimidiam pietatem exhibeant, destituantur.

Id tamen cuilibet pietatem erga parentes profitenti maximè obseruandũ est, quod cum duo sint nostri subordinata principia, Deus nimirum, & parêtes nostri; merito id quod altius & superius est inferiori præferendum est; quapropter non est in hoc audiendus Sen. 3. de ben. c. 38. cum ait esse ortus nostri fontes cuicumque præferendos, etiam Dijs ipsis, quo fit vt si parentes aliquid Deo dissonum iubeant, Deus sit prę ipsis colendus; & si parentes aliquid mãdent contra Deum, vel contra eius Vicarium rectam rationem, non vrgeri filios pietatis obligatione, vt malè imperantibus obtemperent cum Numinis contemptu; quod insigniter & plenè suadet etiam Hierocles ad v. 4. Pythag. vbi ait, maioribus bonis propositis maiora minoribus præferenda esse, quãdo vtrumq; seruare non licet; atq; honestum quidem esse, obedire parentibus, sed longè honestiùs Deo; additq; si vel mors ad declinandam hanc in Deum perfidiam sit subeunda, refugiendam non esse quamcumq; corporis cladem, quod à parentibus habemus, vt animus qui ex Deo solo est, diuinis legibus non temeratis, purus perstet, & Deo, cui soli est obnoxius, fidem seruet; et sanè nihil delinquit ille, qui Deo ad aliquid impellente, renitentibus licet parentibus sequitur vocãtem Deum, nec se per eos, quibus cœteroqui omnem obedientiam debet, & reddere vult, auerti, vel retrahi sinit ab itinere signato diuinitus saluis semper necessariæ pietatis iuribus, in reliquis verò principatus parentum in prolem, atque adeò principatui illi respondens prolis subiectio admittenda est, quandoque proles est parẽtum opificium, nihilq; naturæ congruentius est, quàm vt opus opifici subiaceat, & in eius commodum & vsum cedat. Ex quo in summo impietatis vertice locandi sunt liberi illi, qui parentibus ingrati, atque molesti sunt, eorum mandantes parentes nũquam, digni vt furijs atque omnibus infortunijs agitentur; Ad ipsum verò totius inquietatis cumulum progressos fateri necesse est eos, qui non modò neglectu

illo parentum se impiant, qui in omissione debitorum officiorum cōsistit, sed etiam per positiuam impietatem, directeve intentam inhonorationem, præsertim læsionem in vita aut corpore malam vicem reprendunt ijs, quibus omnia debent; quò perbellè recidit grauis illa Theodorici Regis exclamatio in quemdam Romulum, qui patri manus iniecisse dicebatur, id vnum suadens apud Cassiod. lib. 2. epist. 14. talem hominem fuisse humanitate nudatum, qui pietatem erga ipsum patrem potuit exuere; qua propter iure dixit Tullius supplicij acerbitatem tanto sceleri lege Pompeia constitutam per immaniores belluas parricidæ apud Romanos fuisse illatam, licet de ea lege conqueratur Seneca 1. de Clemen. iustissimum enim fuit tanto sceleri legis frenum adhibere, quod testatum faceret, quantam atrocitatem in eo criminis monstro agnouerit legislator, qui primus parricidæ decreuit, vt virgis sanguineis verberatus culeo ex corio viuus insueretur, vnà cum cane, gallo gallinaceo, vipera, ac simia, sicque in mare aut flumen proijceretur; vel si hæc procul abessent, obijceretur bestijs.

Superest pietas erga patriam pio colenda viro, nam ad hanc quoq; exercēdam quodam ipsius naturæ stimulo excitamur, cum sint ipsi parentes peculiaris quædam patriæ possessio; imo vt ait Hierocles dissert. de obseruan. in patriam, sit patria alter quidam Deus; primus, maximusq; parens; quare qui nomen patriæ imposuit à re ipsa non temerè patriam nominauit, vocabulo quidem à patre deducto, pronūciato tamen fœminina terminatione, vt ex vtroq; parente mixtum esset, quę ratio significat patriam vnam ex ęquo cum duobus parentibus esse colendam; quemadmodum etiam patriæ amor cuiuis amori etiam paterno præferendus est iuxta doctrinam quam tradit Plato in Critone; moueri enim debemus ex eo ad pietatem & amorem erga patriam, quod patria fuerit aliquo modo principium ortus & educationis nostræ, cum tamē patria longè minus sit principium ortus & educationis nostræ quam parentes; ac propterea cum docent Plato, Hierocles, alijque plures præferendum esse amorem patriæ omnium omnino personarum amori, etiam parentum & nostri ipsorum, intelligendi sunt de patria vt est ciuilis communitas, & cōmune quoddam bonum, quod semper priuato est præferendum; & inde oritur propensissimus ille affectus, quo quisque patriam quæcumque demum ea sit vel si Ithaca saxo affixa, vel antrum intra rupem aliquam esset, acceptissimum habet, imo dulcissimum præ alijs omnibus vrbibus cęlo ac solo clementiori potientibus; cumque res fert, ardentissimè pro ea pugnat, & tametsi alibi cōmode degat, eam tamen reuisere aliquando satagit; qua ratione Homericus Vlysses ne immortalitatem quidem sibi à Dea datam Ithacæ prætulit.



LEX



LEX XLI
AD
HOMINEM IVSTVM.



NIHIL est in toto virtutis regno, quod homines suspiciant, magis, venerentur ament, quam bonum illud, siue priuatum, siue publicum sit, quod Iustitia parit; cuius virtutis elogium illud est apud Aristotelem, quod sit virtutum omnium præstantissima Hespero & Lucifero admirabilior; si quidem etiam ex mente Platonis ea est, quæ in tota Ciuitate, atque Rep. anima quædam est, cum sit illa summa voluntas, constans & perpetua, quæ ius suum euique tribuit, sine qua nihil honestè, nihil piè, nihil ingenuè ageretur; neque abste censendum est Iustitiam dici voluntatem; quoniam licet hoc nomine ipsa volendi actio possit præsertim intelligi (cum eò traduci alioquin soleat vt facultatem significet) quatenus tamen additur, esse voluntatem debere constantem & perpetuam, ipse habitus, seù affectus volendi intelligitur, in quo laus iustitiæ germana consistit; commendationem quippe meretur, non qui simpliciter iusta agit (nam si ignoranter, si metu, si amici causa, si lucri spe, aut alio consimili fine rem iustam agat, iustus non est) eum cessante fine sit secùs acturus, sed qui voluntate, sponte, atque ex affectu iustitiæ agit, ac dicitur adeò iustè agere: ex quo celebre est discrimen apud Aristotelem inter actionem iustam, & iustè factam; neque secus inter actionem iniustam, & factam iniustè; nempe vt quid iustè, aut iniustè fiat, sola voluntas facit; atque ex hoc est, vt & ille Iudex, qui rem alioquin iustam statuit, possit non reputari iustus iuxta illud Tragici

Qui statuit aliquid parte inaudita altera
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

& vniuersè ille habetur iustus, non qui simpliciter non facit iniuriam, sed qui potestatem cum habeat, voluntatem tamen faciendi non habet; nam quod Democritus ait, esse bonum non tam iniuriam non facere, quam ne facere quidem velle idipsum est, quod præclarè Philemon apud Stob. ser. 9. canit iustum esse virum; non qui non facit iniuriam

Sed qui facere licet potis, non vult tamen

 ac rur-

ac rursus illum, non qui exinde gloriam captat, sed qui

vult esse iustus, quam videri magis.

At vbi hoc loco Iustus homo spectandus occurrit, non eo modo Iustitiam intelligimus, quæ dicitur legum præses ac veluti tutelare Numen Iuristarũ, sed eo tantum, quo dicitur virtus quædam vniuersa in ipso homine constituta, cęteras omnes ferè virtutes in se vna complectens; cum enim quodammodo Iustitia de quacumque virtute aliquid statuat, omnibusque modum agendi præscribat, iure meritò à Iamblico dicta est virtutum collegium seù complexio quædam; in acie siquidem dum iubet tenere locum, non aufugere, nõ arma abijcere, fortitudinis fungitur vice, Temperantiæ cum adulterium, cum stupri illationem vetat, mansuetudinis cum non verberare, non maledicere, & sic de cœteris; præsertim vero virtutes illæ iustitia exercentur velut comparte ipsarum principe, quibus nomen est Religio Pietas, Obseruantia, Amicitia, Liberalitas & Gratitudo; ibi namque semper officium munusuè Iustitiæ exerceri videtur, vbi aliquid cuipiam tribuitur, quod aliquo ipsi titulo debetur, nec minus iuris & Iustitiæ illa tria præcepta sunt, Honestè viuere, Alterum non lædere, suum cuique tribuere, quam virtutis vniuersæ omnes quodammodo virtutes complectentis.

Atque vt à Iustitia quatenus Religio quædam est ordiamur; queq; hominem simul iustum & religiosum facit, cum duæ sint potissimum causæ ob quas Deus cultum & venerationem promeretur, videlicet, Summa naturæ Pręstantia, & summa in nos beneficentia, iustam ac debitam religionis formam primi illi homines inuenerunt, qui cępere Deum ipsum tamquam optimum, tãquam maximum colere atque venerari; Optimus quidem audit, quia summè benefacit; maximus verò, quia summè excellit; quo etiam loco videtur laudari posse Epicurus Ethnicus philosophus, quod censuerit Deum esse colendum nulla spe, nullo pretio, sed propter eius maiestatem eximiam, supremamq; naturam, ea causa addita, quod iustam postulet venerationem quidquid excellit; vbi etiam fuisset Epicuro addendum quidquid benefacit; ex eo enim religiosus homo Deo debet ex Iustitia amorem cultumque non mercenariũm sed liberalem & filialem, quia Deus vt omnium hominum parens suprema contulit beneficia; neque enim necessitatibus tantũmodo nostris prouisum est, sed (vt ait Sen.) usque in delitias amamur, & ubi tot spectamus arbusta non uno modo frugifera, tot salutares herbas, tot ciborum varietates, tot flumina amænissimis flexibus cingentia campos; tot immensa terrarum latè patentium spatia, ęquum est, atque ipsius iustitię pręscriptũ ea verba proferre

—— *Deus nobis hæc otia fecit*

Namque erit ille mihi semper Deus &c.

Nulla igitur alia est Religio uera (ait Lactant. lib. 6. cap. 25.) nisi quæ uirtute & iustitia constat, nihilque præstabilius est (subdit Cicero) quam planè intelligi nos ad iustitiam natos esse; & summus semper fuit Dei colendi ritus ex ore iusti hominis ad Deum directa laudatio; quemadmodum

etiam

etiam vnum esse Dei cultum (aiebat Hermes Trismegistus) malum non esse & vota Deo reddere; reddimus vero (inquit Seneca) Deo vota, cum reddimus Deo maiestatem suam, atque bonitatem sine qua nulla est Maiestas. At tunc potissimum efficitur homo religione Iustus, cum ita cupiditatibus solutus euadit vt nihil Deum roget, nisi quod palam rogare possit; qui sic cum hominibus viuit, vt velut Deus appareat; quod licet iudicetur fuisse Athenodori præceptum, putat tamen Macrobius lib. 1. Satur. ad Pythagoram referendum esse, qui numquam auulsam protulit à Religione Iustitiam & vitæ probitatem, eam semper fucatam atque ementitam improbans religionem; quam ille petebat ab Apolline apud Persium Sat. 2.

Iane pater clarè clarè cum dixit, Apollo
Lubra mouet metuens non audiri, pulchra Lauerna
Da mihi fallere, da sanctum iustumque videri
Noctem peccatis & fraudibus obijce nubem.

& licet præ cœteris Max. Tyr. dissert. 1. contendat nullatenus Deum esse colendum precibus, quoniam siue orans sit malus, exauditurus Deus non sit; siue bonus sit Deus illi etiam non oranti sit largiturus, in eo tamen iure merito reprehenditur à tota Platonicorum Accademia, quæ Deum precibus colere iubet, orarique vult ab hominibus, vt possit ipsum quoque orantis affectum intueri, ac munerari; Neque Plato interdum ab orando Alcibiadem deterrens aliò collimat, nisi vt mentis humanæ imbecillitatem atque caliginem in veris poscendis bonis ostendat; quæ sola à Deo essent postulanda; relato siquidem oraculo, quo Amon consultus, cur Lacedæmonijs potius, quã Atheniensibus faueret, respondit, quia sibi illorum precatio & cultus præ cæteris arrideret; cum Lacedemonij neque priuatim, neque publicè aliud precarentur, quam, vt quæ honesta, Iusta, & bona forent, Dij largirentur.

Non Religione dumtaxat erga Deos, sed etiam pietate erga parentes debet homo Iustitiam profiteri, vt iusti nomen obtineat; nullaque sanè secundum quod Deo tenemur, aut antiquior, aut maior obligatio esse potest, quam quæ parentibus nos addicit, cum alijs quidem possimus alia, vt nosmetipsos parentibus ex ipsa iustitia debeamus; ac si tantoperè est secundum naturam, vt nosmet amemus, cur potissimum secundum naturam non erit vt illos amemus, & per quos & ipsi qui amamus, sumus, & id quod amamus, habemus; sicut enim nullum iata natura nasci posset monstrum tetrius homine suorum parentum non amatore, ita nullum in ipsa natura probitatis exemplar illustrius eo, qui totis visceribus, omnique amore ac pietate in parentes effunditur; gratumque dicitur ac maximè æstimandum natus ille onus subire, qui in incendio cœtera contemnens parentem humeris euehit, vt præstet incolumen; quod fecisse non modo Æneam apud poetas celebre est

Illum ego per flammas & mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi.

T 2 verum

verum etiam apud Elianum Catanæos illos philonomum & Calliam, cum grassante Ænæo igne Olympiade prima supra octogesimam, spretis opibus reliquis apprehensos patres per medias flammas extulerunt; quo tempore, aiunt, seu diuinitùs, seu casu factum fuerit, euenisse, vt ignis qua parte ingrediebantur diuelleretur. Quam etiam felicissimi Solonis indicio habiti sunt fratres illi Cleobis & Bithon, non modo ad beatum vitæ exitum, sed etiam ob summam illam voluptatem, qua persentiebant se exilire, cum boum defectu, iugo alligati suauissimo, currum quo vehebatur pater, pertraxerunt; Et si diutiùs hærendum esset in describendis speciatim officijs, quibus iustus homo aduersus Parentes tenetur, illud primum recensendum est, quod ita parentes veneretur ac reuereatur, vt Dei vicem in se gerentes arbitretur; ipso quoque externo cultu apud omnes & palam testatum faciens, quanta illi dignitate supra natos emineant; quo loco adhuc commendandus est Cimon ille, qui cum aliunde non haberet, vnde paterni cadaueris sepeliendi ius impetraret, se ipsum venundederit, illud libertatis pretio ademptarus.

Neque iustus plenè dicetur vir ille, qui obseruantiæ virtute, quæ species quædam iustitiæ est, & per quam (vt habet Cicero) homines dignitate, ætate, sapientia antecedentes reueremur & colimus, omnino destituitur; quare illis imprimis ab homine Iusto iustè honor habendus est, qui in Rep. principatum tenent; debetur verò illis honos eo iustitiæ titulo, quo vt Aristoteles adnotat, hæc est illis merces seù præmium laborum; videlicet, cum ob virtutem, qua tenentur præcellere, esse præfecti intelligantur, qua propter illi seù Principes, seù Magistratus sunt reuera honore digni, qui nati bono publico, ciuiumque salute perpetuo student; eosque pro Republic. sine lassitudine suscipiunt labores quibus publicę egestates & incommoda auuertuntur; vnde hæc esse videtur antiquissima constitutio apud Euripidem

Antiqua lex est, Principes venerarier.

Sed eos quoque qui ætate antecedunt, senesque dicuntur, æquum est summopere colere, obseruare, atque venerari; munusque potissimum adolescentis est, qui viri Iusti nomen captat, maiores natu vereri; exque ijs optimos deligere, & probatissimos, quorum consilio atque authori tate nitatur; ineuntis siquidem ætatis in scientia Senum prudentia regenda est, qua de causa Dux ille Græciæ Nestorem semper honorauit præ reliquis proceribus, neque optauit vnquam vt decem similes haberet Aiaci, sed Nestori seni; debet Senex prudentia & sapientia clarus esse apud Iuuenes velut illa quercus annosa, quæ vt ait Lucanus lib. 1. Veteres populi exunias, & sacra ducũ dona gestans, non validis quidem radicibus hæret

Sed quamquam primo nutet casura sub euro
Tot circum Syluę firmo se robore tollant
Sola tamen colitur &c.


qui enim non minus senectute, quam sapiẽtia, ac prudentia eminet ideò colendus est præ cœteris, quia præ cęteris emeritam dicitur vitam traduxisse, &

se, & honor qui ipsi adimeretur, hominem adimentem redderet iniustum?

Nec magis in obseruantia, quam in Amicitia, quæ æqualitas quædam amicorum est vir iustus suam iustitiam profert; cum enim ea sit amicitia vera, in qua pares affectus sunt, voluntatem consensiones, atque bonorum & malorum communitates, non potest eiusmodi nomen inter amicos haberi, nisi in rerum omnium æqualitatem mutuò, certatimque conspirent; & licet quandoque inueniantur amici in rebus quibusdam dispares & inæquales, debent hi (vt Aristoteles docet) aut in ipsa virtute exequari, aut aliunde amicitiam ipsam compensare, ita vt ad Ciceronis sententiam in laudem Scipionis prolatam superior semper inferiori se parem faciat, nunquam enim Scipio licet præcellētia quadam inter cœteros emineret se Philo, numquam Rupilio, numquam Mummio antepofuit, numquam inferioris ordinis amicis. At potissimum iustus homo per illud amicitiæ genus efficitur, quod bono dumtaxat honesto, atque virtute paratur, atque ad eo non nisi inter probos atque præstantes honestate viros constituitur; quippe cum vera amicitia res constans, ac perpetua sit, non potest nisi virtute solidari; cœtera namq; quę solent amicitia quęri, nimirum, vtilitas, voluptas, æstimatio & honor res omninò fluxiles sunt, atque mutabiles; ac propterea Epicurus docebat nullam amicitiam veram ex indigentia aut ex imbecillitate & impotentia oriri; Atque cum sola virtute inter bonos amicitia stabilienda sit, illius constantiam ex eo repetit Aristoteles ipse, quod amici veri neque res prauas flagitent ab amicis, neq; se earum ministros præbeant, sed potiùs prohibeant; id quippe bonorum virorum est, neque peccare, neque vt amici quidquam peccent permittere; primaque lex, quæ debet in amicitia sanciri ea est, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati, ad quam rem notum satis est illud Chilonis apud Agellium lib. 1.c.3. qui aliquando Iudex cum foret, nec perdere amicum reum voluit, nec fraudem in fauorem amici perpetrare, sed ipse reum minimè absoluens, cęteris iudicibus persuasit vt absoluerent; qua occasione quæsitum sollicitè à philosophis est, an nonnumquam contra ius, aut contra legem pro amico faciendum sit, vt eamq; litem videtur composuisse Pericles, cum dixit, esse amicis opitulandum vsque ad aras.

Superest grati animi exercitatio quę neque ab homine iusto est prętermittenda, æquè enim complectitur Iustitia veluti quasdam sui partes Religionem, pietatem, obseruantiam, amicitiam atque gratitudinem, quin gratitudo ipsa videtur absque reliquis virtutibus minimè posse exerceri, hæc est enim vna virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum, cum nihil aliud sit pietas quam voluntas grata in parentes, nil sanctitas & religio nisi debitum in Deos obsequium, nil amicitia nisi amoris & operũ repensio, & sic de cœteris, & licet is qui beneficia elargitur aliud quidpiam non exigat, nec dando aliquid consequi contendat, iure tamen gratum animum sibi pollicetur & expectat, quem nisi accipiens referat, sit prorsus iniquus: Quin etiam tametsi qui dat, compensationem nullam deposcat, non

liberatur tamen accipiens compensandi obligatione' quibuscumqne licet officijs. Ob id apud veteres Gratiarum templum palam in vrbibus constituebatur, vt omnibus beneficijs affectis esset gratiæ reddendæ monimentũ; nec vmquam intelligeret quis se ab illa obligatione vllo tempore, aut vlla temporum vicissitudine esse eximendum. Alijs quoque virtutibus homo Iustus exercendus est, sed hæ potissimum ennumeratæ sunt, quod quodammodo partes seù species Iustitiæ sint.



LEX



LEX XLII.

AD HOMINEM PRVDENTEM.

PRudentiæ dotes, actus, & officia, quibus homo ex Platone diuina quasi in sede locatur, hic enarramus; & licet plerisque Prudentiæ & Sapientiæ voces synonymæ sint, Aristoteles tamen sic eas secernit, vt Sapientiam accipiat pro accuratissima scientiarum, seu pro scientia rerum altissimarum, atque admirabilium; Prudentiam verò pro speciali virtute, quæ rebus ad vitam vtilib. suam operam nauet; ex quo fit ut in lib. 6. Eth. cap. 7. Anaxagoram, Thaletem, cæterosque id genus viros Sapientes quidem esse dicat, Prudentes verò nequaquam, eaque propter, quod eximia tantum & admiranda meditantes, ac sæpè inutilia, ea ignorare deprehenduntur quæ ad vitam benè degendam necessaria sunt. Prudentia igitur ita à nobis illigenda est, ut sit quædam moralis virtus cæterarum princeps, quæ cæteris imperet, regat & moderetur; quæque omnes vitæ actiones in metam dirigat honestatis, bona à malis secernens, & noxia ab vtilibus; ut etiam quid sequi, quid homini fugere oporteat regula quadam ac rationis lege edictet; quo sensu eam quoque accipientes Cicero & D. August. eam definiunt rerum expetendarum, & vitandarum scientiam; quare & hinc efficitur, ut sit Prudentia habitus mentis non certus, sed coniecturalis, eoque differat à scientia, quod hæc sit rerum necessariarum, & quæ se aliter habere non possunt; Prudentia verò in rebus semper versetur contingentibus, quę esse aut non esse, hoc uel alio esse modo possint; neque enim Prudentia rerum impossibilium esse potest, cum nemo consultet, aut deliberet de ijs, quæ fieri haudquaquam possunt; Id uerò præcipuum prudentiæ munus est suos fines cunctis virtutibus præscribere, atque ad eos contingendos media discernere atque suppeditare; propterea tria recensentur in scholis Prudentiæ officia potiora, bene scilicet consulere atque deliberare; bene intelligere ac dignoscere, bene denique imperare.

Hucque spectant etiam illi qui ad obeunda Prudentiæ munera compendiosiùs requirunt illa tria, nimirum præteritorum memoriam, præsentium intel-

intelligentiam, atque futurorum prouidentiam; nihil enim sanè notius est ad prudenter agendum exigi præteritorum memoriam, cum in negotiorum serie, ea, quæ sunt deinceps agenda talem plerumque cum ijs cohæsionem, quæ sunt iam peracta tueantur, vt nisi meminerimus quid & quomodo peractum iam sit, ut accommodatè ad ipsum id quod superest peragatur; aut iam factum infectum fiat, aut faciendum nusquam, malèue succedat; & cum mens nostra non ratiocinetur, nec iudicium ferat nisi ex præcognitis; non potest sanè quid euenturum sit, aptè iudicare, nisi quæ varia præterita sunt suppositis similia cognouerit, ac mente præterea tenuerit, quid ex illis euenerit; ex quo proinde etiam Aristoteles docet posse quidem Iuuenis Geometras, alijsque id genus disciplinis esse instructos, Prudentes uerò minimè, cum versetur Prudentia in singularibus rebus, quarum cognitio non nisi experientia & vsu comparatur; & idcirco Prudentia ipsa describitur apud Agellium tritis illis Afranij Versibus

Vsus me genuit, mater peperit memoria
Sophiam vocant me Graij vos sapientiam.

vti & Euripidem imitatus Ouidius Palladem Prudentiæ & Sapientiæ Numen anus habitu hęc proferentem inducit

——— non omnia grandior ætas
Quod fugiamus habet, seris venit vsus ab annis.

Deinde perspicuum etiam illud est, necessariam omnino ad prudentiam esse intelligentiam rerum præsentium, quæ aut præ manibus ipsæ sunt, aut eiusmodi sunt, ex quibus alia futura dependeant; siue enim eueniat, vt sit consilium in arena capiendum; siue ad deliberandum suppetat tempus, nihil benè feliciterque fieri valebit, nisi quis probè teneat omnes negotij circumstantias, nisi breui quodam momento connexiones, & disiunctiones omnes animo percurrat, atque peruideat, ex quibus quid consequuturum sit, optimè pernoscatur: vt enim in speculabilibus rebus temeritati vertitur & ad pauca respicere, & facilè tamen pronunciare; ita in rebus quoque agendis vertitur imprudentiæ, si qui cum ad pauca attendant, & multa cognitu necessaria prætereant, facilè tamen & decernant, & se ad agendum accingant. Quare optimo iure inde efficitur, vt quisque sit tanto prudentior, & ad rectè deliberandum, statuendum, exequendum instructior, quantò in pleniorem rerum præteritarum memoriam, sic vberiorem præsentium intelligentiam habuerit. Vulgatissimum denique apud prudentissimos viros habetur, necessariam quoque ad prudentiam esse rerum futurarum prouidentiam; ea scilicet ratione, ne si mala sint successura, ipsis occasionem faciamus; si bona, ea non procuremus.

At cum tres etiam sint Prudentiæ partes, in quibus homo excellere potest, Priuata, nimirum, Æconomica, & Politica, opere pretium est per singulas excurrere, vt modum & rationem intueamur, qua homo sibi & alijs optimam viuendi regulam instituat; Neque priuata accipitur hic, seu solitaria prudén-

dentia, quæ ad hominem ſpectet dumtaxat, qui priuatam conſectatur vitam, nullique publicæ rei ſe immiſcet; aut qui ità humanam omnem ſocietatem fugiat, vt ſemper ſolitarius ſit, Eremique cultor, ſed ea accipitur intelligentia, vt homo quilibet, tametſi alios regat, ſe ipſum tamen ſpeciatim ex rationis præſcripto regat, ſibique ipſi ita prouideat, vt in ſe ipſo euadat benè, laudabiliterque moratus, ex quo fit vt & pater familias, & Princeps æquè pollere hac prudentia debeat, quatenus vterque debet non tantum alienum, quam proprium regimen callere. Primumque iſtius priuatæ prudentiæ munus illud eſt, quo quis in eo liberum deligens vitæ genus, ſe conſtituit ſtatu, in quo totam deinceps optat vitam tranſigere; quod ſanè prudentiæ munus eos non afficit, qui ex conditione naſcendi præſcriptum vitæ genus habent, cuiuſmodi erant antiquitus apud Orientales populos Philoſophi, Agricolæ, paſtores, Artifices, milites, ordineſque cœteri, quorum ſic addictæ certis familijs functiones erant, vt tranſire nemini in alterius functionem liceret; ſed qui nati erant ex Philoſophis, ij ſoli, ac ſolum philoſopharentur: Qui ex Agricolis ſoli agriculturam exercerent, & ità de reliquis, de quibus ſcribit Diodorus Siculus lib. 1. & 2. quomodo ſunt etiam num inter cœteros illi Principes, qui in purpura, vt ſceptra teneant, naſcuntur; aut quos adhuc iuniores, rerumque inexpertos in certum deſtinant, atque contrudunt ſtatum: aut quibus facultas nulla ſuppetit ſupra parentum conditionem emergendi: verum afficit eos, qui aut ſui ſunt iuris, aut ex parentum, principumque licentia poſſunt pro arbitratu quodcumque voluerint complecti; eoque eiuſmodi viris maximè neceſſaria prudentia dicitur, ne temerè aut inconſultò ſe ipſos in aliquem conijciant ſtatum, in quo inter vitæ difficultates malè expenſas & prouiſas luant temeritatis pœnas: & licet omnibus difficultas ſit ipſa vitæ rerumque humanarum conditio, cum in quemcumque ſtatum coniecerimus oculos, plurima ſtatim incommoda, quæ illi ſubſint, prouideantur, mentemque tanto diſtrahant magis, quanto ſpeciatim internoſci cuiuſmodi ſint futura, non poſſunt; tamen cum nihil miſeriùs ſit, quam in incerto ſemper fluctuare: id erit prudentiæ onus vnicuique ſuſcipiendum quo vitæ deligat ſtatum, in quo pauciora ſaltem ac minora proſpiciat incommoda

Quod vitæ ſectabor iter? ſi plena tumultu
Sunt fora; ſi curis domus anxia; ſi peregrinos
Cura domus ſequitur; mercantem ſi noua ſemper
Damna manent; ceſſare vetat ſi turpis egeſtas.
Si vexat labor Agricolam; mare naufragus horror
Infamat; pœnaque grauis in Cælibe vita
Et grauior cautis cuſtodia vana maritis
Sanguineum ſi Martis opus &c.

ex Græcis accepit latinus Auſonius hominis delineationem, cui prudentiæ deliberatione opus ſit.

Et cum non ſit vnum priuatæ prudentiæ officium, id quoque prudenti viro

ro agendum est, vt vitæ otia vel negotia quæ suscipit, non superficie tenus, sed intimè rimetur, quoniam si latebrosum aliquid sit, congrua illi nequeunt adhiberi consilia: vnde & præceteris cauendum est prudenti, ne aliqui animi perturbatio menti caliginem offundat, faciatque vt fucus pro veritate sit: Sic etiam vires propriæ in quocumque facinore expendendæ erunt, ne fortunæ committatur, quod est committendum industriæ; ex quo etiam temporis occasio opportunè captanda est, ne eadem contempta, omne consilium irritum fiat; at præceteris à recto virtutis tramite numquam prudenti recedendum est, & etiam data, vt sæpè contingit optione, numquam honesto vtile, æquo iniquum præhabendum est.

Et si cuipiam Prudentia quoq; Æconomica exercenda sit, illud primum in delectu esse debet, vt in vxore ducenda bene moratam potius, quam illustrem, quam formosam ducat, ne sibi diuturnam sponte paret crucem: & vbi ducta fuerit vxor debet amoris testatione ita illius amorem promereri, vt facilè intelligat, non potuisse se in virum meliorem aut æquiorem incidisse. Is tamen modus viro cuique adhibendus erit, vt nihil fiat, vnde vxor insolescere valeat: siquidem tametsi æqualitas quædam inter virum, & vxorem sit à natura constituta, plura tamen sunt, in quibus fas est virum præcellere, atque eminere, ne vmquam vir sit collum mulieris iugo datufus; & si vir prudens vxoratus pater familias euadat, ipsi summopere liberorum cura adhibenda est, vt liberi ipsi optimè instituti optimèque morati educentur: At hic mittuntur alio, quę de Prudentia Æconomica dicenda sunt, vbi namque hominis Æconomi status à nobis proferetur, ea quoque discutientur omnia, quæ ad statum eiusmodi pertinere videbuntur.

Superest sola Prudentia politica, quæ hominem maximè dominum, ac maximè imperantem facit (vt inquit Aristoteles) eo autem modo quo Æconomica Prudentia in domo administranda, seù in regenda familia occupatur, eodem prorsus Prudentia Ciuilis in Ciuitatis aut Reip. moderatione versatur: hæcque in nullo magis residere debet, quam in eo, pœnes quem summa voluitur rerum, & sine quo nulla imperandi aut imperij potestas est; quod intelligendum est, siue ille imperans & summè potens vnus tantum sit vt in Monarchia contingit, siue sint pauci & optimates habentes rationem vnius in Aristoctatia: siue vna & tota populorum turba, quæ saltem vnius acceptatione, & obseruatione legis cuncta potest ciuili Prudentia dirigere. At cum sit negotij immensi, neque huius profectò loci, omnia attingere, quæ edisseri de Prudentia politica circa singulas Rerumpub. forma possunt, aliquid tantum erit nobis de Monarchia seligendum, in quo moderatoris Prudentia elucescat, indeque cœterisque quoque Rebuspub. aut imperantibus adaptetur; & cum imperantis munera ad duo speciatim tempora pertineant, belli videlicet, ac pacis, id ipsi potiori conatu curandum est, vt defixam animo, velut finem, habet semper populi salutem, Reip. securitatem & vtilitatem; Ciuium denique beatam vitam: Vt enim gubernatori cursus

secun

secundus, medico salus, Imperatori victoria; sic moderatori Reipub. beata ciuium vita proposita esse debet, vt opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honesta sit; Neque alium sibi curarum, laborumque suorum præmium proponere debet, quam bene administrandi gloriam, subditorum animum gratum, beneuolum, summo cum honore, summo cum amore coniunctum; eo modo quo amplissima fuit Traiano Imperatori merces, cum ad precantem populum audijt (sic te ament Dij, quemadmodum tu nos, nosque te amamus; nihilque felicius nobis, quibus illud optandum superest, vt nos non diligat Princeps, sed Dij quemadmodum Princeps.) Etenim illius tantum Principis stabilis fundataque magnitudo est, qui ita prudens est in regimine, vt omnes non tam supra se esse, quã pro se esse sciant, cuius curam excubare pro salute singulorum, atque vniuersorum quotidiè experiuntur; ac propterea etiam Cyrus apud Xenophontem conuenire cuiquam non censebat Imperium, qui non foret ijs, quibus esset imperaturus melior, quique adeò non obtineret supereminentem Prudentiæ virtutem.

Et certè cum Princeps populi causa debeat potissimum omnem colere virtutem, cum tritum sit illud Claudiani

——— componitur orbis
Regis ad exemplum

eaque Principum conditio sit, vt quidquid ipsi concipiunt in populos, & Ciuitates effundant, plusque exemplo noceant, quam peccato, debet cum ipsa Prudentia pietatem ostendere; tum vt diuinitùs obtineat, vt tanto oneri ferendo sit par, tum vt subditos fideliores faciat atque obsequentiores; debet Iustitiam quoque quæ virtus est, (ob quam vt ab Hesiodo vsque legimus obseruatum) Reges creati primum sunt, vt improbos nempè corripiant, bene merentes præmijs afficiant, ac summa æquitate ius suum cuique tribuendo dissidia componant; Vnde & fit, vt virtute hac functus Princeps, summo regiæ curæ munere defunctus videatur; nihilque reputet esse gloriosius posse aut augustius, quam Iustum audire, titulumque Aristidis promereri; debet denique virtutes cœteras profiteri nimirum fidem, fortitudinem, Clementiam, Modestiam, Continentiam, Liberalitatem, quæ omnes assolent indiuiduum in Principe cum ipsa ciuili Prudentia locum habere.

Exinde etiam debet studere Princeps prudens ingeniũ regni, seu Reip. diligenter pernosse, vt idoneam adhibere possit administrationem; sed cum ipse omnia solus vt par est omnia conijcere aut decernere possit, consiliarios adhibeat, quos ætas experientia, prudentia, probitas, candor, fides commendet; meminisse nimirum debet illius vatis qui cecinit

Ille quidem eximius qui per se se omnia nouit
Sed præstans etiam qui paret recta monenti:

quo ex capite admonetur, vt veritate non offendatur, sinceritatem amet, adu-

adulationem velut partem Reip. exhorrescat; neminem quoque admittens subditum vel administrum qui religionem, & pietatem in Diuinum Numen non seruet, quod fuit Mecænatis consilium ad Augustum. Det etiam operam vt Artes excitantur, & non solum ingenuæ à quibus decor præcipuus regni exoritur, verum etiam mechanicæ, à quibus præsertim vtilitas est; atque inter cœteras nauticæ & agriculturæ ratio habenda est, à quibus & necessaria suppetunt ad vitam, & exterorum commercia; neque ab eo diuertere debet, vt regnum opibus abundet, hoc est rebus omnibus ad vitam bene, commodèque transigendam necessarijs affluat, & cum luxus facilè irrepat, illum censura cohibere, ac interim operam dare, vt qui opulentia exundant, esse pauperes non patiantur qui diuitiarum alienarum culpa exarescant; Ad subditos verò quod spectat præoccupare coniurationes factionesque magnatum debet & munerum distributione, & testatione beneuolentiæ, ne sit, quod conqueri possint, sed etiam intelligant se in eorum secretiora penetrare consilia, molitionesque atque insidias pro libito detegere posse; & cum opus fuerit, ac si acciperet à Periandro consilium, nihil Thrasibuli nuncijs respondente, elatiores supra segetem mutilet spicas.

Eoque etiam à Principe prudente conuertendum est studium, vt si fuerint inter turbas & populos seditiones obortæ, illas quam primum compescat, ac sedet, aut interuentu virorum pietate ac meritis grauium, qui authoritate, & gratia valentes, animos regant, pectora mulceant, motus componant; aut nisi horum adhortationes, vel increpationes sufficiant, vim adhibeat armatam; neque malum ità serpere sinat, vt vires aquirendo, negotium grauiùs euadat, vulnusque prorsus insanabile; interim tamen Princeps, licet eius animum valdè comprimant ac torqueant hæc mala, sibi illud insusurret, quod sui solator proferebat Æneas

Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.

Denique vbi tempus adest belli militaris quoque Prudentia ea Principi adhibenda est, vt bellum ipsum nec temerè, nec iniustè suscipiat, suasque ira dimetiatur vires, ut si impares hostilibus sentiat, tum ab aggrediendo seù ab irrumpendo abstineat, tum irruptionem hostium non expectet, sed industria, arte, dilatione, aut aliquo lenimento ijs occurrat malis, quæ sibi & regno ingentem possunt accersete perniciem; easque præsertim in bello exerceat uirtutes, quas occasione Pompei commemorat Cicero pro leg. manil. nimirum, laborem in negotio, fortitudinem in periculo, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, Consilium in prouidendo.

Potissimum verò Prudentiæ munus, quæcumque fit (est in quacumque) re extrema declinare, mediamque in omnibus rebus agendis uiam tenere; de Prudentia siquidem præsertim dictum est, artem quamdam esse, qua medio itinere instituto, & bonum semper assequimur, & malum præcauemus; hacque ratione docebat Plato 4. de Rep. illam esse æstimandam optimam Rempubl. in qua ad regimen Prudentiæ assidet virtus, ac propterea ab ipso

æquè

æquè redarguuntur Spartani, quod immoderatis & sine prudentia permissis gymnasij & palæstræ exercitationibus adolescētiū suorum vires, & valetudinem corrumperent, atque itidem Sybaritæ qui adolescentes suos otio ac delicijs conficerent; omnia namque quæ excessu & defectu laborant facile cadunt ac propterea Icaro à parente præceptum latum est

——— *media tutissimus ibis.*

Sicut enim ordo, & pulchritudo naturæ concidit, si à medio aberrante natura monstrum producatur, ita decus & prudentiæ præstantia aboletur, si lumine ad extrema declinante, error in agendo contingat; ex quo benè Lycurgus omnem excessum & defectum in pertractādis reb. scopulos vocitabat in Rep. constitutos, ad neces & naufragia paranda; ac propterea idem Lycurgus militibus ac ducibus, quibus imperabat, iubebat ne nimis auderent in hostes, & postquam eos vertissent in fugam, tamdiu solum insequerentur, donec certa esset victoria, mox retrocederent. Extrema igitur in quibus vel excedat, vel deficiat debet vir prudens cauere, vt prudentiam exerceat.

Sic inter ea, à quibus vsus pendet absolutæ & perfectæ prudentiæ meritò à Philosophis docilitas recensetur; est enim ea, per quam alienis monitis atque consilijs facilè ac libenter homo animum intendit, paratusque est ad auscultandum alijs, alienisque consilijs parendum; audire quippe aliena monita, & consilia, ijsque morem gerere, maximum est in homine naturæ ornamentum, quod ipsi affert docilitas; cum enim humanæ vitę prudentia in reb. agendis versetur, quę in dies contingunt, harumq; infinitæ propemodūm differentiæ, varietates, atq; vicissitudines sint, ac proinde nequeant ab vna mente peruideri aut prouideri, ideo fit, vt in ijs, quæ ad prudentiam pertinent, neces se potissimum habeat homo ab alijs doceri atque erudiri, non modo sapientioribus, & senioribus, verum etiam imperitioribus & iunioribus; quos sæpè sæpius iubetur homo non tantum audire, cum ab ipsis quoque optimè viuendi leges hauriri possint, si sint viuentes sed ipsos quoque vita functos, hoc est eorum scripta & monumenta. Atque huc pertinere potest exemplum Luculli qui proficiscens in Asiam, vt scribit Tullius 2. Academ. cum totum iter ac nauigationem partim percunctando peritos, partim legendo consumpsisset, in Prouinciam factus iam Imperator venit, qui rei militaris ignarus Romæ discessisset; cum omnino verum illud Sapientis (prouerbium sit) audiens sapiens sapientior erit, nemoque sit sapiens apud semetipsum.

Atque id vsq; adeo faciendum putat D. Aug. vt ipsos quoq; senes, qui sapientiores esse solēt, & prudētiores allegare non dubitet ad magistros & prę ceptores licet. n. senes magis deceat docere, quam discere, magis tamen etiam eos discere decet, quam ignorare; præsertim quia (vt scitè habet Seneca) sapiens summopere sapienti prodest; Cuius docilitatis defectu interdum fit, vt quidam potiùs inerudite sapientes remanere satagant, quam ediscere, quod ignorant Horatium nequaquam audientes commonentem

Cur nescire prudens prauè, quam discere malo?

V licet

licet autem ab omnibus docilem virum fructum capere necesse sit, & discere seniores tamen atque sapientiores audire & consulere consultius est, qui ex vsu, experimentis, ac vitæ diuturnitate aptiores ad docendum esse solent; quam ob causam sępissimè Aristoteles peritorum hominum pronunciatis eodem modo ait attendendum esse, quam aliorum demonstrationibus; quin imo nihil magis infestum, prudentiæ esse putant sapientes omnes, quam sapientiorum consilia negligere, ac nolle audire, & si quis ex se ipso tantum consilium capiat, impudenti semper dicitur consiliario vti, cum in omnibus antiquorum historijs obuijs sint eorum exempla, qui spreta docilitate, missisque aliorum consilijs, aut exercitus amiserunt, aut patriam & Remp. euerterunt. Atque eiusmodi prudentiæ species præsertim in Regibus, ac Principibus optanda est, quorum tamen aures, neque semper pateant, opus est; nec nihil omnino sentiant, turpe est; quorum exemplar præ cæteris proditur Alcibiades, qui facilis adeò ac docilis ingenio fuit, vt diuersis moribus facilè consuesceret, diuersisque etiam consilijs pro libito gentium, ac negotiorum pondere se adaptaret; cum enim inter Lacedæmonios versaretur, seuerus & grauis dignoscebatur, in Ionia iners & mollis, in Thracia equitator, & sic de reliquis. Quæ etiam perhibentur de M. Antonio Romano, de Mithridate, alijsque innumeris mira in rebus agendis docilitate præstantibus; non enim Principi semper alijs consulendum est, sed sæpe etiam ab alijs per docilitatem accipienda consilia iuxta Claud. præceptum latum ad Honorium in 4. conf.

Tu ciuem patremque geras, tu consule cunctis
Nec tibi nec tua te moueant sed publica vota.



LEX



LEX XLIII.

AD

HOMINEM TEMPERANTEM.

OT sunt Temperantiæ bona humanæ rationi atque naturæ fauentia; totque intemperantiæ mala, quibus ad necem vsque, exitiumque supremum sensu perditus conflictatur homo, vt iure merito dixerint sapientes hominem sola temperantia beatissimum esse posse, sola verò intemperantia miserrimum atque scelestissimum, ijs fortasse innixi trochaicis versibus

Abstinentia opitulatur omnibus virtutibus
Flagitia interdicit omnia, qui indicit ieiunia.

& sanè quam ingentia proueniant homini, ex temperantiæ moderatione adiumenta, quamque contra magnæ sint atque perniciosæ luxus & illecebratum noxæ, ex eo perspectum fit, quod animæ hominum sensibilium voluptatum pondere grauescẽtes sunt adipibus suis uelut luto inuolutę, & dum multo sangue ciborum,& potus copia progenito venas implent, velut in cænoto natantes gurgite, ad nihil sublime, aut cæleste assurgere possunt: quam fuisse causam prodit Clemens Alex. lib.2. Pædag. Cur Pythagoræi Venerem sectati, Carnem comedere, vinumque bibere refugerent, ne scilicet menti serenam lucis vsuram habenti tenebræ offunderentur, diesq; iniucunda fuliginum ac vaporum appulsu toti homini efficeretur; ac denique per alogiam euaderet homo ex ijs animantib. brutis, quæ cor gerunt in ventre, quos Asinos Epicharmus appellat; Ita prorsus omnia mala, quæ aggerant, non minùs hominum crimina,quam supplicia in intemperantiam, sensuumq; lasciuientium proteruiam referenda demonstrat Porphyrius ex eo, quod in nobilium funeribus apud Ægyptios receptum erat, defuncti intemperantis ventrem à toto corpore eximere, atque in fluuium deijcere, vt ità cum ventre omnia defuncti peccata mergerentur, corpusque reliquum nulla sordescens labe tamquam victima Dijs purgata,& accepta exhiberetur, idque refert Porphyrius in lib.4.de Abstin. Cui subtexit Nazianzenus orat.16. consentaneè satis hominis ventrem luxu laborantem esse nauem illam ærumnosam criminib.

onustam, qua paris Helenam abduxit, & quæ malorum omnium, quæ Ilium opprescere vehiculum fuerat nuncupata,

Hac ideo de causa narrat Plutarchus Magnum Alexandrum cum infaustos cuperet euentus auuertere Coquos ab exercitu atq; à Regia sua relegasse; id etiam probantibus ea lege Lacedæmonijs qui teste Max. Tyr. ser. 7. Mithecum insignem condimentarium, cum primùm appulit Spartam, excedere statim finibus illis iusserunt, ne intemperantiæ cultu in ipsam Rempub. inducerentur crimina, Deorumque fulmina aduocatentur; Atque ob id tradit etiam Seruius in 4. Æneid. Veteres omnes tum Græcos, tum Romanos, à cibis, quæ satietatem atque intemperantiam afferrent abstinuisse, vnaque cæna quæ frugalitatem non excederet mensæ, fuisse contentos; ob id scribit Dicæarchus in lib. Antiquitat. Saturni temporibus, quibus ætas voluebatur aurea, ac simul innocens, homines reiectis carnibus, frugibus tantum, herbis, ac pomis vesci fuisse solitos

At vetus illa ætas non polluit ora cruore

testatus est Ouid. eaque Triptolemi præcepta circumferebantur; Venerandos Deos, Honorandos parentes, Carnibus non vescendum; vt coniectaremus impium æquè esse temperantiæ legem per esum carnium violare, atque ipsa aspernari diuiniora præcepta

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi
Alteriusque animantem animantis viuere letho

fatebatur idem Ouidius 15. Met. Qua ratione Cænam absque animalibus vocatam Cœnam puram habemus ex fine Asclepij, & etiam ex Plutarc. in lib. de esu carn. licet apud Iudæos, vt latè probat Baronius anno Christi 34. à nu. 154. Cæna pura dicta sit, qua homines quidam puri puro pane idest azymo vescebantur. Sicut contra Cænas impuras atque omni scelere contaminatas appellat Dio Grisosth. orat. 6. illas omnes, in quibus antiquitus grassabatur luxus cum abundantia ciborum ad insatiabilem vsque explendam cupiditatem, inter quas fuere præsertim Cænæ quædam Ægyptiorum apud Herod. Cænæ Indorum apud Lipsium, Cænæ Domitiani apud Scaligerum, & id genus aliæ, quæ ab alijs memorantur, in quibus ad omne nefas gulæ irritamenta prolectabant, simul & prouocabant.

Non itaq; sine ratione dum apud Philosophos & Sapientiores viros profertur intemperans homo, is quoque grauiorum scelerum notis inustus apparet; quin tantum crimen dicitur intemperantiæ crimen, tantamque perhibetur feritatem redolere, vt nullum vitium inter deteriora inueniatur, quod magis ad belluarum conditionem naturamque accedat, hominem ipsum reddens belluis cognatum atque simillimum; quam brutalem fœditatem in intemperantia constitutam licet aliqui negarint, suadentes, necesse quandoque esse ad rationis & Prudentiæ experimentũ edendi, & bibendi inire certamina; eiusq; rei licet monstrosa quædam protulerint exẽpla apud Persas, Germanos, & etiã Macedones, quib. inter pocula sæpè consuetũ erat de reb. Reip.

gra-

grauioribus consulere atque deliberare: & præter istos scribit Nicetas lib. 3. annal. fuisse quemdam Cametherum logothetam mortalium omnium gulosissimum, & bibonum facilè Principem, nullum vnquam ebrietatis dedisse signum, sed quò plus bibisset, eo prudentiùs immodica illa vini irrigatione excitato ingenio cum omnibus egisse; Darium imitatus, cuius sepulchro inscriptum fuerat (potui semper multum bibere, & vinum bene ferre) & Botosum illum quem dixerat Aurelianus natum esse ut biberet, non ut uiueret; nihilo tamen minus his omnibus ab intemperantiæ & ebrietatis fauore reiectis, sapientiorum consilium est, à quolibet intemperantiæ genere esse homini abstinendum, ne immanibus animi, & corporis occurrat ærumnis, ac rationis naufragio mergatur in crimina: fiunt enim homines (inquit Philo lib. de temulent.) per temulentiæ certamen hyberni torrentis more inundantes Velut naues in barathrum deuectæ atque submersæ, amisso rationis gubernatore, amisso clauo iuxta illud

Vinum hominum veniens velut ignis corda furore
Pellit ceù Lybici fluctuat vnda maris
Quam Notus aut Boreas agitant &c.

nec mirum si duci ebrioso atque intemperanti classem ducenti maritimam dixerit Anthistenes, Radis iter liquidum, non ad hostium, sed ad tui, totiusque Reipub. perditionem: sicut per ebrietatem atque intemperantiam Cyri exercitum à fœmina fuisse deletum refert Herodotus; per eamdem milites Annibalis eneruatos tradit Plutar. propter hanc Troiam à Græcis captam esse canit Virgilius

Inuadunt vrbem vino somnoque sepultam

hæcque denique (inquit Seneca) Alexandrum Macedonem domuit, quem tot prælia, tot itinera, tot hyemes, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimisere.

Sed vbi tot mala, tot scelera & flagiria in virum intemperantem congeruntur, consonum sunt etiam viri temperantis præconia enarrare; eo enim modo quo intemperans vir æquè animo, & corpore nequam est, ita vir oppositæ virtuti deuotus omnia reddit honestatis specimina; viuit enim adhuc gloria illa Spartanorum occasus nescia, viuit illa veterum Persarum celeberrima laus, quam illis solam temperantiæ virtutem contulisse fatetur Plutarchi, & si aliquod genus immortalitatis, & famæ non pereuntis sibi propria peperit virtute Iulius Cæsar, hoc maximè temperantia fecit testante Catone, atque Suetonio scribente vnum ex omnibus Cæsarem sobrium ad euertendam Remp. accessisse; sicut contra fama illa peragrantis gulæ, Veneris, ac luxus, qua olim Romani ipsi ad explendas appetitus libidines totum permeabant hominem, modo sine nomine sine fama delitescit, & si aliquod retinet nomen, id est numquam occidentis infamiæ.

Vir igitur temperans ille commendatur, non qui omni prorsus sensuũ vo-

luptate abſtinet atque illecebra, ſed qui ità ijs voluptatibus abſtinet, quas proſequi non decet, cuiuſmodi ſunt non naturales aut illicitæ, legibusque prohibitæ: aut valetudini noxiæ, aut famæ labefactatrices, aut rei familiaris decoctrices; qui vero voluptates quibus nihil eiuſmodi ſubeſt, moderatè capere non deuectat, is ſanè temperantis nomen poteſt obtinere, vt docet Ariſtoteles in Nicomachijs; vnde efficitur vt qui omninò in voluptates debacchantur, valdè ſuſpecti ſint, quaſi id omne humanum ſit, atque ſecundum naturam, cuius natura ipſa indidit cupiditatem; mirumque idcircò non ſit, ſi cum virtus eſſe dicatur viuere ſecundum naturam, tam pauci virtutem ſectentur: ex quo etiam efficitur vt eſſe quidem virtus poſſit ab omnibus omninò voluptatibus abſtinere, verum illa non erit temperantiæ virtus quæ naturalis ſit in mediocritate ſolummodo atque voluptatum moderatione occupata, eas minimè refugiens quæ ad vitam commodè tranſigendam neceſſariæ ſunt; & licet hæ res plures eſſe poſſint, & ſint, qui vitam ſic inſtituunt, ut Veneris omnis expertem traducant; nemo tamen eſt, vel eſſe poteſt, qui ſic vitam inſtituat, ut omnis cibi potuſque vſum ſibi interdicat: Victu quidem tenuiſſimo ac parciſſimo poteſt quis nihil creare ſeminis, quo ſollicitetur ad Venerem; verum cum naturalis calor radicale humidum iugiter depaſcatur, non poteſt id efficere facilè non extabeſcat penituſque idem humidum exareat, niſi ſuffectis cibo ac potu eiuſdem humidi iactura in dies reſarciatur.

Ea tamen indicitur cuicumque homini temperantiæ lex, vt omne voluptaris quod conſonum eſt naturæ egeſtati, percipiat citrà ſaturitatem; quod præſertim ſeruandum eſt in conuiuijs; non deſunt enim virorum temperantium exempla, qui ut citrà ſatietatem veſcuntur, ità vitam degunt ſaluberrimam atque diuturnam, & nemo eſt, quem non pœnituerit ad ſatietatem vſque ſtomachum in conuiuijs impleſſe; quo loco taceri non poteſt Diogenem haud abs re miratum velle homines comedere voluptatis gratia, & nolle tamen ob eamdem cauſam à comedendo deſinere, cum longe maior voluptas ſit bene valere, morbis doloribusque carere, quam ciborum repletione oblectari; quin ij omnes videntur inſani, qui ità illecebris capiuntur, ut voluptatum præſentia faſcinati, futura mala gaudeant ſuſtinere; idque eſt quod Democritum non minus ad riſum quam ad hominum deriſum prouocabat, cum intueretur homines pro ſanitate Dijs offerre vota, quam tamen vltronea victus & voluptatum ſolutione profundebant; hacque ſanè de cauſa videmus uiros ruſticos, qui ſimplici pane, fructibusque & aqua veſcuntur eximiè valere, neque medicamentis aut Æſculapio indigere, ſicut ij qui lautis ſemper utentes menſis, in dubia quoque iugiter valetudine verſantur, atque medicorum opem implorant; nec mirum ſi Pythagoræi ſimplicibus ad cibum, & potum naturæ donis contenti animalium carnes venena putauerint facilè homines perimentia; quemadmodum etiam Cyrus apud Xenophontem venenatam in vino qualitatem agnouit, cum in

Aſtya-

Astyage alijsque conuiuis & labascens corpus, & mentem emotam præ vini potu animaduertit.

Neq; est admittenda hic illa Socratis doctrina apud Platonem hominem quemcumque etiam per immodicam voluptatum vsuram temperantiæ fines numquam esse egressurum, cum voluptates eiusmodi hominis appetitui adaptatentur, cui etiam naturales seù secundum naturam esse dicuntur, cum enim voluptates illæ non æquo semper modetamine aut sensibus, aut facultati appetenti obiectentur, fit inde homine in solo modico vsu temperantem dici, in immodico intemperantem; Et licet non consentiat plenè Aristoteles hominem intemperantem esse ex excessu earum voluptatum quæ capiuntur oculis nimirum ex rerum pulchrarum aspectu ex eo quod obiecta sint ipsi sensui & naturę consona; tamen ad intemperantiam vsq; insanire visus est Damasippus ille apud Horatium lib. 2. ser. qui picturis, tabulis, signis & statuis ità oblectabatur, vt reliquas omnes etiam naturę necessarias prætermitteret operationes de quo iure dictum est

Insanit veteres statuas Damasippus emendo


quod etiam de Caio Verre narratur apud Ciceronem, qui omnem in hoc genere superans modum atque cupidinis rationem, morbo quodam intemperantiæ laborare creditus est, dum in eiusmodi rerum studium nimio æstuaret ardore; Quemadmodum etiam antiquis Persarum ac Medorum Regibus, Augusto quoq; & Neroni intemperantiæ probro datum est, quod modulos, cantus, & acroamata auidiùs quam par esset, insectarentur. Vnde quoquo modo fatendum est quod licet temperantiæ virtus præsertim inter fines gustus & tactus ab Aristotele claudatur; cum tamen etiam temperantiæ munus sit, vt ait Cicero in lib. 1. de off. in rebus omnibus ponere modum, & moderamen, & possit modus iste etiam in aliorum sensuum voluptatibus, & etiam ipsius animi oblectationibus adhiberi, consequens est, vt ad hæc vniuersa Temperantiæ virtus aliqua saltem communi ratione spectare dicatur; ac proptereà intemperans Sophocles Tragædiarum scriptor dictus est à Pericle Atheniensium Principe cum pueri ingenui prætereuntis formam impensioribus verbis laudaret; intemperantes quoque in scientijs suis vocat Plato philosophos, qui in sola peruestigatione veri iugiter versantur. Sic denique intemperantem Archimedem appellarunt plerique quod dum patria caperetur ab hostibus, lineas ipse studio suo intemperanter deditus, duceret in puluere.

Verum tamen est, quod licet cęteri sensus quoq; in homine, nimirum, Visus, auditus, & olfactus quodammodo intemperantiæ subijciantur, ac propterea plerumque temperantiæ moderamen expostulent, præsertim tamen in his quæ ad gustum & tactum pertinere dicūtur debet vir temperans studium suū impendere, ne in excessum luxu & libidine dilabatur; exemplo quidem illius Philoxeni Erixij instituendus, qui cum ab annorum initio vir esset minimè voluptatius, neque immodica comedendi voluptate detineretur, paulatim eò

intemperantię deductus est, vt collum sibi dari tricubitale optaret à Dijs, quo maiorem in transmittendis cibis perciperet voluptatem cui persimilis quoq; fuit Erysisćthon ille, quem describit Ouidius lib. met.

Inque epulis epulas quærit, quodque vrbibus esse
Quodque satis poterat populo, non sufficit vni
Plusque cupit, quo plura suam dimittit in aluum.
Sic epulas omnes Erysicthonis ora prophani
Accipiunt &c.

Generisque eiusmodi fuere olim apud Græcos, deinde etiam apud Romanos Athletæ quidam homines voracissimi, qui maxima edacitate, ebrietate, ac summa Venereorum libidine non absque magno Reipub. detrimento perdebantur; neque hic recensendi sunt omnes notissimæ famæ intemperantes viri, qui ferè sine numero habentur; quemadmodum etiam innumeræ sunt veteres sumptuariæ leges in auxilium temperantiæ latæ, quæ apud Ciceronem, Liuios, aliosque plures uideri possunt, ex quibus deprehendi facilè potest in huiusmodi sensuum voluptatibus cohibendis præsertim temperantiam versari, vt supra dicebamus.



LEX



LEX XLIV
AD
HOMINEM FORTEM.



Fortitudine, quæ inter virtutum cateruas sola incedit maiestate decora, & dignitate præcelsa suum obtinet nomen virille, qui dicitur Fortis; eaque est, quæ si bellicis prodeat instructa vexillis, bellatorem facit, si trabeata paludamentis exiliat, ciuē magistratibus ornat; si fracti animi nescia priuatos quosque ad subeunda vel sustinenda pericula roborat, hominem dicitur ab omni ictu præstare immunem, longèque meliùs quam Ceneos Laphitarum Reges nullis efficere vulneribus obnoxios; aut enim sumitur fortitudo vt speciosum honestatis genus vniuersè, vel tamquam obfirmati animi robur in periculis, laboribusque vincendis, vel denique tamquam ciuilis & militaris iudicij dictamen ad fortia peragenda, atque his omnibus modis accepta hominem habet inuicto animo præclarum constituere; & licet fortitudo ad mala etiam quædam leuia, facilia & familiaria perferenda extendi possit; imò perutile sit ijs quandoque sustinendis assuescere, vt prima capiantur fortitudinis rudimenta, ea tamen ob quæ superata aut superanda fortitudinis virtus magis enitescit, ardua esse solent atque difficilia.

Non ità tamen in mala aut pericula arduiora irruendum est forti viro, vt cęco quodam feratur impetu, & ad quiduis adoriundum sua sponte procurrat, fortis namque fortitudinis characteres non ostentat ex eo, quod omnia semper prouocet mala, & aduersum omne interrito semper animo aspernetur, sed qui mala ipsa non sagaciter adit quoties & quatenus oportet; Non est fortitudo (inquit Senec. Epist. 85.) inconsulta temeritas, aut periculorum amor, aut formidabilium appetitio, sed scientia est eorum distinguendi, quæ fortiter subeunda sunt, qui etenim, vt par est, mala metuit, & refugit, atque etiam vt addecet, mala ipsa contemnit, lætoque suscipit vultu, is est qui verè dicitur fortis; sed ibi illustrior præmicat fortis viri virtus inuicta, vbi potiùs malorum sedandus est metus, quam regēda est eorumdem fiducia, atq; nobilius sanè gloriæ decus adepti sunt illi omni temporis æuo, qui difficiles atq; asperas res erecto semper & infracto animo tulere depellentes metum, dolorisque morsus acerrimos peruicere, quam qui audentiori impetu in aliorum

preces

preces & clades exarsere, quod Thesei exemplo apud Senecam apertissimè innotescit, qui post grauissimos exantlatos labores, in quibus perferendis sepœnè defessum fatetur, inde suæ fortitudinis decus accersit

Sed fessa virtus robore antiquo iacet
Trepidantque gressus. Heù quantus labor fuit
Plegetonte ab imo petere longinquum æthera
Pariterque fortem fugere, & Alcidem sequi.

eaque præsertim viri fortis illustrant nomen rerum discrimina, quæ vel ex rebus nascuntur publicis, ex bello scilicet Tyrannide, patriæ euersione alijsque huiusmodi, vel ex priuatis progignuntur negotijs & oneribus, qualia sunt exilij, carceris, seruitutis, ignominiæ orbitatis mala & id genus alia, quæ omnia obstinato ac minimè nutante animo lata fortem depredicant cuius specimina dedere Atheniensium, Thebanorum, Chartaginensium, ac Romanorũ illustrissimi Ciues, neque patrias lugentes perditas, neque in perditionis discrimen adactis animo consternato miserantes; qui etiam quo maiori ex publicis calamitatibus dolore angerentur, eo validiori robore animum excitabant, ea ad capessendam fortitudinem sibi parantes præsidia, quod vna sit semper omnium rerump. sors & vicissitudo, quam impedire operis aut laboris nostri non sit, nostrumque non esse præscriptam à supremo rerum moderatore ordinem inuertere, aut fata, diuinæ nimirum prouidentiæ decreta commutare; Quo etiam fortibus viris longè satius esse dispicitur proprio assensu fortiter prouocato malorum asperitatem lenire, quam reuisu adhibito, eadem nocentiùs exasperare.

Nec dispari modo ea aduersus mala, quæ ex priuatis calamitatibus, atque inconstantis fortune ludibrijs; proseruntur se gerit ille qui dicitur fortis; id namque amaritudinis genus, quod assolet experiri in adempta sibi patria, dum exul & exterris obuagatur, vix percipit animus malorum triumphis deditus ac deuotus; dum enim patrio ablegatur solo, cogitat deferre secum in alienam regionem ea bona solidiora quibus vbique locorum beatè viuitur, ciuemq; potiùs & totius accolam mundi se putat, quam vnius patriæ labentis, atque excidio subiectæ

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor
Vt volucri vacuo quid quid in orbe patet

ad se ipsum solandum canebat exul Ouidius. Et minus dura fortasse etiam viro forti agitur res, si carcere, vel seruitute teneatur; animum enim quem fortitudo roborat aduersis non sat est carcer prosternere, nec valent compedes reuincire; tanto siquidem tranquilliùs atque preclatiùs carcere, vel seruili iugo vtitur fortis, quanto conclusum carcere & vinculis corpus sub ampliore animi serenitate apricatur id testante satis Anaxagora fortissimo viro, qui dum carcere detineretur egregium conscripsit librum de quadratura circuli Socrate, qui in vinculis non solum eximiè philosophatus perhibetur, sed etiam carmina edidisse animo deducta sereno, Boethio denique

ipso

ipso qui compedibus religatus illustriora de animi libertate monumenta cōgessit; Maior quippe semper est animus viri fortis, quam vt vi cogi possit, ergastulo detineri, aut alieno imperio subiugari; & licet captiuus Romam ductus sit Iugurtha amisso regno, ad carceris tamen ostium dicitur consueto Regis more iocatus, eoque modo quo ignis aurum explorat, tempestas gubernatorem, bellica pericula Imperatorem ac Ducem, ita iuga seruilia numquā pressa gestata ceruice virum indicant verè fortem erecto non minus collo, quam animo manentem, & si plerumque contingat etiam forti eripi corporis libertatem, libertas tamen quæ in animo est nec flecti valet pro herrili arbitrio, neque vllis vinculis detineri; notumque omnibus est quam infractus fuerit Epictetus in dura seruiendi necessitate, quam interritus Diogenes, cū suum venditorem vendere quæritaret, quam liber Nicetus, cuius fidem non extorsit, non integritatem, non regendi prudentiam amissa libertas sub Rheginorum Tyranno.

Ex iactura denique liberorum, amicorum, diuitiarum, aliorumque huiusscemodi bonorum minus etiam iactari solet, qui dicitur fortis vir, nouit enim querimonias lamentationes & suspiria aduersus fatū inutiliter effundi, quippe inexorabile cum sit, erepta quibus muliebriter torquemur, numquam restituere consueuit, quod deprehendere facilè fuit fortissimis viris nullo vmquam casu, nulla orbitate, aut infortunio infirmatis; & si tandem terribilium postremum accedat, nimirum

—— Mors vltima linea rerum

neque huius ad occursum pauescit vir fortis, dummodo honestatis caussa succurrat siue enim in bello occumbat, siue in lecto, vel inter æquoris tempestates decedat, nihil honestiùs se agere putat, quam si pro honestate exuat vitam, & Hercules ipse non eo tantum temporis quo viribus pollebat & robore, sed etiam cum lethale virus intrà venas fureret, rabieque anhela artus squallentes vreret ità exclamat, dolet, cœlumque querimonijs implet apud Senec. in Hercul.

O' misera virtus summus Alcidæ dies
Nullum malum prosternit
Vtinam meo cruore satiasset suos
Nemæa pestis rictibus, aut centum anguibus
Vallatus hydram tabe pauissem mea.

At licet in forti illustriores fortitudinis actus sint illi duo, quibus terribilia fortiter pati, & sustinere dicitur; eademque terribilia fortiter aggreditur ille tamen ex infractiori animi robore præmicat actus, quo potiùs mala sustinet, quām quo in malorum aggressionem fertur ex audacia; difficiliùs namque semper fuit sustinere quam aggredi, cum is, qui aggreditur cogitet malum solum à longinquo sibi imminere, dum alteri malum ipsum intentat, qui verò sustinet, malo vrgetur præsenti, & velut ex propinquo cum hoste colluctatur, quod sanè operosius est; Aggressio si quidem quidam

impetus

impetus est à pectore fortis erumpens, qui facilè transit, ac citò euanescit; sustinentia verò diuturnitatem quidem laboris, sed etiam gloriæ habet adiunctam; Quod fortasè indicare voluerunt Lacedæmones in bellatoribus suis, qui in prælia prodituris soleas, seu calceos plumbeos conferebant, vt ipsis pugnantibus simul & vulnerum sustinentiam, semperque præclusam suaderent fugam; quo etiam Concilio interdum militum collo religabant anchoras, vt earum tenaci morsu vno milites in loco fixi, ibi hostium impetus fortius reprimerent sustinendo, quam inuadendo; Quod de Leonide præfectim Spartano refert Maxim. Tyr. dissert 39. quem nemo persuasit in castris paululum recedere, vt Xersis impetum melius retunderet, immotus sustinens pugnam, quam se exerens in hostem ad parandam victoriam.

Quin etiam vt aduertit Ioannes Caso lib. 3. specul. moral. fortes potiùs à ferendo, quam à feriendo dicti sunt, ideòque æquiùs semper laudem fortitudinis ferenri fuisse tributam legimus, quam ferienti; & inde aiebat Heraclitus Deos ipsos sustinentes magis honorare, quam audacirer mala aggredientes; & si fas est priscum scriptorem Tyrsæum de bellica gloria philosophantem audire, hoc excipiemus sustinentiæ elogium fortibus bellatoribus adaptatum (Nullus in bello fortis, qui non sustinet cœdem videre cruentam) & propè hostes stare cupiat infractus; non verò fortium genus est, quod Cyclopum audaciam habet, atque in consultum aggrediendi robur; eaque fortasse de causa refert Dio Grisost. in orat. 3. peruerustum fuisse Græcorum morem in prælijs adstantem habere Principem, qui militum patientiam ijs verbis roboraret (Durate, Durate) quæ postmodum etiam à Virgilio vsurpata sunt

Durate & vosmet rebus seruate secundis

vt illud velut illustrius susciperent milites pugnandi genus, quo furenti, atq; exundanti hostium agmini per inuictam sestinentiam minimè cederetur, quam quo innumeri bellatorum exercitus per aggressionem deuincerentur; cuius rei testem adhibet Seneca in Epistol. 12. Horatium Coclitem illud militaris fortitudinis lucidissimum exemplar; immo vt inquit Liuius, fortitudinis simul & audaciæ miraculum, qui solus non aggrediendo, sed sustinendo hostes vicit & fugauit.

Rationem verò ad hanc rem pulcherrimam videtur afferre Plato in Protagora, & etiam in Lachete, vbi ferocitatem à fortitudine secernens, docet, fortitudinem, quæ animi potiùs, quam corporis ornamentum est, in actu ad ipsam animam spectante relucere magis, quam in corporis officio, atque exercitatione; est autem potiùs animæ munus ex honestate pati & sustinere, sicut corporis aggredi & inuadere; atque inde concludit fortiùs in bello esse proprium sanguinem effundere vt non vincamur, quam alienum vt vincamus. Sic ferociam alienæ cædi atque cruori inhiantem potiùs quamdam hominis efferationem appellauit Procopius libr. 1. de bello Gothico, quam fortitudinem veram, cum sæpè eiusmodi in alios fera crudelitas

delitas ab honestate desciscat, quæ fortitudini proposita est; hincque minimè fortes dicendi sunt lanij illi, qui quotidie pecora iugulant, mactant boues, alitumque cruore consperguntur ac madent; nec forte Cyclopes illi, quos ex concisis, discerptisvè humanis artubus saginatos, & sanguine potatos legimus; nec verè fortes gladiatores Romani, qui numquam sanguine expleti ad eius arenam quotidiè procurrebant. Experimento namque comprehensum est, eos omnes, qui cruentis eiusscemodi spectaculis capti sunt, pauidissimos, imbelles maximè, atque infirmissimos extitisse; Claudio enim Cæsare, qui sub prandij tempus, eos, qui in theatro dilaniabantur, studiosè spectabat, eoque admodum oblectabatur spectaculo, nemo legitur infirmior, aut imbecillior; Commodo etiam Imperatore eodem morbo laborante nihil extitit ignauius, aut à vera fortitudine alienius. Et quantus lanista fuerit Nero, sed quanta etiam animi imbecillitate deiectus, omnibus notum est; Quinimo obseruatum est, ex quo Romæ spectaculorum cruentorum vsus increbuit, emarcuisse penitus populi Romani fortitudinem, & mascula quondam pectora affuso toties cruore adeò emollita fuisse, vt tot centenna millia, quæ quotidiana laniena pascebantur, à paucis militibus vincerentur, & pro imperantium libidine conciderentur.


Hinc plerique togatam fortitudinem, quæ tantum sustinens est, bellica præstantiorem esse autumarunt, ijs fortasse ducti rationibus quod fortitudo bellica vt plurimum hostes inuadens, victoriam tantum, lucrum, & Reipublic. securitatem affectat; togata verò quæ perferendo & sustinendo exercetur, nihil aliud expetere videtur, quam ipsam agendi honestatem, atque in eo potissimum versatur quod turpitudini non cedat; magis siquidem rationi obtemperans est fortitudo togata, quæ semper tranquilla est, & composita, quam bellica semper furens, sanguinisque sitiens; ac propterea in Græcorum Rep. Nestor Achilli, apud Romanos Tullius Cæsari, apud Athenienses Aristides Pericli prælatos accepimus; & ea fortasse de causa pulchram describit Ouidius Met. inter vtramque fortitudinem contentionem, qua ab vnaquaque palma speratur, canit enim

Quippe manu fortes (nec sunt tibi Marte secundi)
Consilijs cessere meis. tibi dextera bello
Vtilis ingenium est, quod eget moderamine nostro
Tu vires sine mente geris; mihi cura futuri est
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides; tu tantum corpore prodes
Nos animo &c.

Cœterum quicumque verè fortis dicitur ijs finibus contentam debet habere virtutem suam, vt inuicta quædam in animo firmitudo sit aduersus omnia quæ ardua sunt, tum perpessa, tum aggressa difficilia mala, pro-

posita iugiter honestatis atque æquitatis meta; ex quo Plato iure redarguit Protagoram fortium albo adscribentem quosdam profanissimos viros atque iniustissimos, qui robore tantum corporis vel animi fortitudinem metiebantur absque honestatis atque æquitatis lege; hincque præsertim laudatum accepimus Agesilaum, qui interroganti. Iustitia ne foret, an fortitudo melior, respondit, si omnes Iusti essemus, fortitudine nihil opus esset.

)·(





LEX XLV.

AD

HOMINEM MORTIS ASPERNATOREM.

NON omnis omninò mortis timor abigendus eſt in regno virtutis neque mors omnis æquo animo ſuſcipienda, quoddam enim mortis genus eſt, quod perhorreſcere fas ſit, quoddam verò minimè formidandum, ità nimirum vt ingloriæ mortis diſcrimina ſint iugi declinanda virtute, glorioſa verò eiuſdem mortis pericula libentiſſimè ſint amplectenda, atque interrito vultu excipienda. Hinc ortum duxere tot bellatorum quærimoniæ genus omne in gloriæ mortis, & turpes interitus abiurantes, id ſummoperè auuerſantes quod ignobilem ſibi poſſet ex morte famam prouocare; atque inter cæteros dolens apud Homerum memoratur Achilles Illiad. 21. cuius verba ſunt

——— Cauſa æquior eſſet
Si fortis fortem interimat, nam mortis honeſtæ
Impia fata adimunt ſolatia. Scilicet iſto
Obruar in fluuio ceù natus patrè ſubulco
Quem torrentis hyems ignota condat arena

Sicut etiam Æneas apud Virgilium Illiacis mallet occubuiſſe in campis, quam in mari, medijſque fluctibus interire; & idcircò Thyeſtes apud Ennium optat vt Atreus frater, quem odio proſequebatur acerbo, naufragio pereat, quod genus illud interitus inglorium prorſus ſit, magniſque viris dolorem afferat non ferendum; Vlyſſis mœrore id ſatis euincente. Odyſſ. quintò, cum mortem ſibi ex maris tempeſtate imminentem extimeſceret; eoque ſemper collimarunt omnium illuſtrium virorum querelæ, quibus ſe prodidere ægerrimè ſuſtinentes mortem ex morbis, vel ex alio obſcuro caſu aduentantem; qua de cauſa laudatur

adhuc Locrensis ille Aristides, qui ex Tartesiæ Mustelæ iam moriturus pronunciauit acerbissimum illum casum minùs grauem sibi futurum si à Leone vel parduli contigisset,id scribente Æliano lib.var. hist. postremo.

Ius igitur inuiolandum in regno virtutis constitutum est,quo præstātibus viris inhibetur ignobilem & gregariam mortem oppetere,sicut contra eiusdē virtutis lege statuitur, periculis & morti obuiam eumdum esse cum ex causa optima & honestissima parantur; ex quo Poetæ ferè omnes mortem in acie gloriosè susceptam pulcherrimam semper appellarunt

——————Corpora bello

Obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem

quemadmodum etiam in hac re pulcherrimè testatus est Xenophon, cum renunciata sibi sacra peragenti filij morte in acie cum pro patria strenuè dimicaret, interfecto, absque suspirijs & dolore inchoatum perfecit opus; vetat namque apud Ausonium Spartanus ille Thrasibuli pater gloriosas lugeri mortes in bello susceptas. Quapropter sapientissimè Plato 8. de rep. eos accusat, à quibus fortes ac virtute præstantes dicuntur illi, qui res omnino indecoras ac turpes nō reformidant,cum sit virtutis munus in ijs obuersari rebus, malisque fugiendis aut sustinendis occupari, propter quæ, qui non metuit, laudatur, & nemo sane ea propter laudabitur quod indecens mortis genus non refugiat. Non memorandus ille vir, nec vllo habendus in pretio videtur(inquit Heraclitus apud Theodoret.lib 8.contr.Græc,si non sustinent pro patria cędem videre cruentam quamuis Cyclopum habeat magnitudinem, & robur, licet currendo Thracium vincat Aquilonem, atq; Tantalidem Pelopem) exsuperet; Marte namque cesos pro patriæ incolumitate Dij ipsi honorant,genusque aureum sapientes omnes appellant.

Non sunt verò fortes mortis aspernatores illi censendi, qui occurrūt morti licet inuictè,aut necessitate compulsi,aut à ducibus suis quoquo modo adacti; qui enim sua sponte ab interitu animos retrahente pauore ab extremis se abstinent periculis,etiamsi vi quadam in pericula adigantur, veræ fortitudinis decus non assequuntur; Quales fuere Persæ illi cum Græcis ad Thermopylos pugnantes apud Herod. qui eo solum non retrocedebant in bello, quod duces retrocedētes omnes grauiter cęderent,ipsis etiam mortem minitarentur; quales etiam milites Agatoclis quorum naues transportato in Africam exercitu crematæ sunt,vt sic intercluso in Siciliā regressu desperato reditu fortiùs Victoriam captarent. Quales denique bellatores emeritæ fortitudinis sub Dario, qui ideò mortem non exhorrebant, quod mori deiecto ponte, quo in Scythiam transierant necesse foret; his siquidem omnibus necessitate solummodo aut vi compellente fortiter pugnantibus veræ fortitudinis Decus obrogari, neque veros esse mortis aspernatores Aristoteles ipse fatetur libr. 3. Ethic. capitul. 6. qui etiam docet plerosque decantari posse egregio animi robore insignitos,licet non semper,non vbiq; occurrant morti fortitudinis enim honestatem præsefertet in milite, atque etiam in duce fuga

illa

illa quam ob Reip. commodum, aut Ciuium salutem sponte subiret; quia valde turpe esset & indecens in bello occumbere, si plus cōmodi ex fuga quam ex morte spontè suscepta esset patria aut Resp. acceptura; eaque de causa Varroni post prælium Cannense à populo & Senatu Romano gratiæ actæ sunt, quod vitæ suæ consuluisset neque de Repub. desperasset, vt egerat eius collega L. Paulus, qui amisso exercitu equum quo fugeret noluit à Lentulo acceptare neque cladi superesse, quod scribit Liuius lib. 22.

Bonum igitur Patriæ, exercitus atque Reip. tum in oppetenda, tum in fugienda morte spectandum est; vbi fortitudinis gloria capessitur; eorumq; increpat Seneca lib. 1. de Clem. militarem & bellicam fortitudinem tamquam ineptam, qua hostium lassata patientia ab ijsdem nil ampliùs boni spectantibus atque in omnem desperationem actis, sæpè vincentium extorquetur exitium; qua de causa lethale semper creditum est vrgere adeò hostes in prælio vt desperare cogantur, eo quod tunc ductis à ferro viribus animo ità inualescunt, ut eos ipsos perdant, à quibus ipsi perdi metuebant; Quod prudenter cauens Themistocles, cum Xersis fugam interpellare cœteri Græci obstinassent, & Pontem quem ille apud Abydum fecerat, intercidere fixum haberet, alijs de eo græcorum euertendo consilio vijs frustrà tentatis, ipsū Xersem clàm maturè monuit, vt aufugeret; & pontem præoccuparet; verebatur namque sapientissimus Themistocles, ne desperatio animos & vires adderet Xersi, & exercitus rabiem furoremque in Græciæ excidium incenderet.

At mortis contemnendæ id potissimum cuicumq; in causa esse debet, quod nulla potest in eo esse vitæ tranquillitas, cui cum moriendi necessitas sit, mortem ipsam quasi rem malam exhorrescit; non enim sanè potest mortis periculis per contemptum ille assuescere eiusque metum omninò excutere, qui mortem malorum omnium maximè horrendum extimescit, cuius timori abigendo adnixus summoperè Epicurus eá inducere persuasionem conatus est, vt mors non modo omnium malorum maximè horrendum non sit, sed nec vllum quidem sit malum, imò potius bonum, si honesta illius suscipiendæ causa occurrat; cum enim mors ex sui natura & ratione quædam malorum priuatio sit, quibus in hac vita cruciamur, hac saltem ratione bonum potiùs quam malum erit mors ipsa diiudicanda, & licet cœteræ quidem priuationes quæ constante sensu contingunt, haberi quoquo modo incommodæ possint priuatio tamen quæ sensus est, omnemque adimit sensum numquam incommoda aut molesta erit percensenda; hinc proinde est quod Plutarchus scribit eleganter dictum ab Arcesila, mortem quæ malum dicitur, neminem vmquam molestia præsentia sui affecisse, solamque esse animi abiectionem, calumniasque in mortem fusas, quæ absentem faciant formidabilem; indeq; est etiam quod apud Stobæum Anaxagoras dixerit, doceri nos posse, quid id rei sit ex antegenitali tempore & somno, qui dicitur mortis imago, scilicet vt nihil graue fuit nihil sentire nos, antequam sensum accepissemus; sic neque esse potest graue, postquam sensum amisimus; & vt non ægrè

ferimus donec somnus est, quod non vigilemus; sic neque possumus, donec mortui sumus, ęgrè ferre quod non viuamus; quæ omnia in Christiana philosophia ita accipienda sunt, vt mors intelligatur illius vitæ priuatio, quæ tantum in sensu & in corpore est, non in animo qui immortalis habetur.

Illud quoque aliud mortis aspernator ex mortis contemplatione addiscere potest, id prorsus stultissimum esse, quod mentem humanam penè assidue divexat, nimirum numquam moriendi desiderium; licet enim aliquo bono in hac vita mortali perfruamur, cuius conseruationis desiderio simul sollicitamur, & torquemur; atque ob id indiuiduus nobis adsit Acherontis metus, quasi is

——— vitam turbet ab imo
Omnia suffundens mortis nigrore, nec vllam
Esse voluptatem, liquidam, puramque relinquat.

tamen si id spectemus quod ad reprimendam vitæ in immensum producendæ cupiditatem facit, præclara admonitio erit, vt conditionis memores non plus affectemus quam per ipsam licet, ac interim sine æstimatione hoc vitæ munere potiamur, quale quantumque conceditur; eoq; nobis solum gratificatam esse naturam deprehendamus, quod ad certum tempus visuram spectaculorum suorum concessit; ne simus infensi, quod tempore exacto discedendum sit, tamquam non alia lege admissi, quam vt locum cedamus alijs, quo pacto alij cesserunt nobis. Vnde etiam meminisse fas est sortitos nos esse obnoxium interitui corpus, & ex conditione necessariam factam conditionem moriendi, vt si delectat nos fuisse natos, denasci quoque numquam molestum sit. Quamobrem vbi de vita vel interitu agitur, sua cuique die sic stante, vt velut in stadio decurrentes ad metam velimus, nolimus, decurramus, ita temperandum est viuendi desiderium, vt æquè vitam & mortem æstimemus; & quæ flecti fata non possunt, nolentes quoque trahentia, contemptu quodam proprioque assensu lenienda sunt, & voluntatis sponte, vbi oportuerit, etiam adeunda, quemadmodum suadet optimè etiam Lucretius afferens illustrium virorum exempla, qui omnes fuere mortis contemptores.

Hoc etiam tibi tutè interdum dicere possis
Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror
Ossa dedit terræ proinde ac famul infimus esset
Adde repertores doctrinarum atque leporum
Adde Heliconiadum comites, quorum vnus Homerus
Denique Democritum postquam matura vetustas
Admonuit memorem motus languescere mentis
Spontè sua letho caput obuius obtulit ipse
Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ.

quibus liceret quoq; cum Epicteto addere Socratis exemplũ, qui mortem nõ modo futuram, diuq; expectatam non timuerit, sed præsentem quoq; leniter specta-

ſpectauerit, atque vt rem minimè timendam ſemper habuerit, eos omnes in hac redarguens, qui nullam quantumuis iniquam viuendi conditionem recuſantes, quacumque ratione mortem declinant, ſi poſſint, quorum præſertim meminit Homerus in ea ſententia verſantium, longè meliorem eſſe quamcumque viuendi ſeruitutem

Quam vita functis dominarier omnibus vnum.

Quemadmodum etiam de Mecænate dixit Seneca epiſt. 101. in eo fuiſſe turpiſſimo voto, vt neque corporis imbecillitatem, neque deformitatem, neque crucem acutam recuſaret, dummodo inter hæc mala vita ſuperſtes eſſet, & ſpiritus prorogaretur.

Non debet tamen homo ità mortem aſpernari, vt velut Diodorus Philoſophus ſibi ad mala vitanda mortem ipſam conſciſcat, aut ſponte accerſat; hoc enim non ſolum ſacra damnauit ſemper religio, ſed ipſa quoque natura, & recta ratio ſemper exhorruit, cum omni animantium generi ſuæ vitæ amorem inſeuerit natura; nullumque licet ferinum genus ſit, quod quantiſcumque opprimatur malis, adhuc quantum in ſe eſt, vitam non tueatur, & mortem non refugiat; nec proindè poſſit homo præclarè à natura inſtitutus; niſi in naturam peruerſitatem inducat, vitæ vſuram abijcere ſponte, aut curſum abrumpere; quo etiam fit vt cenſeantur aduerſus naturam, eiusque authorem iniurijlli omnes, qui iuxta doctrinam Platonis quam affert Cicero animum non retinent in corporis cuſtodia, quouſque ab eo diſcedere iubetur, à quo ille datus eſt; nihil enim abiectiùs, nihil ſceleſtius fieri poteſt, quam ſibi manus inferre, licet id fieret pro immortalitate capeſcenda, quemadmodum fecere Cleanthes, Chryſippus, Zeno, Empedocles & Cato, quos arguit Lactantius in lib. 3.; nulla enim de cauſa in naturam ità ſæuiendum eſt, vt eiuſdem naturæ odio irrepente, aut contra vitam declamemus, aut eiuſdem vitæ interitum intentemus; qua propter iure in Hegeſiæ Cyrenaico feritatem lex lata eſt à Ptolomæo Rege, qua prohiberetur in ſcholis ad vltroneam necem quoquo modo ſuaſio; qua ratione dicuntur etiam prohibiti verſus illi Theognidis è Græco in latinum ſermonem conuerſi


Non naſci, res eſt mortalibus optima longè
Nec ſolis radijs acre videre iubar
Aut natum, Ditis quamprimum limen adire
Magna & ſub terræ mole iacere ſitum.

& licet à Cicerone in prima Tuſculana ea de Sileno fabella referatur quod captus à Mida ad impetrandam libertatem à Rege, ipſi velut arcanam tradiderit doctrinam, eſſe homini non naſci optimum, optimumque vix nato citò mori; licet referat Plutarchus illuſtria illa exempla Cleobis, & Bitonis, Trophonij & Agamedis, Pindari & aliorum, quibus Dij rogati, vt in pietatis præmium, quod foret optimum, largirentur, idque Deos eſſe lar-

largitos, vt morerentur quamprimum; licet apud Euripidem mos Causianorum & Thracum laudetur lugentium nascentes, gratulantium verò morientibus; hæc tamen omnia solummodo ex eorum errore admittenda sunt, qui mortem omnium ærumnarum metam esse crediderunt, nullumque vita functis manere supplicii genus, quo etiam miseri efficerentur; cum aliunde omne miseriæ genus à sola vita auspicarentur.

)·(

Non ergo ambiguum, an nasci, an morte perire
Præstet, cum vitæ sit genus omne bonum.



LEX



LEX XLVI.

AD HOMINEM ADVERSORVM PATIENTEM.

EA sorte nascitur homo quilibet, vt siue libens, siue inuitus semper aduersa sustineat ac patiatur, ad id hominem adigente natura malorum parente; qui tamen in eiusmodi siue naturæ siue fortunæ sustinendis incommodis infracto vtitur animo, is iure patiens est, nomenque obtinet fortissimi viri, ità suadente Cicerone in lib. 1. de off. qui æquè fortem & sustinentem appellat virum in earum despicientia rerum versantem, quæ permagni solent in vita æstimari, quales sunt diuitiæ, bona valetudo, honores, magistratus & id genus alia, quorum iactura pœnè omnibus lugenda esse solet; ac propterea Claudianus ex Seneca hominem aduersa ridentem, opesq; & honores contemnentem decantat inuictum, & fortem, quippe qui

—— nec fascibus vllis
Erigitur, plausuque cupit clarescere vulgi

ad exemplum illius, cuius animum Horatius describit immotum, hoc est neque in secundis insolescentem nec fractum in aduersis

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare, sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela

Et licet doceat Epictetus Enchirid. cap. 33. corporis incommoda quæcumque siue ex morbis, siue ex iacturis atque infortuniis aduenientia vix non habere, vt ex ipsorum victoria homo dicatur verè fortis; aliquod tamen fortitudinis nomen sibi vindicare in his omnibus æquanimitatem apud cæteros sapientes in confesso est; fortis namque à Velleio ideò memoratur L. Mummius quod animo nunquam succumbente amplexatam sponte tulerit paupertatem vsq; ad vitæ metam; fortesque viri, summèque patientes dicuntur

tur apud Apuleium in apol. ex ſola paupertate Aglaus, Tellus, Diogenes, Crates, Demonacus, Ariſtides, Phocion, Socrates, Homerus, & Epaminondas; Etſi de perferendis morborum doloribus & cruciatibus agatur, inquit Seneca epiſt.78. eſſe amplum fortitudinis atque patientiæ locum etiam in lectulo, vbi pleroſque contingit in ijs perferendis veræ conſtantiæ laude excidere, quod tamen non contigit Epicuro (vt ipſe teſtatur) qui cum ægrotaret, morbiſque non immodicè angeretur, nulla vnquam habuit de ſui corporis afflictatione colloquia; qua ratione oſtendit etiam Martialis in epigrammate ad Mathonem magnum exhiberi fortitudinis ſpecimen in magna febri perferenda ſine querela

Magna tamen res eſt, errans cum viſcera febris
Exurit, res eſt magna tacere Mathon

quin Achilles ipſe cum ad concionem vocaſſet Principes exercitus, vt illis ſpectantibus ſe Agamemnoni reconciliaret, omnes ægri & vulneribus tardati eo ſe contuliſſent, Diomedem potiſſimum & Vlyſſem velut fortiſſimos, & patientiſſimos viros commendauit, ea propter, quod etiam grauioribus preſſi vulnerum languoribus, eo tamen ſummo dolorum contemptu alacres conueniſſent; neque alia de cauſa Anaxarchus piſtillis ferreis in mortario contuſus, Epictetus in oſſium fractura ſubridens, Scæuola manus toſtione ſuum eluens errorem, Salluſtius prunas fæmori ardentes imponens fortes dicti ſunt, niſi quod inter tot mala, inter tot dolores & cruciatus ità ſe gerebant, vt ille, de quo dictum eſt

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit
Vt pelagi rupes magno veniente fragore
Quæ ſe ſe multis circumlatrantibus vndis
Mole tenet, ſcopuli nec quicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt laterique illiſa refunditur alga.

At inde in perferendis aduerſorum incommodis iuuari maximè, vel excitari feſſum animi robur docebat Democritus apud Plutar.opuſ.de morb.corp. & anim. vnde homini notitia progreditur, quod mala quæcumque corpus lædentia aut ſecundæ fortunæ aduerſantia valdè externa ſunt, nec animum tangere queunt; Dic tibi (alloquitur patientem Seneca vt verè fortis euadat) Dic, inquit, tibi, ex iſtis quæ terribilia videntur, nihil eſt inuictum, ſingula vicere iura multi; Ignem Mutius, Crucem Regulus, Venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem adactam ferro Cato; Magnos quidem cruciatus habet morbus, ſed hos tolerabiles interualla faciunt, ſummique doloris intenſio citò inuenit finem, quia nemo poteſt valdè dolere & diù; Ideò Zeno Stoicorum Princeps ſolebat dicere corporis angores, incommoda & ægritudines eſſe mala ſolummodo opinione deterrentia, nec propterea eſſe fortibus viris formidanda, hæcque formidantibus id perinde contingere, quod militibus Perſei Regis euenit, qui cum Eclypſim ignorarent, perterriti inopina caligine cœli, animos & victoriam ſimul amiſerunt; vincenda ſiquidem eſt

est sensuum mollities, atque ità adhibendus in aduersis in consilium animus, vt in acie semper stet aduersum corporis mala, neque vnquam vinci aut in fugam verti patiamur; eoque prorsus modo quo in singulare certamen ituri armis se validioribus instruunt, & obtegunt, ita cum ab aduersis vexamur, patientia cautius & diligentius nos ipsos munire debemus, cum aduersantia omnia homini exteriora sint, nec intùs hominem lædere vllo modo possint; nihilque in hominum vita communius esse cogitandum est, quam ægritudines, dolores, luctus, egestates, exilia, orbitates, & id genus alia, quæ aduersorum patienti ratio ipsa constanter ferenda suadet; & licet optimo ciui quam acerrimus esse soleat ex patria euersa dolor, in qua non solum genitus sit, altèque educatus, sed etiam honores tulerit, magistratus gesserit, ac semper magnorum virorum præmia consequutus fuerit, tamen quo acrior est ex amissa patria dolor, & cruciatus, eo firmior debet animus esse, eòque obtutum suum conuertere, vbi dignoscat vnum esse hominum & vrbium interitum, & futuram quoque aliquando esse totius orbis deflagrationem; Athenas quoque Thebas, Lacedæmonem, Carthaginem, & Romam, ipsas integras nationes stirpitus esse sublatas; neque dolendum est, vbi vnum & commune est omnium rerump. fatum: Quod solaminis genus sibi ob oculos ponebat Clithomachus ille Carthaginensis cum patriæ euersionem non solum forti animo tulit, sed ciues quoque cohortatus est suos, vt eiusdem patriæ excidium constantissimè ferrent.

Sic forcasse (si contingat) facilior erit aduersorum patienti proscriptionis, & exilij consolatio; plurimos enim legimus maiori cum honore ab exilio reuocatos quam ignominia fuerit, qua in exilium acti sunt, quod de se ipso restituto ostentat & fatetur Cicero; vel si quidam sponte in exilio mansere, vt Rutilius, aut illud spontè elegere, vt Scipio, id ipsis in gloriæ augumentum versum esse ex veterum monumentis colligere debet; cum non onus fuerit Metellus qui in exilium ire maluerit, quam iniquissimas pati Tribunorum leges, eaque decantetur adhuc Publij Ouidij gloria in exilio comparata, cum firmissima intonuit

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor
Vt volucri vacuo quidquid in orbe patet.

& si exilio accedat paupertatis incommodum, quod doloris etiam instrumētum est, eo patientia roborari animus potest, quod diuitias & opes obtrudit menti velut multorum exitium; quippe cum habendi libido vix vnquam satietur, quoque plura possideantur, magis excrescat atque augeatur, eo etiā hominem adducat vt per furta, compilationes, latrocinia & fœnora, angores atque sollicitudines iugi miseria torqueatur; sicut contrà illi omnes qui vel opes sponte abiecere, uel paupertatem hilari vultu excepere præstantissimi simul atque felicissimi viri dicti sunt, quales fuere Fabritius, qui semper lætus cænauit fictilibus suis, Æmilius Scaurus qui in Senatu Romano paupertate illustrior fuit quam dignitate, Attilius regulus alijque quamplures. At si inter

ter aduersa homini natura libero seruitutis onus imponatur, nihil ipsi præclarius etiam ducendum est, quam animo subiectionis iugum excutere, constanterque ipsam seruitutem ferre spectato illo celeberrimo Iugurthæ exemplo, qui amisso regno captiuus Romam ductus ad carceris ostium blandè iocatus dicitur; non enim indignati debet homo se illas pati seruitij leges, quas tot præclarissimi Duces, Reges, ac Principes subiere, lætoque animo tulere; non enim graue potest esse corpori seruire, vbi imperat animus, eoque sanè nihil spectatius esse potest quam etiam aduersus vincula patientiæ robore obduruisse; eripitur quippe libertas inuito ac repugnanti, sed non volenti, cuius animi bona nullo modo eripi possunt; quin potius compertum est non extorsisse fidem, non integritatem, non regendi Prudentiam Niceto amissam libertatem; non Æsopo captiuitatem detraxisse aut animi firmitatem in neruo apud Iudices, aut fidelitatem aduersus herum periclitantem, cuius etiam constantia eo fuit admirabilior, quod ab ipso nullis extorqueri tormentis potuit. Orbitas quoque inter aduersa ideò graue videtur malum, quod nec soli volumus esse, & cum naturalis sit procreandi cupiditas, filiorum iacturam constanter ferre, ipsi naturæ arduum nimis atque onerosum semper fuit; quocirca ad excitandum animi robur ex orbitate deiectum eos respicere debet aduersorum patiens, cum quibus longè melius actum esset, si nunquam liberos suscepissent, inter quos sanè Priamus tot suas suorumque calamitates ac funera non vidisset, si filios non procreasset: & M. Antoninus qui Philosophus cognominatus est nil dicitur tulisse in vita grauius, quam Commodum filium; quamobrem mala plurima quib. pressi sunt, qui liberos habuere, consolari poterunt non habentem, cum se illis carere persentiat. Iam vero etiam conuitia, iniuriæ & contumeliæ inter aduersa recensendæ sunt, & hæc quoque non imporenter ferenda aduersorum patienti, vt præclaræ virtutis testimonio illustretur; dicitur namque gloriosiùs egisse Augustus, cum maledicentium conuicia sustinuit, quam cum Romam ipsam restaurauit; sicut contra summa imbecillitatis nota damnatus est Fidus Cornelius, qui lachrimas etiam in Senatu tenere non potuit, cum à Corbulone Strutiocamelus depilatus vocaretur.

Si denique communiora occurrant mala, quibus plerumque conficitur vniuersum genus humanum, pestilentia nimirum, Caritas, & Bellum; atque aliud simile calamitatis genus, non ideò debet aduersorum patiens mæroris nubes in animum inducere, aut inter ipsas calamitates dolore contabescere; licet enim atrox vbique locorum grassaretur lues, vrbesque ciuib. exhaustas pauore, luctu, cadauerib. impleret miserabili humanitatis ludibrio; licet bellum vbiuis gentium debaccharetur, atque sub incerto Martis exitu certissimæ populorum clades ingruerent; licet denique rerum penuria difficilem omni loco præberet viuendi rationem semper in peius eruptura tempestas; non proinde ex his talem horroris scenam sibi struere debet homo aduersorum patiens, vt ad rerum terrificarum aspectum concidat animo, ac virium con-

consternationi omnino se dedat, illius faridicæ vocis semper memor, quam protulit Romanus fidicer, cum vitæ transigendæ rationem mortalibus descripsit

Inter spem curamque timores inter & iras
Omne crede diem tibi diluxisse supremum

est namque in eiusmodi aduersis conceptum animo robur illa Thaletis Cretensis incantario modulis attemperata, quam ad abigendos ex lue dolores in Lacedæmoniorum beneficium adhibere solitus erat; & si Zenoniæ illæ animæ & Cleanthæca reuiuiscerent simulachra docerent adhuc nulla ratione ea mala esse formidanda, quæ corpus solum non animum attingere possunt iuxta illud ex tripode monitum aureum apud Horat.

———— ille potens sui
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse, vixi: cras vel atra
Nube polum Pater occupato
———— vel sole puro

cuius animi roboris exemplum præstantissimum videtur nobis præbuisse Achilles apud Homerum cum religione non minus, quam bellica virtute, dum pro Græcorum exercitu nauiter excubaret in Troiæ obsidione, atque fœdissimam luem, aliaque pericula Græcorum copias obsidentia inspiceret, aduersum omne infracto suscipiens animo, minimùmque mærens, nil aliud egisse fertur, quam vatem Deorum interpretem consuluisse, vt ab illo de aduersantium rerum edoctus causis Apollinem placare ritè instituere posset; quæ pietatis ac religionis iura vtinam à profanis Ethnicorum libris ediscerent nostræ religionis cultores, cum vel sponte vel fato calamitosi aduersis opprimuntur; sic enim neque in summa malorum tempestare, neque si agris immineret vastitas, ciuitatibus solitudo, familijs orbitas, mæror omnibus, singulis dolor vnquam animum consternatum experirentur, sed pressura ipsa malorum vegetiorem ac fortiorem euadere intuerentur.

.)(.





LEX XLVII

AD HOMINEM IGNOMINIÆ CONTEMPTOREM.

NON expungit fortitudo, quæ in timore malorum, rerumque terribilium versatur, omnium omninò malorum trepidationes, metus & dolores, sed quosdam admittit, à quibus nequit vir fortis se cum laude vindicare; metuendæ siquidem decernuntur etiam forti res turpes & indecoræ, quæ dedecus atque ignominiam secum ferunt, cum enim virtus quæcumque honestati coniuncta sit, & fortitudo sit virtus, consequens est virum fortem ea mala debere pertimescere, à quibus honestus quisque probus, ac verecundus abhorret, cuiusmodi sunt dedecus & ignominia quæ non formidare (inquit Aristoteles lib.3. Eth. cap.6.) potiùs impudentiæ esset quam fortitudinis atque constantiæ; ac propterea etiam Plato in c. de leg. & 8. de leg. eos accusat, qui mollitiem inuerso vocabulo humanitatem, & impudentiam fortitudinem appellarunt, cum vera fortitudo sit quæ in ijs est rebus detenta, & occupata, quarum gratia, qui non timet, laudatur, & sanè laudatur nemo propterea, quod dedecus, ignominiam, aut iniuriam non metuat; Ex quo nullam sanè promerita laudem est Tullia illa Seruij Tullij filia, quæ infamem Parricidij notam nec metuens, nec exhorrescens supra patris defuncti corpus vulneribus ac plagis affectum, & cruentatum incedere non dubitauit, ob cuius inhumanum scelus reique fœditatem loco tamquam nefario scelerati viri nomen est factum, de qua præter Liuium, Fest. Pomp. Valer. Maxim. aliosque quamplures hæc protulit etiam Ouid. 6. Fast.

Filia carpento patrios initura penates
Ibat per medias alta feroxque vias

Certa

Certa fides facti est dictus sceleratus ab illa
Vicus & aeterna res ea pressa nota est.

Hinc etiam peruulgatum est illud Anthistenis dictum, Timete fortes medio monstrari digito; censebatur namque apud veteres medius digitus infamis de quo Persius Satyr. 2.

Infami digito, & lustralibus ante salinis
Expiat.

qui mos præsertim apud Græcos vsurpatus est, quos enim floccipendebant aut insigni contumelia, vel deformi conuicio afficiebant, obiectu medij digiti in signum infamiæ prænotabant; non enim omnem mali metum naturæ & rationis constantiæ repugnare asserendum est cum Stoicis, quos iure merito redarguit Cicero in Tusculan. affirmans timorem ex turpi prodeuntem malo non ccmptimi à fortitudine; quin potius huiusmodi fuga dedecoris & ignominiæ nedum laudabilis semper à sapientioribus habita est, sed etiam actus fortitudinis eximiæ dictus est; hacque ratione suam Demosthenes cohonestauit ab hostibus fugam, ne scilicet maiori non fugiendo dedecoris nota insigniretur; eòque aiebat Demosthenes veram fortitudinem collimare, vt nullo quidem difficultatis obiectu retardetur fortis, sed ita quoque difficultatibus prospiciat vt vitet omnia ab honestate aberrantia aut auuertentia, inter quæ principem occupant locum dedecus & ignominia; ac propterea non sine ratione docebat Cardanus lib. 2. de Sap. satis esse plerumque solius ignominiæ metum viros reddere fortes & malis inuictos, quemadmodum etiam refert Plutarc. in Lucullo quorumdam militum Romanorum decantatam esse fortitudinem egregiam, quod pœnam fossæ fodiendæ timerent & cauerent, quæ pœna erat ignauis constituta militibus; Sicut etiam iam extrà controuersiam positum habemus Milesias Virgines fortiores longè fuisse cum à morte abstinebant ignominię metu post obitum contrahendæ per nuditatem corporis medio foro ac media luce exponendâ, quam cum nulla horribilium comminatione suppliciorum absterritæ mortem ipsam libenter oppetebant.

At etiam ex ignominiæ, atque infamiæ contemptu, non solum ex metu potest vir quilibet deprædicari; si tamen contemptio ignominiæ illius generis non sit, quod vel propria ingesserit culpa, vel prauæ & turpes pepererint actiones, vel aliud quodcumque genus sit publicis aut priuatis exortum criminibus; ea etenim opprobria, contumelia, & dedecora, quæ non culpa nostra, sed aliena nobis impietate proueniunt, æquum est non refugere, neque formidare, sed fortiter sustinere, cuius rei exempla etiam extrà Christianam fortitudinem nobis ostendunt Ethnici quamplures qui hanc supremam duxere humanæ fortitudinis metam; Quin Iulianus ipse Imperator in orat. 3. hoc esse facinus nobilius dicebat, quam Troiam expugnare, vel ingentem exercitum in fugam compellere; ac propterea eo loci ipse

damnat Vlyssem, qui cum post tot discrimina rerum gloriosè constanterque susceptа ab Ouidio 4. de pont. illud accepisset Elogium

Exemplum est animi nimium patientis Vlysses
Iactatus biduo per duo lustra mari

non potuit postmodum eius à quo fuerat exceptus hospitio iniurias fortiter ferre, tametsi fortasse non ignoraret quod


—————stolidusque, & futilis ille
Ædibus exceptus qui cum hospite iurgia miscet

Sic Alexandrum Philippi filium, Achillem Thetidis natum aliosque quamplures eodem loco insectatur, qui licet ex emerita virtute illustrissimi viri atque fortissimi perhibeantur, quia tamen fuere contumelijs atque iniurijs commoti, hac ipsa causa imbecilles degeneres, atque in animi robore deficientes appellantur.

Quod si blaterent quidam neque esse rationi, neque honestati consonum ratione quauis iniurias vel contumelias pati, ideoque nullo modo neque esse fortitudinis opus, his silentium indicunt Aristoteles, Epictetus, Plutarch, & Seneca vnanimiter pronunciantes, iniuria, vel contumelia affici esse tantum malum pœnæ & non culpæ ac propterea id non esse homini probrosum atque alienum à forti; In qua re deflendus æquè ac detestandus semper erit Macchiauellus qui succisos Christianæ fortitudinis neruos effutire ausus est ea ratione, quod cum illa mitiate, atque iniuriarum immemoria, ad quam religione ipsa condocefimus, cohærere satis non possit animositas illa, quæ dos est fortitudinis veræ; non enim Macchiauellus eam veram fortitudinem, quam omnes rectò Sapientes conceperunt, ipse concepit aut agnouit insipiens, sed alteram quæ re vera spuria est, nimirum barbaram, & inhumanam animi efferationem cædi solummodo, & cruori inhiantem, itæ & vindictæ semper adhærentem, ac si de ferarum aut laniorum tantum fortitudine egisset; tantum enim abest vt iniuriarum tolerantia, firmumque in perferendis conuicijs animi robur ipsam fortitudinis virtutem obtundat, eamque aciem aliqua ex parte hebetet, quæ vnicuique à natura insita est, vt potiùs veram exacuat, germanamque excitet sustinentiæ virtutem; & frænum illius impetus quo homo naturæ sponte ruit in vltionem, insignis planè, & heroicus actus est fortitudinis, quo homo de potentissimo hoste, de se ipso, nimirum, egregiè triumphat; Idque longè maius est quam arces munitissimas expugnare, quemadmodum de M. Attilio Regulo exemplum profert D. August. de ciuit. Dei, quem eo tantum Catoni Vticensi præfert, quod hostium iniurias patienter ferre maluerit diu seruiendo quam citò moriendo, cuius etiam meritũ in hunc planè modum extollit Sil. ital. li. 1.

—————atque omni sanguine rupto
Mens intacta manet, superat, ridetque dolores
Spectanti similis, fessosque labore ministros
Increpitat, dominique Crucem clamore reposcit.

At excelsa illa iniuriarum despectio, quam Christiana religio suis fortibus instillat multò minus eorum animos emollit, sed potiùs veram in ipsis fortitudinem adauget; nec aliud est vltionis & vindictæ vsus quo repelluntur iniuriæ, quam barbaries quædam ac vitæ ferocia qua homines ipsi ab omni virtutis amore retrahuntur; experimento siquidem deprehensum est eos omnes qui ex ardentes in iras cruentis spectaculis capti sunt, pauidissimos semper atque imbelles fuisse, quorum albo Lampridius & Herodianus Claudium Cæsarem adscribunt & Commodum Imperatorem, quib. nihil fuit ignauius atque à vera fortitudine alienius, licet cædibus maximè & sanguine lætarentur.





LEX XLVIII

AD

HOMINEM ÆQVANIMITATE PRAESTANTEM.



Æquanimitas ad fortunarum iacturam restricta virtus est ex se honestissima atque humanæ vitæ peradmodum necessaria, cum sit veluti mentis anchora in his fluctibus atque procellis, quibus res humanæ perpetuò mouentur; non alio autem potentiore medio videtur animo æquanimitas insigenda, quam si eorum & vilitas & fugacitas perpendatur, eiusque boni, quod in ea iactura eripi non potest nisi volentibus, pretiositas & stabilitas ritè libretur; qua enim ratione deijci se sinet de mentis constantia in externorum bonorum amissione, qui attenderit eiusmodi bona eo ipso quod externa dicuntur, & verè sunt, vel bona non esse, vel admodum fluxa ac flocci pendenda, vt etiam non magis eorum à quibus obtinentur, quam eorum qui habituros se sperant, & quemadmodum puluis à turbine, sic ea ab alijs ad alios subinde ventilentur atque iactentur; quin ità suapte natura euanida dicuntur vt diuturnioris moræ apud aliquem pertæsa, alias semper sedes quærunt, nusquam stabiliter hæsura, sed alio semper migratura, donec prorsus abeant in nihilum; hæcque iure ab Epicteto apud Arian. lib. 1. cap. 24. dicta sunt purum hospitium quo ad exiguam moram hospites vtuntur; vmbra arboris, sub qua in transitu meridiantur viatores post tantisper refectas vires, statim abscessuri. Sicut igitur improuidè quis in hospitio stabiliter sedem figere, aut sub patulæ fagi tegmine habere domicilium deligit, ita magna cum desipientia exoptabit homo fortunæ bona sua conditione volantia esse aliqua stabilitate firmanda.

Ab hoc igitur insipientiæ cumulo vt abscedat Æquanimis vir, eo vsque animo debet erigere iuxta monitum Antonini Imperatoris, vt feliciorem se agnoscat in eiusmodi amissione bonorum, quam in possessione, cum per leues planè iacturas ad longè pretiosiora bona pateat accessio, ad internas nimirum

mirum virtutes, quæ sunt infracti animi opes; & licet neminem lateat quãtopere mortales ad ipsam paupertatis vocem cohorreant, quam ægrè æquanimitatem admittant in rerum externarum iactura paupertatem inuehente, re vera tamen dicitur paupertas & plurima homini conferre bona, & multa mala subducere, quod innuit egregiè Statius 3. Sylu. ad rem loquens

Pax secura locis & desidis otia vitæ
Et numquam turbata quies, somnique peracti
Nulla foro rabies, aut strictæ iurgia legis
Morum iura viris solum & sine fascibus æquum.

quare meritò ait Seneca Epist. 107. nullum sapienti atque æquanimi viro admittendũ esse metum, quod sibi emetiendum sit confragosum paupertatis iter, cum rebus externis exoneratus faciliùs & leuius ad metam virtutis possit pertingere; illud namque virtutibus, bonisque internis lucri accedit ex pauperie, vel rerum externarum dispendio æquanimiter excepto, quod numquã ea animi tranquillitas periclitatur, qua sola homo beatus efficitur is enim inquit Seneca, beatus animus est, qui se totum etiam in aduersis Deo committit, quemadmodum contrà ille pusillus ac degener est, qui obluctatur & de ordine mundi malè existimat; eoque modo hominem decet Iouem alloqui, cuius gubernaculo moles ista dirigitur, quo apud eundem Senecam alloquebatur Sapientissimus ille Cleanthes, qui animo in sublimia semper erecto dicebat

Duc me parens celsique dominator poli
Quocunque placuit, nulla parendi mora est
Adsum impiger, fac nolle, comitabor gemens
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

cum enim impossibile sit ex mundana rerum constitutione plura non subire contra voluntatem, ac perpessu aspera, æquanimitate muniendũ est pectus, ne perpetuo mentis æstu iugiq; malorũ tempestate quatiamur aut opprimamur; quapropter iure Agrippinum extollit Epictetus apud Stob. ser. 7. tãquã virum æquanimitate præclarissimum, qui omnium aduersorum, quæ illi contingerent, encomia scribebat & laudes, si febriret, febris, si notaretur infamia, infamiæ, si exularet exilij, & sic de reliquis; & cũ ipsi iam pransuro superueniret qui diceret, iam Nero te proscripsit, summa respondit tranquillitate, ergo in Aricia prandium sumemus; cuius rei exemplũ affine fuit illud Diogenis apud Amianum lib. 3. c. 22. qui febricitans transeuntes in vita increpabat, quod tã longinquo itinere ad Olympia, & exercitationes inibi Athletarum conspicandas accurrerent, cum longè nobilius certamen esset hominis & febris in sua æquanimitate perstantis. At non hactenus memoratorum malorum æquanimitas hominis animum obfirmare debet sed etiam in quorumuis aliorum perpessione, in quorum perpetua quassatione ac motu firmum debet esse munimentum; siue enim mala sint, quæ nobis ipsis, siue mala quæ alijs nobis

coniun-

coniunctis accidat, cum semper exteriora sint, ac nequaquam animum attingentia, inuicto animo iugiter spernenda erunt; excidunt siquidem interdum quidam à constantiæ laude in ærumnis proferendis, quod non satis æstimet, qualia re vera sint, quæ patiuntur; quæ plerumq; non nisi ob eorum ignauiam & effæminationem grauia apparere consueseunt; eo præsertim quod nos ipsi mala nostra amplificamus, non ad ea tantū oculum adijcientes, quę hic et nūc toleranda sunt, sed maiorum perpessione malè concepta dolores subministrantes & cruciatus ex ijs quoq; quæ in longinquo posita sunt; vnde optimo iure, ait Max. Tyr. dissert. 41. laudatus est pherecydes ille, qui cum in capulo decumberet, ex animi robore, supra morbum tamen erat, cum paulatim carnē eius defluerent, erecta tamen stabat anima, nec aliud quam tempus expectabat, quo miserrimas deponeret exuuias; quæ laus longè abfuit à Mecænate, cuius illud apud Senecam turpissimum refertur votum

Debilem facito manu
Debilem pede coxa
Tuber adstrue gibberum
Lubricos quate dentes
Vita dum superest benè est.
Hanc mihi vel acutam
Si das, sustineo crucem.

Multò magis roboratum æquanimitate addecet animū ea immoto pectore sustinere, quæ quò magis extrinsecùs aduentantia, leuius eò attingunt vel feriunt, vt euenit in consanguineorum, amicorum, vel patriæ iactura; cum enim tot sint mala, ex hoc ærumnarum genere nobis quotidie imminentia, nūquam liceret tranquille viuere, si ad aliena hæc incommoda mobilem se obijceret æquanimis vir; qua de causa dementiæ ac furoris damnatur apud Senecam luctus vel doloris impotentia in amissione charorum, atq; apud eundem insanissima vocatur Octauia ex eo, quod tanto luctu Marcellum filium prosecuta sit, vt nullū per omne vitæ tempus flendi atq; gemendi finem faceret, nullasq; voces admitteret salutare aliquid afferenres; sicut contrà fortissima atq; sapientissima apud eundem in Cons. ad Marciam c. 3. perhibetur Liuia, quæ Drusi filij iacturam ea moderatione tulit, vt simul filium & filij dolorem relinqueret earum mulierum imitatione, quæ gloriosam liberorum in bello necem siccis oculis excipiebant de sola mortis honestate sollicitæ; Quod æquanimitatis genus etiam in amissione patriæ experitur animus fortis, cum omne solum forti patria sit, & omne malum sapienti commutetur in bonum.



LEX



LEX II.

AD HOMINEM MAGNIFICVM.

Liberalitate, quæ ſplendida virtus eſt, longè illuſtriorem magnificentiam eſſe vt potè cęteras virtutes nitore ſuo ſuperexcellẽtem, fatentur omnes; licet enim vtraque quandam materiæ cognationem & affinitatem ſortiatur, ex eo quod vtraq; occupatur æquè in cenſu & facultatibus errogandis, in re familiari cęteriſque diſponẽdis, quorum pretia pecunia metimur, eo tamen etiam à liberalitate magnificentia dicitur diſſidere, quod magnificentiam nõ in quibuſcumq; ſumptibus paruis laborantem agnoſcimus, ſed ſolum in magnis animi magnitudinem & celſitudinem prænotãtibus, comite decoris & honoris maieſtate; ita tamen vt in eiuſmodi excelſis rebus, ac magnopere ſumptuoſis ipſa quoq; magnificentia honeſtatis fines non egrediatur, neque eam metam excedat, quam poſtulat magnificentiæ decus, ſeu lex decentiæ præſcribit, quę loci, temporis & perſonarum conditionem ſpectat, dignitatemque intuetur; cuius legis defectu adhuc deridenda circumfertur illa Xerſis magnificentia, qua iter per Lydiam habens, arbores ipſas torquibus aureis, atq; armillis ditatas relinquebat, relicto etiam curatore, qui illas cuſtodiret; quo magnificentiæ crimine dicuntur etiam peccaſſe populi Megarenſes, qui purpuram Comędis calcandam ſubſternebant in theatris, ſed omnium maximè redarguitur Heliogabalus, de quo ſcribit Lampridius vuis Apamenis equos ſuos diù pauiſſe, Leones quoque Pſitacis & Phaſianis.

Plura itaque ad eiuſmodi virtutem probè & ritè exercendam debet profiteri magnificus vir, & cum ipſa animi magnitudo, quam ineſſe magnifico dicimus, non ſolum in faciendis ſumptibus, verum etiam in ijs, quæ fiunt operibus, perſpiciatur, opera ipſa, vt magnitudinem teſtentur, ſemper oportebit; quin etiam id eſſe magnifici ingenium, ea voluntas, & ſtudium debet, vt dum operis dignitati conſulat, ſumptus licet peramplos negligat, quippe qui id ſolum cogitet, qua ratione ſuſceptum opus quam pulcherrimum euadat, neq; enim aliter dici poſſent magnificentiæ opera, niſi ex magna dignitate ac decore ea viſentibus & contemplantibus admirationem parerent, quod de Solis Regia voluit oſtendere Ouid. Met. cum cecinit

Regia

Regia Solis erat sublimibus alta columnis
Clara micante auro, flammasque imitante Pyropo
Cuius ebur nitidum fastigia summa tegebat
Materiam superabat opus.

qua propter licet operum pretia sint etiam in Magnificentia spectanda, multò tamen magis spectandus est ipsorū operum splendor, atq; admirabilitas æstimanda; In ijs verò affulget maximè magnificentiæ splendor, in quibus hæc omnia copulantur, nimirum, ornatus, amplitudo, materiæ pręstantia, & operis perennitas, quæ enim carent ornatu ac pusilla sunt, quodq; vili è materia cōstat, nullamque perennitatem promittit, magnum profectò neque esse potest, neque haberi iure debet; quapropter cum Plebeius ille Egyptius apud Diodorum siculum vellet in ædicula sua paruum obeliscum extruere ipsorum Regum Ægypti more ad captandum immortalitatis nomen, iure Sapientis conuicium extorsit (sub tegmine paruo modicè solem splendescere consueuisse) quo innueret Obeliscos magnum splendorem postulare, vt sint magnificentiæ opera; ex quo fortasse velut trabes lapideæ fuerunt solis numini consecratæ, atque in radij similitudinem fabrefactæ.

Non est igitur homo magnificus ille, qui magna tum in operibus tum in sumptibus non molitur, eaque hominum ingenia, quæ magnificentiam splēdore destitutam affectant, insana potiùs quàm magna dicenda sunt, atque ad partem stoliditatis accedunt, Clytum illum imitantes, quem memorat Plut. qui ex trium possessione Cymbarum, quibus imperium æquoris se tenere arbitrabatur Neptuni magnificentiam iactabat. In quo magnificentiæ splendore id seruandum quoq; est, vt res ipsæ quæ ad magnificentię ostentamētum proferuntur, personarum dignitati respondeant à quibus res illæ proficiscūtur; si quis enim magnificentius sibi extrueret sepulchrum, qua personæ pateretur conditio, vel aliud simile perageret, is sanè à magnificentiæ legibus aberraret, nec poetarum irrisionem euaderet, qui Licinium tonsorem Augusti libertum augustale sibi sepulchrum extruentem ijs carpsere carminibus

Marmoreo Licinus tumulo iacet; at Cato paruo,
Pompeius nullo. Credimus esse Deos?

qua de causa docuere peripatetici nullum hominem posse magnifici nomen obtinere, nisi ad splendide ac magnificè agēdum sui status conditione promoueatur, eamq; semper ob oculos habeat, eaq; in agendo solertissime deuitet, quę à personę dignitate absona sunt, & ideò præclaræ magnificentiæ exēplum reliquit nobis Vespasianus Cæsar in Amphitheatro, in cuius molitione cur Architectus Cæsari polliceretur se lapides illos Tiburtinos tam magnos ad apicem ædificij minima perducturum impensa, ex animo Imperatoris fuit tale consilium reijcere, tamquam importunum, atque à magnificentia plusquam regia maximè alienum, & inuentum illud, quod ad parsimoniam spondebatur, splendidiori consilio à Cæsaris magnitudine repudiatum est,

in qua

in qua re valde dissimile fuit illud Imperatoriæ maiestatis monstrum Caligula, qui licet peroptaret splendidum ducere triumphum, scripsit tamen Procuratoribus suis, qui tunc aderant Romæ, vt sibi quidem triumphi pompam pararent amplissimam, sed quam minimis sumptibus.

Opera verò magnificorum hominum ea potissimum esse debent, quæ maiestatem quamdam admirabilitatem, atq; perennitatem solent præse ferre, vt sunt præsertim porticus insignes, templa admiranda, spectandæ moles, Theatra, pontes, sepulchra, turres & id genus alia, quæ eo illustriora sunt, quo diutiùs permansura; quo enim diuturniora eo præclariora sunt, eoque magis ex diuturnitate ac perennitate ipsi operum authores commendantur; atque ex illis quæ extant adhuc memoranda vestigia summoperè commendatus est Cæsar, cum non tantum satis habuit Pōtinam paludem exsiccare, vt mirum in modum vicinis populis consuleret, sed etiam per mediam illam viam strauit pontibus pluribus erectis, quo iter in vrbem & breuius & commodius esset, quorum ruina etiam nunc admirationi videntibus atque contemplantibus est; quod etiam spectabile est in ruina illius molis Iuliæ ad lacum Lucrinum, de qua cecinerat Virgilius

Tot munita manu præruptis oppida saxis.

Nec solum in publicis rebus magnificentia exercenda est, sed etiam in priuatis; decet namque magnificum virum ędes tum vrbanas, tum etiam villas magnificè ac pro dignitate extructas atq; exornatas habere, quæ & vrbi ornamento sint, & domino pariant authoritatem; in qua re non multum commendatum habemus Augustum, quem modicis habitasse ædibus constat, de quo refert Suetonius ad solum ea diruisse, quæ à Iulia Nepte profusiùs extructa fuerant; cum tamen contra Iulius ipse Cæsar villam quamdam licet magnis sumptibus exædificatam dirui iussit, quod animi sui magnitudini minimè responderet. Dicuntur tamen inter magnificos viros supra cœteros claruisse magnificentiæ laude Pompeius Magnus, qui omnes sui temporis hoc splendoris genere superauit structa porticu nobilissima, ac theatro magnificentissimo; Augustus Cæsar condendis atque instaurandis templis, exornanda vrbe omni magnificentiæ decore, qui etiam iure gloriatus est se vrbem marmoream relicturum, cum lateritiam accepisset; Claudius Cæsar ducenda in vrbē aqua, quæ ab eo Claudia dicta est, & alij quam plures, quos adhuc celebris fama commendat.

Cœteri magnifici sumptus, quibus propter excellentiam quandam honore digni appellantur splendidi viri ad duos præsertim rediguntur, nimirum ad sacros & ad publicos; illique sacri dicuntur, qui in rebus Deo Cęlitibusque dicatis occupantur cuiusmodi sunt donaria, sacrificia, legationes ad res diuinas peragendas; templa & eiusmodi, quorum omnium seriem texere operosum nimis nimisque longum esset; Qui verò prę cęteris donarijs se nobilitarunt hoc magnificentiæ genere illustriores fuere Sesostris Ægyptiorum Rex, qui nauem ex cedro fecit ingentem, hoc est cubitos longam ducentos &

octo-

octoginta, quam intus argento tectam, extra inductam auro dono dedit, dicauitque Deo, qui Thebis maximè colebatur, vt est apud Dionem lib. 1. cap. 4. Lysander quoque Lacedæmonius, qui victis bello nauali Atheniensibus, ipsisque captis Athenis, suam Delphis & Nauarchorum suorum statuas aureas consecrauit, quod scriptum reliquit Plutarchus in Lysandro. Nicias Atheniensis post sacra, ludosque Apollini factos, prædium eidem Apollini dedicauit, quod drachmis decem millibus emerat, vt ex eius fundi prouentibus epulum sacrum quotannis summa diei festi celebritate daretur; idque refert Plutarch. in Nicia. Romani captis Veijs Craterem aureum Delphos mittere decreuerant, sed quia tunc in vrbe auri laborabatur inopia, matronæ vltrò ad eam deliberationem cętibus habitis, aurea ornamenta, totumque mundum muliebrem in illud donarium contulere; ex quo merito honor ille ex Senatus decreto redditus est illis, vt in matronarum laudem oratio funebris sic haberetur, quemadmodum habebatur in laudem virorum; scribit hæc idem Plutarc. in Camillo; qui tamen omnes victi sunt à Christianis principibus, quorum in donarijs magnificentia numquam est satis laudata.

De sacrificijs vero alijsque eiusmodi rebus sacris non est cur multa dicantur, cum ex se notissima sint tum apud veteres tum etiam apud recentiores scriptores illud præ cęteris magnificentissimum dictum est sacrificij genus, quod hecatomben appellatum est, nimirum à centum bobus in eo mutari solitis; quod posset etiam voluere veteres magnificentius esse; immolabant enim in eo centum vnius generis hostias, vt centum oues, centum iuuencos, centum arietes, centum boues, & alia animalia pretiosiora centena, quod refert præsertim Capitolinus in Maximo; quæ tamen omnia nihil omnino sũt ad Salomonis magnificentiam delineandam, qui vt cęteros donarijs vicit, sic sacrificiorum magnitudine longo superauit interuallo; vndecimo enim anno regni in consecratione templi à se magnificentissimè conditi & ornati, boum viginti duo millia, & balantum centum viginti millia immolasse dicitur in lib. 3. Regum c. 8. Et si sacrificijs adiungenda sunt fana & templa, quæ dicta sunt magnificentiæ miracula, cumulus rerum magnifica molitione extructarum in infinitum excrescet; celeberrimum quippe atq; magnificentissimum habitum est Alexandriæ templum Serapidis Gazæ templum Marnæ illius ciuitatis Deo, Apameæ fanum Iouis Ammonis, Romæ Capitolium, Ephesi delubrum Dianæ ducentos per exædificatum annos ab Asia vniuersa, & reliqua eiusmodi plura.

Aliud genus magnificentiæ spectabilis publicis quibusdam operibus continetur, non quod superiora quoq; publica ex parte non sint vtpotè ad publicum religionis cultum spectantia, sed publica dicuntur ex eo, quod sint publicæ vtilitati optimè consulentia, ex quorum genere potissimum sunt ludi, & spectacula, epula populo & ciuitati exhibita, Triremium Apparatus, ædificationes atque instaurationes vrbium, Insulæ manu factæ, Isthmique perfessi, de quibus dictum est ab oraculo

Isthmum

Isthmum ne fodito, neu manibus indue. nam si
Iuppiter hoc vellet medijs posuisset in vndis

Circi, Theatra, Amphitheatra, viæ publicæ, Balnea, Thermæ, Natatoria, portus & Naualia, horrea, Cellæ, Aquæductus & putei & id genus alia, quibus Principes plerique splendentissimi ingentem magnificentiæ gloriam sunt adepti apud scriptores varios. At in eiusmodi rebus omnes magnificos viros recensere velle, nimis longum atque onerosum esser, quapropter id vnum in exercenda magnificentia tenendum est, vt neque in immodica atque excedentia feramur, neque in sordes magnificentiæ oppositas declinemus, cum enim fieri facilè possit vt in magnis faciendis sumptibus & operibus splendidis tum sacris, tum publicis, tum priuatis erremus per exuperantiam, aut per defectum, idcirco statuendum est magnificentiæ opera quæcumque sint rectæ rationi congruentia esse oportere; est quippe magnificentia virtus, quæ ita in magnis versatur sumptibus, vt prudentiæ leges & præscripta ingiter seruet; qua etiam de causa dici solet pauperem & inopem magnificum esse non posse, cum in paruis magnum quærere, siue magnum agere omnino impossibile sit; quod tamen de eo intelligendum est quod attinet ad externum opus & actum etenim quoad habitum virtutis, quæ animo hæret, nil vetat etiam pauperimum hominem magnificum esse; atque ex hoc dicuntur animi virtutes esse firmissimi quidam & stabiles habitus nec fortunæ telis obnoxij, nec rerum vicissitudinibus subiecti, sed fidissimi atque constantissimi comites, de quibus illud à Boetio fortunam aduersam cum summa virtutis constantia perferente decantatum est

Hos saltem nullus potuit peruincere terror
Ne nostrum comites prosequerentur iter

quod etiam sibi voluit Seneca lib. 2. de benef. cum docuit, nulli præclusam esse quamlibet virtutem, sed omnibus patere; Eamdemque virtutem omnes admittere & ingenuos, & libertinos, & seruos, & Reges, & exules.





LEX L.

AD HOMINEM MAGNANIMVM.



A Finibus magnificentiæ digredientes, fines magnanimitatis ingredimur, quo est illa excelsi animi virtus, quę magnanimus homo semper magna, semper grandia molitur, semperque sublimia meditatur; & quanta sit istius virtutis magnitudo, ex ipsa vocabuli notione coniectare fas est, nomenque ipsum magnanimis viris magna satis portendere iam omnibus notũ est; at cum non satis adhuc perspectum sit, qualia sint hæc magna, in quibus magnanimũ virũ obuersari necesse sit, hæc idcirco magna & grandia, quibus magnanimitas attollitur, hic à nobis inuestigantur; licet enim magnanimitatem faciat sæpe Aristoteles in Ethicis pulchritudini ac maiestati cognatam, ex eo quod magnanimitas in magnitudine rerum sita sit, quemadmodum in magno corpore sita est pulchritudo, quæ præsertim comparatio primùm desumpta est à Cyro illo, quem Xenophon non ad magnanimi tantum, sed etiam pulcherrimi Regis describit exemplar; postmodum à Turno, qui magnanimus æque ac pulcher describitur in additione ad Virgilium.

At nunc Turne iaces? vbi nam generosa Iuuentæ
Gloria? & excellens animus. Quo splendidus altæ
Frontis honos? Quonam illa decens tibi frontis imago

attamen magnanimitatem hic nos in homine delineamus, prout ex ipsa homo semper magna agit, quibus & magnis dicatur dignus, & etiam magnis se dignum existimet; ille siquidem magnanimus dumtaxat est, qui semper appetit, magna, atque in grandia collimat, neque magna moliri potest, nisi dignum se iudicet magnis, quo iudicio facilius ad magna contendat, semper in magnis obseruetur, magna semper animo volutentur.

Ex quo tamen suspicari minimè fas est magnanimũ virũ debere arrogantẽ esse, elatum, suique superbientem, licet magnanimi proprium esse se magnis rebusq; sublimibus dignum ęstimare fateamur; debet siquidem magnanimus vir ita se intra suæ magnitudinis fines continere, vt nihil sibi plus arroget, quam

quam mereatur, quod etiam Christiana philosophia concedit, in qua potest vnusquisque ita sua intelligere promerita, suamque dignitatem agnoscere, vt sibi debitos expetat, & affectet honores; quo fit vt interdum liceat magnanimo gloriosè aliquid de se prædicare, quod tamen à magnanimirare longè alienum esset, si id ad debitam retinendam atque seruandam dignitatem nō necessariò fieret, ac propterea Æneas, qui à Virgilio magnanimus describitur, cum de ipso loquens ad Venerem inducitur Iupiter

Magnanimum Æneam scis ipsa, & scire teneris
Deberi cœlo fatisque ad sidera tolli

de ipso id iactare non erubescit

Sum pius Æneas fama super Æthera notus

quam etiam propria proferendi merita legem videntur absq; nota sequuti alij plures celeberrimi viri, cum viderent non alio modo excellentiā ac dignitatem suam tueri non posse, nisi proprijs meritis proferendis atque iactandis; quorum primus fuit Iphicrates Imperator optimus semperq; magnanimus, qui ob columnam sibi honorifica cum inscriptione positam in Peloponneso gratias agens Atheniensibus dixit Columnam illam æternum fore suæ virtutis testem; At vbi magnanimus magnos sibi præsertim à viris eximijs ac virtute præstantibus honores deferri videt, non debet immodicè lætari, aut efficęni animo gestire, sed potius surgentem vanæ iactationis fastum compescere, intelligens nimirum nullum honorem exteriùs aduentantem esse par virtuti præmium, cum virtus bonum rationis sit, quod cętera externa bona longo post se interuallo relinquit.

Ille vero honor potissimum à magnanimo habendus est in pretio, qui à viris virtute fulgentibus proficiscitur; eos .n. honores qui à vulgaribus aut flagitiosis hominibus habentur, potius à magnanimo contemnendi sunt, quam excipiendi; quod elegāter expressit Tullius Epist. 6. ad Catonem, vbi Næuianum Hectorem à laudato viro laudatum profert, ideoq; laudes libentissimè suscipientem; qua etiam de causa refert Homer. 1. Iliad. Achillem Nestori suadenti vt præmia honoresq; sibi ab Agamemnone delatos acciperet, respōdisse, à Ioue dumtaxat honores esse expetendos, non ab Agamemnone, quē hominem inertem & ignauum ipse iudicabat; eo autem modo quo magnanimus debet moderare in honoribus versari, eodem prorsus alia quoque exteriora bona animo valde correcto debet vsurpare, ita nimirum se gerens vt neque diuitijs, neque dominatu, neque alia prosperitate insolenter efferatur, aut inopia, aliaque aduersa fortuna frangatur; ex quo plerique magnanimitatem potissimam fortitudinis partem esse dixerunt; quinimo Tullius in 1. de off. vtramq; hanc virtutem ità coniunxit, vt constantissimè affirmauerit neminem fortem virum inueniri posse, qui magnanimitate non præfulgeat, ac propterea Boethius cum ex mobilitate fortunæ quamdam animi inconstantiam perpessus esset, sic animum suum velut à fortitudine æquè ac magninitate alienum obiurgat

Dum leuibus malè fida bonis fortuna faueret
Penè caput tristis merserat hora meum
Nunc quasi fallacem mutauit nubila vultum
Protrahit ingratas impia vita moras.

neque Socrates elogium illud à Platone & Xenophonte, quo fortis simul & magnanimus prædicatur, accepisset, nisi hostes etiam mortem intentantes, atque molientes suprema animi celsitudine contempsisset.

Hinc paucissimi semper inuenti sunt, qui verum magnanimi nomen obtinuerit; nam etsi aduersas res, atque pericula maximè difficilia, in quibus sæpè pulchrum est errori, materia sunt fortitudinis, & quidam quasi campus, in quo ea spatietur, in illis tamen quoque se se magnanimitas exercet, quæritque suum ex ijs decus sibi comparare; & ideò magnanimus vir dicitur velut fortis esse omnium periculorum & aduersorum contemnentissimus; quòque maiora illa fuerint, eo se in illis fidentiorem præstabit, vt videatur etiam illa nihili ducere; hacque sola de causa magnanimus dictus est Hercules apud Veteres, quod nulla aduersa atque difficilia exhorruerit, siue cum monstris congrediendum esset, siue ad standum cœlo infirmis humanæ naturæ viribus, siue essent pusillis manibus inter vagitus enecandi angues, siue aliquid aliud simile agendum esset.

Nec dessunt viro magnanimo alia opera exercenda, quibus intimam indicet animi sui magnitudinem; eaque præ cœteris est insignis magnanimitatis nota, quod summa cum alacritate audiat beneficia memorari, quæ ipse in alios contulit, quo etiam ad alia conferenda incitetur; sicut contrà grauatè nimis ea commemorari patiatur, quibus ipse ab alijs affectus atque exornatus fuerit; cuius rei illa ratio esse potest, quod illa sui erga alios beneficij memoria in memoriam sentiat reuocari excellentiam suam, quam ipse amat tamquam fontem honoris sui, cuius est cupidissimus, commemoratione autem accepti ab alio beneficij videat sibi ante oculos poni imbecillitatem suam, quam auuersatur & odio habet. Quæ res ab Homero in Iliade duobus declaratur exēplis quorum alterum desumitur à Thetide, quæ Iouem pro Achille filio deprecatura, non ea commemorat beneficia, quæ Achilles ab ea commemorari vellet, ita enim res se habuit. Conspirarant olim Iuno, Pallas, & Neptunus idque ex condicto decreuerant, vt Iouem ipsum traderet in vincula; Thetis eorum cognitis insidijs Briareum Centimanum auxiliatorem induxit, cuius metu Dij illi se ab audaci facinore continuerunt. Achilles postea maximoperè cupiens auxilio Iouis vlcisci Græcos, ac præsertim Agamemnonem, à quo insigni fuerat affectus iniuria, orat Thetim parentem suam eiusmodi beneficia Ioui commemoret, quo faciliùs ad hostium vltionem auxilium impetraret; quę tamen licet Iouem conueniat, eiq; opem enixè postulet, non audet tamen in eum beneficia adhibita cōmemorare, pro excusatione subdens, quod Ioui Deo summè magnanimo ea audire valde ingratum fuisset, cum magnanimi proprium sit potius beneficia

da re

date quam accipere,& alteri collata libentiùs audite,quam sibi. Alterum verò acceptum est à Lacedæmonijs, qui vt scribit Callisthenes lib. 1. rerum græcarum,cum Thebani Epaminunda Duce Laconicam regionem inuasissent, Athenas missa legatione,auxilium petierunt,in quo petendo,non sua in Athenienses,sed Atheniensia potius in se beneficia commemorarunt; intellexerant enim Athenienses esse viros valde magnanimos,ac propterea ab accepti beneficij commemoratione valde abhorrentes.

Reliqua tandem quæ supersunt magna facta magnanimo exercenda, ea sunt,in quibus excelsi animi virtus quoquo modo splendescit, quorum postremum non est,vt magnanimus vir tam odium quam inimicitiam; tam amorem, quam beneuolentiam palam & apertè profiteatur nihil occultè aut simulanter agens; huiusque rei ratio illa datur quod magnanimum virum valdè dedeceat velle latere,cum id potius formidantis sit, quam magnanimi; ex quo Tullius 1. de off. docuit magnanimos omnes esse apertæ veritatis cultores,numquam fallaces, aut fraudolentes; & licet apud politicos sub lite adhuc sit, an magnanimo Principi vel Imperatori congruum sit in bello insidijs vti; fraudibus, stratagemmatis, Polybius tamen commendat maximè etiam in bello gerendo agendi simplicitatem, refertque Achęos lib. 13 existimantes nulla esse dignam laude illam victoriam, quæ pugna manifesta absque insidijs & fraudibus non esset parata; subdens quoque Romanos rarò insidijs vti solitos fuisse; non vocantur autem fraudes vel insidiæ illæ, quæ sunt militares quædam industriæ bellatorum consilio atque ingenio inuentæ,dummodo iniustitia vacent, ac propterea eiusmodi consilijs bellatorum ingenio elaboratis vsos esse præclarissimos viros ac verè magnanimos accepimus apud Scriptores, qui sine reprehensione,imo summa cum laude celebrātur,quales fuere Alexander Scipio,Cæsar, Fabius, & alij plures. Sic etiam magnanimi proprium est ad nullius arbitratum, aut nutum viuere, cum id sit maximè seruile, quod magnanimum haud decet, ac proptereà ex albo magnanimorum expuuntur Scurtæ, Parasiti, Assentatores & id genus alij: Magnanimus quoque nullius rei admiratione,quæcumque sit, affici debet, idque ex quadam ipsarum rerum despicientia, quam Stoici exigunt in viro magnanimo,qui ex animi magnitudine omnia parua & exigua æstimare debet, licet eadem vulgaribus hominibus grandia atq; admirabilia videantur; quod præsertim de honoribus sibi ipsi impensis agere debet

Nihil admirari propè res est vna Numici

quem Horatius in epist. verè magnanimum describit.

At vbi incidit sermo de hac magnanimitatis nota, quæ honoris despicientiam & contemptū præse fert,ea est soluenda quæstio,an scilicet magis deceat magnanimum magnos honores expetere & sequi, vel eosdem contemnere & auuersari; Cum magnanimus ille sit,qui non solum magnis est dignus honoribus,sed etiam ijsdem se dignum ducit,fieri omnino nequit ut magnanimus honores ipsos contemnat, si enim Alexdnder Macedo oblatos ab

Atheniensibus honores respuisset aut neglexisset, Statuam ibi velut alter Achilles indita magni inscriptione non obtinuisset; neque magnanimus Cæsar pubescens adhuc Dialis Sacerdotij dignitate fuisset insignitus, Ex eo igitur quod honor sit id in quod velut in metam collineant omnia magnanimi vota, non potest honor vlla ratione à viro magnanimo contemni; quibus additur honorem esse virtutis præmium, remque esse Dijs ipsis maximè peroptatam, & Hercules qui Iouis filius Herosque magnanimus perhibetur cum in dies semper ampliores venaretur honores eo dicto se excusat apud Senecam

Semper magno constitit nasci Deum


vt prænotaret in magnis captandis honoribus magnanimum oportere iugiter occupari; quod præsertim Athenis egit Aristides, qui tandiu exulantem ab ædibus suis expertus est felicitatem, quamdiù miltiadis honores assequi non potuit. Ex altera verò parte quædam alia magnanimitati adscribuntur, ex quibus coniectare licet magnanimum virum honores potius aspernari debere, quam expetere vel affectare; Ille siquidem verè magnanimus vulgo reputatur, qui de aliorum opinione laborat nihil, sed tantum de rerum veritate; & qui laudes signaque honoris exteriùs exhibita semper flocci pendat, quéadmodum in Fabio maximo & magnanimo viro deprehensum est, cum superatis acerrima pugna Veientibus oblatum à Senatu triumphum recusauit, eumque solum militibus, quorum opera parta erat victoria, permisit; & si exemplis fas est etiam Sapientum testimonia iungere, inueniemus longè plures fuisse Sapientissimos viros, qui propriam magis esse magnanimo contemptionem honorum, quam eorumdem appetitionem asseuerant; omnes enim vnum id quasi proclamantes admonent, vt si boni, si fortes, si magni viri haberi volumus, honores contemnamus (si vis honestus fieri, inquit Seneca Epist. 65.) non honoribus adijciendum est, sed cupiditatibus detrahendum, cum omnia ea, in quæ dominatum casus exercet, seruilia sint, neque in alijs seruiamus magis, quam honoribus ancillantes; quæ sanè satis vincere videntur magnanimo viro non modo honores esse contemnendos, sed omnino non appetendos.

In qua re licet difficilè admodum sit iudicium ferre, cum in magnanimo viro plerumque tam honorum appetitio, quam contemptio possit ad honestatem pertinere, si rectiùs tamen ac tutiùs iudicandum est, in eam cogimur abire sententiam, quæ affirmat longè præstantius esse atque præclarius magnanimitatis opus honores contemnere, quam appetere, experimento siquidem sæpè probatum est magis esse apud omnes commendatos homines illos, qui sunt aspernati, quam qui venati sunt honores, ijque sine numero, ac sine dicendi meta possent recenseri; Ille enim qui augendis semper inhiat honoribus perinde est ac puer ille qui describitur apud Porphirium

Vt puer

Vt puer accumulans multum per littus arenæ
Vnde sibi fingit permulta, sed omnia statim
Confundit manibus ludens, pedibusque repulsat;

eaque sola ratione commendatur à Themistio orat. 14. Sophroniscus filius Socratis velut vir magnanimitatis virtute præstantissimus, quod nimirum honorum strepitus veluti fragores maris resonantes in littore semper contempsit; cuius rei ratio ea esse potest, quod in vnaquaque virtute id semper præstantius sit, quod difficilius esse solet; longè verò difficilius est honores contemnere, quam expetere cum insitam habeamus omnes honorum cupiditatem.





LEX LI

AD HOMINEM GRATVM.

PRetiosius gratitudinis vinculum, quo homo homini obstringitur, beneficium est, ob cuius æstimationem, acceptationem, commemorationem, & repẽsionem, dicitur homo gratus omnia in gratiam benefactoris expromere, atque referre. Quid verò circa eiusmodi actus laudabiliter fiat, quiduè ad gratitudinis normam exigatur, constituunt satis morum magistri, præsertim Seneca de benef. qui hanc rem cœteris vberiùs prosequitur, id in primis grato viro præcipiens, vt beneficij accepti æstimatio quamlibet superuenientem iniuriam obruat, & obliteret; pluris enim semper pendendum est beneficium, quam iniuria cum ab eodem vtrumque suscipitur; nihilque magis præstandum est homini grato, quam vt beneficij memoria non excidat, contra euanescat iniuriæ cogitatio, ad exemplum Ouidij 4. de ponto, qui in se ipso illud grati animi specimen ostentabat.

Semper in oblita repetam tua munera mente
Et mea me tellus audiet esse tuum

omnes verò eiusmodi gratitudinis actus indiuidui esse debent, vt omnes impleant istius virtutis numeros, ac propterea non sola beneficij æstimatio gratum hominem facit, sed etiam acceptatio grata, gratiarum actio, repensio id genus alia; nulloque magis Cæsarem Augustum demeruit (ait Seneca) & ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quam quod, cum patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit. (Hanc vnam Cæsar habeo iniuriam tuam, effecisti vt viuerem, & morerer ingratus; ille siquidem qui libenter beneficium accepit, quantum in se est, iam reddidit, eo prorsus modo, quo ad labem ingratitudinis amoliendam nihil magis necessarium est, quam gratiarum actio, & repensio; cum sit turpissima beneficij mors, si ore & opere sterilis sit qui beneficium accepit; ac propterea Socrates Perdiccæ quærenti, cur non ad ipsum veniret, respondit, ne turpissimo interitu peream, hoc est, ne beneficio affectus, id non possim compensare; quod præceptum

ceptum honestissimum decet etiam ab homine scurrili perdiscere, nimirum à Plauto in Persa, & in Trinummo, vbi ea profert

Beneficium qui scit sumere, & reddere nescit, est improbus.

A quadam verò gratitudinis lege illud præceptum corriuauit in gratos, esse beneficium acceptum quoquo modo largienti compensandum; licet enim satis asperam putauerint nonnulli hanc legem, vtpotè naturam omnem, vimque intimam beneficii conuellentem, cum beneficium semper gratuitum donum esse debeat, neque liberalitas in fœnerationem transire possit absque desitione virtutis; nihilo tamen minus, reddere quod acceptum est, semper fuit virtutis officium, idque est gratiam pro gratia accipere, ac retribuere, quod erat Veterum Sapientum oraculum; atque eiusmodi gratiam pro gratia rependere non vna sed multiplici ratione gratum virum oportet; debet quippe primum beneficium & benefactorem agnoscere, deinde beneficij authorem commendare, tum gratiam eidem referre pro loci ac temporis opportunitate, cuiusmodi est, si aliud ad reddendum non supperat, honor, obsequium, obseruantia, præsidium, aliaque ex hoc genere multa, quæ humanitatis & officij nomine continentur; modo enim ex his aliquo semper licet & oportet gratiam reddere, vt grati animi debito satisfiat; at etiam interdum tria simul hæc officiorum genera necesse est ad eiusdem grati animi partes explendas adhibere; cuius debitionis causa & ratio, ea est, quod naturaliter effectus ad suam causam referatur, & conuertatur, cum causa quælibet ad agendum moueatur ob finem ad se aliqua ratione pertinentem, adeoque ad se reuocet effectum; (ex quo fonte fluxit illud Magni Dionysij dictum) Deus ad se conuertit omnia, velut omnium causa, & is qui beneficium cæpit ab altero, qua parte illo beneficio affectus, ornatusque est, videtur esse quidam effectus eius, qui beneficium dedit; postulat igitur ordo, & norma naturæ, vt qui beneficium accepit, ad authorem beneficij conuertatur, nec conuerti potest, nisi aliquid benefactori retribuendo, & cum aliud referre non potest, dicat saltem cum Ouidio de Tristibus

Dij tibi sint faciles & opis nullius egent
Fortunam præstent, dissimilemque meæ.

Illa etiam beneuolentia, seù beneuola animi dispositio, quæ dici solet affectus, ex quo beneficium proficiscitur, compensanda confestim est grato viro affectu itidem mutuo, atque beneuolentia æquali; hancque doctrinam tradidit sæpè Aristoteles in Ethicis, cum docuit accepti beneficij rationem, & vim efflagitare, vt vel æquale reddatur, vel eo etiam amplius, idque honestiùs ac præstantiùs esse; quo significat gratum virum ex præcepto iustitiæ saltem par beneficium reddere oportere, ac prorsus æquale, sed grati animi lege maius aliquid rependi debere; hæc enim virtus, quæ à grato proficiscitur animo geminas agit partes & alienas, & suas; alienas quidem, cum iustitiæ fungitur munere, nec aliud intuetur, quam quod ei acceptum est, cui reddere contendit æquale; suas autem, cum etiam perpendit in accepto benefi-

neficio id, quod est gratuitum à benefacientis amica voluntate profectum: Igitur cum priores illas iustitiæ partes agit, satis habet æquale retribuere; cum sustinet proprias, Hesiodum audit, & sequitur diserte docentem, dici verè gratum debere neminé, nisi beneficium & gratiam referat maiore mensura, quam acceperat.

Atque ex his duplex quoque ingrati animi initium extare satis perspicuū est, vnum quod sola prætermissione continetur, vt cum quis pro accepto beneficio neque parem gratiam neque imparem & minorem, neq; maiorem & ampliorem aliquam refert; alterum in commisso, & facto positum est, vt cum aliquis non modo non reddit gratiā, sed reipsa maleficium pro beneficio reddit; multa sunt ingratorum genera (ait ad rem Seneca 3. de benef.) vt furum & homicidarum, quorum vna culpa est, cœterum in partibus varietas magna, Ingratus est qui beneficium accepisse se negat, ingratus qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium est, qui oblitus est. Præ cœteris verò ij damnantur ingrati, qui aliquid etiam aduersus eos admittunt, à quibus beneficium acceperunt; tantumque horum scelus est, vt gentes nullæ, exceptis Macedonibus, supplicium illi par potuerint inuenire; ex quo infert Seneca teterrimum esse istius vitij virus, cui nulla nuspiam constituta sit pœna, cum tamen nec proinde ingratum à legibus indemnem, à suis tortoribus immunem natura ipsa patiatur, cum ipse met sibi & probrum, & pœnam inurat æternam

Dixeris maledicta cuncta, cùm ingratum hominem dixeris

idque prolatum est aduersus ipsum insigni Publij Mimi sapientia, qua moneret, nullum adesse malum, quo non puniatur ingratus, qui secum cuncta mala trahit.

Etiam haud paucos homines ingratissimos offendimus, qui vt dolium perforatum, quas immiseris gratias effundunt, è quibus vt à vase itidem pertuso effluunt, quæ infudisti beneficia; qui tamen etiam contra mortali in pectore immortalia gestantes odia iræ, odijs, & vindictæ non faciunt modum; idque fortasse (inquit Seneca lib. 1. de benef.) quia natura ità comparatum est, vt altiùs iniuriæ quam merita descendant, & hæc citò defluant, eas tenax memoria custodiat; ac propterea Aristoteles quoque vt diuturniorem iniuriæ quam beneficij memoriam in homine esse ostenderet, interrogatus apud Laertium quid citò senesceret, quid item tardè, respondit Gratiam & Iniuriam; Gratia siquidem citò defluens facilè eximitur & obliteratur (testante id Herodiano apud Herodot. in Pertinacis oratione.) Iniuria verò semper alto figitur animo, nec vmquam euanescit; vnde bene Plautus in Pœnulo vtrumque hominum genus eo duplici fœdatum crimine sic profert

—— ita sunt isti nostri diuites
Si quid benefeceris, pluma leuior est gratia
Si quid malefeceris, plumbeas gerunt iras.

Atque eiusmodi inhumanæ prorsus affectionis ea ratio reddenda est, quod vin-

vindictæ studium iniuriarum vindex dulce admodum est, debitum quodcumque, qualis est accepti beneficij recordatio, ingratum amarum, & onerosum, ac propterea huius memoria facilè cadit, illius verò studium perenne est; hancque rationem videtur reddere etiam Tacitus (cum ait) Procliuius esse iniuriæ quam beneficio vicem exsoluere, quia gratia oneri, vltio in quæstu est; qui enim beneficijs alicui adstricti sunt, videntur sibi quoddam onus & debitum contraxisse, omnis autem debitor malè erga creditorem affectus est, quem quasi suprà se positum intuetur, cuius etiam dominatum patitur ægrè iuxta illud

Beneficium accipere est libertatem vendere

vnde nunquam læta dicitur accepta gratia, cum sit semper ingrata illa subiectio; at alia ex parte quam dulce sit vindictæ seu vltionis studium, præter illa verba Catilinę ad vltionem coniuratos prouocantis (cauete ne inulti animam amittatis) produnt etiam Publij Mimi, & Iuuenalis sententiæ ad hanc rem.

Læso doloris remedium inimici dolor
At Vindicta bonum vita iucundius ipsa.

quibus cohæret satis historia illa seù fabula quæ circumfertur de duobus illis hominibus, qui inter se capitali diffidentes odio, vna & eadem vehebantur naui, quorum vnus proram, alter verò puppim occupabat; cum enim oborta tempestate vterque vita periclitaretur, in puppi sedens gubernatorem interrogauit qua primùm parte nauem submersum iri putaret, quo proram respondente naufragio primum fore subiectam (Iam lætus moriar, inimici interitum inspecturus.) Ex quo constat satis vltionis, & vindictæ studium dulcissimum esse, adeoque eam hominem appetere vt etiam proprij interitus leniat dolorem; quæ potissimum causa est vt altiùs hæreant animo iniuriæ ex quibus oritur vindicta, quam beneficia, ex quibus prouenit amor.

Ideò tres Imperatores optimi Gratianus, Valentinianus, & Theodosius vt tam dulci ac præcipiti obuiam irent vltionis ardori, decreuere in suis legibus vt pœnæ capitales à principibus iniunctæ post triginta dierum solummodo spatium sumerentur, quo spatio voluere principibus spatium pœnitentiæ relinquere, si inconsulto iracundiæ impetu acti duriùs ex vindicta, quam ex iustitia in aliquem sæuirent; Atque si ab humana lege fas est ad diuinam facere gradum, ne humanus animus hoc nocentissimo studio insolentiùs exardesceret, vindictam ipsam velut summum malorum semper improbauit, damnauit, pœnisque vetuit; quin non solum iubemur ab vltione abstinere, verum etiam inimicos diligere; quo factum est vt omni commendatione dignissima habita sint eorum dicta siue facta, qui vindictæ voluptate minimè capti ab ea re temperarunt; etenim


Semper & infirmi est animi, exiguique voluptas
Vltio.

fate-

fatetur idem Iuuenalis Satyr. 13.

Quod verò iniuria tenaciùs memoriæ adhæreat quam beneficium, documento ſunt leges quamplurimæ, ex quibus deprehenditur alicubi gentium ſolitos fuiſſe homines iniuria affectos vindictam hæredibus mandare, ſi ſani, valenteſque vlciſci nequiuiſſent; hunceque morem vindictæ hæredibus mandatæ Italos retinuiſſe præſertim Scriptores produnt; quæ conſuetudo, quamuis ſit abolita vtpotè abhorrens à Chriſtiano inſtituto, veteribus tamen Cæſareis ritibus legitur ſeruata; fiſco enim ſcimus eſſe delata & aquiſita eorum bona, qui teſtatoris mortem non vindicarunt.

).(



LEX



LEX LII.

AD HOMINEM BENEVOLVM.

EX horrifica discordiæ specie, eiusque ferali comitatu, quem pereleganter describit Petronius

—— scisso Discordia crine
Extulit ad superos stygium caput, huius in ore
Concretus sanguis. contusaque lumina flebant.
Stabant ærati scabra rubigine dentes
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora
Atque inter torto laceratam pectore vestem
Sanguinem tremula quatiebat lampada dextra.

Satis coniectare licet, quam multa atque præclara sint Beneuolentiæ bona, quæ cum omni personarum ordine, pacem, concordiam, & amorem profitetur; ità tamen vt præcipua beneuolentiæ honestas, in eorum præsertim, qui nobis aduersantur, dilectionem intendat; non enim eorum error hic excipiendus est, qui futili quodam veteris Philosophiæ placito asseruere beneuolentiam erga inimicos adhibitam omnem naturalem rationem superare, imo ipsius naturæ leges violare; cum enim beneuolentiæ conditor fuerit Deus naturalis ordinis institutor, non debuit, neque potuit aliquid condere quod à naturæ legibus absonum esset, aut videretur; quapropter beneuolentiam erga inimicos honestam esse, eiq; hominem naturæ vinculo obstrictum esse pronunciant Sapientes vniuersè, qui in Ethnicismo non sordescunt, eoque euincitur notissimo lumine naturæ principio, esse alijs volendum, quod nobis ipsis volumus; quod tantoperè suspexit Alexander Imperator, vt teste Lampridio, non solum illud sæpius pronunciaret, sed etiam in palatio, ac publicis ædibus proscribi iuberet; quemadmodum .n. nemo inuenitur, qui non velit ab omnibus diligi, ita eodem iure ad alios diligẽdos obstringitur, tametsi inimicos, & nõ redamãtes. Quod tamen non ità accipi volo, quasi teneatur quis erga inimicum formalem actũ dilectionis elicere atq; exhibere nulla speciali causa interueniente; sed eo tantum sensu accipiendum est, vt ab odio inimicorum abtineamus; cuius rei intelligentia sit adhibita id apud omnes

ratum ac fixum esse debet quemlibet naturæ legibus ad inimici dilectionem adstringi eique beneuolentiam impendere; & tantum abest vt odium vel iniuriam inimico refundere liceat, quod præcipuo christianæ bonitatis statuto nobis eiusmodi dilectionis genus præcipitur; Quin etiã apud Ethnicos ea lex ita inualuit, vt proferat Liuius lib. 5. Priscos Romanos cum inimicis quoque benignè & comiter egisse, cum primis lectisternijs omnes in vrbe per octo dies exciperent, vndecumq; aduentantes; agnoscentes id sine discrimine homini ab homine debitum, & frustrà à Numine medelam hominem quærere, qui homini reseruat iram; Idemque apud Pythagoræos ità diù obseruatum est, vt referat Plutar. inimicos quoscumq; antequam sol occumberet semper fuisse recõciliatos, dexteras amplexatos, & inuicem exosculatos. Seneca quoque li. de Vit. beat. c. 28. inter Stoiarum dogmata illud velut potissimum numerat, quod adiuuentur singuli, etiam inimici; & denique D. August. epist. 5. ad Marcellinum ait semper damnatam fuisse eam calumniam aduersus Christianam Religionem inuectam, quod nimirum eiusmodi religio proscripto inimicorum odio, atque eliminata iniuriarum repensione sit statui cuiuscumque Reip. summè noxia, prolato in hanc rem ipsius Tullij testimonio Cæsarem ex iniuriarum obliuione extollentis atque collaudantis.

Id itaque primùm beneuolo viro imponitur onus, vt non solum erga redamantes beneuolentiam exhibeat, sed etiam erga exosos, & odio habitos, ex eo præsertim, quod omnes æquè homines simus, atq; eodem omnes parente Deo procreati; quod Philosophi (inquit Max. Tyr. differt. 17.) testatum fecere, cum insignem, lateq; prorsus porrectam beneuolentiæ expensionẽ pluribus euentis exhibuere: atq; præ cęteris Themist. orat. 16. Valentiniano & Valenti concordiam gratulans per eam occasionem ostendit, omnes homines fratres esse, & qui fratrum amans sit omnes homines beneuolentia prosecuturum: Tanto verò seueriùs exigenda inter homines beneuolentia est, ac mutuò impendenda, quanto arctior necessitudo intercedit, cum diligentiùs ex ipsa rei natura cauẽdum indicatur, quidquid cognationem aut sanguinis coniũctionem quoquo modo lædere aut violare potest; Idque adeò laudabile semper fuit, vt ex huiusmodi muneris exercitatione Crates Philosophus apud Apul. in 4. florid. Herculi monstrorũ domitori comparetur, cui nulla domus Athenis clausa erat, cum de litibus ac iurgijs inter propinquos dirimendis ageretur, qui etiam vt melius beneuolentiæ munera erga omnes exerceret, nullum adulationis seù assentationis genus in nemine patiebatur; aiebat enim assentationem, quam appellat Galba apud Tacitum, verę beneuolentię venenum, esse quoddam amoris figmentum, potius odij quam beneuolentiæ specie obductum, quo bellum indicitur amicitiæ atque consanguinitati.

Ibi verò potissimum præmicare dicitur beneuolentiæ decus, vbi adesse non patimur maleuolentiæ virus; ac propterea quemadmodum Aristoteles in Ethicis beneuolum hominem ab amico non secernit, ità maleuolus ab inuido, & osore non est seiungendus; odij si quidem fiutex inuidia est, cum

cum inuidia manet ex odio tamquam ex causa; ex eo namque quod aliquis alterius fortunam odio prosequitur, nimirum quod gloria, opibus, aut dignitatibus emineat, inde statim inuidus efficitur; ex quo Statius lib. 5. Sylu. consanguinitatem Inuidiæ ac fortunæ sic incusat

Quisnam impacata consanguinitate ligauit
Fortunam Inuidiamque Deus? Quis iussit iniquas
Æternum bellare Deus? Nullamne notabit
Illa domum, toruo quam non hæc lumine figat
Protinùs & sæua perturbet gaudia dextra?

vir autem beneuolus nunquam in animum inducit, vt more canum, equorumque & cæterarum passim bestiarum afficiatur; quibus insitum est, si aliæ satu tentur, expleantue libidinem, & sæuire aduersus eas, & mordere, & lædere, cum id pro vnico habeant bono, quod alijs obtigisse intueuntur; quo fit vt inuidus homo eo ipso quo alteri inuidet, deijci se suo met intuitu de suo gradu ac dignitate conspiciat, nec humanam ampliùs celsitudinem ostentet; quin suprà omnem nequitiam inuidiæ virus ità exaggeratur, vt ipso bono, quo cæteri omnes solent bonæ voluntatis indole oblectari, torqueatur inuidus, eoque supremè inuidiæ dedecus pandatur, quod contra naturalem voluntatis impetum, bonum ipsum odij & tristitiæ materiam faciat, quod deberet esse ad beneuolentiam excitamentum & calcar

Aperta etiam inde fit istius vitij beneuolentiæ oppositi malignitas, quod bonum in pluribus diffusum ex quadam iusta naturæ distributione, velle maleuolus & inuidus ad vnum tantum permanare violata distributionis æquitate, quæ in orbe terrarum statuum & bonorum inæqualitatem seruare satagit; quapropter iure appellata est inuidia à Nazianzeno orat. 27. Iniustissimum quoddam malum, eo tantum ex capite iustum, quod in artificem & parentem suum semper sæuiat, atque tormentum fiat iuxtà illud à Sapientibus laudatum dictum

Iustius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum
Authorem rodit discruciatque animum

& quemadmodum felices illi iudicandi sunt, quorum gloriosam vitam toruis oculis alter aspexit, cum non lucat homo nisi melioribus, nec inuidiæ subiaceat, nisi quem ad celsiora melior vitæ profectus euexerit, ita illi contra plusquam miseri putandi sunt, quos lucia alienæ fælicitatis exagitant, & impia æmulatione concepta, cruento liuore consumuntur; qua de causa egregiè aiebat Democritus apud Stobæum ser. 38. Inuidiam sibi ipsi hostem fieri & carnificem. Rationem verò cur Inuidia in hunc modum parentem suum dilaceret & excruciet, egregiè obseruauit Viues cap. de Inuidia, dicens Inuidiam rem esse abiectam & seruilem, quoniam quisquis inuidet, potiora iudicat alterius bona, quam sua, idue, ne accidat, extimescit qui vt nulli prorsus inueniantur, qui prodere ingenuè audeant se alteri inuidere; potiùsque vel ad iram, vel ad odium referant, aut etiam ad metum, quod inuidiæ esse ipsi-



LEX LIII.

AD HOMINEM MANSVETVM.



CVM ex virtutum numero quædam sint, quæ publicum potius, quam priuatum statum illustrare dicuntur, atque de his satis à nobis dictum sit, operæ nunc pretium est alias quasdam recensere, sine quibus nec rectus vitæ priuatæ vsus haberi potest, nec facile humani consortij leges, necessitudines, & vincula obseruari; atque præ cæteris exponuntur hic Mansuetudo & Clementia; quas licet plerique nomine tantum renus dissidere velint, plusquam tamen nomine differre, satius putandum est; cum enim sint distincta Clementiæ & Mansuetudinis officia, æquum est diuersas quoque regiminum occupare sedes; mansuetudo siquidem regit tantum iram interiorem, & abditam in animo perturbationem moderatur, Clementia verò eam temperat vltionem, pænæque irrogationem imminuit, quæ ab ira iam animo concepta solet erumpere; hincq; optimè Seneca lib. 1. & 2. de clement. ait Mansuetudinem virtutem priuatorum esse, cuius munus sit iras regere, furoresque illos temperare, quæ maximè inter priuatos & æquales, simulque conuenientes intercedunt, clementiam verò frænum ijs immittere, eorumque impetus coercere, quibus assolent Superiores aduersus inferiores accendi atque succensere; perhibetur enim ad Principem virum latum illud Statij præceptum

———— frena animo permitte calenti
Da spatium, tenuemque moram, male cuncta ministrat
Impetus

quo præcepto vtebatur Athenodorus Philosophus, cum Octauium Augustum hortaretur ad clementiam: Hocque discrimen inter mansuetos & clementes viros agnoscunt illi omnes, qui aut mansuetudine aut clementia prestantissimi efferuntur apud sapientes; & licet connitantur quidam illud euertere, opinantes nullam esse moralem virtutem siue in priuato, siue in principe viro, quæ non versetur in intimis animi frangendis atque regendis perturbationibus, ac proinde non esse aliam statuendam virtutem,

quæ intimum iræ moderetur affectum, aliam verò quæ legem ponat externis actionibus, quæ ab illo intimo imperantur affectu; hi tamen facilè vinci possunt, si diuersas mansuetudinis, & Clementiæ materias præ oculis habeant; Clementia quippe id potissimum agere satagit, vt in pœnis irrogandis feritas & crudelitas temperetur, mansuetudo autem in eo potissimum munere obuersatur, vt ira ad irrogandas pœnas concitata temperetur.

Cœterum quidquid sit de eiusmodi diffidentia virtutum, illud nobis statuendum est, mansuetudinem illam esse, quæ neque omnino laxatas iræ, & furori permittit habenas, neque indignationis impetus omnino constringit aut coercet; qua ratione ille dicitur vir verè mansuetus, cui tam bene ingenium est, vt ab omni animi tumultu sit solutus & liber, nec se à perturbationibus trahi patiatur, sed irascatur eatenus, quatenus præscripserit ratio; nam ipsa quoque ratio sæpè sæpius iram edictat, atque ad furorem lentos extimulat; eosque qui nullatenus irascuntur, neque ob quæ irasci deberent, stolidos potius & fatuos esse, quam homines ratione præditos; quemadmodum ex ipso docebat Zeno Eleates, qui ad effugiendam stoliditatis notam pleiumque excandescere & irasci nitebatur. Quo fit vt quodcumque iræ genus non semper in vitio sit, aut reprehensioni obnoxium, vt arbitrati sunt Stoici; sicut enim nimius exuperans ira ferinum facilè commutatur in vitium, neque imperturbatam in homine relinquit rationis sedem, vt testis est Persius Sat. 3.

Nunc face supposita feruescit sanguis & ira
Scintillant oculi, dicisque facisque quod ipse
Non sani est hominis, non sanus iuret Orestes

ita ira rationis moderamine atque ex eius præscripto adhibita sic laudabilis est vt nomen ipsum induat virtutis, & mansuetudo appelletur.

Atque in hac re valdè decepti sunt Stoici, qui docuerunt irasci semper malum esse, atque mansuetudinis obstare virtuti; ira namque si temperetur ab excessu & defectu, vel fit ipsius mansuetudinis actus, quæ quædam mediocritas est, vel in egregia fortitudinis facinora minus feruidos propellit iuxta illa Homeri testimonia

——Vires incitat ira
——Virtutem immitte furori

ex quibus coniectamus fortes etiam ac bellicosos viros ira maximè ac furore ad fortiter agendum vrgeri, ac iuuari quamplurimum; nam vbi inter dimicandum grauissimè vulnerantur, tam magnos interdum furoris impetus experiuntur, vt ipso sanguine per iram accenso fortius pugnent, victoresque abeant à prælio; quod præter illos fortissimos viros quos describit Homerus; peregisse fertur Lucius Sicinius Dentatus, qui ad excitandum robur in prælio vulnera spectabat & sanguinē, ex quorum aspectu magis irasceretur in hostes, fortiusque præliaretur. Bene itaque agit mansuetus vir, cum iram non cohibet, quando oportet irasci ad aliquod virtutis genus exercendum; si quis enim

enim ea non vindicet, quæ vindicari vult & imperat ratio, ab hac virtute quam longissimè abetrat, quæ non solum irę excessum, sed etiam defectum corrigere debet.

Inter exuperantes verò & ira peccantes nimia non omnibus æqua est mansuetudinis indigentia; licet enim qui celeriùs excandescunt, maiori quandoq; agantur impetu, cum tamen etiam citiùs, & faciliùs iram deponant, minus quoque exigitur ad vincendum virtutis robur; hacque de causa sapiẽtes Græci iræ exuperantiam morbum breuem appellarunt, quo laborare optimum quodq; videtur ingenium, vt de se ipso testatus est Horatius

Irasci facilis tamen vt placabilis essem

quemadmodum etiam publius Mimus sapientissimè dixit, bonos apud viros quam citò iracundiam mori, & mansuetudinem reuiuiscere. ex quo longè maiorem mansuetudinis egestatem patiuntur illi, qui irę laborantes excessu acerbi & amari dicuntur; cum sint natura & ingenio superioribus contrarij; dum abditam intra se prementes, vel occulentes iram, clauso intrinsecùs furore ferociùs aguntur, ipsisque adeò mansuetudinis studium vtilius, magisq; necessariũ est, eaq; ratione Tiberio aduersus Scautum vehementer irato, iraque silentio prementi (dixit Tacitus) difficiliùs fuisse mitescere, quã aduersus alios, quibus non ità erat infensus, & in quos apertè & palam inuectus fuisset.

At ex duobus extremis mansuetudinem oppugnãtibus illud mansueto viro deterius censendum est, quod magis recedit à medio, quod non est iræ defectus, sed potius iræ excessus seu exuperantia; atque ex hoc maiori probro semper digni habiti sunt, qui in iras excessere, quam qui in ipsa ira defecere, quod satis testantur exempla apud Senecam in lib. de ira, & apud Plutarch. lib. de cohibenda iracundia; hucque etiam pertinet illud

Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ
Et faciles motus mens generosa capit,

qua propter eę leges potissimum indicuntur à sapientibus viro mansueto, primum vt potiùs alias perturbationes animo excipiat quam iram; deinde vt ità semper se gerat, vt ita non ducatur ad agendũ more ferę, quod merito detestatur in quibusdam Iuuenalis eos appellans sęuiores quam feras ipsas

Sed iam serpentum maior concordia parcit
Cognatis maculis &c.

homo enim irascens ita debet alteri irasci, vt numquam omnino indulgeat animo ferocienti & efferato, sed vt per indignationem hominem inducat ad bonum & retrahat à malo. Deniq; mansuetus ita iram compescere debet, vt numquam sui vindex sit, nec propriæ sumat vltionem iniuriæ, quibus edocti quamplures præclarissimi viri pulcherrima mansuetudinis prębuere specimina tum in sacris tum in prophanis literis, atque præ cœteris Ioseph erga fratres, Dauid erga filios, Salomon erga hostes; quibus addi potest Agesilaus Rex, qui cum ab vxore extimularetur vt supplicium sumeret de adolescente, qui filiam suam quam deperibat in propatulo fuerat exosculatus, respondit,

neque

neque amicis neque hostibus esse irascendum Regi, qui inter reliquas virtutes mansuetudine præsertim debet præmicare.

Hinc à plerisque mansuetudini dicta est maximè cognata Clementia; est enim Clementia imminutio irę atque pęnarum ex ira inferendarum, quod est mansuetudinis munus soleatque ex hoc Clementes viri à mititate, seu à mansuetudine maximè laudati, vt Cæsar laudatur à Tullio in orat. pro Marcello; & Constantinus magnus à Flauiano, qui nec potuit ad iram, neque ad vindictam vrgeri, cum eius statua lapidibus impeteretur; atque eiusmodi virtutum sibi cognatarum nexus maximè principes decet, quibus consentaneum est in optimo regimine Iouem ipsum æmulari, paternum potiùs, quam supernum erga subditos induentes animum & affectum; quæ duo in bono principe fœderata aduertens Chrysanthus apud Xenoph. lib. 8. Cyripęd. aiebat nullum esse discrimen inter principem bonum & bonum patrem, à quo ęquè crudelitas ac feritas distare debet; nihilque princeps per barbaram inhumanitatem in homines sæuientē præstare debet, ne ferarum notis inuratur; Ad feritatē namque dicuntur pertinere ea omnia de sontibus supplicia, quæ apud veteres sumebantur, pręsertim apud Persas; apud quos varia additissimos cruciatus exercebātur supplicia; atq; supra cęteros horrēdūs fuit apud ipsos Scaphismus, quē describit luculenter Plutar. in Artaxerse, referens illud supplicij genus sic fuisse irrogatū. Deligebantur Scaphę duæ inter congruentes in quarum altera reus locabatur supinus, inde indicebant Scapham alteram & coaptabant; ita vt caput, manus, & pedes exererentur, reliquum corpus inclusum esset; cibus deinde porigebatur nocenti, atque ad eum sumendum oculorum fodicatione vrgebatur; à cibo mel & lac confusum infundebatur ad potum, tum eius oculi assiduè obuertebantur ad Solem, vt ità facies incubantium muscarum examinibus obtegeretur, ac lancinaretur. ex ciborum reliquijs intrà Scaphā putrescentibus, tineę & lumbrici enascentes in viscera penetrabant, corpus vniuersum exedebant; quod ablata superiori Scapha post septimum diem suprà decimum apparuit in Mithridate illo, cuius supplicium describit Plutar. referens fœdo spectaculo corrosas per vermium examina carnes constitisse. Quāquam non semper scaphis eiusmodi tormentum, sed arido etiam bouis corio, quo noxius insuebatur, aduertit Baronius in Martyr. Rom. ad 27. Iulij, inde coniectans Scaphismum non à Scaphis dictum, quæ non semper vsurpatę ad id supplicij, sed à Scaphio, quod est vas stercorarium; & sanè nō Scaphas eiusmodi, sed corium ad id simileuè supplicium vsurpatum legimus à Maximino, quem prodit Capitolinus mactatorum animalium intestinis homines insuisse, itaut capitibus tantummodo eminerent, inibiq; ad diuturnius supplicium cibatos tandiù sustineri voluisse, donec intus putrefacti cederent passum animalium tabidis corporibus innascentium. Valde affinia sunt eiusmodi crudelitatis inuento quædam alia humanæ perfidiæ sæuientis instrumenta, à quorum diro apparatu libens horrentem calamum retraho qualia fuere Cyphonismus apud Apuleium lib. 8. in supplicio serui adulteri insigniter expressus,


quo

quo miserum seruum iræ impotens dominus nudum, ac totum melle perlitum cariosæ ficulneæ alligasse fertur, vnde simul ac melliti corporis nidor inhalasset, ebullientes multiuaga scaturrigine formicę numerosis & continuis morsiunculis carnes ac viscera planè exederunt; Diasphendon, sine alligatio ad arbores erectas incuruatis violenter earum acuminibus, vt iisdem dimissis discerperetur noxius, qua tetrioris imanitate vsum esse Aurelianum scribit Vopiscus; Alia denique eiusmodi plura quæ omnia recensere nimis laboriosum esset, nimisque humanitatis atq; mansuetudinis fines excederet; quamuis enim hæc mansueto proponantur viro, vt iræ & sæuitiæ declinet extrema, nam sæpe sæpius vt ait Lucanus

Excedit medicina modum, nimiumque secuta est
Qua morbi duxere manus.

videntur tamen eiusmodi atrocitatis moderamina potius ad aliam virtutem, quam ad mansuetudinem pertinere, nimirum ad misericordiam, cuius genus est vt loquitur Senec. 2. de benef. cap. 5. citò occidere, ne multiplex fiat occisio, quem potractum occidendi modum bene Lucanus execratus est, vbi cecinit

—— morem nefandæ
Dirum sæuitiæ pereuntis parcere morti.





LEX LIV.

AD

HOMINEM MISERICORDEM.

EVM hominem hic misericordiæ laude insignimus, quem proclinantem natura facit ad alienam beneuolè subleuandam miseriam, huncque virtute præstantem appellamus, licet dixerit Plautus in Trinummo, de mēdico malè mereri, qui ei dat quod edat, aut quod bibat, cum illi producat vitam ad miseriam; eam enim conuici sententiam prorsus detestandam vocat Lactant. lib. 5. quemadmodum etiam lectu & relatu indignum vocat D. Athanas. Epist. ad solitar. Manichæorum errorem, qui existimabant pauperi erogatam misericordiam cedere in subsidium & adiumentū miseriæ, quam execrabantur, ac propterea idem apud eos fuisse, stipem mendico porrigere & homicidium perpetrare. Quod si videatur Plato 11. de leg. seuerè edicere, ne quis sit in vrbe mēdicus, id vt colligitur ex 8. de rep. indictum est à Platone, ad arcenda scelera a ciuitate, in quæ solet ignaua mendicitas prorumpere, non autem dicitur Plato misericordiam egenis impendendam vetuisse; quemadmodum etiam eadem Platonica lex dicitur diū apud Athenienses, & etiam apud Massilienses vsurpata; habetur namque apud Xenophontem in Laconum rep. Lycurgum vetuisse suppeditari inopib. stipem, cum tamen id etiam perhibeatur à Lycurgo mādatum esse ad acuendam egenorum industriam; qua ratione omnibus etiam permisit, vt ea quibus egerent, possent surripere, dummodo in furto cauerēt deprehendi. Denique quæ Lactant. 6. Instit. aduersus Tullius in hac parte profert, nullius penè momenti esse debent, cum ibi Tullius immoderatā tantum rerum suarum erogationem carpat, non verò consideratam & iustam; quod indè coniectatur, vbi in orat. pro Murena. Stoicos omnes ob abolitam misericordiam subsannat; licet alibi eosdem tueatur, quod sint intelligendi de misericordia, quæ habent adiunctam doloris passionem, quam negabant cadere in Sapientem posse. Itaque si Plautum excipiamus hominem de scena, & nullius probitatis si Manichæos quos D. Basilius Marcorem Ecclesiæ rectè appellauit, vix aliquem inuenimus, cui inhonestum videri potuerit alienam miseriam subleuare, etiamsi interdum aliqui vel ad excitandam industriam in egenis, vel ad excutiendum torporem, vel ad profligandam muliebrem

animi

animi mollitiem visi sint misericordiam damnare, aut ab eleemosyna dehortari; quo etiam nomine colluuies illa mendicorum (veriùs latronum) quę varijs confictis prætextibus vagari passim per Europam finitur, Ægyptij aut Cingari nominati Cęsareo decreto excedere Germaniæ finibus iampridem iussa est; quod non immisericors, sed iustissimum fuisse decretum confirmat latè Philipp. Cam lib. 1. hor. subsec.

Vt verò quis misericordis nomen obtineat, non est necesse vt alicuius tristitiæ tangatur affectu ob alienam miseriam; sed sat est vt in eo voluntas adsit illam miseriam subleuandi; quamuis enim sæpe sæpius vnus ex eiusmodi affectibus alium sequatur, id tamen quod de ratione misericordiæ veriùs & communiùs dicitur, est sola voluntas ad aliena mala leuanda prompta & expedita; quapropter in Deo ac in Beatis, in quibus perfectam dicimus esse misericordiam, illam tantum subleuandi voluntatem admittimus absque alienę miseriæ dolore, licet in nobis, qui sumus tristitię capaces, tristitia ipsa progerminet ex voluntate subleuandi impotente, aut impedita; quo fit vt misericordia idipsum sit, quod beneuolétia & charitas erga alium subleuationis indigum, quicumq; tandem ille sit, & siue in viuis adhuc degat, siue fato concesserit, tamq; dicimus patere misericordiam, quàm latè patet beneuola subleuatio tum corpori, tum animo exhibita; quia longè amplior est misericordia animo impensa, quam miseratio quæcumque sit, ad corpus relata, tanta enim dignitas est illius cuius animi saluti consulitur, vt pretia omnium thesaurorum excedat, cum omnia propter hominis salutem facta sint.

De miseratione verò erga corpora, deque varijs eiusdem operibus latè cum Ethnicis disputat Lactant. 6. Instit. cap. 12. referens pręter cætera annumeratam à Tullio his misericordiæ officijs, atque à Theophrasto commendatam hospitalitatem; estque in eo genere obseruatu dignum, quod de Lacedęmonijs perhibetur, consueuisse scilicet illos hospitibus ac peregrinis ad vmbram in spectaculis sedes locare, ipsis interim Lacedęmonijs quouis loco sedentibus; vt mirum sit Libanium orat. 19. Spartanis inhumanitatem in peregrinos tamquam probrum ijs solis proprium obijcere, apud quos eo temporis illud Ouidij 1. met. proferri poterat

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus.

qua etiam ratione scribens Iulianus Appostata ad Arsatium Galatiæ Pontificem, atque agnoscens quantopere hospitalitas christianam religionem cõmendaret, satagit eam apud suos frequentem facere, aut etiam instaurare tunc abolitam; affirmat enim apud anteriores Ethnicos summum fuisse studium erga pauperes peregrinos quoscumque etiamsi alterius instituti ac religionis, & eam in rem fuisse apud eos Xenodochia, quibus de publico certam summam distribui mandans, eam hospitalitatis rationem reddit, quod sine illa ab humanitate homo deficiar. Prouerbium tamen vetus est, licet hospitalitas præclara quędam misericordiæ pars sit, vt habet Plato, hominem neq; nimis hospitalem esse oportere, neque nimis inhospitalem; & Homerus, vt ostenderet

deret, hospitem inuitandum, non verò compellendum esse, ait oportere hospitem volentem accipere, nolentem verò dimittere; complures namque hospites inuenti sunt, officio quidem, fide, ac virtute præstantes, sed etiam fallaces atque infidos nonnullos fuisse accepimus, qui simulata beneuolentia mala hospitibus suis intulere; quod præ cęteris legimus de Tito Sepronio Graccho proconsule, qui ab hospite suo Flauio Lucano insidijs circumuentus per proditionem tandem cum plerisque alijs militibus Romanis interfectus est; ac propterea violatæ hospitalitatis vltor ex antiqua religione solus Iupiter esse dicebatur, quem supremum Deorum constituebant, ad id annuente Virgilio vbi ait

Iupiter hospitibus, nam te dare iura loquuntur.

Aliorum quoque misericordiæ operum, quibus corpori subuentio suppeditatur debet esse misericors vir quam maximè studiosus, cuiusmodi sunt debilium, vel ægrorum curatio, captiuorum redemptio, orphanorum institutio, senum egenorum sustentatio, & deniq; mortuorum cura & sepultura; horum enim omnium etiam apud Ethnicos creber vsus fuit. Qui corpore erant mutilo, Athenis pręuia Senatus quingentorum approbatione quotidie singulos, vel etiam iuxta alios binos obolos ex publico ęrario accipiebant, idque refert Suidas, addens ex Philocoro datas illis in mensem drachmas nouem. Ægrotis in æde Æsculapij assignatam sedem Suetonius in Claudio, alijque prodiderunt; Turcas & Mogorres etiam pro brutis ægrotãtibus nosocomia prouidisse quadam misericordiæ prodigalitate notauit Serarius. Captiuorum redemptionem à Tullio commendatam tradit Lact. 6. Instit. Extrema deniq; misericordiæ officia per sepulturam corporibus impensa ex Tullio valde commendat idem Lactantius, qui docet eum etiam qui vita functus est, subleuatione egere, eamque à nobis recipere fas esse; quod constat etiam ex eo, quod genus immisericordiæ sit homines sepulturæ beneficio priuare, eosque temporum iniurijs expositos relinquere; ac propterea apud veteres ea consuetudo semper inualuit, vt defunctorum corpora non proijcerentur insepulta, ne inquietas haberent animas vt ex 6. Aeneid. memorat D August. lib. de cura pro mortuis; vbi etiam illum poetam improbat, cui licuit in sepulturæ neglectum occinere


——— *Cęlo tegitur, qui non habet vrnam*

Ijsdem itaque coloribus, quibus misericordiæ laus & venustas exprimitur in misercorde, fœditatem quoque immisericordiæ patefactam volumus in immisericordibus viris; quandoquidem, vt rectè dixit Lactantius, sicut misericordia est humanæ societatis quasi coagulum, ita immisericordia vinculum humanitatis disrumpit; quod pleniùs habetur ex Tullio, qui immisericordes de humana natura malè promeritos vocat; quem enim alterius inopia, aut calamitas, aut ægritudo, aut aliud quoduis malum non tangit, fera rationis expers censenda est, perperam humanam indutus formam, ipsamque naturam sua feritate deludens; hacque de causa velut fera eiectus est de templo ille

apud

apud Epictetum Enchirid.cap.39. qui Delphos cum amico peteris, in subito latronum occursu fuga elapsus, sotio à latronibus tento, non succurrisset; cędis quippe reus velut immisericors ab Appolline pronunciatus est, atq; Apollinis iudicium Epictetus & simplicius approbarunt; cuius feritatis notam vt effugeret Pausanias Lacedęmoniorum princeps suaderi numquam potuit, vt deuicto ac trucidato Mardonio Persici exercitus summo Præfecto vt post mortem ipsius Mardonij cadauer in crucem ageret; aiebat enim à Laconum gloria valde distare barbarum illum in cadauer sæuiẽdi modum, qui sæpe sępius ipsi immisericordi exitium solet afferre, quemadmodum de Nicone quodam notauit Suidas, qui cum magna criminis mole statuam hostis sui iam vita functi conaretur opprimere, ab ipsa tandem oppressus perijt; cui etiam affine illud est, quod Achilla scribit Ausonius

Abiecta in triuijs inhumati glabra iacebat
Testa hominis, nudum iam cute caluitium.
Fleuerunt alij; fletu non motus Achillas
Insuper & silicis verbere dißecuit.
Eminus ergo isto redijt lapis vltor ab ictu
Autorisque sui frontem, oculosque petit.





LEX LV.

AD HOMINEM LIBERALEM.



D naturam, quæ cunctorum genitrix est à supremo molitore atque omnium parente progenita, quæ splendido semper rerum apparatu se se nobis ostentat, atq; effundit industria, mittitur homo à sapientibus vt liberalitatem ediscat; adeo siquidem fuit homini in bonis prolixa natura & omnium munerũ aggeratione fœcunda, vt largitas tanta quasi fines prodigentiæ diceretur ingressa, dum ab ipso rerum exordio, vt vnum hominem omni bonorum profusione bearet, & iucundissimum cęli aspectum ex pulcherrima siderum varietate formatum, & admirabilem terræ speciem cœlo ipso non minus ornatam palam exposuit; quibus non solum inter splendentia astrorum lumina, sed etiam inter Syluarum horrida, hortorum amęnitates, montium summa, depressa vallium, florum agmina, fructuum copias captaret homo imitandæ liberalitatis exempla, eo etenim tantum putandum est paratas esse homini excellentes regiones illas Elysiorum nomine insignitas, vt egregia liberalitatis norma præberetur homini, qui in illis beatissimis otis nullas vnquam experiretur æquoris tempestates, nullis ventorum, aut imbrium impetus, nulla temporum aduersantium irritamenta; sed potiùs tanquam in amęnitatis sede, tanquam in voluptatis ærario, omni delitiarum cumulo frueretur, ibi enim obiectabantur homini tanquam pulcherrima liberalissimæ naturæ visenda miracula flumina quædam pellucidis liquoribus velut excũrrentibus margaritis fluxu perennante ditata; ibi viridissimis riparum apparatibus, filiorum aggere circumtexto fornicato ramorum ambitu, varijs vndique obductis topiarijs ab ardore tuentibus incolentium animi dulci ac decora opacitate oblectabantur, exultabant ibi lasciuientes aquarum riuuli, qui dum sensim ac sine sensu per felicissima ea Tempe discurrerent, sensus omnes humanos suauissimis alliciebant blandimentis; oculis velut Christallina specula pulchras reddentes imagines, auribus composito quodam fragore concentum harmonicum consono murmure parantes, naribus ornatissima florum scena summam redolentes suauitatem tactui refrigerationem periucundam, gustui denique omni-

omnigenæ voluptatis allectamenta. Ibi spectabantur denique conditæ res omnes nulla imbecillitate squalentes nulla ętate senescentes, nulla contrariorum iniuria deflorescentes, sed perpetuum possidentes ver nullum planetarum volumine interruptum, perpetuam adspirantem auram nullius Euri incursu conturbatam perennem denique serenitatem nulla temporum vicissitudine obnubilatam tã homini rerum parens natura concessit vt virtutem liberalitatis adisceret, atq; in cęteros exerceret, quo virtutis splendore non solum ad diuinitatis imitationem, sed etiam sublimitatem & excellentiam quoquomodo accedere posset, testante Nazianzeno eam apud Veteres fuisse virtutem diuinitatis merito ac nomine digniorem, qua homines magis Deos imitari solent sua bona elargiendo, nimirum liberalitatem; quod de se ipso affirmabat etiam Cyrus apud Xenophontem, cum aliquid se habere diuinum existimabat ex eo quod facilè beneficentiæ se committeret.

Ita igitur à natura virtutem liberalitatis debet ediscere liberalis vir, vt omnia agat cum regulis ipsius naturæ, ea nimirum lege vt in dando rectæ rationis ductum sequatur, quæ prima est ipsius naturæ regula, à qua deficientes, seù declinantes æquè facit Aristotelis ab hac meta aberrãtes; homo quippe sicut per auaritiam fit Deo in omnes bona sua diffundenti dissimillimus, ità per hanc virtutem fit quodammodo homini Deus, & quantum homini fas est, perfectionem Dei maxime propriam in se ipso adumbrat, sua elargiẽdo ob meram donandi honestatem; Quod si de Deo sua largitate omnibus beneficia conferente dicitur à Theologis, ea etiam, quæ sponte aliena facit, etiam sibi ipsi tanquam propria retinere, ex quo inexhausta perhibetur diuina largiendi facultas, hoc idem de homine Deum per liberalitatem imitante quoquomodo potest affirmari, testante Seneca lib. 6. de benef cap. 3. Marcum Antonium apud Rabitium poetam, cum fortunam suam aliò transeuntem videret, nihilque sibi relictum atque relinquendum præter ius mortis, ea verba protulisse

Hoc habeo quodcumque dedi

quæ illis valdè consona sunt à Martiali commemoratis in illa Epigramatis clausula

Extra fortunam est, quidquid donatur amicis
Quas dederis solas semper habebis opes

ità tamen vt liberalis vir in dando & modum seruet; & semper finem honestatis intueatur, ne à virtute desciscat, quod est illud sæpe commendatum à Seneca in libr. de benefic. vbi multos, & varios inconsultè viuentium errores refert, qui res suas nec dare sciunt, nec alienas recipere.

Potiores verò quæ debent in splẽdido ac liberali viro præmicare notę illæ sũt quib. finis omnis ab elargitione depellitur, in quo sit aut lucrum maius optatũ, aut captatus vel capiãdus honor, aut aliud simile ostẽtationis genus ab

honesto recedens, si enim ad aliud, quam ad honestum collimaret liberalis bonorum vel beneficiorum largitor, eius studium esset ex Socratis testimonio apud Stobęum vt Gratiæ Virgines fierent scorta, cum id nequaquam beneficij nomen obtineat, quod quoquo modo mittitur in quæstum; qua propter ambitiosam illam liberalitatem, quæ tantum ad gloriæ aucupium viam affectat iure optimo insectatur Tullius, vbi Philippum Macedonem laudat filium Alexandrum redarguentem ex eo, quod profusis tantum elargitionibus Macedonum beneuolentiam captare studeret, atque inde splendidissimi Regis famam sordidè capesseret, quod quidem, aiebat Cicero, erat tantum sordes in ipso nitore venari, regiumque fœdare nomen, cum notum illud sit apud Martialem in lib. 5. vulgatissimum

————— dona

Auctoris pereunt garrulitate sui

sicut contrà Constantinus Manasses in suis annalibus Constantinum Monomachum celebrat velut quoddam veræ liberalitatis ac munificentiæ simulachrum, quod esset velut mare in beneficentia semper exundans, sed tamen sine murmure & fragore, hoc est, absque beneficiorum iactatione.

Sic etiam liberali viro deesse non debet prompta ac libens benefaciendi voluntas ingrata enim sunt, omnem gratiam corrumpere dicuntur, quæ dati vel extorquentur, vel excidunt præter voluntatem; vbi animaduertunt germanæ liberalitatis obseruatores, beneficia, quibus deficit largiendi voluntas & cogitatio esse velut corpora quædam informia anima carentia, qua de causa nullum reputatum est beneficentiæ opus id quod Iasoni Pheręo contulit Prometheus Thessalus, cum eum moliens interficere, ipsi gladio vomicam aperuit, diuque morbo laborantem perfectæ reddidit sanitati; cuius generis dicitur etiam fuisse beneficium Eumpinæ mulieris adulteræ præter intentum coniugi collatum, cum venenum porrigens ad necandum, vitæ medicamentum porrexit & munimen, quod factum ferale & exitiosum optimè describit, & detestatur Ausonius Ep. 10. vbi canit

Miscuit argenti lethalia pondera vini
Ast inter se se dum noxia pocula certant
Cessit lethalis noxa salutiferæ.

atque hinc optimè Seneca 1. de benefic. conditiones ac dotes viri liberalis describens, ait neminem splendido nomine insigniri, qui quæ præstat, ex animo non præstat; quemadmodum etiam præclarum liberalitatis decus est, & ornamentum, si quod datur, quam citò detur nulla adhibita difficultatis mora; subdit enim idem Seneca eodem lib. cap. 1. Expectantem maximè lassare ac torquere beneficij dilationem; quam etiam difficultatis artem adhibitam muneribus maximè improbat Latinus Pacatus in Theodosij. Paneg. cum sit pondus quoddam nimium grauescens, nimiumq; reddens fatigata ipsorum hominum vota; ad quam rem optimè Ausonius ex Luciano

Si benè quid facias, facias citò, nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.


Ipsa quoque liberalitatis opera, munera, elargitiones, quæ à splendidis viris impertiri alijs solent ex facultatibus, quæ possidentur ab ipsis, metiri necesse est, cum modus quidam etiam in his adhibendus sit, ne in prodigentiam vel nimiam paritatem incidant; qua de causa docuit Aristoteles neminem vndequaque pauperem posse liberalis viri nomen obtinere; sicut è contra neque principes ac Reges posse facilè prodigentiæ nota culpari, cum eorum cōditio tam opulenta sit, opes tam amplæ, æraria tam multis instructa copijs, vt modum in dando superare vix posse videantur; qua ratione à prodigentiæ nota vindicatus est Alexander Macedo, licet regna & ciuitates nullo negotio erogaret: vbi animaduertendum est, quod sicut liberalitas non in solo pecuniæ seu signati numismatis vsu bene regendo laborat, sed etiam in cœteris rebus versatur, quæ pecuniæ pretio comparari possunt; ita prodigentia, quod est extremum liberalitati oppositum non solum pecuniariæ erogationis exuperantia detinetur, sed etiam cęterorum dissipatione bonorum quæ pretio æstimabilia sunt; quare optimè Tullius in 2. de fin. prodigentiam Asotiam vocauit, nimirum immodicam & limites prætergredientem bonorum elargitionem, vel enarationem quomodocunq; vsurpatam Asotos etiam eos appellās, qui uentri & gulæ omnino dediti absumunt, & obliguriunt patrimonia; quā nominis vsurpationem intuens quoque Budęus dixit, Asotos propriè dici quosdam homines nequam, luxu scilicet & ganeæ studio perditissimos, rem familiarem in ventrem, libidinem, resque Venereas profundentes; cuius ordinis testatur Martialis lib. 4. fuisse fœminam quamdam nomine Fabullam, quæ maximà lasciuia diffluebat, atq; in suis persequendis amoribus permagnos faciebat sumptus; quæ fęmina cum esset nata ex Patre qui Clinicus Sota appellabatur iure ipsam fœminam Asotam quasi per ludum ex prodigentia appellauit Martialis

Sotæ filia Clinici Fabulla
Deserto sequeris Clitum marito
Et donas & amas mulier Asota.

præ cęteris verò auaritiæ crimen liberali viro vitandum est, cum de auaris illud rectè dictum constet eos nec sibi commodos esse, nec alijs; quibus tam etsi comparandis atque conseruandis pecunijs nimium insit studium, dandi tamen in omnibus voluntas minima est, quam tamen expostulat liberalitas; qua ratione Sergium Galbam qui Domitio successit Augusto, quamquam alicui non appetentem, iure tamen ętas illa plurimum carpsit, quod suæ quidē pecuniæ parcus cum esset, publicæ etiam auarus foret; neque enim aut secula illa, dignitasque Senatoria, aut opulentum Galbæ patrimonium eam parcendi ac conseruandi diligentiam, nec aurea sella tantam è publico auaritiam patiebatur, liberalis etenim viri munus est pro viribus omnium beneuolentiam suis elargitionibus captare, vel si non multis exuberet opibus saltem sordes

auaritiæ exhorreſcere, aut ſaltem diuitijs ipſis locupletiore animo eas generosè deſpicere, cuius rei memorandum reliquit exemplum Ariſtides ille cognomento iuſtus, qui cum à Callia opulentiſſimo viro interrogaretur, cur ditеſcere nollet, reſpondit, ſe eo magis pauperiem, quam diuitias amare, vt animo ſplendidior atque liberalior euaderet, cum nihil homine indignius quam inter opes velut inter auaritiæ ſordes illiberaliter volutari, quò præſertim pertinent exempla illa Veſpaſiani, & Caligulæ à Suetonio prodita, qui fœdiſſimo hoc vitio laborarunt, licet orbis imperium obtinerent, atque ipſis ſordidior recenſetur Michael Paphlagon orientis Imperator, qui voluit pro cuiuſcumque facultatibus ſibi tributum numerari ex aere locorum quæ quiſq; poſſideret, id referente Cedreno.

Eo igitur modo adhibenda liberalitas eſt, vt extrema tum prodigentiæ, tum auaritiæ conſtantiſſimè decliner, ſed ita etiam vt delectus habeatur, tum perſonarum quibus dandum ſit, tum rerum quæ ex liberalitate ſunt dandæ, tum egeſtatum, quibus maximè ad largiendum commoueri virum liberalem addeceat; vbi acriter incuſandi videntur illi omnes qui ſplendoris famam aucupantur ex eo, quod in proſequendis hiſtrionibus, ſcurriſque ditandis multi ſunt, qui non ſolum in eo peccant, quod quibus minimè conuenit, & ſupra quam decet, largos ſe ſe exhibent, ſed quod cum leui & parum honeſta cauſa moueantur, leues ſe & parum conſideratos oſtendunt, longè meliùs acturi, ſi egenorum anguſtias atque incommoda opibus illis, quos inhoneſtè perdunt, leuarent.



LEX



LEX LVI

AD

HOMINEM DIVITEM.

QVi opes & diuitias amant, ità auri fulgore obcæcantur, vt nihil æstiment in tota natura pretiosius, nihil præstantius obsequantur, hacque ratione diuites omnes à Paulino scribente ad Seuerum in Epist. 5. cæci ac mente capti appellantur rerum veritatem impotentes agnoscere; hi siquidem auri æstimatores, imo adoratores eo detinentur errore, vt bona omnia quæ expeti ab homine, aut ex postulari possunt, in vno esse congesta auro insanè arbitrentur; eoque aurum potentissimam atque validissimam rem esse deprædicent, quod sine ipso nullum sit robur, nullum potentiæ in humanis firmamentum; cum enim inter res, quarum vim ac potentiam reformidare homines solent, primum teneant locum arma, atque firmius armorum præsidium sit aurum, iure optimo robustius armatorum brachium aurum ipsum decantatur, præsertim à Philippo Macedone, cum Græciam auro potiùs quam armis & militibus expugnare pertentaret

Aurum bella gerit, mucronibus imperat aurum
Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

nec mirum, cum & animos hominum vincat, & velut catenis deuincto subijciat corda, trahatque quocumque velit; adeo vt plerumque quos ferrum expugnare non potest, aurum expugnet, & qui nullis rationum momentis, nullis pollicitationibus, nullis minis aut tormentis commoueri possunt, auro flectantur, integritate, fide atque omni constantiâ vt plurimum concussa. Hinc à solo auro humanam omnem beatitatem aucupantes diuites aiunt diuitijs ipsis & opibus omnia in esse bona, potentiam, honorem, famam, Amicos, imperia, virtutes & reliqua, quæ vulgo haberi solent in pretio, quib. omnibus se destitutum lamentabatur Caligulas, licet Romanus imperator, cum aurum pedibus non calcaret iuxta id quod de diuitijs perhibetur

om-

——— *omnis enim res*
Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris
Diuitijs parent, quas qui constraxerit, ille
Clarus erit, Iustus, fortis, sapiens, etiam Rex
Et quidquid volet.

cum contrà velut homines omnino contemptibiles atque ad nihil sublime assurgentes à diuitibus illi damnentur, qui omni posthabito auri ac diuitiarum pretio inopiam,& mendicitatem captarunt ad captandam famam, quales fuere Diogenes crudis oleribus victitans, Curius ille Romanus raparum assator ad focum, Anacreon talenta reddens Policrati, Democritus Laberide nudior thesauros conijciens in mare, & alij plerique opum aspernatores.

Qui verò aurum & diuitias contemnunt relictis eiuscemodi fatuis earumdem elogijs apertè fatentur nullum esse omnino scelus atque flagitium, quod adhibito auro velut instrumento non perpetretur, ac propterea experimentis compertum esse ditiores homines cœteris quoque nequiores esse; qui enim nimia auri cupidine flagrant, virtutibus omnibus valedicunt, vitijs singulis monstrosè ac præter ordinem naturæ litant; & cum olim adhuc esset aurum itrepertum, verè tunc aurea vigebat ætas, in qua quisque

Sponte sua sine lege fidem, rectumque docebat

at postquam itum est in viscera terræ ad opes, seù ad irritamenta malorum effodienda, statim ferreum illud aduenit sæculum, in quo

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est

auro siquidem cæperunt non modo amicitiæ, sed etiam consanguinitatis iura violari, virtutes è propria regione exturbari, regna ipsa & Resp. continuis internecionibus concuti & vsque in excidium perduci, cum contra beatam tantummodo vocet Plato illam Remp. quam ciuium virtus, non opulentia ditat. Et reuera cum sint aurum & opes non solum irritamenta, sed etiam instrumenta malorum, quis meritò diuitem beatum faciet? Diues namque (vt scitè aduertit Lactantius lib. 7. Instit.) impedimentis quamplurimis implicatus, atque compeditus eo cogitur miser esse, quod iugiter seruit ad nutum dominæ cupiditati;& licet Casius quidam Scholasticus homo Ethnicus apud Isidot.Pelus.lib. 2. ex Demosthenis authoritate publicè docuerit nullum beati animi statum sine opibus inueniri,ipse tamen Isidorus ostendit eumdem Casium errore plusquam palmari deceptum esse, cum Isocratis, Aristidis, Cratetis, Phorionis, Platonis, aliorumque plurimorum sapientum exemplis satis testatum sit esse potius diuitias ad beatam vitam, seù ad animi tranquillitatem impedimenta; qua ratione illud erat in more positum apud veteres vt post comessationes & conuiuia capta lyra illud occineretur

O diuitiæ ò miseriæ
Ex vitijs idem ac ex diuitijs.

At omissis in hac re opinionum atque controuersiarum calculis si veram diui-

diuitis miseriam licet expendere, infinita propemodum inuenientur mala ad iugem diuitis tortorem atque cruciatum assurgentia, vt merito adnotauerint Sapientes quidam apud Ethnicos nomen Numinis Inferorum Regiam tenentis, vbi cruciatuum locus est, & nomen Diuitis vnum prorsus, & idem fuisse; Ditem namque vocabant Plutonem, eoque nomine velut perspicuo argumento commonstrabant in sede dolorum diuitias hominem collocare. Quantis verò angoribus ac curarum morsibus diues vellicetur, vnde omnis ei suauitatis è bono diuitiarum obuenturæ diripiatur, luculenter ostendit Seneca epist. 80. inter diuitem & pauperem comparationem proferens, vbi ait, pauperem sæpius ac fideliùs videre quam diuitem, ex eo quod nulla sollicitudo pauperi in alto est, & si quæ incidit cura, velut nubes leuis transit; quod diuitibus non contingit qui licet felices vocentur, eorum tamen hilaritas ficta est, imo potius grauis & suppurata tristitia; eoque grauior, quia interdum non licet diuitibus palam miseros esse, sed inter ærumnas cor intimum exedentes, necesse est felices agere, licet non sint.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Diuitis hæc magni facies erit; omnia cernens
Qui timet ex sicco concoquit ore famem

rem hanc pulcherrima Tantali comparatione describens Petronius quæ non longè ab illa exerrat, quam affert Dio Chrysosthomus de quodam opulentissimo viro, qui inter auri aceruos fatigatus & dolens iacebat exturbata omni quietis atque tranquillitatis spe; exaggerato si quidem diuitis dolore ex possessionis ampliatione, & angustijs ex vbertate procreatis, subdit diuitis mentem, quæ prius ex abundantia requiem quæsierat, post ad custodiam grauiùs laborare, cum inde insidiatores metuat, raptores, necisque intentatores; tantumque abest vt opes & diuitiæ animi expleant satietatem, aut mentis tranquillitatem conferant, vt potiùs mæroribus atque sollicitudinib. ipsum animum compleant, æstuque perpetuo agitent; Pauperum è contrà veræ ac synceræ, omnibusque molestijs liberæ suauitates sunt, quarum argumentum est, quod tunc solum diuites feliciter viuunt, cum pauperib. similes efficiuntur, cum scilicet ità diuitias possident, ijsque vtuntur, ac si eas non haberent; atque ad hanc rem sapienter loquutus est Epicurus, cum dixit diuitiarum acquisitionem non esse status, sed miseriæ mutationem, nam & sub his non minus quam sub paupertate æstuat animus iugi labore ac molestia pressus; perspicuum siquidem est, quod vbi rerum inopia angitur pauper, earumdem vbertate opprimitur diues: vbi pauper laborat vt aquirat, solicitus est diues vt seruet; quæ denique pauper optat habere, diues timet amittere, Quin diues fluxum diuitiarum irrequietum atque perpetuum contemplatus ex ea contemplatione semper miser efficitur; cogitur namq; alienas potius quam proprias eas opes agnoscere, quæ labili cursu citato pede ad alios properant iuxta id, quod dicebat Publius Mimius apud Senec. epist. 8., cum assereret

omnia

omnia fortuita minimè in nostris habenda esse,

Alienum est omne quidquid optando venit.

quod etiam à Lucilio paulò meliùs & adstrictius memorat epist. 47. eo versiculo

Non est tuum fortuna quod fecit tuum.

Neque fauet diuitum felicitati vulgaris hominum seruilium opinio, quod ex eo in diuitijs sit summum humanum bonum constituendum, quod ipsis nihil omnino desit si velint, quod neq; Sapientibus, qui beati dicuntur, contingere solet; qua ratione Simonides apud Arist. lib. 2. Rhet. cum ab Hieronis vxore interrogaretur, præstaret ne diuitem esse an sapientem, ex opinione vulgi respondit longè præstare diuitem esse, quam sapientem, videre quippe se sapientes sæpenumero pro diuitum foribus commorantes; quia ipsi quoq; Reges & viri Principes hanc populis videntur opinionem indidisse; scriptũ est enim apud Suet. de Caligula ad captandam felicitatem sępè super immensos aureorum nummorum aceruos patentissimo loco diffusos nudis pedibus inambulasse, atque inter eosdem animi gratia & remissione se toto corpore volutasse; cum id quoque summam diuitijs ad desideria perficienda in esse vim satis demonstret, nihil prorsus in tota ipsius naturæ regione inueniri, quod ipsis obsistere queat, atque reluctari, quod Philippo Macedoni significatum est, cum ab oraculo responsum accepit, hostes se non ferreis sarissis, aut lanceis, sed argenteis hastis esse profligaturum; quod ipsemet sæpe confirmabat, cum dicebat nullam arcem ita munitam esse, quæ facilè non expugnetur, si eò per aliquos tramites & viarum angustias onustum auro iumentum immitti posset; hoc etiam fabulosa illa Ænea Turri comprobante robustis obsepta, & communita foribus, vbi Danae seruabatur inclusa, quæ Iouem aureum mollissimo labentem imbre non sustinuit, quæ tamen eidem fulminanti facillimè potuisset obsistere. Accedit denique vniuersus in hanc rem omnium hominum consensus, qui diuitias & opes à superis implorant, ac petunt velut omnium expetendorum metam, easq; vnicum vitæ præsidium, decus & ornamentum suspiciunt.

In qua re tamen quanto diuites omnes decipiantur atq; torqueantur errore indicat illa laborum ac molestiarum congeries, quæ sæpè in medium adducta est; cum enim certum sit hominis felicitatem in requiete atq; animi tranquillitate positam esse, diuitiæ quæ eiusmodi tranquillitatem eripiunt, nullo modo inter beantia bona erunt recensenda; scitum siquidem est illud Anacreontis ad hanc rem, qui cum duob. à Polycrate Samo donatus esset talentis atque ob id per duas planè noctes integras somnum capere non potuisset ex curà doni seruandi ac custodiendi, Polycrati talenta ipsa remisit ea cum voce, se nolle tanti emere molestias, noctisq; vigilias, ad curas diuitum sisi annuente etiam Horatio

An vigilare metu exanimem: noctesque dies
Formidare malos fures, incendia seruos

Ne

Ne te compilent fugientes, hoc iuuat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.


Ad hæc accedit, quod felicitas ea videtur, quæ ſatiet expleatque voluntatem & appetitum, cum tamen diuitiarum cupiditas ex ipſa accretione magis augeſcat in dies, nec tam multæ poſſideri queunt, quin plures idemtidem expetantur ex eo vulgatiſſimo dicto

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

aut iuxta illud eiuſdem Horatij

Creſcentem ſequitur cura pecuniam
Maiorumque fames.

& tantum abeſt quod diuitiæ hominem beatum efficiant, aut omne appetenti afferant bonum, quod potius ait Plutarchus, omne malum inferre, vel ſaltem hominem nullo prorſus malo liberare, cum ne hoc ipſi homini adimant malum, ſcilicet cupiditatem iugiter torquentem.



LEX



LEX LVII.

AD

HOMINEM PAVCIS CONTENTVM.

Vt beati hominis exemplar proferret Maximus Tyrius differt. 20. Diogenem Cynicum conuenit, hominem paucis contentum, ſcilicet neque Atticum, neque Doricum, neque Solonis aut Lycurgi inſtitutione eruditum, ſed pauperem Sinopæum, non tyrannos metuentem,non lege coactum,non ciuili adminiſtrationi intentum,non liberorum educatione anxium, non nuptijs adſtrictum, non colendis agris occupatum, non militaribus confuſionibus implicitum,non ſtudio mercaturæ abreptum, ſed hominem iucundiſſimè ad diem craſtinum accedentem, quia craſtino minimè egentem; fortem inter armis inſtructos, quia inermem; metuendum inter potentes, quia impotens, hominem inquam verè beatum, quia paucis contentus erat; quandoquidem homini illi, qui ad ea ſola ſe contulit, quæ naturæ neceſſaria ſunt, nihil neceſſe eſt anxium aut ſollicitum eſse, quatenus illa paſſim occurrunt, quibus ad ſuperuacanea inhiantes plerumque carere ſolent, animo vtentes ſemper irrequieto, vt Danaidum dolio, noua ſemper mobilitate circumacto; hincque profecto eſt cur veteres Sapientes rerum inopiam ad legem naturæ compoſitam grandes eſse diuitias dixerint, ità & exuperantiam ad eamdem naturæ legem atque indigentiam minimè conformatam grandem dixerint paupertatem; parua enim & pauca ſunt, quæ natura deſiderat iuxta illud ex Iuuen. in Apologia de Epicuro recitatum ſat. 14.

——— menſura tamen quæ
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam
In quantum ſitis atque fames & frigora poſcunt
Quantum Epicure tibi paruis ſuffecit in hortis.

eaque eſt Scythici Anacharſis Epiſtola ad Hannonem totum circumlata per orbem (Anacharſis Hannoni Salutem.) mihi amictus eſt

Scy-

Scytichum tegmen, calceamentum solorum callum, cubile terra, pulpamentum fames; quare munera tua vel ciuibus tuis, vel Dijs immortalibus dona; Atque vt Socratis ad rerum venalium multitudinem attendenti iucundissimum fuit posse dicere; quam multis ego non indigeo; ita si cui rerum eiusmodi copia quadam sorte contigerit, sicque animo sit affectus vt ijs minimè indigeat, iucundissimè dicit, quanta mihi superuacanea sunt, quæ videntur alij opus esse; intelligit quippe se posse commodissimè tam multis carere, quorum sollicitudo tranquillitati aduersans tanto grauiorem ereptionem, aut iacturam facere potest, quanto agnoscet ipsa sibi necessaria fore, si cui sua non videntur amplissima, inquit Seneca epist. 9. licet totius mundi dominus sit, tamen miser est; etenim nisi quis reputet ea, qua vtitur fortuna se non minùs beatè viuere posse, quam eos, quos eminentiores se credit, quorum celsitudinem suspicit, is sanè semper miseria, atque egestate premetur ob conditionem inditæ cupiditatis, quæ vbi eum modum excedit, qui à natura præscriptus est, abit in immensum; neque reperit vmquam vnde expleatur. Contrà verò qui naturam non nouercam, sed parentem agnoscit, numquam patitur famem, quia eadem fruges, & fructus fundit abundè, non sitim, quia aquas suppeditat; non calorem aut frigus, quia coria atque operimenta iniurijs tolerandis non imparia concedit; Ecquem quæso videre licet in hominum societate ciuili, cui cibarius non suppetat panis, non aqua, non vestis, non tectum, non quidquid ad vitam necessarium est? quod si omnibus minimè opipara paratur mensa, non splendidę vestes, non ædes magnificæ, nōn vasa pretiosa aut id genus alia, id eo agit natura mysterio, vt homo sit paucis contentus, faciliusque in modico beatitatem attingat, quam in rerum copia, & excessu

Nam neque diuitibus contingunt gaudia solis

Canit Horat. Epist. 17. neque existimandum est ampliores à Rege ex ciborum lautitie, ex immenso rerum omnium apparatu voluptates percipi, quam à paupere vel Agricola viro, cui paruo viuere solemne sit; & cum extenui simplicique cibo fame condito, ac suauiter sumpto, & ciuium corporis refectio, & facultatum animi hilaritas sit; aliquid sanè tale expectari non potest ex illa ciborum varietate, rerumque vbertate, quæ in mensis splendidis inuenitur, vtcumque enim sint heluonum brutæ ac temporaneæ voluptates, ijs semper grauatur corpus, & animus hebescit; quapropter benè Virgilius, & Lucretius de eiusmodi hominum ordine cecinere

O fortunatos nimium sua si bona norint
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.

Nec alia ratione beatum Aglaum Psophidium testatum reliquit Apollinis Oraculum, nisi quia erat Arcadum pauperrimus, atque terminos agelli sui numquam excesserat; quo planè modo etiam

Furij paupertas à Catullo beata decantatur, quod nihil ipsi optabile reliquisset; ea etenim ratione vnusquisque in animum ingerit ipsius animi beatitatem, qua sollicitudinem omnem, & vesanam cupiditatem ab animo exturbat; hicque fortasse vsurpare licet illud Lysimachi, qui deditione apud Getas facta, vt sitim qua ipse, & exercitus exarescebat, sedaret, dixit; Dij boni, quam breui voluptate quantam amisi felicitatem, cum antea nulla re indigere viderer.

Atque ea de causa cum interrogaretur Momus à Iunone, quas viuendi artes esset inter homines expertus, quibus benè beatèque viuere posset, neglecta primùm regendi atque imperandi arte, dixit nullum sibi vitæ genus appetibilius visum esse, quam eorum, qui vulgo pauperes, mendici, atque errones nuncupantur; eamque ideò cæteris beatiorem esse, quia paucioribus contenta vacua incommodis est, libertatis plena, atque voluptatis; Aliæ siquidem artes ac facultates habent edocendi tempora, ediscendi laborem, exercendi industriam, ac denique agendi quemdam definitum modum; item adminicula, instrumenta, & pleraque istiusmodi exigunt, atque desiderant, sine quibus flocci penderentur facultates illæ; At in hac vna errandi arte nihil ex ijs requiritur, nihil optatur; solaque est quæ nullo adhibito magistro perdiscitur. Vna hæc artium est sola rerum incuria, negligentia atque inopia spectabilis, quippe quæ nec vehiculis, nec nauibus, nec tabernis dicitur indigere; in qua etiam nec decoctoris perfidia, nec raptoris iniuria, nec temporum iniquitas metuenda est; vbi nullum congeritur ærarium præter egestatem, & rogandi potestatem; vbi propria perdere, aliena rogare idem negotium est; & dum pascitur Erro alienis sudoribus, & vigilijs, suo ipse quantum lubet, abutitur otio, & quiete. Et si summe libera, maximeque soluta spectatur in Errone viuendi licentia, ipse semper rogat liberè, negat impunè, ab omnibus accipit, nam, & miseri vltrò offerunt, & beati non denegànt; videt impunè, arguit impunè, obiurgat, garrit, sine nota omnes criminatur.

Neque illud Regibus ac principibus concedendum est, vt opum, & diuitiarum vsu magis quam Errones perfruantur; Erronum siquidem theatra sunt, Erronum porticus, Erronum quidquid publici est. Alij in foro ne considere quidem, neue voce paulò elatiore altercari audebunt, & censoria veriti supercilia in publico ità versantur, vt nihil sine lege, & more, nihil pro voluntate, & arbitrio audeant; Erro securus, & gaudens transuerso foro prostratus iacebit, liberè conclamabit, facietquè ex animi libidine quidquid collibuerit. Duris temporibus cæteri mæsti, mutique tabescent, solus pauper saltabit, cantabit; malo regnante Principe alij diffugient, errabuntque exilio; solus pauper arcem Tyranni insolenter non minus, quam inter-

interritè adibit; & quod quiſque ſummis laboribus, atque periculis accumularunt, propter quaſi debitos ſibi dari primitias expoſtulabit. Nudi videntur pauperes ſub dio, atque duro accubare ſolo, contemnuntur, deſpiciuntur vnà cum vulgo, ſummè faſtidiuntur; at potentiores quoque contemnunt ipſi pauperes, & errones, qui nihil faciunt aliorum cauſa, vt faciunt potentes, ſed omnia ſibi ipſis agunt; & quæ ſolent homines valdè admirari, togam nimirum, purpuram, aurum, & mitram, pauperes ſemper irrident; dum vident homines graui veſtium inuolucro, ſeù implicamento obligatos, atque compeditos ea ſola oſtentatione prodire, vt aliorum rapiant aſpectus. Cauet pauper ſibi veſtium pondere inſenſum eſſe, recuſatque habere membra ad aliorum arbitrium occupata; Veſte vtitur, vt tegatur, non vt contuentes in admirationem trahat, & ſatis ipſi eſt ad naturæ exigentiam, & indigentiam imbres, & frigora propellere; Solo aut ſemper cubat, aut paleas quandoque fouet, & inde tantum accipit ſomni, quantum ſubijcitur ſtrati. A paupere edictum illud Horatianum proficiſcitur.

— Fuge magna: licet ſub paupere tecto
Reges, & Regum vita præcurrere amicos.

Quid plura! ità pauperrimo homini, ac paucis contento beata ſunt omnia vt tum in grauiſſimis, tum in leuiſſimis rerum, ac fortunarum euentibus æquabili ſemper animo perduret, nullam vmquam in partem commoto; & licet grandia, aut terribilia nuncientur, quæ cæteri omnes territi exhorreſcant, aut ſtupore correpti admirentur; nouos nimirum, atque inuiſos liquores ex ſilice nauaſſe, medijs ex fontibus ardere flammas, ſe ſe arietare montes; ipſe adſtat immotus, nihilque ſibi eſſe nouum, aut mirabile profitetur; dumque alij in rerum futurarum metu, atque ſollicitudine verſantur; alij dum ad publicam aduigilant ſalutem; dum alij ſuis ſeruandis commodis propè inſanire videntur; Curis ipſe vacuus in quodcumque velis latus ſuauiter obdormiſcit, nihil ſperans, nihil metuens. Narratur pauperi alios ſtrata mari via obequitaſſe, alios per ſyluas, ac per ſaltus immenſus claſſes traduxiſse; alios ſub foſſis montibus per media ſaxa triumphales traxiſse currus; alios immani ſtrue cælum aggreſsos; alios flumina, & lacus eripuiſse mari, atque extinxiſse; hæc admirantibus cæteris, atque ſtupentibus pauper ſolus aſſueſcit dicere; hæc nihil homini paucis contento. Audit locupletiſſimos, ampliſſimoſque orbis Reges innumerabili hominum manu impetum inter ſe facere; Cælum contegi ſagittis; Flumina ſiſti cadaueribus; mare hominum cruore excreſcere; his auditis cæteri exæſtuant varijs animorum motibus, ſolus pauper ait, hæc nihil ad me. Spectantur agrorum incendia, vaſtitates, vrbiumque populationes; exaudiuntur cadentium virorum gemitus, ruentium tectorum fragor, calamitoſorum eiulatus; totis triuijs, totis angiportibus erumpunt ſtrepitus, crepitus, fremitus; Solus pauper reſupinus nudiſque

feminibus oſcitans, nec trepidat, nec concutitur, nec mouetur. poſtremo denique hos, atque illos ærumnis, infortunijs, animo iactatos, atque perturbatos inſpicimus, ſolùm pauperem omnia eludentem, omnia irridentem contemplamur; indeque ſatis coniectamus longè feliciorem hominem eſse in modicis verſantem, ac in magnis commorantem, atq. ad magna iugiter inhiantem.

His quoque addendum eſt hominem contentum paucis, quo corpus validius, atque ſanitate robuſtius tuetur, ita quoque animum ſolutiorem, atque ſublimia, & petentem ſibi ex victu tenui, rerumque temperantia comparare; ea enim quæ hominem reddunt impotem ſui, qualia ſunt vberantia appetitus illicia, eumdem quoq. prorſus ad animi functionem ineptum efficiunt,

——— quin corpus onuſtum
Heſternis vitijs, animum quoque prægrauat vnà
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ


hique ſanè non aduertunt, quam malè de parte ſui nobiliore mereantur, cum adeò parum eius præſtantiam, dignitatemque reueriti, ipſi quoſdam quaſi compedes inijciunt, quibus reuincta liberum non habeat nobiliorum operationum vſum, & arbitrium, ſed parti deteriori quaſi mancipata ſubijciatur; Id quippe eſt, quod ille ait, affigere humo diuinæ auræ particulam, quatenus appetitione, & exceſsu rerum hominem prædominante, ipſa ratio pars hominis Princeps, atque diuinitùs illapſa ità obruitur, ac malè afficitur, vt ſublime nihil cogitare valeat, ſed cogitatione tota in corpus conuerſa illi ſoli adhæreat velut ab imperio deturbatà; ſenſuſque adeò de mente omnino triumphet; Non eſt homo ita deſtinatus (inquit Porphyrius de abſtinentia) vt Athletam ſolummodo agat in vita, ac proptereà pleno Athletarum victu coutatur; & cum ferina potius, quam humana ſemper fuerit Athletarum exercitatio, ſatis atque abundè homini erit, ſi quiſque non in Milonis robur, atque imitationem incumbat, ſed in illas dumtaxat humanæ vitæ actiones, quæ hominem extra exceſsum, & abſque mentis hebetatione beare poſſunt.


Ideò ſapiens ille dumtaxat à Socrate reputatus eſt, qui ſibi nouit ſuperuacanea detrahere, & non neceſsaria amputare; iſque qui aliqua flexilitate, aut viuendi mollitie appetitui laxat habenas, abripiturq. cupedijs pluſquam ſupina notatur ignauia; Non eſt Sapiens (inquit Epicurus) qui fortunæ ſubijcitur; neque aduerſus fortunam interritus eſt, qui plura habet, quæ fortuna prædetur; & ſanè quid poteſt in illum fortuna, qui pro ſuis non ducit, & quaſi ſepoſita habet, quæ fortuna vt dare, ſic & eripere gloriatur, illis verò contentus eſt, quæ velut nimis abiecta ſuperbo fortuna ipſa, reijcit imperio; Sola rerum paucitate præoccuparunt Metrodorus, Socrates, & Anacharſis fortunæ tela, & ideò beatius viuere dicti ſunt quam Principes, & Reges omni rerum vbertate affluentes.

vter

——— vter ne
Ad casus dubios fidet sibi certiùs? hic qui
Pluribus assueuit mentem, corpusque superbum
An qui contentus paruo, metuensque futuri
In pace, vt Sapiens, aptarit idonea bello?
Sæuiat atque nouo moueat fortuna tumultus
Quantum hinc imminet?

Ad rem optimè ex Epicuro,& Lucretio,Esto verò facta in aliquibus sit fortunæ commutatio, vt iam sit illi pro palatio tugurium pro serico lana, pro Perdice panis, pro Falerno aqua, pro lectica baculus, pro poculo aureo argentoue fictile,aut ipsa quoque vola manus,atque ita de cæteris; Ecquam multa habebit illorum exempla,qui hisce contenti, & fucatum illum splendorem riserunt, & maiori gaudio, quam illi intra opulentiam demersi transegere vitam? Quam multi quoque sunt, qui vt pientissimè ità beatissimè æuum degunt, commutatione hac vltrò facta, dum abiectis sponte diuitijs, pauperiem vltro religiosissimè sectantur; vt minus ideò necesse sit ex antiquis illos commemorare, qui aut philosophiæ, aut liberioris, tranquilliorisque vitæ amore diuitijs nuncium remisere, quorum omnium sanè ætas aurea, & beatissima semper fuit, erit, est.





LEX LVIII.

AD
HOMINEM VIRTVTE
BEATVM.



VBI vnum, bonum, & pulchrum, inde diuinum quid effluere oportere, non semel testatus est Plato; quin tria hæc ipsummet Deum esse, ab eodem luculenter asseritur; Ideò virtutem à Deo, tamquam à fonte, promanantem, quamdam Diuinitatis genituram, imaginem, atque participationem præseferre nemini inficiandum; vna siquidem, quæ longè dissita aduersantur, ad vnitatem reuocat rationis, pulchra, allicit cunctos, atque in prosequutionem trahit, bona denique iuuat, & roborat conatus in sublime contendentes, simulque dulcedine explet, atque bonitate; quæ cum diuina prorsus sint, efficiunt virtutis regnum propè Deitati conterminum: hacque sola de causa inter ea, quæ summè honorabilia sunt, post Deum virtutem collocat Aristoteles in 1. Magnorum Moralium, aitq. virtutem de genere optimorum, ac diuinorum esse, quibus diuini quoque sint honores impendendi; quemadmodum apud veteres viri emerita præstantes virtute, velut Dij scutis pingebantur rotundis circumductis ad caput; indeque subdit Magnus Albertus in Eth. exortam esse consuetudinem pingendi capita Deorum, & Sanctorum in templis scuto quodam circulari occipiti aptato, iuxta id vulgatum etiam in sacris literis, scuto bonæ voluntatis coronasti eos.

Quod etiam tradebat Chrysippus apud Stob. lib. 1. inquiens virtutem mutuata quadam diuinitate fulgere, cum ex ea Deorum munera, honores, & sacrificia hominibus impertiantur, sacris peractis Herculi, Hectori, Achilli, & etiam Augusto Cæsari, de quo iactatum est.

Præsenti tibi maturos largimur honores
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Cretensium regnum ea propter beatitate donatum, diuino atque vocitatum nomine scribit Max. Tyr. ser. 22. quod esset augustale virtutis emporium, vbi sacra, quæ essent rependenda Ioui, Minois in obsequium verterentur; eademque de causa Lycurgum limen templi exosculantem Deum potiùs, quàm hominem ab Apolline Delphico nuncupatum Theodosio Imperatori contestatus est Themistius in orat. 4. cum diuina propè virtute sanctas conderet leges, atque honestatis iura indictaret

Ad mea templa venis donis opulenta Lycurge
Charus cælitibus cunctis, summoque Deorum
Sed mihi te ne Deum, an mortalem carmine dicam?
Incertum. ac potiùs spe adducor dicere Numen.

Numen, inquit Themistius, qua spartam nactus nullis penè legibus, probisque moribus vtentem, eamdem ad Iustitiæ, & pietatis munera traducens, traduxit ad Diuinitatem. Homerus quoque optimos quosque æqua Numinum probitate nitentes diuinos appellat, imo Deos, Iouisque natos, Nestorem inducens Telemachum virtute præstantissimum virum his alloquentem verbis

Haud puto te inuitis natum, atque adolescere Diuis

Veramque in medium proferens Diuinitatem Franciscus Piccolom. in philos. mor. grad. 6. cap. 35. ait, verè eleuatione virtutis hominem Deo consimilem effici posse, vt enim Deus in se cogitatus est omnia, ità homo ob rationalem virtutē, quæ præsertim sapientia est, omnia dicitur fieri, cum intelligens homo in ea, quæ intelligit, spiritali quadam imitatione mutetur, id docente Philosopho in 3. de anim. tex. 8. Ita sicut Deus est verum nullo tamen ad notitiam veri proclinante, aut perducente habitu inspectore, sic homo quadamtenus ratione fit verum, in ipso veritatem habitu progignente; Denique sicut Deus à se dicitur bonus, ità bonus ex virtute efficitur homo; hacque ratione dicebat Plato in Theæteto, nihil Deo similius esse, quam iustissimum hominem, quem virtus ornaret, regnique sui efficeret ciuem, subdente ad rem optimè M. Tullio in 2. de Natura Deorum solam virtutem Deos è cælo, vel inuitos vi quadam ad nos pertrahere, vel nos ipsos ad eorum regna felicissimè transuectare.

Par, itaque est, vbi omnia propè diuina sunt, ibi hominis vitam inuenire beatam, quæ est rerum diuinarum apex. Zamolxidem, Hermotimum, Phececidem adorata ob virtutem legimus Numina, sed dicta quoque animalia præcelsa semper beatè viuentia. Eò respexit Plato in Phædro, vbi Regnum virtutis expingens, voce ascensus in Deum collationem beatitatis insigniuit, à mente Pythaboræ non aberrans, cuius si Hierocli fides adhibenda, ea carmina sunt.

Purificatus ad æthera venis
Immortalis esto, Deus incorruptibilis
Hic finis laborum optimus.

Ani-

Animas tranquilla virtutis ſpatia excurrentes immortalem, Diuinam, & beatam traducturas vitam docet Alcinous in Epitome cap. 20. cum enim præmiſiſſet felicitatem noſtram iuxta Platonis mentem ad contuitum intelligibilis veri, & ad amorem pulchri in nobis excitari, ita ſermonem claudit (Quare animos virtutis campum perluſtrantes re vera magnis, & admirandis voluptatibus perfruuntur, Deorum, ſcilicet, conſuetudine, & menſa) Virtutis campum nominat ſedem felicitatis, Homerum imitatus, qui Vulcanum fingit aureo in Clypeo duas vrbes inſculpſiſſe, in quarum altera ſunt.

Conuiuia, feſtus, & hymen.

In altera verò bella, contentiones, rapinæ, pugnæ, vlulatus, luctuſque audiuntur, & gemitus, ea ratione (inquit Max. Tyr. ſer. 27.) vt notum habeamus diſcrimen inter regnum virtutis, & vitij; varioſque hominum ſtatus, ex virtute longa, & profunda pace gaudentes, ex vitio verò diſſono curarum ſtrepitu iugiter confuſi.

Hac ſola de cauſa perhibetur Ariſtoteles in 1. Eth. cap. 10. dictum Solonis redarguiſſe, quo nitebatur in animis cudere ante obitum neminem beatum fore putandum; licet enim plerique ſint, qui beatitatem ab hac vita faciat extorrem, vt Plato in 7. de leg. & in Epinomide, Euripides in Andromacha, Sophocles in Tyndaro, Ouidius ipſe in 1. met.

——— vltima ſemper
Expectanda dies homini dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremaque tempora debet.

Eos tamen omnes etiam in vita fore beatos docet Ariſtoteles; qui regni virtutis limina conſalutant, foreſque ingrediuntur, inquit enim beatitudinem virtuti ab initio fuiſſe congenitam, ipſo Solone beatum teſtante Tellum Athenienſem ex animi robore, & integritate, beatum Clitonem ex pietate; Nec Deos ſolummodo ad felicitatem enoſci cum Homero affirmandum eſt, ſed homines quoque ad vitam dicuntur emergere ex virtute beatam, idque prorſus eſt Crotoniates Olympicum affectare Oleaſtrum, Athenienſes oblectari victorijs, Cretenſes ſtudia proſequi honeſtatis, quemadmodum egregiè innuit Max. Tyr.

Quin ſola genitam virtute fateri neceſſe eſt artem illam arcanam, per quam homines ad beatas promeare Deorum plagas cenſebat Triſmegiſtus apud D. Auguſt. 8. de ciuit. cap. 23. purgatis enim primùm vitiorum ſordibus penituſque depoſitis efficit Ars iſta, vt mortales quicumqué ſola vndique diradiante virtute ad beata ſuperorum limina perducantur iiſque omnes in Deorum numerum, & conſortium tranſcribantur, qui præclaris virtutum geſtis, diuinitatis nomen, & famam ſibi paraſſent iuxta Maronis cantum in 6. Æneid.

——— facilis deſcenſus Auerni
Sed reuocare gradum ſuperaſque euadere ad auras

Hoc

Hoc opus, hic labor; pauci quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad sydera virtus
Dijs geniti potuere.

Qua ratione canit Pindarus in suis carminibus inter Elisios, & beatorum insulas viuere, & lætari Achillem, Cadmum, & alios Heroes præstantissimos viros, quos etiam appellat Deorum germina.

Hinc inter opiniones, quæ de summo circumferuntur bono, ea magis accedit ad verum, quæ virtutem ipsam bonorum culmen, & cumulum sapienter excogitat, nihilque ait splendidius, aut magnificentius de virtute sentiri posse, quam sola sit potis etiam ærumnas, & infortuna sua beatitate fortunare, Seneca ad rem proclamante in lib. de beat. vit. etiam inter aduersa nihil esse magis expetendum ipsa virtute, qua simul leuetur, & saturetur animus; qua etiam reiectis naturæ incommodis, effrænibus cohibitis motibus, ipsa aduersitate prostrata totus interior serenatur homo, iuxta id quod etiam vulgatissima doctrina tradidere Stoici Virtutem in æquuleis, atque Phalaridis tauris delitias inuenire, de eadem occinentibus Silio Italico, & Claudiano.


Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces
Nil opus externæ capiens nil indiga laudis
Diuitijs animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.


Ideò felicem, & beatam appellabat Charilaus apud Laert. lib. 3. Remp. illam, quæ diuturnis licet conflictata miserijs, ciues haberet virtute præstantes; indeque felices Athenas, Romamque felicem, quæ innumeris concussæ procellis sola ciuium sapientia, & probitate ad portum salutis sæpe enauigarunt; licet enim ploranda nostrorum temporum corruptione aduocet plerumque miserias virtus ipsa, quæ easdem deberet arcere, velut Atheniensium nauis, Paralos, dicta, ad Flamines transuectandos instituta, atque nocentium hominum perfidia in abiectissimos proiecta vsus, aduersantibus semper prostituta tempestatibus; fatendum tamen est id omne in virtute comperiri; quod ad benè, beatèque viuendum dicitur satis; Diuitiæ (inquit Salomon) sæpè conseruantur in malum domini sui; Honor (ait Seneca) multis nocuit ad superbiam, voluptas peperit ægritudines, Imperium abyssus construxit præcipites; virtus semper profutura, semper paratura suffragia hominem comitatur, fatente Plotino, fortunatum atque infortunatum hominem æquè beatum fore, si virtus non deserat fortunam, vel infortunium; Eò felix Alcibiades, non propter nobilitatem quam dedit natura eximiam, non ob exundantes diuitias, aut præstantissimam formam, non propter propensum ciuium fauorem, summumque in illos imperium, sed quod tot inter bona sapientiam profiteretur, sine qua nullum fuisset bonum expertus; Eoque felix Marius Romanus, non quod Carthaginenses deuicerit, non quod Africam subegerit, Iugurtham Regem egerit ante currum, Theu-

thonicorum, Cymbrorumque exercitus planè deleuerit, sextum summo cum honore tulerit consolatum, de quo etiam habet Ouid.

Ille Iugurthino clarus Cymbrorumque triumpho
Quo victrix toties Consule Roma fuit.

at quod occupante Romam Sylla profugus, atque Circæum delatum in littus, fame rerumque inopia penè consumptus tot mala sublimi quadam virtute constante perpessus sit; Beatissimus est (ad rem optimè Tullius in Stoicorum Paradoxis) qui ex se totus aptus est, qui in se cuncta ponit, quæ virtus dare potest; Ibi namque nullum potest subesse periculum interrumpendæ felicitatis à rebus fortunæ aduersis vbi ipsa fortuna extorris sit, & impotens ad pugnandum, quemadmodum satis deprehensum est in Socrate, in Tello Atheniensi, in Cleobe, & Clitone, alijsque ex virtute felicissimis viris nullis aduersis à beatitudine deturbatis; quamuis enim propter humanarum inconstantiam rerum, fortunæque varietatem haud facilè dicantur homines in hac vita felices, vt exemplo Cræsi ostendit Solon apud Plutar. in Solone, in regno tamen virtutis vbi dixit Simonides hominem altiorem vitæ sortiri genus, vbi nullus dominatur fluctuantis fortunæ impetus, nusquam concutienda, aut rapienda possumus omnes beatitate gaudere si velimus: Et Cræsus ipse, si fuisset virtute solidatus, longè felicior extitisset in bello captus à Cyro coniectus in vincula mancipiorum more, crematus denique vt victima; quam cum suprema fortunæ aura prouectus summum somniatæ felicitatis culmen in imperij celsitudine contingeret. Non est sola mors, quæ beatos homines facit, vt aiebat Solon, non mors sola ærumnarum requies, vt Cæsar apud Sallust. non mors sola malorum portus, vt Cicero, sed etiam vita, si sit virtuti cognata, aut coniuncta.





LEX LIX.

AD
HOMINEM A VERA VIRTVTE ABERRANTEM.



DESCRIBITVR hic homo, quem vitia specie virtutis laruata dehonestant, quem deceptoria fraude in aliorum perniciem vsurpata malitia in rebus agendis prudentem facit, temperantem auaritia, superbum animi magnitudo, liberalem profusio, audacem fortitudo, Acerbum Iustitia, Superstitiosum Religio. Is est de eorum cætu, de quo canit Horatius Satyr. 3.

At nos virtutes ipsas inuertimus, atque
Sincerum cupimus vas incrustare

qualis fuit Vticensis Cato, qui potiùs ex inuidia gloriæ Cæsaris, atque ex animi mollitie sibi intulit necem, quam ex ostentato eiusdem animi robore; Quales Lucretia, & Cleopatra potius ex elatione, & superbiæ fastu sibi consciscentes interitum, quam ex fortitudine, aut magnanimitate; Qualis denique Troianus Æneas, qui impietatis crimine damnatur à Lactantio lib. 5. dum pietatis officia erga Pallantem videbatur exercere, Turnum interimens, à quo Pallas fuerit interemptus

— Pallas te hoc vulnere Pallas
Immolat, & pœnas scelerato ex sanguine sumit.

Nimis fæda est ea vitiorum nomenclatura perperam aptata virtutibus, qua vera rerum vocabula iampridem exoleuerunt, atque alienorum elargitioni nomen liberalitatis inditum est, audaciæ, & temeritati fortitudinis appellatio, ex qua Plutarchus properum illius Reip. quæ eò deuenisset, exitium augurabatur; hocque etiam fuisse malum Solonis inuentum, ipsemet testatur, qui æris alieni condonationem nouas tabulas appellauit, atque Furias, Deas venerabiles; scorta amicas; tributa descriptiones nominauit;

uit; Quod etiam infelicitèr ad nos vsque propagatum videre licet, quibus vt de eo tempore querebatur Marius Victor

—————— illud honestum est
Vtile quod fuerit, vitijsque vocabula recti
Indimus & parci cognomen sumit honestus.

Circumferuntur namque hac nostra tempestate timiditates cautelæ nomine fucatæ, sordes frugalitatis palliatæ vocabulo, comes turpes amatores, cum tamen ea res fuerit, quæ Siculos dicitur subuertisse, dum Dionisij, Phalaridisque crudelitatem tamquam Iustitiam venerarentur; quæ perdidit Ægyptum, vbi Ptolomæi muliebritates Diuini afflatus appellabantur; Quæ denique Romanorum mores tam integros funditùs sustulit, cum Antonij libidines, ipsi indulgente, atque fauente fortuna, hilaritates animi vocabantur, iuxta aularum consuetudinem, in quibus dum musicantur Principes, vocantur Apollines, dum inebriantur Bacchi, cum luctantur Hercules, vt ita solo virtutis operimento in omne improbitatis genus faciliùs pertrahantur, fatente id Alcibiade, qui ad vniuersæ virtutis speciem ostentandam, dum esset Athenis dicterijs ludebat, apud Lacedæmonios ad cutem vsque radebatur, gestabat pallium, frigida lauabat, in Thracia belligerabatur, & potabat, ad Tisaphernem denique delitijs incumbebat, cum re ipsa tamen eo virtutis nomine, vanitatis labem, fastumque suum fraudolenter insigniret.

Non semper Tyrannorum preces nomen necessitatis, aut coactionis inducere putandum est, qua sine libertate mala perpetremus; neque semper benè se excusat Laberius apud Macrobium 2. Satur. quod rogatus à Cæsare in scenam prodire homo senex, & ordinis equestris, id coactè egerit; licet enim dicat Publius Mimus

Cogit rogando, qui rogat potentior

Quædam tamen sunt crimina ità palmaria vt nulla honestatis specie tegi, aut velari queant, summoque semper digna probro perhibeantur, sintque velut Alcmæonis Parricidia apud Euripidem, quæ nulla ratione possunt excusari, licet ijs conetur Alcmæon se verbis excusare

Nam tunc me ad istud incitauit maximè
Facinus, equestre vehiculum inscendens Pater
Thebas tumultu cum petebat bellico.

in dolo namque semper is censendus est (ait Plato in lib. 9. de leg.) qui vitium contendit palliare virtute, aut excusatione; neque personatus virtutis cultus, quo sæpè Deum ipsum exteriùs veneramur, interiùs irridemus, nos vllo modo præstantes potest viros efficere, quemadmodum falsò opinati sunt quidam Politici ipsius virtutis simulatores, cum enim semper fuerit crimen execrabile probitatem palam mentiri, perfidiam verò secretò retinere, id quoque impijs eiuscemodi doctrinæ sectatoribus ferales interitus deplorandos attulit semper, atque ineuitabile exitium; Proditque in

exeru-

exemplum primus Tiberius Cæsar, qui cum sub initijs principatus simularet se omnia prudenter, ac moderatè agere, cũ subditos velut pecudes tondere tantum, non deglubere, scilicet, leniter tractare fictè demonstraret; cum in libera ciuitate æquè liberas mẽtes, & linguas permittere videretur; cum denique pauperum miserias leuare, Ius, & fas vnicuique reddere, luxum, & illecebras coercere simulato conatu satageret; mox ipsa simulatione delapsus in præceps omnium populorum abijt in derisum, nihilque eo scælestius, eo miserius creditum est, postquam cæpit vana fingere, veris quoque & honestis (vt inquit Tacitus) fidem demere; omnia enim in eum publicè intorquebantur probra, quia nulli iam vitio impar putabatur; si quid rectum casu peregisset, statim erat sinistris omnium rumoribus distortum in perfidiam, ac prauitatem; Mulier ipsa, quæ Ducem egerat in bello pro Tiberio, iudicem agit contra Tiberium; denique inconsultæ senectutis Imperator, abditus in antro regnator orbis more mancipij Romæ calcatur, & tota regnantis pompa, tam immanes Gazæ quas auara sedulitate congesserat in Caligulam cessere, qui hærentem viuo adhuc cadaueri animam fertur elisis faucibus extudisse; Ex quibus optimè concludit Tacitus in lib. 6. annal. ex ipsius Tiberij confessione omnia simulatæ virtutis facinora, ac flagitia in eiusdem supplicium versa esse, quo intelligeremus semper nefas, & exitiosum esse simulare virtutem, aut vitio laruam virtutis obtendere.

At eiusmodi turpitudinis notam inuexere simul, atque subiere veteres illi Sapientiores Ethnici, qui virtutis simulachrum exteriùs tantum adorantes fucatæ semper, atque ementitæ probitatis dedere specimina, nomen ipsum virtutis ab operibus, quæ patrabant, penitùs auuellentes, quo tantum, dolosæ vanitatis crimen induerent, de quibus ait Nazianzenus iamb. 18.

Primum sequuti rem bonam non sunt benè
Magè nam mouebat gloria hos quam amor boni

quod probrum iactat etiam Iustinus in Apologia ad Senatum Crescẽti cuidam Philosopho sapientissimo, eum potiùs Philocompũ, & Philodoxum appellans, quam Philosophum, inanis, scilicet, & popularis gloriæ amatorem; nec aliter de cæteris apud Ethnicos sapientes solam virtutis vmbram præferentibus Basilius Seleuciç or. 41. sapienter edisserit, vbi hanc labem honestarum actionum demonstrat in ijs omnibus, qui pecunias abiecerunt, vitamque alacres prodigerunt, vt nomen virtutis, inane captarent; quos iure etiam proclamat Hieronymus appellans eos gloriæ animalia, & popularis auræ vilia mancipia; Actiones namque licet ad honestatis normam conformatæ ipso depretiantur virtutis nomine, si laruam induant, atque ipsius virtutis simulationem; & ea semper fuit apud eiusmodi simulatores insignis peruersio, vt ipsam, quam tantoperè affectabant honestatẽ, fumo semper, atq. inanitati subijcerent, & dũ corruptissimæ mẽti laruã probitatis prætenderent, cõpressis violẽta necessitate externis operibus, interiorẽ hominẽ

Dd flam-

flammis ſemper illicitis æſtuantem incendebant, & prorſus conſumebant.

Primum ementitæ ſanctimoniæ, atq. fucatæ continentiæ exemplũ nobis Socrates occurrit, quem ex ſola virtutum oſtentatione monſtrum palliatum deſcribunt Griſ. Theod. & Porph. Nunc ſanè philoſophum, quidquid effuſi ſemper in eius laudes Græci præſertim Accademici cõtendant, ſepulchrum fuiſſe dealbatum teſtantur plures, demonſtrantes eum ſordeſcentis amoris luto ſæpè volutatum, atq. impura occupatum libidine, tunc præſertim cum rei tam fœdæ honeſtum tectorium prętexuit, affectans externa ſpecie potiùs animorum quam corporum amatorem videri; cum tamen dicat Theodor. lib. 12. contra Gręcos Socratem pulchrorum adoleſcentium cauſa frequentem gymnaſia obijſſe, vbi flagitioſo ſpectaculo libenter oculos paſcebat, quod & Philebus, & Phædrus, & Charmides, & alij Platonis dialogi teſtantur; Subditque Theodoretus ex Porphyrio Socratem immodeſtam, atque inofficioſam in pueritia, atque in adoleſcentia vitam egiſſe; fuiſse in patrem marmorarium contumacem; turpiter cum Archelao Anaxagorę diſcipulo eſſe verſatum; in conferta populi turba ſæpè conflictatum eſse; à veſpera totas noctes inter meri pocula protraxiſſe; ad iracundiam, & excandeſcentiam maximè procliuem fuiſſe, ſicut etiam ad venereas voluptates vehementiſſimum, cui plures vxores non ſuffecere. Atque is eſt ille Socrates quem Zuinglius auſus eſt Sanctorum æterna beatitate potientium ſyllabo inſerere, de quo etiam ſunt illa impij Eraſmi verba, vix mihi tempero, quin dicam, Sancte Socrates ora pro me, eo plane modo quo etiam Lutherus in colloquijs menſalibus dicit, Sancte Satan ora pro me.

Neque à Socratis fucata virtute diſſimilem proferunt Griſoſt. Nazianz. & Tert. laruam illam honeſtatis, quam immanibus obduxit ſceleribus Diog. Cynicus, de quo ait Laert. lib. 6. abominanda vitæ clauſula, ſibi carnificem factum eliſo gutture infelicem animam expuiſse, cũ tamen ante vitæ finem dicacitatẽ guloſitati ſemper iunctam tenuerit, atque etiam cum Phryne nobili ſcorto conſuetudinẽ habuerit, licet apud Gręcos hominis ſupra hominẽ famã acceperit, in cuius laudes effundũtur etiam præter Epictetũ, & Senecã plures ſanctiſſimi patres Diog. tamquam omnium rerum humanarũ contẽptorem admirãtes, & etiam ex hoc Magno Alex. ſuperiorem. Quibus adnecti poſſunt etiã Cato, Seneca, & Epictetus, quibus vitę integritate, morum q. probitate nemo præſtantior ſolet perhiberi; Quis enim ſublimius apparuit vmquã virtutis exẽplar Catone, quem Seneca lib. de tranq. an. viuã virtutũ nũcupat imaginem, qui à Stoicis Herculi, & Vlyſſi monſtrorũ domitoribus vitiorũ ipſe domitor anteponitur, qui ſupremum viuendi, & moriendi exẽplũ nominatur à pluribus, qui totius Romanæ ſapientię Princeps à Lactãtio eſt appellatus, de quo deniq. laude prorſus inuidenda dictũ eſt malim Catonem vnum, quam Socrates trecentos; Et tamen hunc quoque cum reliquis perſonam tantum, & laruam geſtaſſe virtutis apud omnes compertum eſt; vt enim minuta illa reticeantur, quod nimirum Cato ebrioſus fuerit,

atque

atque in multam noctem crapulæ, & vino deditus, vt refert Plutar. quod rusticanam loquendi, atq. mordendi asperitatem Stoicæ seueritatis pallio obduxerit; quod vxoris lenonem egerit, hæc si in Ethnicæ sanctitatis exemplari dissimulare fas est, quale fuit crimen illud, quo hostis clementiæ gloriam inuidens, perire maluit non aliena manu, propria quoque horrida dispердens viscera, ac vi quadam animam educens, quod licet ad Numen referatur, vt tanto constantiæ, & fortitudinis spectaculo oblectaretur, verius tamen ad maniam, & rabiem referendum est.

Pari modo Senecæ, & Epiteti sanctimoniam multis oneratam criminibus deprehendimus apud Dionem, Xiphilinum, & Cyprianũ; & si precipuus de Seneca habeatur sermo, neque fortasse eum ab ea labe reperiemus immunem, quæ facit hominem opum, & diuitiarum æstu maximè laborãtem, dum enim in diuitiarum copia carpenda tam splendidè eius feruet oratio, verbis longè magis, & oratione quam factis valere deprehenditur; atque eam animi celsitudinem vndique ex eius scriptis spirantem fuisse ementitam docet assentationis, & abiectionis plenissima exulantis scriptio ad Polybium Claudij libertum tunc admodum potientem, cui idcircò indigna masculo philosopho demissione adblanditur, vt vix percipi queat, quomodo tam grandia, tamque solida, tam fragilis, & abiectus conceperit animus. Epiteti verò falsam fuisse patientiam, & religionem testatus est Cyprianus lib. de patien. in quo fortasse esset animi firmitas in cruciatibus, & rebus aduersis laudanda; nisi eam vanitatis teredo exedisset, quæ reprehensio in cæteros omnes philosophos æquè cadere potest, cum reliqui omnes in virtutis actionibus ab eo fine, atque honestatis lege defecerint; quæ hominem verè probum non fuci, non fictitiæ virtutis efficit amatorem; sunt enim (inquit Tertull.) eiusmodi virtutis simulatores de eorum numero; quorum dicta factis deficientibus erubescunt, nec modicum est simulatoris probrum; cum à se ipso diuidens, aliud docere, aliud agere deprehenditur, qua ratione apud Lacædemonios, vt testatur Plutarc. in lib. de aud. off. prohibebatur Ciuis non probatæ vitæ honestam per seipsum sententiam promere; sed iubebatur eam apud honestum virum deponere, qui tanquam mente sua conceptam proponeret, idque solummodo, nè salutaris doctrina authoris prauitate suo fructu careret, & tamquam canalis contrahens vitium, ijs, ad quos permanaret inuisa fieret; tam absonum erat apud viros benè moratos dicta factis euertere, quod passim agunt virtutis simulatores, virtutis Eunuchi appellandi, atque eo nomine notandi, vt ait D. Grisost. in orat. 4. de regn. quod cum profiteantur alios ad virtutem procreare, & ad id conniti videantur, sint tamen reuera steriles, nihilque valeant progignere.



LEX LX.

AD HOMINEM VIRTVTIS APICEM AFFECTANTEM.



EA quæ solo geruntur animo, vtpotè ab oculis, & sensibus valdè submota difficillimè percipiuntur, nisi quædam adhibeantur signa quæ in intimam eorumdem notitiam homines perducant; ità sanè iurabit nemo aliquem ad apicem virtutis iam suo labore peruenisse, nisi quosdam proferat sub oculos contuentium ipsius virtutis characteres, quibus coniectetur iam supremum conscendisse fastigium, ijque sunt voluptas, & tristitia, quam inter agendum patitur quisque; qui enim se corporis voluptatibus sic abstinet, vt etiam abstinendo delectetur, is sine dubio perfecto iam temperantiæ habitu præditus censendus est; qui verò vice versa molestia, atque ægritudine afficitur, dum temperans esse connititur, nondum is dici potest ipsius temperantiæ possessor; hæcque esse perfectæ, aut imperfectæ virtutis apertissima signa præter Aristotelem in 2. Eth. cap. 3. demonstrat etiam Plutar. lib. de Viot. Moral. exemplo Laconis cuiusdam; qui cum interrogaretur quam potissimũ rationem initurus esset ad puerum instituendum suæ curæ demandatum, respondebat, effecturum se vt puer è rebus honestis voluptatem caperet, tristitiam è turpibus ac molestis; Idque fortassè latum est ex illo Socratis documento, quæcumque optima etiam iucundissima, quę pessima amarissima, ac propterea Seneca Herculis Atæi virtutem deprædicat omnibus non lugendam, sed potiùs voluptuosam

Non est gemendus, nec graui vrgendus nece
Virtute quisquis abstulit, fatis iter
Aetherea virtus Herculem flere vetat
Fortes vetat mærere, dæmones iubet.

Sic etiã apud Homerũ Heraclide interprete describitur Vlysses in sũma voluptate quiescẽs, cũ ab Æolo ligatos accipit vẽtos in vtre excoriati bouis cũ scili-

ſcilicet, perfecta regente virtute ita ſui animi motus, atque perturbationes coercet vt minimè effluant, aut animum ipſum in miſerandum deferat naufragium; eratque in Vlyſse ſignum perfectæ virtutis illa quieta voluptas quæ in ipſius oculos cum tutamine ſoporem inducebat; at dum vtre ſoluto vndequaque diffluunt venti parantes interitum, mæſtus, & dolens perhibetur Vlyſſes; haſque perfectæ, aut deficientis in animo virtutis notas profert Plutarchus vbi agit de morum profectu etiam in ſomnijs, inquit enim ex eo nos intelligere partam à nobis, atque in nobis iam eſſe virtutem perfectam ſi in ſomnijs delectemur honeſtis, in turpibus verò, ac flagitioſis cõtriſtemur, & idcircò in Didone Æneæ amoribus irretita refert Virgilius ſomnia quedã non minus nocturnã terriculamenta, quàm fluctuantis mentis indicia

Anna ſoror quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent

& de Tarpeia ex Tatij Regis aſpectu amore iam perdita canit Propertius

Experiar ſomnum; de te mihi ſomnia quæram
Fac venias oculis vmbra benigna meis.

quiſquis enim in ſomnijs nulla erga turpidinẽ capitur voluptate, ſed potius hac detinetur erga honeſtatem, is iam perfectã dicitur eſse aſsequutus honeſtatem; ex quo ſcitè monebat Plato etiam ex ſomnis animi ad Tyrannidem proclinantis diſpiciendum eſse naturam; ſi enim oblectatur in ſomnijs cum manus inijcit matri, vt eam inceſtuoſo concubitu polluat, aut vi perimat, aut in alia pudenda ruat, ſummoperè ab ipſo cauẽdum eſt, & quemadmodum iugales equi ab auriga rectè currere inſtructi nõ deſerunt viam illo etiã in ſomnijs habenas remittente, ſic quibus brutales adſunt affectus nullo ſub iugo rationis detenti neceſse eſt ſemper, & vbiq. præcipites ruere eodẽ ſemper tenore perdurantes. Quò ſpectat illa Epicuri ſententia, voluptatem, & dolorem nobis eſse principia, & Criteria electionis, & fugæ, dum virtus, quæ in anima intelligente moratur delectationẽ, & triſtitiã velut indiuiduas comites ſic habet, vt alterutra carere non poſſit qui virtute aliqua polleat.

Voluptas verò quæ ſignum dicitur, & nota perfectæ virtutis, eiuſq. numquam diſsocianda comes ea eſt, quæ ex ipſo virtutis opere, & amore conſurgit, ita vt animum dumtaxat ex virtute agentem delectatione perfundat; ſi enim ex alio quouis affectu voluptas illa proſiliret, nõ eſset apta virtutem partam vt ſignum indicare, cũ potiùs illius affectus inditiũ eſset, à quo tamquam à fonte manaret; atq. ad hanc rem nota eſt Damoclis hiſtoria ſummã voluptatẽ percipientis nõ ex virtute, ſed ex regij affectatione honoris, in quẽ diù tumente nimiũ contenderat impetu. Notũ eſt illud Demoſthenis hominis leuiſſimi (vt ait Cicero) cum ſuperbiente nimis propriæ virtuti faſtu mulierculæ plauſibus ſummoperè oblectabatur, quæ alteri inſuſſurrabat. Hic eſt ille Demoſthenes, cui aptatum eſt illud Perſij Satyr. 1.

At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt.

Notũ illud quod de Temiſtocle perhibetur, qui cũ poſt memoratã in æuum victoriã Olympiorum celebritas inſtaret, eò profectus eſt, & cũ proceſſiſſet

in stadium, vbi omnium oculos aduertit neglectis certaminibus in se vnum conuersos, ciuesque omnes se vnum admirabundos spectare, monstrantes digitis, tanta dicitur voluptate, atque hilaritate perfusus, vt fateretur amicis, se eo die tantum laborum omnium, quos pro Græcia tulisset, fructum amplissimum reportasse. Nota denique ea omnia sunt, quæ narrat Plutarch. de Epaminunda, Coriolano, alijsque pluribus, qui supremum voluptatis genus ex eo percepere, quod non fuit virtuti adscribendum, voluptas enim ex virtute percepta ea est, quæ virtutem ipsam, vt ait Hesiodus, asperam simul, & mollem facit diuersa temporum constitutione dissimilem.

Aspera principio, sed vbi ad fastigia ventum est
Occurrit (dura ante licet) mollissima deinceps.

Non sicut illa, quam Hercules in biuio constitutus deseruit eneruem, & mollem sed qua (vt inquit Max. Tyr.) per labores, & facinora gloriosè suscepta supremum nominis, & famæ dignitatem obtinuit ex virtutis amore manantem, quam comparat optimè Lucretius lib. 2. cum illa animæ suauitate, quam percipit homo, qui sit in tuto positus, aliena tamen pericula spectet, & naufragia.

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius spectare laborem
Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.

Culmen enim, & fastigium virtutis iam tenens, nihil amplius aduersi exhorrescit easque iam euasit pressuras omnes, inter quas à virtute aberrantes solent fluctuare; idque fuit signum in Sextio illo Romano nondum perfectæ adeptæ virtutis, cuius meminit Plutarch. qui vrbanis honoribus, fascibusque abdicatis vt philosophica iniret studia, negotio parum feliciter sub initium procedente, tristitia captus, & mærore cæptum virtutis exhorrens iter, rursus neglecta ac primò deposita affectauit, atque ad priorem redijt statum; in hac sanè sui status mutatione valdè dissimilis à Diogene illo Sinopæo, cuius virtus vehementissimis etiam iactata procellis numquam occubuit, tuncque potissimum cum Athenis philosophiæ studium auspicaretur; cum enim inter sumptuosas illas cænas, spectacula, conuentus celebres atque congressus suę paupertatis cogitatione turbaretur, ac propereà irrequieto animo angeretur, virtutem nondum numeris omnibus absolutam consequutus, à mure circa micas sui panis occupato edoctus est semper aliquid sapienti ex virtute super esse, quo meliùs quam inter Athenarum delitias posset collætari.

At aliud quidem est Voluptatis, & doloris genus, cuius consortium virtus non admittit sed potius auuersatur, quod vincere, cohibere, ac funditùs prosternere virtuti ipsi triumpho datur; in eiusmodi etenim vel maximè regendis affectibus dicitur virtus impensissimè occupata, cum voluptas, & dolor

dolor sint duo illi hominis hostes interni, qui in intimis animi recessibus semper insidiosè latentes, nouaque semper pericula, & excidia parantes hominem ipsum ab arce virtutis exturbare contendunt; quos virtutis oppugnatores vocat Plato nocentes quosdam tyrannos in superos æquè ac terrestres sæuientes, humana, & diuina confundentes

——*trahit sua quemque voluptas*

Deos quoque ait Simonides, in quibus etiam testatur Homerus sensim serpente dolore, & furtim voluptate repente omne felicitatis lumen occidere ni virtus ministret faces; sunt enim voluptas, & dolor potiores in homine affectus, qui hominem ipsum sui prorsus impotem reddunt, nisi adsit coercens ac reparatrix virtus, idque penè cunctis consuetum est ex voluptate perperam agere, vel malè aliquid expetere, quemadmodum etiam ex tristitia, & dolore, quem metuunt, à prolis operibus, & officijs facilimè auuocari, cum tamen virtus ea sit quæ velut Princeps in animo constituta legibus suis affectus ipsos moderatur, & cohibet; quod tamen in homine assequi quam difficile sit etiam toto nitente virtutis conatu ostendit Herculis exemplum adhuc Ephebi, cui se virtus obiecit vt eius egregia facinora comitaretur, atque ab ijs absterreret voluptatibus, quæ solent hominem refugam ab honestate constituere, quem tamen, dictum est, fuisse mulierosum, plurimarum vxorum maritum, puellarum stupratorem, voracem, temulentum, Thermis etiam balneis ac lauacris summoperè oblectatum, has in Hercule canente victorias voluptate, qua capiebatur.

Cum igitur adeò difficile sit, arduum, & operosum tristitiæ, & voluptati resistere, iure merito dicetur is ad apicem virtutis peruenisse, cui datum est tales hostes virtute compescere; Voluptas enim & tristitia in hominis vita perinde sunt, ac illi Syrenum scopuli, quos difficiliores in mari demonstrat Homerus; perinde sunt ac latrunculi illi, quos profert Epitetus vias omnes obsidentes, iter omne angustantes, ne tutò bonæ vitæ exportemus merces in securitatem. Sunt fulmina Iunonis ab ipso erepta tonante ad Troadum robur interimendum; sunt denique venena illa pontica solummodo ad vires eneruandas inuenta, quæ (ait Herodotus) quamplurima peperisse hominum excidia, nec ideò mirum si eos animi motus dicat Seneca, esse hominem maximè perturbantes, cum hominem ipsum à consilio, atque rationis arce penitus detrudant, nisi virtute firmetur.



LEX



LEX LXI.

AD HOMINEM VOLVPTVOSVM.



PLATO in lib. 9. de rep. hominem posse fieri voluptate beatum videtur non abnuere, ea nimirum voluptate, quæ percipitur animo atque honestati adblanditur, quæque ab ipso Platone philosophica, & animastica nuncupatur; Neminem vero corporea voluptate detentum beatæ vitæ dulcedinem degustare, apud Sapientiores omnes diù statutum est; cum enim ab honestatis atque virtutis ditione exterminentur omnes sensuum, & corporis illecebræ aduersus rationis arcem iugiter molientes, ac parantes insidias, fit ideò viliora corporis mancipia non posse ad summum degustandum bonum infima cupiditate sustolli; beatitudo siquidem, quæ homini quatenus homo congruens, ac debita est, in sola rationis, & mentis facultate velut in propria sede locanda est.

Ad hoc Sapientes Græci voluptariam, corporeisque delitijs affluentem vitam brutalem potius esse quam humanam autumarunt, eiusque oblectationem sine lumine noctem compellarunt, quod ibi fortasse nullus affulgeat virtutis aut rationis splendor; Qualis erat beatitudo illa tenebris inuoluta quæ ab Arriano descripta est in illa Lybica nauigatione, in qua Hannoni contigit Atheniensium Imperatori vltrà Herculis columnas, vbi beatorum insulas exædificarunt poetarum delineamenta, semel enauigari. Ibi Imperator iste in magno æquoris sinu, qui cornu vesperis dicebatur Insulam quamdam beatorum reperisse fatetur, in qua exeuntes per diem, nihil nisi syluam intuebantur opacam; per noctem verò multus ignis visebatur accensus, multi tibiarum sonitus exaudiebantur, cymbalorum, ac tympanorum strepitus inter choreas ducentes erat permultus; petijt quid hoc esset, responsum est, ea tantum nocturna beatitate collætari commentitios illos Elysiorum accolas, qui inter voluptuosas Exercitationes vitam transegere.

A qua non dissimilem proferunt beatitudinem illam Sardanapali Assi-

riorum

riorum Regis Iustinus, Diodorus, & Athenæus, qui cum inter voluptates, sensuumque illecebras mollitie defluxisset, tandem sibi desperans; gazas, & opes, mulierum greges, & Eunochorum, cæteraque regiæ luxuriæ instrumenta nocte quadam, vt nocturnam repudiaret voluptatum beatitatem, se quoque ipsum accensam coniecit in Pyrrham; vt ità libidinum incendium quo flagrauerat diù, maiori absumptum incendio extingueretur, tantaque mollities solis exureretur nocturnis vindicibus flammis; Indeque ediseeret voluptarius homo voluptates corporis, dolores, tristitias, & mærores indiuidua societatis fœderatione iugiter comitari; ex quo enim voluptas, & tristitia se mutuo coram Ioue accusarunt tamquam de iure confinij violato, actores ipsos lites illas adeò hominibus infestas agentes, catena adamantina vinxit, vt vnus alterius comes, & velut pedisequa perpetuo esset, quod perbellè videtur tetigisse etiam Lucretius lib. 4.

———— medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid quod in ipsis floribus angat.

¶ Quò itidem respexere omnia apud Veteres voluptatis lineamenta in Hyeroglíphicis expressa, in Phalangio seù Tarantula, quæ oculis oblectans, atque diradians, attactu tamen titillationem excitat, & virus instillat; In Syrenum cantu, vbi oblectamenta sunt prolectantia simul, & necantia, In pardis, hamis, & laqueis in quibus cum illecebris ruinæ commiscentur, vt voluptarijs hominibus scitè indicaretur sæuire nimis voluptatis lenocinia, licet placiditate demulcentia, omnemque veram ex animo beatitudinem infeliciter exturbare iniecto, aut adiecto velut comite mærore, tristitia, & infortunio, quemadmodum innuit optimè Silius Italicus lib. 15. canens de voluptate

———— inde aspice latè
Florentes quondam luxus quas verterit vrbes
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes
Quantum sola noces animis illapsa voluptas.

Idque vel inuitæ fatentur voluptates Assiriæ, quas omnes vniuerso cum auro pellicibusq. ignis absumpsit, Ionicæ Policratis delitiæ, quas destruxit, funditusque euertit nex indecora, Sybariticæ corruptelæ, quarum cultoribus non pepercit interitus libidines denique Syracusanæ quas Tyrannis diuturna calamitatibus pressit, atque ad internecionem vsque perduxit; de quibus nec immeritò eam protulit sententiam Philo Iudæus canum more primùm obcæcatis adblandiri, sed repente mutatas, morsum infigere insanabilem, quemadmodum etiam de voluptate ad hac re optimè loquutus perhibetur Boethius in lib. 3. de consol.

Habet hoc voluptas omnis
Stimulis agit furentes.
Apiumque par volantum

Vbi

Vbi grata mella fundit
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Omnis itaque hominum error, quo mens sana corrumpitur, atque ad ementitá bonorum illicia ductu quodam fraudolento pertrahitur, à voluptate corrinat, omneque licet clarissimum mentis lumen, si voluptas irrepat, caligine peffunditur; atque ob id dicta est voluptas ab Archyta totius naturæ infortunium, cum, & ipse, vt insaniæ potiùs, quam voluptatis ægritudine corriperetur, iugiter precabatur à superis; qua de causa etiam Hippocrates vniuersum mentis, & corporis morbum voluptatem ipsam appellabat, facilè deprehendens voluptatem totum hominem facilimè hebetare, principem lædere animæ partem, capitolium, arasque rationis euertere; ea namque est labes illa deterrima de qua protulit Quintus Serenus

Sæpè etenim membris ægro languore caducis
Consilium populi labes horrenda diremit.

Eoque fortasse respexit etiam Praxagoras in lib. 2. curat. cum iussit caput abradi ex nimia ægrotantibus voluptate, vt nimirum sine Venere rasum caput non esset absque rationis lumine; nec sine mysterio priscis Romanis culta est Venus sine capillis, quam caluam dixere, vt caput sine Venere, in Venere ipsa Mineruam, nimirum mentem lumine sapientiæ illustratam exprimeret.

At longè cæteris aptiùs mentis perniciem voluptate irrogatam tyrannidis appellatione expressit Max. Tyr. ser. 34. cum dixit, confuso prudentiæ ordine, voluptate imperante, morem gerente ratione, durum animo tyrannum atque inexorabilem præfici, cui vbique seruiendum sit fæda semper, & iniusta imperanti; & quod de eloquentia Periclis scriptum reliquit Aristophanes, solitam fuisse in Græcia fulgurare, tonare, ac tyrannide quadā totam Græciam permiscere, hoc de voluptate potentissimo in perturbādis superioribus animi partibus Tyranno veriùs dici potest, dum per ipsam mens quæcumque recta de statu suo violenter dimota, nusquam quieta, tranquillaque degens, hùc illucque vi quadam tyrannidem exercente circumfertur; ac proptereà Vlyssi, quem à Scopulis, & naufragio tueri conabatur Calypso apud Homerum, monitum illud datum perhibetur.

Extra vndam, & fumum longè compelle carinam.

Facilè enim illabentem velut fumum, & vndam experimur voluptatem, si totus adijciatur animus; & vbi primùm hanc laruam adblandientem, & lenocinantem aspicimus, omni statim illecebrosa cogitatione posthabita, ab ipsa studiosè, & confestim nos prohibere debemus, Senes illos Troianosque proceres imitati, qui ne Helenæ aspectu caperentur, si diutius immoraretur, statim eam ad Græcos remittere iudicarunt, ne ciuitas tota in-

ta incendio conflagraret, quemadmodum in illis carminibus nobis relictum est exemplum

Non erat indignum certè tot funera Troas
Tot mala pro tali Danaos tolerasse puella
Cælicolis formæ similis splendore Deabus
Sed tamen ipsa suos redeat cum nauibus Argos
Ne cladem nobis, nostrisque nepotibus olim
Inferat, & superet multorum causa laborum.

Quo exemplo proposito, aiunt quidam, longè difficiliùs iudicatum esse à Troianis voluptatem vincere quam dolorem, quem ex tali iactura faciliùs perferrent sponte eum suscepturi, quam voluptatis aculeum positum in propinquo, ipsisque vel inuitis adactum; Hincque fortasse à Sapientioribus nobis traditum est duas in regno virtutis inueniri virtutes, nimirum Temperantiam, & Fortitudinem, quæ pari incedentes gressu, & æquo conflictantes robore, simili quoque collætantur triumpho; eo namque modo, quo dicitur fortitudo gloriosiùs agere, si in rebus prosperis potiùs modum teneat quam in aduersis, ità potius Temperantia semper dicitur excelsiùs occupata, si sensum in voluptatibus cohibeat, quam in doloribus atque ægritudinibus; & cum res faustæ sint munera quædam blandissimè aduenientia, quæ placido ac suaui deuinciunt imperio, quos occupant semel, iugum hoc tam blandum excutere longè homini laboriosius est, quam si durum esset, & asperum, in id consentientibus cum Archyta Pythagorico etiam Platone 1. de legib. Senec. in consolat. ad Heluiam. Tacit. 17. hist. Sallustio denique in coniurat. Catil. qui omnes fatentur secundis rebus Sapientum quoque animos fatigari, acrioribusque stimulis intima cordis explorari quam rebus miseris, & aduersis. Ea de causa dicebat etiam Horatius, bonam benè ferre fortunam semper difficilius fuisse, quam malam, indeque lib. 3. od. 27. monebat Europam ad Iouis connubium, & regnum euectam vt insolentiam dedisceret in tam alta fortuna

Vxor inuicti Iouis esse nescis?
Mitte singultus. benè ferre magnam
Disce fortunam. tua sectus orbis
Nomina ducet.

Et Tantalum quam felicissimum simul atque fortunatissimum canit Pindarus ad 1. legimus quoque non valuisse tantam fortunam diutius ferre, cum enim ad nectar ambrosiamque paratam Dijs admissus eam surripuisset, vt socijs suis commotoribus tribueret, Ixioni, nimirum, Sisipho, & Tytio, ac propterea damnatus esset ad inferos, dicitur ibi constantiùs tolerasse cruciatus, & dolores, quam apud Deos cælestia libamina.

Si itaque difficilius est secundis rebus, & iucundis non cadere per fortitudinem, quam tristibus, & aduersis non succumbere, difficilior quoque erit per temperantiam victoria in voluptate quam in dolore; eo siquidem nocentiùs

centius patimur omnes voluptatis impulsum quam doloris, quod voluptas sit veluti finis operationum, in quo quiescamus, atque à quiete, cuius votum à natura inditum est, difficiliùs sit ammoueri, quam à quocumque alio, deque voluptate sola illud circumfertur

Trahit sua quemque voluptas

Quo intelligamus solam voluptatem esse arcanam illam naturæ vim qua omnes (vt docebant Epicuræi) ad suauiter agendum propellimur, & qua omnes etiam inuiti, & nolentes superamur, id satis Annibalis exemplo comprobante, quem licet nec proprij vicerint dolores, neque alienæ tristitiæ, vicit tamen voluptas Romano potentior hoste; quin licet principum agmina ducentium præstantissimus esset, omniumque fortissimus, solius tamen voluptatis trepidauit ad nutum in Campania, vbi quo magis fruebatur, magis etiam Romanorum metuebat hostilia; quo pacto Neronem quoque incendium vrbis diù meditantem voluptatem ex crudelitate susceptam vi sua potiùs vicisse, quam dolorem, & amore tot amicorum, & consanguineorum, quos flamma voraret; perhibetur namque quod flammæ pulchritudine captus, halosim, idest Ilij vastationem in illo scenico habitu decantarit, id testante etiam Tacito lib. 15. Annal. vbi ait tempore flagrantis vrbis inijsse Neronem domesticam Scænam, & cecinisse Troianum excidium præsentia mala vetustis cladibus assimilantem, de quo etiam mellitissimus Vates cecinit

Ausus Troiano miseram compenere Romam.

Quænam verò sit ratio, & causa, cur homo faciliùs voluptate vincatur quam, dolore, & tristitia non ità apertè innotescit. Plautus eam reddit, quod, scilicet, homo voluptate saggittatus citò labitur, & liquescit, quod non euenit in doloribus, & tristitijs; perbellè autem dicit Plautus, quod homo per voluptatem liquatur, quod non contingit per dolorem, quia per voluptatem in homine non solum corpus, verum etiam animus, mens, & ratio, tamquam res illiquefactæ illicò cedunt nulla vi in resistentiam adhibita, quod non fit in dolore, quem totis cônnitentibus artibus satagimus repellere, vel saltem temperare, ne totum absumat, ad hæc pronuente etiam Cicerone, qui sensuum voluptates vocat corporis illiquefactiones; At ea in hac re potior ratio censenda est, quam Magnus in Ethicis tangit Albertus, quod homo nimirum, ex perpetuo dolorum, ac tristitiarum sodalitio, quod à die ortus sibi indiuiduum àssumit, quamdam contrahit patiendi assuetudinem, qua postmodum circà dolores victoria assurgit facilior, quam in voluptatibus; optimè siquidem Possidippus ait, Diem ipsum perpetuò homini tristitias afferre, non voluptates, idque à prima hominis luce, vsque ad vitæ vesperam. Quid enim homine infelicius, quid tristius dum nascitur? à lachrymis, & vagitu viuendi studia auspicatur, quæ sunt effecta doloris; fasciatur infans, vincitur, ligatur in pænam solum quia natus, quasi culpa fuerit nasci. abijt infantia, & vix reptare per domum puer occæpit,

quanti

quanti occurrunt infestantes morbi à natura, quanti casus à casu, quos puer tenellæ adhuc ætatis per ignorantiam vix sentit aut experitur. Succedit adolescentia Campos ad tristitiam patens ac præceps, & quantis hæc rota quoque dolorum aculeis, quot ærumnarum vepretis pungitur, circumuallatur, vellicatur. Modo enim adolescens disciplinæ impatientia pænè in desperationem adigitur, modo amorum æstu, ac violentia abreptus, eget, pallet, vigilat, febrescit, ardescit in iras, abit in cædes. Subeunte denique senectute, quantus (bone Deus) tristitiarum cumulus, quantus malorum aceruus. Id scimus omnes qui in hac meta dolorum consumimur, vt iure merito de omni homine cum Dione dici possit, esse omnium temporum calamitatem, & infortunium.





LEX LXII.

AD

HOMINEM VOLVPTATIS AMORE DETENTVM.



NON eò noſtra hic collimat oratio, vt Epicurum, qui vulgo creditur corporeæ voluptatis aſſertor, à tanta turpitudinis nota vindicemus, cum id ſatis ſuperque ab egregijs doctrina viris actum ſit; Sed eò tantum noſtræ fertur mentis obtutus, vt hominem quemcumque dignoſcamus omnia propter parandam ſibi voluptatem, tamquam propter finem in quacumque operatione ſibi propoſitum, & conſtitutum peragere; indeque dici ſua voluptate beatum; cum enim voluptas eorum omnium; quæ in electionem cadunt, ſit comes indiuidua, vt docet Ariſtoteles in ſuis Moralibus; atque tria tantum diſtinguantur eligibilium bonorum genera, Honeſtum nimirum, Vtile, & Iucundum, exinde elici videtur, in omnium proſequutione bonorum voluptatem adeſſe, quæ ſola hominem moueat procumbentem in bona, eamque ſolummodo veluti metam laborum exoptari; Si enim bonum eſt id, quod appetunt omnia, nullumque bonum inueniatur quod etiam iucundum non ſit, atque appetenti delectationem afferat, cum ideò expetatur bonum, vt appetens delectetur, planè inde ſequitur bonum omne quodcumq. ſit propter voluptatem expeti, tamquam propter finem in quo quieſcat appetitus, nec aliò feratur; Quapropter ſcitè ſatis Philoſophi quidam ſenſere duplicem tantum admittendam eſſe boni ſpeciem nimirum Honeſtum, & Vtile; viſum namque ijs eſt Iucundum eſse quamdam boni rationem vniuerſam, quę potius genus bonorum conſtituat, quam ſpeciē à cæteris ſecretam; eo prorſus

 modo

modo quo incongrua diceretur trimembris illa diuisio, si diuideretur animal in rationale, brutum, & sentiens, cum sentiens nihil aliud sit, quam animalis synonymum, rationemque habeat potius genericam, quam specificam.

Quoniam verò posset initio requiri, qui fiat, vt ista bonorum genera voluptatem perinde creent, ac ipsum Iucundum, quod ex speciali sua natura illi creandæ natum est; idcircò prænoscendum est, generalem causam videri, quod omnis voluptas alicuius cupiditatis, & omnis cupiditas alicuius indigentiæ sit comes; primùm, scilicet, indigemus, & consequenter cupimus; cum abigimus autem indigentiam, atque cupiditatem saturamus, tum dicimur voluptate perfundi; sublata siquidem indigentia cupiditas amplius non est, ideoque neque amplius voluptas adest, cum voluptas præsertim in sensibilibus bonis in exemptione indigentiæ, ac sedatione cupiditatis posita sit, voluptas siquidem homini est, non comedisse, sed comedere; non bibisse, sed bibere; nam postquam epulando fames, & bibendo sitis exempta est, venterque ipse expletus ciborum pondere grauescit, non amplius sentitur voluptas, atque exinde est, cur intemperantes viri, quo voluptatem protrahant, famem, sitimque obsonijs, varijsque gulæ irritamentis quam maximè possunt, propagent, atque consopitam excitent, dolentes quoque quod non collum gruis voluptati producendæ, atque prolatandæ obtineant. Non alia itaque ratione excitatur in homine voluptas ex bonis, quam quia persentiscit priùs eorum indigentiam bonorum, ac tùm suborta cupiditate, ad illud obtinendum assurgit, vt ex eo voluptatem consequatur; ille enim qui pauperiem fugiens, atque ditescendi auiditate currit ad Indos, & per saxa, per ignem, per fasque, & nefas opes, & diuitias conquirit, voluptate solummodo impellitur; quæ semper in lucro augendo noua procuditur iuxtà illud Manilij de auaro

Non quod habet numerat, tantum quod non habet, optat.

Et quod in boni vtilis genere experitur homo, illud idem præsefert etiam bonum honestum; ille quidem, qui prece, pretio, laboreuè improbo dignitatem assequitur, ob quam in se honoratum præsumpsit, voluptate quidem mira demulcetur, dum reipsa primos inde assequitur, ac demetit honores; at postquam honoribus iam assuetus, ac veluti expletus est, non ampliùs perinde ijs afficitur; sed quia se alijs maioribus indigere existimat, ideò noua eos consequendi cupiditate accenditur, vt ex eorum consequutione voluptatem nouam percipiat. Ille verò qui nihil non egit, vt alicuius rei scientiam, qua carebat, assequeretur, delectatur quidem, ac veluti exultat, donec addiscit, & adeptione scientiæ mentem quasi pascit; at postquam talem rem pernouit, scientiamque habet quasi in tuto, haud amplius illius cupiditate tangitur aut voluptate, sed ad aliam cupiditatem exsaturandam conuertitur, vt voluptate noua potiatur. Ille tandem qui in edomando

aliquo vitioso affectu multum impendit operę, lætatur quidem dum habitum vitio oppositum acquirit, vtpotè quasi gloriosam ex sese referens victoriam; at confirmato habitu, non amplius inde mouetur nisi vt nouam noui habitus sibi adstruat voluptatem; Vnusquisque igitur, qui allaborat, vt possideat, quæ exoptat, voluptatem semper cogitat, qua denique perfruatur; nihilque sanè laboris subit homo inter tot suæ vitæ discrimina, nisi vt tandem conquiescat, quemadmodum innuit etiam Horatius 1. Satyr. 1.

Ille grauem duro terram qui vertit aratro
Perfidus hic caupo, miles, nautaque per omne
Audaces mare, qui currunt, hac mente laborem
Se se ferre, senes vt in otia tuta recedant
Aiunt.

Et illi quoque omnes qui aulas sectantur, qui sese splendidis officijs, muneribusque deuouent, eo nempè se fine tot sustinere molestias fatentur, vt ad extremum consequantur, vnde secedere in otium possint, & quod æui supererit, sibi ipsis viuentes, vitam iucundè, beatè, seù cum voluptate traducant. Quin etiam illi qui superbas ostentant domos, splendidas iactant vestes, pretiosam suppellectilem, opiparas mensas, illustre coniugium, elegans famulitium, numerosum satellitum, seruorum, curruum apparatum, ingentia prædia, dignitates insignes, spectacula sumptuosa, ludos profusos, largitiones munificas, ex hisce rebus omnibus summoperè appetunt commendari, ex qua commendatione capiant cum voluptate beatitatem; nota namque satis est Damoclis historia arbitrari se ex honore regio voluptatem summam esse percepturum, qua bearetur in æuum; nec alibi posita est à Demosthene suprema felicitas, quam in mulierculæ ferentis aquam susurratione, quæ diceret, hic est ille Demosthenes; quod subnotatum est etiam à Persio Sat. 1. eo versiculo

At pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est.

quam præceteris ex huiuscemodi voluptate beatitudinem dicitur expertus Themistocles, qui post memorabilem victoriam instante Olympiorum celebritate, eo tantum ad vrbem profectus est, vt omnium oculos obseruaret neglectis certaminibus in se vnum conuersos; ciuesque ipsos in se spectando, atque peregrinis, & aduenis plaudente digito monstrando totum consumere diem; tantaque in ea re voluptate, ac lætitia perfusus perhibetur, vt dixerit ad amicos, se illo die laborum omnium, quos pro Græcia pertulisset fructum amplissimum reportasse; id narrante Plutarcho in Themistocle, qui etiam simile quidpiam affert de Epaminunda, & Coriolano; ne his affinia commemorem, quæ Pindarus habet de victoribus Nemeorum, & Isthmiorum; Od. 1. & 4. Quin etiam ex animi voluptate beatiores referuntur illi ab Aristotele, & à Cicerone, quibus datum est Sapientiæ dulcedine perfrui, rerumque natura-

lium

lium cognitione; cum ipsa natura parens ineffabiles in ijs excitet voluptates, qui, & rerum causas pernosse possunt, & ingenuè philosophari; tuncque animus consumatum habet plenumque bonum sortis humanæ (vt ait Seneca) cum calcato omni malo petit altum, atque in interiorem venit naturæ sinum; vbi iuuat inter sydera ipsa vagantem diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro suo terram irridere; qua de causa Eudoxus ex animo vouit comburi Phaetontis instar, dummodo sibi ante liceret ad Solem adstanti, illius figuram, magnitudinem, pulchritudinem peruidere.

Nec minus Philosophi omnes qui voluptati bellum indixere, neminem sine voluptate posse beatè viuere affirmarunt; & Stoici ipsi in illo suo tam arduo virtutis monte conscendendo, amænitatem quamdam in vertice paratam existimarunt; Quin Diogenem ipsum Cynicum virum austerissimum, sola voluptas quædam, in qua beatitudinem experiretur, coniecit in dolium, quo non secus (vt ait Max. Tyr.) delectatus est Diogenes, quam Xerses Babylone, non secus polenta aut aresacto pane, quam exquisito condimento Smyndirides; non secus fontibus vndequaque manantibus, quam Choaspe Cambyses, & sic de reliquis; Beatos quoque efficit eos solius amicitiæ voluptas, qui vitam pro amico libentissimè profundunt; Beatos qui pro patriæ salute oppetunt mortem illa voluptas facit, qua perfunduntur, dum mira alacritate cogitant parentes, filios, amicos, cæterosque conciues inde libertatem adepturos; Beati denique ex voluptate ij etiam parentes dicuntur, qui morte plectentes filios eò deducuntur, vt longè iucundiùs ducant præsenti dolore futuras molestias redimere per filios aggerandas, quam lenocinante animi mollitie filios ipsos ad omne ærumnarum genus seruare immunes; quod præsertim de Torquato narratur, cum securi filium percutiens, ius maiestatis, & imperij prætulit naturæ, patrioque amori. Itaque id est voluptas in homine quod sic expetitur propter se, vt cætera omnia propter ipsam expetantur, consequens omnino est, hominem ipsum fieri sola voluptate beatum; quod ostendit optimè Cicero in lib. 2. de finibus tùm in Thorio Balbo Lanuino, quem ex suarum impletione cupiditatum, vnde summa voluptas, beatum facit; is enim (inquit) ita viuebat, vt nulla tam exquisita posset inueniri voluptas, qua non abundaret; tum etiam in M. Attilio Regulo, quem Thorio beatiorem describit ex illa voluptate, qua gerens virtuti morem, fidem Carthaginensibus seruauit inter summos etiam cruciatus, cruces, & tormenta suauiter, ac beatè viuens, & etiam morti occurrens; vnde Seneca epist. 67. & 15. de tranquillit. Arcam illam, in qua fuit Regulus clauis confixus, ex voluptate quam ibi percipiebat, designat velut quoddam quietis, delitiarum, atque tranquillitatis instrumentum, cum tamen Silius Italicus eam graphicè machinam describens, hæc proferat in lib. 6.

Præfixo paribus ligno mucronibus omnes

Armantur laterum crates, densusque per artem
Texitur erecti, stantisque ex ordine ferri
Infelix stimulus; somnisque hac fraude negatis
Quoscumque inflexus productio tempore tortor
Inclinauit iners, fodiunt ad viscera corpus.

Id etiam in hac re velut ex oppositorum lege necessariò inferendum est, quod sicut dolorem summum esse hominis malum experimur, neque id alia ratione, nisi quia omnis delectationis priuationem inducit, ità prorsus summum bonum in voluptate collocari valdè consentaneum est; eodem enim modo, quo aliquid rem summopere fugiendam facit atque ideò summoperè malam; eo prorsus id quod rem omnem sumè appetibilem facit, atque idcirco bonam, erit voluptas, delectatio, & iucunditas; cum ipsa sit, in quam natura postremò collineare videtur, omnia quæ sunt in motu idcircò instituens, vt operationes ipsas faceret delectabiles. Quod si Cyrenaicus quis obijciat voluptatem in omni ordine rerum esse veluti dormientis constitutionem, qua homini beatitas omnis adimitur, dicemus cum Epicuro non redundare in hominem beatitatis voluptas ex aqua velut restagnante, & emortua, sed ex aqua fluuij placidè labentis, hoc est ex homine ipso ità suauiter semper agente, vt voluptatem ex actione persentiscat; non enim voluptatis nomine, quæ hominem beatum facit, intelligenda est quædam torpens socordia seù otium iners, & languidum, sed iucunditas quædam in parte animi principe constituta, quæ ex animo ipso proba semper, & laudabilia meditante, atque peragente enascatur; nauis siquidem non solum tranquillitate dicitur perfrui, cum in medio mari conquiescit immota, sed etiam cum aura fauente, & vela ad cursum implente placidè transfertur, æquorque tranat; & licet dicat Lucretius lib. 2. in otio quodammodo, & torpore constituendam beatitudinis voluptatem

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius spectare laborem
Suaue etiam belli certamina magna tueri
Per campos instructa, tua sine parte pericli.

Suauissima tamen illa beatitudinis voluptas, qua perfunditur homo, cum perdomitis, velut Hercules monstris, sui animi perturbationibus, factus liber, ac lætus, statusque sui felicitatem intelligens, tranquillo in portu commoratur; neque ab agendo recedit, vt tempestates fuget, procellas eliminet, tranqnillitatem aduocet, atque tueatur. Voluptas igitur quæ hominem beatum facit non est illa Asotorum voluptas, quæ in ingluuie aut in Venere constituitur, Syrenum cantibus, & Cyrces poculis peior, de qua canunt Poetæ


Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes
Quantum sola noces animis, illapsa voluptas

Sed ea iucunditas est, quæ præsertim virtutem, ac Sapientiam parentem agno-

agnoſcit, qua etiam duce nullo ducitur homo inſano impetu, nullis incurrentibus angitur difficultatibus, nullis denique opprimitur malis aut infortunijs, qua ratione verè beatum deſcribit Claudianus Mallium ſuum Theodorum de quo ait

——— nec te tot limina rerum
Aut tantum turbauit onus; ſed vt altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos hyemeſque relinquit
Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum
Celſior exſurgit pluuijs, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat
Sic patiens animus per tanta negotia liber
Emergit, ſimiliſque ſui &c.

Illa ſi quidem eſt, cui Cleanthes in ſua tabula confingit virtutes omnes velut ancillulas famulari, cum virtutes ipſæ eo tantummodo exerceantur vt afferant exercenti iucunditatem; quod ſanè non eſt (vt inquit Cicero in 2. de finib.) in matronarum cætum meretricem adducere; neque Paridem imitari qui Venerem reliquis Deabus prætulit, cum non intelligatur hic voluptas illa turpis,& obſcæna,quæ homines reddit omni crimine contaminatos, ac ſcelere ſordeſcentes; ſed ea vitæ iucunditas, qua homines ipſi lætantur,dum rectè, atque laudabiliter agunt, qua præſertim voluptate dicitur perfuſus Hercules,cum vitio prætulit virtutem in biuio.



LEX



LEX LXIII.

AD

HOMINEM OPEROSVM.



VMANAM felicitatem in opere, ac labore positam esse Sapientissimi quique testantur satis, eamq. operationem esse in vita perfecta etiam Arist. decernit in Ethicis; Hinc velut error damnatus est, esse in hominem conferendam beatitudinem absque eius industria, & labore, cum non sit felicitas nostra Amaltheæ cornu diuinitùs tantum immiscuum quod apud poetas celebratur in fabulis; neque cantus ille repente Hesiodo de cælo datus, cum iuxta Heliconem pascens gregem cantantibus musis occurrit; neque somnus ille Epimenidis Cretensis, quo sopore detentus beatus effectus est; necesse est enim vnicuique ad sibi adstruendum felicitatem, vel Aristeas philosophos esse vigilijs semper, & laboribus se exercentes, vel Vlysses numquam quiescentes, quos Iupiter ipse ex actionibus, & passionibus prædicat beatos apud Homerum

Diuini quid erit? quare obliuiscar Vlyssis
Cuius in ærumnis animus non frangitur, & quem
Pallas amat.
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes
Multa quoque, & Ponto passus.

Licet enim etiam felicitas quædam ea sit quam à natura sortimur quoquo modo nobis etiam diuinitus data, ij tamen numquam verè felices erunt aut dicentur, qui in otio sine labore, aut in vitio sine virtute consenescunt, cum vetus sit adagium

Dulcia non meruit qui non gustauit amara.

nec Deus ipse qui fecit hominem sine homine, ordine illo qui dicitur consuetudinis naturæ, hominem sine homine, nimirum sine hominis operatione solet beatum efficere; eaque sola de causa factum est (ait D. Chrysosth. in Genes. vt paradisus voluptatis, atque beatitudinis locus soli homini agẽti concessus sit, non desidi aut torpenti; quemadmodum etiam apud vete-

res

res virtuti, quæ homines beatos faceret, operosæ manus tribuebantur, ad illius veritatis inditium, quam profert Claudianus de virtute languente, & emortua

——— Quid virtus submersa tenebris
Proderit? obscuræ veluti sine remige puppes
Vel lyra quæ reticet vel qui non tenditur arcus

Addente ad rem satis Silio etiam Italico

Actio si desit, Virtus est futile nomen.

Ità tamen vt ea solummodo non credatur esse vita hominis beatà qua exilio omni quieti, siue diurnæ, siue nocturnæ indicto, beatitatem suam venabantur quidam Asiatici populi numquam quiescentes; insana enim profectò ducenda esset illa fælicitas, quæ solo insperatæ quietis laboritio esset homini paranda iugiter lassato, atque ab omni meta laboris semper aberrante; Nec Hercules si cum monstris adhuc conflictaret, beatus esset (inquit Max. Tyr.) qui etiam subdit in dissertationibus suis, voluptatem à possessione boni, & quietis traductam in animum, esse plusquam felicitatis appendicem, hominumque vitam ex eo suauissimam dici atque iucundissimam.

Idque prænotauit satis carmen illud Apollinis templo inscriptum in insula Delo

Dulce frui, cuius quemque perurit amor

Ostendens omnem animi operationem, qua hominis felicitas circumscribitur suum velut finem, & terminum reposcere, & spectare quietem, seù fruitionis oblectationem, huc Sophocle ipso collineante, cum ait, beatissimum esse ea demum re potiri, quam maximè affectes. At sanè vanum esset ad eiusmodi palmam speratam diù animi sollicitare cupidinem, si ad eam contingendam velut inaccessum desperaretur iter reiecta velut via laboris, & virtutis industria, esset plusquam palmaris error beatitatem credere otio naturæ congenitam, non nostro agnatam labori; licet enim natura sæpè efficax sit in suis procreandis effectis, id tamen vltrà vim, fortemque naturæ constituitur, vt beatitudinem hominis suo solo concipiat, & pariat vtero sine dolore, ac labore; demusque etiam quod felicitas nostra sit velut fructus naturæ in eius latitans radice, sicut fructus non omnino funditur, si desit influentia Solis, vel satoris opus, ità felicitas licet ex ipsa pullularet natura, in lucem tamen non editur, nisi accesserit operantis industria; Non ità à natura geniti sumus (ait Tull. 1. de off.) vt ad ludum, & iocum facti esse videamur, & quietem sine labore teneamus;

Nec nisi per magnos voluit Deus esse labores
Ad sua regna viam, nec sydera segnibus offert

Canit etiam Hesiodus. Ad hoc Romani antiquiores qui feruentiùs captandæ beatitudini operam nauabant tres colebant Deas virtutis comites, eisque sacra publica peragebant, Ageroniam nimirum, quæ hominem ad agendum excitaret; Stimulam, quæ ad proficiscendum vltro adderet calcar, stre-

Strenuam denique quæ virum numquam à cæpto opere retrocedentem efficeret. Ad hoc etiam Athenienses, & Spartani Legumlatores gloriæ culmen sudoribus, ac laboribus capescendum constituebant, & Troiani ipsi ad metam laborum anhelantes dicunt

——— post tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostendunt.

Et licet ex quorumdam philosophantium doctrina admittantur in natura quædam beatitatis primordia, igniculi, aut scintillæ, quod inter cæteros videtur affirmare Seneca Epist. 73. ea tamen doctrina ita intelligenda est, vt ad summum credantur insita naturæ remota quædam ipsius beatitudinis principia, quæ velut semina solus cultor queat ad frugem redigere; nemo si quidem (inquit Cato) nascitur doctus, nemo fortis, nemo iustus, nemo beatus addentibus quoque ex Magistri doctrina Pythagoræis, Aliud homo, Aliud Pythagoras; & licet inter cætera Platonis placita illud etiam admitteremus, quod ex varijs cæli locis, & aspectibus diuersæ ingenerentur morum virtutes, & contemperationes ipsis hominibus ad hoc nihil præstantibus, aut conferentibus, non sunt proinde hominum virtutes, sicut virtutes plantarum existimandæ, quæ solummodo ad regionis habitum, qualitatemue respondeant, eo modo quo aiebat Cyrus apud Herodotum, Natura sic esse vbiuis comparatum vt in mollibus locis molles nascantur homines, vnde etiam cecinit Lucanus

——— emollit gentes clementia Cæli

Vel eo modo, quo Ptolomæus in 3. compositionis magnæ, Asiaticos prodit esse castos, & abstinentes ex coniunctio Saturni, & Iouis aspectu; ad summum enim è cælo, varijsque terrarum regionibus, & locis quasdam inesse hominibus procliuitates fatendum est, quæ tamen non sunt satis hominem virtute præstantem aut vitio deformatum efficere, si ipse cogitetur homo ab omni prorsus exercitatione opere, & industria feriare; quod volens innuere etiam Plato docuit virtutis radices in homine fodiendas esse, atque externis etiam irrigandas sudoribus, ne de ipso homine otio torpente, & detento repetatur probrum illud, Cuius segnis Iuuenta, egens Senecta; Numquam enim bonus ille fieri potest Cytharædus, qui numquam Cytharam pulsat, quod pulcherrimè apud Claudianum in 4. Honor. Consul. expressit Imperator strenuè agendi præcepta tradens filio suo. Et licet persæpè ab Epicuro alijsque philosophis otium in homine sapiente laudetur, id eo sensu dumtaxat accipiendum est, quod homo sapiens, licet in reliquis operosus, præ ambitione, alijsque eiuscemodi criminibus non debet ab otio philosophico, hoc est sapientiæ suæ discedere; inquit enim Epicurus, non debere sapientem ad Rempub. accedere, nisi patriæ iuuandæ gratia, aut insipientium adiuuandorum causa; cum non sit sapienti æquum vltrò se cò ingerere, quo se intelligit non vocari, atque ambitio-

bitiosos imitari, qui serò denique agnoscunt quod Theophrastus quoque sub vitæ finem conquestus est; qui apud Laertium, cùm à discipulis rogaretur, quidpiam me esset, quod mandaret, nihil quod mandem (inquit) habeo, nisi quod hominum vita multas voluptates ambitiosè ob gloriam amittit; eòque tantummodo præclarum illud collimabat documentum, vt in capessendis publicis rebus, ac magistratibus gloriæ cupiditatem moderarentur, ac potius ad beatum sapientiæ otium diuerterent; cum plures videre sit dignitatibus præfulgentes, rebusque publicis semper gerendis implicitos, quos talis generis vitæ semper tædet; illis quietem semper inuident, quos quasi in portu tranquilli sedentes conspiciunt; vndè sanè felices illi sunt qui in sola sapientia agere dicuntur simul, & otiari; quo loco omni auro pretiosius illud Cyneæ Consilium occurrit, qui cum ex Pyrrho aduersus Romanos bellum cogitante quæsijsset; Quid facto videretur opus, vbi illi deuicti forent; Quid subacta Italia, Sicilia, Lybia, Macedonia; atque responsum esset, otium tunc esse capessendum, solaque lætitia ducendum æuum; Quid prohibet nunc etiam quò minùs (Regi ait Cyneas) festis diebus, otio, ac lætitia perfruamur; innuens eos omnes sibi satis non prospicere, qui inanem gloriam aucupantur, summosque posthabita sapientia affectant honores; ij etenim dum sibi temperare ab inuidenda, vt Lyricus vocat, aula non valent, atque ad splendorem solum, qui in prospectu est, oculos conuertunt, ad sollicitudines, ac ærumnas, imò, & Erynnias intus corrodentes perpetuo se damnant; Atque honores illi, imò potiùs labores qui in rebus publicis gerendis exalari solent, ad metum pauoremque comparati indesinentem, quo torquentur animi tortores sunt, qui quietem eliminant ab humano pectore, non honores, quantoque altius quis per eos effertur, tantò immaniore ruina; grauioreque casu corruit in præceps

Quid Crassos, Quid Pompeios euertit, & illum
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus, nulla non arte petitus
Magnaque Numinibus vota exaudita malignis.


Ad Casum Seiani canit Iuuenalis Sat. 10. qui nimios optabat honores, & nimias poscebat opes, numerosa parabat excelsæ turris tabulata, vnde altior esset casus, & impulsæ præceps immanæ ruinæ; & licet à Plutarcho per plures inducantur Sapientes, & Philosophi qui publicas, & communes condiderint leges, publica negotia susceperint, exercitus duxerint, tyrannos interfecerint; apud eumdem etiam inuenitur longè innocentius, ac securius esse illud vitæ institutum, quo ambitione deposita Sapientes solo sapientiæ negotio animi tranquillitatem consectantur. Inter quos illustris sanè fuit Titus ille Albutius, quem Cicero in or. pro Pisone dicit in Sardinia triumphasse; & cum posteà fuisset exilio damnatus, scribit in Tusculanis, fuisse Athenis animo æquissimo philosophatum; Quemadmodum etiam

fuisse

fuisse videtur Memnius ille, quem opere toto Lucretius instituit, & cui pacis tempus idcirco optauit, quod alioquin vigente bello studia cum armis commutare teneretur, quo illud pertinet

Nam neque nos agere hoc patriæ tempore iniquo
Possumus æquo animo; neque Memni clara propago
Talibus in rebus communi deesse saluti.

Cuius generis etiam fuisse perhibentur Idomeneus, ac Leonteus in Ciuitate Lampsacena apud Strabonem; & alij plures apud Athenæum qui partim otio partim negotio Patriæ incolumitati consuluerunt.



LEX



LEX LXIV.

AD HOMINEM ARTE PRAECELSVM.



VETVS est aliquorum querimonia, qui naturam incusarent, quod cæteris animantibus indumenta, quibus tegerentur, & arma quibus tueri se possent, dedisset; vnum hominem inermem, ac nudum abiecisset in terram, rerum egentem omnium, & varijs temporum iniurijs expositum. Sed eam à natura calumniam sapientes viri eo nomine depulerunt, quod homini aliquid ipsa tribuisset longè melius, atque præstantius, hoc est rationem menti, ac manus corpori; illam et, vt ad cogitandum, quæ agenda sunt, valeret; has vt in quodlibet efficiendum opus artibus exercerentur: Ex quo facile diuinare est, quid sibi voluerit Plato 2. de leg. vbi artes omnes à tribus Dijs Vulcano, Pallade, & Marte, qui Ioui ad opus omne peragendum semper adsistunt, prodijsse, ac natas esse cõminiscitur; Pallas enim sapientia, & recta ratio est, vnde præclarus oritur ordo, qui maximè in qualibet arte cernitur; Vulcanus igneus ille spiritus est, à quo suscepti operis progressio, & absolutio manat; Mars denique facultatem significat, & vires, ex quibus ad extremum existit eiusdem operis munitissima cõstructio; Itaut Pallas cẽseatur dux, Mars artifex, Vulcanus vtriusque minister, & operarius: est inquã ex his facile coniectare, quid hac fabula velit Plato, cum probè sciamus artes à sapientia, & ratione tamquam à Pallade fuisse primùm excogitatas, tum lacertorum vi, ac beneficio manuũ tãquam à Vulcano affabrè perfectas, & absolutas; ad extremũ ab exequente vi tãquam à Marte ad humanæ vitæ custodiam, ac tutelam productas in vsũ.

Sed illud etiã his integumẽtis Plato significare voluit, nõ hominis rationẽ modò peperisse artes, verum etiam eiusdem hominis indigẽtiam; cum nimirũ in eam gratiam tributa homini ratio sit, vt sibi consuleret, eaque per artem suæ suppeditaret inopiæ, quæ naturæ data esse non cerneret; postquam

Ff enim

enim Poeta summus sublatum cecinit aureum saeculum, in quo nihil deerat transigendae vitae opportunum sola laborante ad opem ferendam natura, subdit statim

Tum variae venere artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas

eo namque modo, quo (ait Tullius) indigentia peperit amicitiam, ac societatem humanam, eodem prorsus artes ab hominis ratione expressit, cum sint artes ab Aristotele humanae indigentiae medelae compellatae; adeoque totidem inuentae sint artes, quot humanae vitae rerum indigentiae sunt; quippe artes omnes, quibus vniuersae hominum indigentiae, ac necessitati succurritur redigi possunt ad genera septem, hoc est, ad lanificam, seù vestiariam, ad fabrilem, ad naualem, seù nauali similem, ad rusticam, ad venaticam, ad medicinam, ad theatralem, quibus praesertim humana necessitas dicitur indigere; quibusque etiam solus homo dicitur ex sua dignitate, ac conditione sublimis, atq. praecelsus; quemadmodum etiam aliae septem recensentur, ex quibus, quoniam ingenuae sunt, & liberales, ingenuus, & liberalis dicitur homo; prisci enim illi, ac primi mortales non priùs artes quaerere, ac inuenire caeperunt in primo vitae nascentis exordio, quam theoricis disciplinis animum, & cogitationem intenderent, quibus in otio, atque in idonea rerum copia fruerentur; cadit nimirum huic illud Crassi apud M. Tullium Oratorem existimantis intelligentiae cogitationisque disciplinas ab ijs natas, & cultas esse, qui negotio, & labore defessi diuerticulum, & oblectamentum animo petierunt à contemplatione rerum caelestium, & terrenarum, eo nimirum quod primi illi caeterorum hominum parentes negotium ab initio, & laborem artis capessere coacti sunt, tum ab operè feriati in rerum obditarum inuestigatione requietem, & otium quaesiuerunt.

Neque verò his aduersari putandus est Plato in Philebo, cum ait artes omnes à Mathematica prodijsse; nec alij plurimi qui artes volunt esse sciētiae filias adeoque disciplinis, & intelligendi doctrina posteriores; licet enim verum sit, quod ibidem scribit Plato nimirum ex vniuersis artibus alias sectari musicam, alias esse pedissequas Architecturae, omnes denique Mathematicae surculos esse, quia numerum, mensuram, pondus, & proportionem, quae à Mathematica sunt, continent, quemadmodum etiam rectè dicitur, & verum est artes plurimas, & quidem praeclaras ex physica nasci, cuiusmodi est ars naualis, Agricultura, medendi peritia, & id genus aliae, quarum materia sunt corpora quaedam naturalia Physicae proposita; iure tamen, ac verè dicuntur artes ipsae scientijs longè priores, & suis ipsarum parentibus antiquiores, cum artes imperfecta natalia ab initio sortita, scientiae postmodum, & contemplationis lumine eadem perfecerint, atque illustrauerint.

Ea quoq; ratione dicitur homo ante potius quam sciētia in sublimiori cōditionis statu collocatus, quod ipso Arist. docēte 1. Eth. ars omnis expetat bonū, atque in bonū semper collimet, quod abest à sciētia, qua saepe vtimur in ma-

in malum, ac propterea plerique artem omnem hominis virtutem esse credidere; quod si artes quædam reperiuntur humano generi infensæ, maleficæ, & exitiosæ; hæ tamen statim hac discedunt à bono, artis nomen, & rationem amittũt; quapropter nõ est cur desudet impius ille Cornelius Agrippa vir damnatæ memoriæ qui scripsit libellum de vanitate artium, & scientiarum; vt ostendat artes omnes prorsus inutiles esse, atque vt summè noxias ab humanis domicilijs esse euellendas, eradicandas, exterminandas; dum enim in eiusmodi erumpit insaniam, verè cum Hecuba Troiana in canem se versum fatetur, cum nil aliud agat, quam mordere, oblatrare, maledicere, & conuiciari artium, & scientiarum omnium veneratores, cum ipse tamẽ arbitretur se eo libello aliquid maius efficere, quam Leonem Nemeũ Claua percutere, Hydram Lernæam igne interimere, Aprum Erymanthęũ occidere, capere Ceruã Męnalio nemore aurea gerentẽ cornua, Stymphalidas aues in nubibus sagittis confodere, & cætera eiusmodi Herculea facinora patrare, cum tamen reuera vnicæ mentis insanæ proferat deliramenta. Certo enim certius esse debet artium dignitate, præstantia, atq. vtilitate humanum genus summoperè extolli, atq. iuuari; qua de causa cum Diogenes quondam de sublimi, quasi de concione dicturus clamitaret, Adesse homines; atque in magno illo concursu populum tantum rudem, agrestem, atq. inertem conspexisset, homines nimirũ artibus, atq. disciplinis destitutos statim ab ea Græciæ vrbe recessit, vt alibi homines inueniret, quos ex artiũ facultatibus ac dignitate dignosceret: erat siquidem apud Diogenẽ tanquam res iudicata, quod olim etiam ratum erat Romanis humanã naturam, atque hominis rationẽ artium, & disciplinarũ decessu penitùs cõtabescere, & interire; & ideo in Vespasiani numo Auriga cernebatur bigis insidens, quorũ alter equorũ candidi, atri alter erat coloris, vt intelligeret homo humanã illã Vespasiani figuram mordere inertes, scilicet arte carẽtes; cum doceat etiã Plato in Phædro rationem in homine tanquam aurigã in curru insidere iugi artiũ, & scientiarũ cõsociatione feliciter circũductã, velut trahentibus equis.

At præter hæc artium sublimitatem, qua extollitur homo, satis cõmendat illud Neronis Imperatoris, qui artium, & disciplinarum fuit simul sectator, & hostis, dum enim ab Astrologis audiret fore, vt aliquando detruderetur Imperio, pro responsione Iambicum illud dimetrum vsurpauit, Terra quæuis artem alit, quasi innueret, sibi bonum Imperij, potissimum ratione firmandi, numquam defuturum, dum regione in aliqua posset artes colere, atq. disciplinas exercere; ex quo Romanam iuuentutem sapienter monebat Ouidius

Disce bonas artes, moneo, Romana Iuuentus
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis.

quemadmodum etiam sapientiùs dicitur apud Plut. in Solone lex àb Atheniensibus lata, quod parentes omnes natos suos arte aliqua instruerent propter ipsius hominis excellentiam, atque Reip. vtilitatem, quæ inde maxima prouenit, si fides Antiphonti habenda est apud Aristotelem, & Amphidi

apud Stobæum. Quod si tot gentibus adeo infensæ, exosæ, atque odibiles perhibentur artes extitisse, vt apud veteres Spartanos tamquam exitiosæ omnino extorres exularint; vt apud Ægyptios vitam tantum duxerint artifices pauci; vt Sybaritæ Athenæo teste artes omnes in ciuitate strepitum excitantes repudiarent, ne quis interpellaretur; vt Romani ipsi Romulo institutore omnem sedentariam artem prohiberent, solam militarem, & agrariam permitterent; hæc omnia elapsis temporibus contigisse fatetur Tyrius ex obcæcatæ regentium mentis caligine, quæ semper fuit rationis morbus,& interitus; cum enim ea lege natus sit homo, vt non videatur esse hominis vita,nisi quæ laborum, & sollicitudinum socia sit, is vitam hominis agere nequaquam dicendus est, qui nihil agit, qui otio torpet, & contabescit; Ex quo etiam hominis anima à Democrito ignis dicta est, vt cum ignis semper operetur, & colluceat in tenebris, eos explosos ex hominum numero tamquam exanimes esse putemus, qui aut obscura premuntur ignorantiæ caligine, aut otij turpitudine contaminantur.



LEX

LEX LXV

AD

HOMINEM SCIENDI CVPIDVM.



VNDVM, & rerum hanc vniuersitatem æternam (quod omnes norunt) credidit Aristoteles; & quod inde consequens est, homines ab æterno fuisse scientia munitos, quæ virtus est homini propria: Plato verò non mundum ipsum, & vniuersitatem, sed animas separatas scientia, & sapientia præditas facit æternas, paulatimque & subinde ingredientes in huminum corpora, & demigrantes in alia cum obliuione scientiæ; quam Platonis obliuionem licet non admiserit Aristoteles, qui animas nunquam voluit separatas antequam cum corpore iungerentur, tamen aliam, aliaque ex causa profectam excogitauit, quæ mundo etiam ab æternitate posito contigerit homini; hancque nasci voluit ex regionum, ac gentium mutatione, quę in varijs terrarum partibus, ex eluuionibus, aut exustionibus creuerit, neque enim illud commune diluuium cognitum habuit, quo Noe tantum familiaque superstite, terrarum demersus est orbis. Platone igitur atque Aristotele exceptis, quorum ille natura ingenitam, hic æternam in homine scientiam voluit, de ipsius scientiæ authoribus variæ fuerunt sententiæ, atque plerique in eo consensisse videntur, vt dicerent scientiam omnem à Barbaris habuisse principium; Quod enim Laertius ausus est dicere Philosophiam, ac scientiam omnem è Græcia tamquam ex fonte manasse, vbi Musæus, & Linus primi fuere Sapientes, ac felli facile potest ex Eusebij Cæsariensis authoritate, & ex plurium enumeratione, qui longè ante illos docti, & rerum scientes apud alios populos habiti sunt; nam apud Babylonios, & Assyrios multò ante propter sapientiam claruere Chaldæi, apud Persas Magi, apud Indos Gymnasophistæ, apud Phænices Ochus, apud Thraces Zamolxis, & Orpheus, apud Lybicos Athlas. Atque inter Barbaros ipsos Ægyptij potissimum eam sibi gloriam vēdicare

conati sunt, rati ex suo ipsorum sinu profusam fuisse ad cæteros sapientiam, cuius authorem aliqui Nili filium, alij Vulcanum, alij Mercurium Trismegistum tradidere. At horum nemini adiudicanda res est, cum scientia longè fuerit antiquior, longèque nobilioribus in lucem effusa natalibus sit; exortus enim scientiæ ac propagatio, ipsaque primorum sapientum, ac doctorum hominum series ita se habet. Adamus humani generis parens ac Princeps ab authore Deo conditus est, cunctis animi, & corporis ornamentis instructus, inter quæ primo loco numerari scientia, & sapientia debet, quam etiam cunctis partibus absolutam fuisse summorum Theologorum sententia est, ne aliquid in rerum natura inueniret, quod primum, & princeps ipsius naturæ caput ignoraret, ex quo deinceps omnis ad posteros sapientia fluxerit; non enim dubitandum est, quin suos ipse docuerit liberos, & præcipuè Sethum, à quo pia, & bonis idonea disciplinis excepta soboles est, inde ad Chaldæos, ab his ad Ægyptios scientia, & literis transmeantibus.

Quibus constitutis non est eorum opinio hic excipienda, qui constantissimè pronunciarunt nullum hominem in hac vita posse scientem esse, seù scientia aliqua præstantem, ea potissimum ratione, quod scientiæ obiectum non solum firmum, & constans esse deberet, sed etiam necessarium, cum tamen contra viderent in hac rerum vniuersitate omnia fluere, ac labi, atque perpetuæ esse obnoxia mutationi, inde rati in tanta rerum omnium inconstantia, atque mutabilitate nihil sciri posse; Horumque Princeps perhibetur Heraclitus, qui cum doceret scientiam esse cognitionem rerum verarum, affirmabat etiam numquam vlla de re renuntiari posse id quod esset verum, quod res identidem, ac subinde mutarentur; quemadmodum enim in eumdem prorsus amnem neminem bis ingredi dispicimus, quia continenter amnis mutatur, & fluit, adeòque non idem semper est amnis, sic in earumdem rerum cognitione, atque intelligentia nemo penitus intrat, quia res ipsæ labuntur assiduè, ac propterea res non sunt semper eædem, quamuis eodem nomine semper appellentur. Quin addebat Heraclitus ne semel quidem posse nos toto corpore in eumdem planè profluentem intrare; cum enim intrant pedes, certa quædam est aqua fluuij, quæ sanè haud eadem est, cùm intrat pectus; ac propterea contendebat, ne semel quidem posse nos enuntiare verum, ex quo in res naturales propter assiduum earum fluxum numquam toti penitus intramus: quę causa fuit cur Philosophi quidam appellarentur Ephectici hoc est, ambigentes, hæsitantes, & cunctatores; interrogati siquidem, solo nutu respondebant, quod timerent, ne dum ipsi verba proferrent, res mutarentur de quibus aliquid enuntiarent, ac propterea mentirentur; qui etiam appositè dicti sunt inhibitores, scilicet, assensum inhibentes, & compescentes, cum aliqua de re interrogarentur. Quò visus est spectare etiam Sophista Protagoras apud Ammonium in Categoria Relationis, cum diceret

ret nihil esse quod certam habeat naturam, nihilque esse simpliciter verum, vel falsum, sed falsum tantummodo aut verum id esse, quod falsum aut verum pro varietate sententiarum hominibus videretur; ab hac sententia nec recedentibus quibusdam Academicis, qui nullius rei dicebant verè scientiam esse, sed tantum opinionem, cum sensus, à quibus omnis nostra pendet intelligentia facillimè decipiantur.

Plato, qui sequutus in diuinis Pythagoram est, in Physicis Heraclitum, in Politicis Socratem, cum videret aliquam oportere veram esse scientiam, ne inanis habenda sit illa sciendi cupiditas, quam nobis indidit, inseuitque ipsa natura, longè alia progressus est via; Quippe cum Heraclito dixit res naturales esse mutabiles, ac fluxas; cum Pythagora censuit res à materia seiunctas, & abstractas suam essentiam obtinere, adeòque rerum physicarum hoc est cum materia coniunctarum nullam voluit esse scientiam, sed tantum opinionem. Cæterum quia res physicas putauit esse rerum vmbras in materia refulgentes, vmbras autem ex eo prodire, quod verè est, decreuit in mentibus à mortali concretione separatis Ideas esse ponendas, quæ verissimæ sint formæ rerum, quarum hæ physicæ quas intuemur, vmbræ quædam appellandæ videantur; Ex Platonis namque sententia quinque rerum gradus in vniuerso reperiuntur; primò quidem res sunt in Deo, tamquam in fonte, & causa primaria, modo, ac ratione quadam eminente; Secundò sunt in mente per Ideas, ac formam; Tertio sunt in anima per rationes in eiusdem animæ essentia insertas; Quartò sunt in natura per semina, cum natura seminaria quædam vis sit per mundi animam (vt dicebat) in materiam vniuersam effusa; Quinto sunt in materia tamquam vmbræ per imitationem, ac participationem expressæ; & quoniam vmbræ cognoscuntur ex eorum notitia, quorum vmbræ sunt propterea veram scientiam existimauit esse solum Idearum, quam scientiam arbitratus est nobis quaque congruere, sed tantummodo per recordationem, sicque scire nihil aliud esse putauit, quam reminisci; sibi enim induxit in animum iam inde vsque ab æternitate ex Diuina mente per animæ ideam omnes fluxisse animas tamquam distinctas illius ideæ participationes certo numero definitas quarum prima participatio esset ipsa anima mundi, & exinde aliæ; inter quas illæ quæ ad homines pertinerent, essent diffusæ per stellas, idemtidemque descenderent ad formanda mortalium corpora, per quæ ad purgationem corporeæ labis subinde veluti mutata statione commigrarent, variasque propterea ducerent vitas. Dicebat itaque ea quæ nos primùm videmur addiscere iam prænouisse animam antè corporis informationem, eo tempore quo mansisset in stella, & eo quo cum alio mortali corpore coniuncta fuisset; ità dixit in Menone laudans authorem suæ sententiæ Pindarum; sed in Timæo omnia videtur referre in Ideas, & rationes animæ insitas, vt vincat scire nil aliud esse quam reminisci; animæ siquidem à primo rerum opifice vsque ab æternitate manantes, à quo

omne

omne perfectum proficiscitur, perfectæ sine dubio prodierunt, ac propterea omni scientia ornatæ, atque communitæ per rationes quasdas insitas Ideis respondentibus, e aque dicta est prima animarum vita; vbi verò fuerint in corpora delapsæ secundam quamdam dicuntur vitam nactæ propter aquisitam cum corpore coniunctionem, in qua vita dicuntur eorum omnium reminisci, quæ in prima per inditam scientiam obtinuerunt. Hos, & alios eiusmodi Platonis errores de animabus, ac scientijs nostris inuulgatos facile est inuenire apud Marsil. ficin. lib. 7.

Non defuere è Christianis Doctoribus aliqui, qui tametsi Platonis hæc commenta irriderent, vellent tamen scientiam homini inspirari diuinitùs, eamque de cælo quasi per machinam euocari; etenim putarunt quidem scientiæ parentem, & effectricem intelligentiam esse, sed tamen id etiam existimarunt sciri nihil posse absque peculiari, & singulari quadam luce in intelligentiam ipsam diuinitùs immissa, ita prorsus, vt illud rectoris, & conditoris Dei commune præsidium, quo res procreatæ mouentur, & peragunt omnia, satis esse non crederent ad progignendam scientiam, nisi etiam lumen quoddam propinquius, & magis intimum ad adiumentum illud commune roborandum accederet; ac ne soli viderentur errare, huius opinionis doctorem induxerunt D. August. lib. 1. colloquiorum, vbi sic loquitur, Sicut colores sine solis lumine ab oculis percipi non possunt, ita neque possunt scibilia absque diuina illustratione ab intellectu cognosci. Quæ opinio fortassis aliquid delibauit etiam ex Auicenna, qui mentem quamdam excogitauit formarum datricem atque distributricem, cui nomen fecit Colchondeæ, noluitque ab ea non modò nobis scientiam inseri, verum etiam rebus omnibus formas dari, nec plus aliquid ad gignendam scientiam sensus hominis, & res sensibus obiectas conferre de suo, quam præparationem quamdam, seu dispositionem ad eius intelligentiæ vim, ac lumen facilius excipiendum.

At ex his omnibus sub tam varijs sententijs dispositis, ac propositis, ea de homine sciente pro certis habenda sunt. Primum, scilicet, quod rerum inconstantia, & mutabilitas impedire non potest, quominus aliqua sit in ipso homine scientia rerum naturalium, quæ nascuntur, & occidunt, quamquam enim terrena omnia, & sub cælo iacentia perpetuę sint mutationi obnoxia; ipsa mutatio tamen haud cadere potest in rerum essentias, quæ immutabiles, & sibi constantissimæ sunt; quin ipsa quoque mutabilitas, & inconstantia rerum certam, & constantem gignere scientiam possunt, cum mutabilitas illa rerum corruptibilium mutari non possit; id enim saltem habet homo sciens per scientiam cognitum res naturales, & cælo subiectas fluxas esse atque mutabiles; atque hæc est causa cur hominis intelligentia è rebus ipsis priuatis, & singularibus abstrahat id quod vniuersum est, & commune; scientia quippe non est rerum singularium, quæ subinde oriuntur, & occidunt, sed vniuersarum, quæ sunt eædem sem-

per, &


per, & mutabilitatis immunes. Huc accedit; quod multæ res immutabiles sunt, non modo genere, ac specie, siuè in vniuersum, verum etiam eatenus, quatenus res quædam certæ, & singulares sunt, cuiusmodi sunt orbes cælestes, Sol, Luna, errantia sidera, & cæteræ stellæ, quorum omnium vera scientia, & certa esse potest.

Alterum quod homini scienti pro comperto habendum est, illud est philosophorum assertum commune ipsam sensuum deceptionem minimè verè, ac propriæ scientiæ officere posse; ac propterea inanem semper fuisse eorum doctrinam qui opinati sunt nullam rerum scientiam certam, & veram haberi posse, sed tantum dubitantem quamdam opinionem ex eo, quod sensus, à quibus originem ducit omnis prima intelligentia nostra mentisque cognitio, sint deceptioni patentes, & expositi; licet enim sensus in rebus quibusdam singularibus decipiantur, in pluribus tamen haud errant, cum in ijs summam quamdam obtineant notitiæ firmitatem, & euidentiam. Errat quidem nauigantium sensus, & decipitur, cum iudicat moueri littora, nauem quiescere; ludificatur ebrius, cum censet omnia rotari, & circumagi; decipitur is qui quadratam turrim è longinquo prospectam rotundam, & teretem putat; sicut etiam alia sæpe numero sensuum ludibria contingunt; at non infertur ex his errorem semper in sensibus esse, cum plura sint, quæ sine lapsu attingunt; quin nullus vmquam erit error in sensu, si triplex illa cognoscendi conditio adsit, quam affert Aristot. in lib. 3. de anima; & si vltrò contendat quis nil certò per sensus sciri posse, eo Lucretij dicto arguendus est, quod ipse in 4. de rerum natura eiaculabatur aduersus scientiæ exturbatores

Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit
An sciri possit, quo nihil se scire fatetur.

Nomen quoque scientiæ ingenitæ animabus ante accessum ad corpora, quæ in corporibus ipsis fiat reminiscentia debet omnino exhorrescere vir sciens; cum enim anima ad id facta, & nata sit vt corpus informet, atque ad hoc indita vi vt pars princeps in homine propendeat, figmentum esset opinari eam vllo tempore corpus præcessisse, quo scientia diceretur ornata; si enim cogitaretur antecedere, imperfectiorem eo statum nacta esse, quod esset in corpore ab eadem obtinendum; præterquam quod, vt scitè Aristot. 12. Met. in statu violento constitueretur. Quo apertius illucescit animas non migrare, neque commeare per corpora, sed vnamquamque suum habere proprium corpus velut sibi debitum præstitutum domicilium, ad commorandum, atque inde consequitur animam sitienter expetere copulationem cum corpore, mortemque horrescere, quæ à corpore segregatio dicitur atque disiunctio. Ex quo etiam dilucidè habet sciens vir scientiam reminiscentiam esse non posse, cum longè absit ab experimento id quod scimus atque intelligimus, nos anteà

teà cognouiſſe, quod tamen ad reminiſcentiam excipit Plato ipſe in Phedone; Quapropter id tantum de ſcientia ſciendum eſt à viro ſciente, ſcientiam ipſam eo modo parari, quo cæteri in nobis exiſtunt, & efficiuntur habitus, hoc eſt, multiplicandis artibus, & frequentando labore; qua etiam ratione deſtruitur apud ſcientem numen illud humanis mentibus aſſiſtens ab æterno progenitum Agente, quod Calchondeam appellat Auueroes.



LEX



LEX LXVI.

AD

HOMINEM

STVDIOSVM.



TAMETSI ſtudioſitas ex eo potiùs dicta videatur, quod acuat hominis induſtriam, excutiatque torporem quoad capeſsendum rerum cognitionem ſolet idem homo præpediri, non id vnum tamen dicitur ſtudioſitatis munus, cum præter ſtimulum excitandi ad ſcientiæ comparationem, frænum etiam ſuppeditet ad ſcientiæ appetentiam temperandam, quæ plerumque eſt iuſto maior, quin imo virtus eiuſmodi principalius addici ſolet refrænationi, quàm excitationi deſiderij, quo natura duce omnes ad cognitionem rerum, & delectationem ex ea comparandam impellimur, omnes enim homines naturaliter ſcire deſiderant; & ne hoc naturale pondus animam deprimat vltra rectum, abripiatque ad eorum cognitionem pertentandam, quæ homini conſentanea non ſit, neceſſarium eſt ſtudioſitatem intercedere quæ frænet voluntatem, atque intellectum cohibeat, ne ea quæ ſcrutetur, quæ ſcrutari omnino ſuperuacaneum eſset, quæque non intereſt homini ſcire, aut quorum cognitio homini poſset abeſse; ſicut contrà torporem excutiat in ijs quæ congruunt addiſcendis adſcita in auxilium fortitudine quadam, quæ laborem comparationi ſcientiæ adiunctum non exhorreat; neceſse eſt enim eiuſmodi virtute eos ſibi fines adſcribere, quibus, & nimiam ſciendi temperet cupiditatem, & nimium etiam reprimat ſciendi deſiderium, quibus extremis abrepti plerique in deuexum acti ſunt, vnde benè in ſtudijs deſides hortabatur Horatius Epiſt. 1.

Si non intendes animum ſtudijs, & rebus honeſtis
Inuidia vel amore vigil torquebere.

Quem-

Quemadmodum etiam apud Ouid. 4. de Pont. habetur remissi studij intimatio,& perpulchra veniæ imploratio ad rem adhibita

Da veniam fasso, studijs quoque frena remisi
Ducitur, & digitis litera rara meis
Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit
Qui prius in nobis esse solebat, abest.

Sunt enim plerique qui ad curiositatis saturitatem studijs non minus quam immodico vino obruunt intellectum, ex quo ad reliqua impotentes efficiuntur: ac propterea D.August. scitè homines moderatè studiosos temperantes, ac sobrios appellat, eos verò qui nimio studiorum æstu corripiuntur intemperantes, ac penè ebrios, & inde iubet esse vtraque extrema studioso viro maximè cauenda,& vitanda,in excessu,& defectu posita, scilicet, & nimium sciendi curiositatem, & nimium etiam sciendi negligentiam.

Ea verò de causa in comparandis disciplinis damnanda nimia curiositas est, quod nimirum in rerum inutilium disquisitione vt plurimum solet occupari, quas vt optimè ait Arnobius lib. 2. neque scire compendium est, neque ignorare detrimentum est vllum; quo nomine, vtramque exercendi ingenij aut remittendi animi causam prætendant, ridiculi semper habiti sunt, qui in argumentis ludicris sua studia contulere, in quorum numero recensentur Pittacus, qui diuturnis studijs consumptus est, vt Motum celebraret; Virgilius, & Bembus vt Culicem, Calcagninus Psellus, & Moschettus vt pulicem; Anonymus apud Canterum, vt Pediculum, Asinum, Felem, Gryllum, Simium, Noctuam,& id genus alia; Lucianus Muscam, Polycrates Murem, Clitarchus Teredinem, Melanchon Formicam, Vuilichius Locustam, Malesanus Erasmus stultitiam, Musa Muricem, Synesius Caluitium, Dousa vmbram, Phauorinus febrem quartanam, Ammonius nihil, Turnerus ebrietarem, Alij denique apud August. & Philostratum fimum, stercus, cæcitatem, surditatem, & podagram; quibus inutilibus rebus celebrandis prædicti dicendi artifices operam nauarunt vt ingenij excellentiam rerum inanium difficultatibus demonstrarent, illicque stylum peritum quasi quemdam fæcundi pectoris vmorem figerent, vbi materiæ sterilis argumentum velut arida gleba ieiunaret, laudabiliùs facturi si in argumentis dignioribus ingenij vires probasſent. Sic æquè aut etiam magis ridiculi, qui in aristis quibusdam, & ineptijs friuolarum quæstionum sunt toti; nam quædam sunt, ait Aug. in Enchirid. cap. 17. quæ nescire quam scire melius; in quam rem crebræ etiam sunt apud Senecam querelæ, qui ex eo detestatur quorumdam Romanorum, & Græcorum studia quod operosè id studijs suis agerent, vt nihil agerent, quærentes vel numerum remigum quos habuit Vlysses, vel prior scripta fuerit Ilias, an Odyssea. Quò spectare videtur etiam inanis labor eorum, qui scientiam alioqui non malam, aut etiam in alio probandam, tamen ratione status ab ipsis alienam quærunt, posthabita ea, cui vacare deberent; in qua re extat adhuc apud Blesensem

Epist.

Epist. 76. increpatio egregia Clerici senilem quoque ætatem in nugis poeticis conterentis, abiecto studio sacrarum literarum; & apud Themistium orat. 11. obiurgatio illa, qua filium Alexandrum corripuit Philippus Macedo, quod peritior esset canendi tibijs, quam regis filio congruum videretur.


At id quod præ cæteris graue in hac re est, imo deplorandum, quod tantoperè hæc sciendi prurigo quædam ingenia infestat, vt non inutilia modo, atque superflua, sed etiam non vestigabilia imò prorsus noxia quærantur, vijs etiam, & rationibus inconcessis. Sunt enim quidam qui Deum abyssum immensum tenui mentis suæ bolide pertentant infinitum conclusuri, & deficientes dum scrutantur scrutinio; Alij sunt qui futura, qui omnino occulta scire velint, alij qui tempora nouissima, & quæ non est nostrum nosse, disquirant, anxiè scrutantes quibus limitibus sit concludenda mundi duratio, quod nobis occultum voluit Deus esse; Alij qui rationes diuinorum operum, & consiliorum tentare audeant, & altiora se quærere; Alij denique etiam Dœmones ipsos detestanda curiositate non auersantur consulere, quæ omnia iure meritò appellat Saluianus genus temeritatis, & ignorantiæ sacrilegæ; harum enim omnium damnatarum, & reprobarum artium origo dicitur nimium sciendi studium, atque curiositas, quæ sæpè ad explendum hoc cupiditatis vitium media etiam vsurpat illicita, atque à recto longè aberrantia; vbi tamen studiosum virum monere iuuat non omnem rerum naturæ indagationem ad mores, & affectuum compositionem nequaquam relatam vitiosæ curiositatis labe sordere, quasi is sit vnicus modus legitimus, ac labis expers incumbendi in rerum illarum studium; cum non sit curiosa rerum inuestigatio adeò crudè accipienda, quasi quisquis quomodolibet aliquid inuestigans tantum vt sciat, vitiosæ curiositatis damnandus sit; sic enim omnes scientiæ speculatiuæ ad curiositatem reprobam pertinerent, quod tamen à vero alienum est; licet ex alio capite verum sit in ea studia incumbendum cuique esse, quæ cum eius instituto, & vitæ rationibus consentiunt, ac præsertim in animæ cultum, virtutumque exercitationem; qua in parte dicitur præiuisse omnibus exemplo suo Socrates, quem ait Dio Chrysostom. orat. 6. ex quauis sciendi materia Philosophicum sermonem, & ad virtutem cohortatorium desumpsisse.

Alterum studiositatis extremum omnino vitandum est ineptus sciendi torpor, & negligentia, ad quam excutiendam stimulus esse potest librorum lectio, & congestio, quæ solet sciendi cupiditatem in animo excitare; est namque vt scitè ait Cassiod. librorum lectio peritiæ mater; quemadmodum etiam ad studiositatis ardorem facilè comparandum summoperè conducit desiderium quoddam incognita pernoscendi, & curiositas videndi non visa, qua ratione Philosophi plerique apud Plut. in Solone peregrinationem suscepere, variasque peragrarunt prouicias ad inuisendos ar-

tium, & scientiarum magistros, quod semper doctrinæ lucro factum est, ac præsertim de Vlysse id testatum reliquit Homerus,

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

Atque de alijs pluribus qui vt ait Tyr. dissert. 6. modo ex Europa in Asiam nauigarunt, vt Ægypti situm, aut Nili ostia, aut altissimam Pyramidum molem, aut aues peregrinas viderent; quique Babylonis rudera, Sardianos amnes, Sepulchra Troiana, Hellesponti oras proprijs oculis spectarent.





LEX LXVII.

AD HOMINEM ERVDITVM.



NON eò dirigenda eſt à viro literarum cultore eruditio, aut alijs tradenda, aut etiam ab alijs aquirenda, quo eam dirigebant palliata illa vaniſſimæ gloriæ mancipia, veteres, inquam, Philoſophi, quorum præcipuum inſtitutum fuit, vtilitati iuuandi, placendi gratiam præferre, atque ſectatores ventorum totis velis blandientis vulgi fauonios excipientes, tum demum ſibi ſatisfactum putauerunt, cum digito præmonſtrari obtinuiſſent, audirentque dici, hi ſunt; illud Satyrici ſibi ipſis dictum arbitrantes,

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

non eſt hominis eruditi ſibi tantum ipſi propria eruditione laudes occinere, ne Traiani Imperatoris notam accipiat, quem herbam parietariam vocare Conſtantinus conſueuerat, quod in omnibus à ſe excitatis operibus ſuum nomen ambitioſiùs inſcriberet; vt non tam publicæ vtilitati, atque ipſorum operum perennitati, quam ſuæ commendationi ædificare videretur; eiuſmodi enim homines inanis tantum gloriæ aucupatores id tantum agunt ſuæ eruditionis oſtentatione, vt tenuiſſimè literati apud ſapientes audiantur, & quia ex multi tantum ſtudij ſimulatione, quod ſæpiùs in dies verbis, ac ſententiarum prolatione oſtentant, plauſus hominum captant, fucatæ tantum eruditionis fabula vocitantur. In quam ſententiam lepidum ſanè eſt, quod habet Seneca de Caluiſio Sabino ep. 37. qui cum apud hominum vulgus eruditus vellet haberi, hanc compendiariã excogitauit viam, magna ſumma emit ſeruos, vnum, qui Homerum teneret, alterũ qui Heſiodũ, nouẽ prætereà Lyricis aſſignauit; & poſtquam hæc familia illi cõparata eſt, cæpit cõuiuas ſuos inquietare, & cũ ab ijs ſubinde ſæpe peteret verſus, quos referret, ſæpe etiã in medio excidebat sũmo cũ adſtantiũ ioco: Haud certè minus deſipiũt indocti illi viri, qui vt eruditos ſe propalẽt, imperitiæ, & vanitatis crepitacula decãtãtur; cũ ſolũmodo quadã memoriæ fęlicitate aliorũ eru-

 ditio-

ditionem malè vsurpatam sibi vendicent, eo tantum nomine eruditi, quod alienam memoria tenus eruditionem possideant, quasi quod ementes Epicteti lucernulam cōtinuo Epicteti fiant, Æschyli, & Demosthenes existant, si eorum calamis, & pugillaribus vtantur; alia siquidē est literaria supellex quæ hominem eruditum facit; & quemadmodum barbam tantum promittere, atque philosophiæ personam gestare nō est philosophari, ita quosdam dumtaxat Ciceronis, vel Platonis, vel Senecę, vel Taciti textus plus ore quā mente ad pompam recolere non est eruditione exornatum animum possidere, cum ij sint inter Musas graculi, qui vt ait Seneca 2. de benef. obstrepera tantum ostentatione canori videri volunt

Vt solet argutos strepere inter Anser olores.

Duo sunt, quæ ab hominibus nec pecunia comparari, nec à quoquam mortalium donari, nec casu, vel hæreditate obuenire cuiquam possunt, virtus nimirum, & eruditio; vtrumque laborem, studium, ac maximam operam exposcit; nec satis est homini erudito affluentem librorum apothecam tenere, si desit mens necessarijs cognitionibus ornata; Insanus semper erit, qui Platonem, vel Hippocratem, vel Vlpianum, vel Homerum se venditat, quod eorum libros in Bibliotheca possideat; licet enim apud sapientes rerum æstimatores in confesso sit longoque vsu etiam satis compertum sit librorum variorum lectione eruditionem mirificè adiuuari, ita nihil fingi animo stultius potest, quam ex sola, atque otiosa librorum possessione velle aliquem sibi eruditionem comparare; quod enim Timothei tibiæ penes aliquem sint, vel arcus Herculis, non ideò statim pro Philoctete, vel Ismenia habendi sunt; Dorus quoq. Ciceronis libros suos vocabat, sed quia eos emerat, atq. in Bibliotheca scrutabat; atq. eiusmodi eruditis viris magnificè se ipsos in Bibliothecis circumferentibus velut rediuiui Caluisij Philonide indoctiores, qui ex eo tantum sibi plaudunt, ac gratulantur opinionem doctrinæ apud imperitum vulgus ob librorum copiam, & laxitatem Musæi, illud Luciani dici meritò potest; Nihil lyrę commune cum Asinis, persimiles etiam Asiano illi, cui cum pedes ex frigore putridi abscissi fuissent, ne vlcus serperet, vt aliquo saltem modo leniret dolorem suū, ligneos sibi conficiēdos curauit, quibus subligatis interim etiam seruis innixus incederet, in eo præsertim ridiculus, quod suis illis ligneis pedibus calceos tāta arte inducebat perfectos, quāta esse potuerūt, vel Darij persicæ, vel Socci Veneris, vel Iunonis cothurni, idq; imperitè satagebat, vt affabrè calceatus videretur.

Nō est tamen inficiandū, quod librorū copia eruditioni comparandę maximè prosit, nec alius sanè fuit extruendarum Bibliothecarum finis, quarum beneficium est vt eruditus quisque in omnium hactenus sapientum possessiones figere vestigium possit, & quasi scientiarum hæreditatem sibi relictam cernere; laborarunt quippe diù noctuque primi bonarum artium Inuentores, suæque pretium operæ, & ingentes thesauros nobis reliquerunt in librorum apothecis, quos cuique fas esset in suos conuertere, eoque

eoque tantum labore ingenuarum disciplinarum cultores feuerunt nobis, vt abundè suppeditarent; quod in horreum memoriæ conderemus, quo mentes eruditione pascerentur; Inde assidua librorum pertractatio, qua optimum eruditionis genus comparatur dicta est illustris illa Phæbi cortina, qua sapientiora adeuntibus funduntur oracula, vel ipsius Mineruæ apotheca, vel celebre Mercurij Salinum; vnde candidissimos sales promunt omnes facultates, & scientiæ, ac propterea nulli mirandum esse debet, si M. Varro eruditissimus anthonomasticè appelletur, cum in librorum lectione fuerit semper assiduus; fieri enim haudquaquam potest vt acer animus, & solers torrentes eruditionis legendo ebibat, atque etiam illico inde eruditæ sapientiæ flumina profundat, cum ea lectione ita incalescat, atque afficiatur animus, vt diuino quodam Numine afflatus videatur; atque ex eo (vt ait Tullius) intelligentiam suam in aliorum eruditionem excutiat, & conetur iuxta illud Maronis haud obsimile de Sibylla

——— totum si pectore possit
Excussisse Deum

est namque eruditio bonorum librorum volutatione accepta velut illuminatio quædam, quæ licet ab alio corriuet homine, in alios tamen abundè transfunditur, vt propterea omnibus sapientiæ candidatis illud dictum sit, quod Nepoti suo scripsit Ausonius

Perlege quodcumque est memorabile &c.

idque præcipuum est haustæ per libros eruditionis, vt non solum quisque ætatem suam benè tueri, verum etiam omne æuum suo adijcere possit, & quidquid annorum ante nos factum est, nobis ipsis aquirere, atque inter res pulcherrimas ad lucem alieno labore erutas semper detineri.

Nullæ sanè sunt epularum, aut ludorum, aut aliarum quarumcumque illecebrarum voluptates cum literarijs eruditi viri voluptatibus comparãdæ, idque ex eo maximè innotescit, quod præ illis vix vllæ erudito viro placere possunt; quibus vt diutiùs indulgeat, sõni parcissimi esse solet, leuissimos cibos appetere, atq. à cæteris voluptatibus abhorrere; cum nihil fingi delectabilius possit, quam eruditum hominem in suis studijs ita voluptuosè immotũ sedere, vt tamen vniuersum mente permeet orbem, quidquid vspiam præclarum, & excellens est, intelligentia inspicere, regnorum ortus, progressiones, inclinationesque ex eruditione, tamquam è specula cõtemplari, videre tot naufragia sine metu, tot bella spectare sine periculo, abditiora terræ viscera sine fatigatione rimari, ingredi principum ædes sine repulsa, subire tẽplorum sacraria sine sacrilegio, sapientum consilijs interesse, absq. censura; E Stoa pro libito in Academiam transire, ex Academia in Lyceum, Zenone, Socrate, Platone, Arist. Pythag. Epicteto, Seneca, Theophrasto, & reliquis eiusmodi insignibus viris familiarissimè vti. Quid iucundiùs quam circumfusum libris delibare quidquid est in Grãmaticis accuratum, in Epicis amænum, in Tragædis sentẽtiosum, in Comædis festiuum, in Lyricis excultum, in

Satyra falsum, in Epigrammate acutum, in fabula ingeniosum, in panegyri elegans, in historia varium, in eloquentia sublime, in philosophia reconditum, in medicina necessarium, in iuris scientia vtile, in Mathematicis admirabile? & quod maius est inter tot voluptates omnium Ecclesiæ Procerum delitijs frui, nimirum Ambrosij Ambrosia, Augustini suauitate, Hieronymi succo, Gregorij nectare, Tertulliani medulla, Bernardi nardo, Eucherij melle, Chrys. aureo imbre plenis faucibus oblectari? Habent enim hoc literariæ eruditionis oblectamenta, vt etiam sępius repetita non displiceant, nouamque sibi subinde creent in ipsa satietate appetentiam, cum tamen alijs in rebus cuilibet magnæ voluptati fastidium finitimum sit; Quin eruditi quidam viri custodiæ traditi à Tiberio Cæsare extremi supplicij loco sibi esse putabant, ac se propè viuentes efferri, spirantesque infodi, quod sibi præter ereptam libertatem, studendi quoque solatium ademptum esset, sine quo omne otium mors sit, ac viui hominis sepultura; ex quibus benè aiebat Lucretius lib. 2.

Suaue mari magno turbantibus æquora ventis
E terra magnum alterius spectare laborem
Sed nil dulcius est benè quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena.

At licet ea quę ex bonorum librorum lectione percipitur à nullo sapiente in viris eruditis damnetur, nihilominus sicut reprehenderetur velut intemperantiùs edens, qui solius oblectationis causa cibis vesceretur, ità redarguendùs ille esset, qui librorum lectionem, atque eruditionis studium ad solam animi voluptatem reuocaret; ait enim Plutarchus, erudito viro dandam esse operam vt in audiendis, aut legendis libris ità assuefiat, vt non solum quod delectabile est, sed quod vtile, & salutare sectetur; vnde malè audiere quondam Græci illi qui Platonem aut Xenophontem sola eloquentiæ gratia pellecti lectitarunt; debet siquidem omne literarum studium in rectam morum, & vitæ conformationem dirigi; Habent namque etiam Plato, Plutarchus, Xenophon, Isocrates, Aristoteles, Tullius, Theophrastus, Pythagoras, Trismegistus, Seneca, Epictetus, tam acres ad virtutem stimulos, vt mentes eruditorum excitare semper ad bonum queant, atque ad honestatem erigere; ac tanta vi plerumque sententiarum fulgura vibrant, vt rapiant affectum, inuitosque, & reluctantes trahant, quo velint; Quorum nonnulli (quod de Seneca dicebat Caligula) licet videantur meras nugas in eruditione componere tale tamen veritati doctrinæ semper robur adnectunt, quo possit in agendo honestus suaderi; quod præsertim testatur Aristoteles, cum ait ad hoc natam esse Philosophiam, & Poesim, vt hominum mentes carminis suauitate delinitæ ad virtutis amorem, & consectationem faciliùs inducerentur; & quod Poesim attinet, quæ à Strabone dicta est eruditionis parens, constat satis eruditum virum ex Epico carmine præclara intelligere Heroum facinora, quæ sibi, & alijs ad imitandum proponat

ponat, ex Tragedijs insignes principum calamitates, quibus admonentur rerum domini, vt nihil humani à se alienum putent, aureamque virtutis mediocritatem ament, ex Comædijs, quæ salibus, & iocis indulgent, variosque priuatæ vitæ retexunt euentus, humanas nugas prorsus deridendas velut è speculo intueri; ex Lyricis denique, Satyricis, Elegiacis versibus metam sibi præscribi, qua in amorem virtutis, atque in odium vitij semper collimet; quapropter Euripides interrogatus ab Æschylo apud Aristophanem, quæ esset præcipua poeticæ laus, & commendatio? si id efficiat (dixit) vt homines fiant eius lectione, & tractatione meliores; & hoc solo fine vt probus euaderet, compulsum se à parente suo totum Homerum perdiscere testatus est Niceratus in Xenophontis conuiuio.

Id vnum tamen in suæ eruditionis ostentatione cauendum est summopere erudito viro, ne in fatuam eorum sententiam abeat, qui apud Dionem, & Platonem dicebant, omnia nouimus; quæ sanè sententia ab ea valdè aliena est, quam debet eruditus cum Socrate profiteri, vnum scio, quod nihil scio, quemadmodum etiam eò vecordiæ nefas esset erudito procedere, quò processit nescio quis Euthydemus, qui in ostentanda eruditione suæ cauebat diligenter, ne quidquam videretur à quoquam accepisse, aut didicisse; habent enim isti, qui se profitentur omniscios egregium suæ vanitatis castigatorem D. Gregorium Nyssenum, à quo iubentur vel formicæ naturam declarare, si suæ fidem venditationi adstruere velint; & quam exiguum illud sit, quod è singulis scientijs indipiscimur, satis probant ea, quæ semper ignoramus; imo quo quis eruditior, ac sapientior erit, eò liquidiùs intelliget, quam breuis sit obtutus noster, vt omnia quæ ad scientiam, & eruditionem spectant in longinquo posita, queat intueri; cuius eruditæ ignorantiæ perfectionem Lactantius summopere commendat in Socrate, qui sæpè fatebatur infinities plura esse quæ nesciret, quam quæ sciret; quemadmodum etiam ex eo laudatus est Ennodius quod illud Oliberio sæpius repeteret

Tu cælum teneas, me terris linque quietum
Qui solum noui, quod benè nil didici.



LEX



LEX LXVIII.

AD

HOMINEM SAPIENTEM.



EA est Sapientia vera, quæ formam à virtute nanciscitur, fuit Cleanthis effatum apud Senecam Epist. 50. Id quoque suadere nititur Clemens Alex. 1. Strom. ex Epicuro, qui licet Sapientes Maximos in India repertos, Aristippum quoque Cyrenæum, & Diogenem Sinopensem non ignoraret, asseruit tamen Sapientiam illi parem non inueniri, quæ in Græcia nasceretur, vbi Minos Iouis contubernio dignatus virtutis dictaret iura inuiolanda. Inde de Mercurio, qui Numen etiam sapientiæ habitus est, circumfertur adagium; Non ex omni ligno Mercurius, eoque latus est Platonis intuitus in 6. de Rep. cum ad veræ pertingendum sapientiæ culmen indolem veri flagrantem exposcit, non illiteralem, non morosam, non superbam, non immoderatam, non pusillanimem, non iniustam; eodemque respiciunt tam varia apud Stoicos exorta de sapiente effata, Sapientem non ignorare, non opinari, non mentiri, non peccare, non iniuria affici, sed esse perturbationum expertem, pulchrum, nobilem, Regem, Deo parem; Ideo nihil firmius esse contestatur Lucretius

benè quam munita tenere
Edita doctrina sapientum templa serena.

Et Horatius ipse quærens hominem ex virtute sapientem Od. 24. hæc habet

Incorrupta fides, nudaque veritas
Quando vllum inuenient parem?

Ea quoque sunt, quæ Cebes Philosophus ille Thebanus ex Pythagoræ Parmenidisque decretis nobis exposuit, dum lineata sapientiæ simulachra omnibus spectanda proposuit, cum enim intrà circulos quosdam, & Zonas viros sapientia præstantes inclusisset, eos dumtaxat fecit veros esse sapientes, qui à fucatis atque inutilibus artibus retrocedentes ad septa virtutis, quę minimè fallens est animi disciplina, progrederentur; eiusmodi annuens

linea-

lineamento, eam solummodo studiositatem veræ sapientiæ nomen obtinere, qua nullo modo irrepetente vitio, nulla dominante animi perturbatione, tota eiusdem animi vis virtuti destinatur; Id satis primi nostri parentis exemplo confirmante, qui licet omnium sapientissimus vix primæuum virtutis exuit nitorem, sentientis facultatis parens impulsibus, orantisque apri exaudiens lenocinia, statim ignorantiæ caligine obuolutus miserrimam subijt viuendi consuetudinē, hæc satis apertè enūciante Mario Vict. in Genesi

His illata dolis, hoc crimine nata subegit
Mens hominem, culpa in cunctos manante minores
Quæ semel antiqua pulsis virtutis ab arce
Multiplicem lauta porrexit strage ruinam.

Inde à veræ Sapientiæ meta deflectere, longeque aberrare dicti sunt ij omnes, qui dum in finem virtutis contendunt, aut in medijs halucinantur ad finem, aut in ipso decipiuntur fine, ex quo insipientiæ crimen irrepit; quo præsertim notatum crimine profert Max. Tyr. ser. 22. Regem illum gentium supra Phenices incolentium qui ex Ægypto ad Troiam transfretare decernens, immensam propè construxit nauem, quæ non satis esset ad motum, licet fortasse satis ad vniuersas simul deportandas voluptates. Is vt erat maris prorsus ignarus, partem illius nauis curauit vt assurgeret in Regiam, vbi conspicui thalami lectis auro gemmisque instratis viserentur, cuius etiam limen egressis pomaria occurrerent longè latèque porrecta, malis consita punicis, vitibus, pomiferisque plantarijs; Alteram nauis partem balnea cum gymnasijs occupabant, vbi non deerat quoque popinam cernere, cænacula, totius integræ vrbis officinas. Nauis tota iucundis depicta coloribus gratissimum præferebat aspectum, aurumque, & argentum per multum ostentabat. Eam admirantes Ægyptij Vectorem beatissimum prædicabant, nec erat, qui ad tam festiuæ nauis obsequium non optaret adscribi. Sed vbi soluendi tempus aduenit, vix vasta illa, & sumptuosa nauis egressa est effigiem gerens insulæ fluitantis, oborta repentè tempestate deprehensum est quantus error dementatam illius insensoris mentem inuasit, dum insipientia duce medium ærumnosum à beatitate longè dissitum ad nauigandum elegit, quo solummodo beatitas ipsa iactaretur, atque inter tot illecebras periclitaretur; videbatur namque nauis illa vastum hominis corpus ebrietate grauatum, labantibus vndique vestigijs incedens, in quo omnia quæ prius stupenda visa sunt, grassante tempestatis furore vertuntur in luctum, & miseriam. Id egit (inquit Max. Tyr.) veræ sapientiæ defectus, quo media beatitati aut fini importuna selecta sunt; quemadmodum etiam Xerses Ioui beatitudinem contendens Europam cum Asia lignis ad similitudinem pontis contabulatis velut vinculo coniunxit, ignorans mobilem adeo atque nutantem tramitem posse facilè euerti, atque beatitudinem illam nimirum inconstantem facillimè conuelli.

Non

Non attingunt alij veræ ſapientiæ metam, ad quam humana deſideriâ feſtinanter anhelant, quoniam in ipſo exerrant ſapientię fine, atque in eiuſdem halucinantur amplexu, dumque ſitim conantur extinguere

Inſpergunt tantum labia areſcente palato.

Imò liquorem delibant, qui iucunditatem magis adſtruit bibendi: Ob quam cauſam Artaxerſes, cui priùs Aſia viuendi delitias conferre non ſuffecerat, tunc ſolum ſe beatum conteſtatus eſt, cum victus ab hoſte ex fuga pernoctans in tumulo à Mardis fercula accipiebat, & pocula ad menſuram, quibus mendicantis more victitaret in diem; Eodemque inſipientiæ morbo laborans Rex Phrygum omnia inaurata fieri peroptabat, quibus fame rerumque inopia periret.

At ſapientia iura homini edictante, id ſolum eſt bonum naturæ flagranti propoſitum, quo appetens facultas nulla ratione decipitur, omniſque face præmiſſa à mente faceſſit error; ex quo ſcitè aiebat Phocion ex Athenienſis Accademiæ doctrina, Sapientiam eam eſſe in homine virtutem, quæ quidquid rectè exoptet homo, potens eſt dare; addebatque ſextus Empyricus ex placitis Stoicis appetitiones Sapientiæ, & virtuti congenitas Sapientia ipſa, & virtute ſuper impleri. Fit omnia quæ intelliguntur intelligens, docet Ariſtoteles; Fit omnia quæ appetuntur, ſapienter appetens, dicit Pythagoras. Hùc reſpiciebat Alexander cum templum Ammonis Patris ingreſſus nil aliud petebat ab Oraculo, quam de Nilo noſſe, quo loco fluendi exordium capiens decurreret in Ægyptum, Nilus namque fontem atque bonorum omnium originem exprimebat, qui eſt ſapientia fluxu multiplici diuinitùs propagata.

Hinc iure inter Platonicos, & Peripateticos orta eſt contentio illa nùm aliquis homo queat beatus eſse, qui tamen ſuam non ſapiat aut intelligat beatitatem; ſi enim poſſet ſine ſapientia beatitudo inueniri, non eſſet ſapientia ſuprema illa virtus quæ hominem beatum facit; licet enim beatorum numero adſcribãt Platonici etiam ſuam ignorantes felicitatem, quemadmodum, inquiunt ipſi, adhuc pulchrum eſſe, & formoſum qui de ſua forma, & pulchritudine nõ cogitat; Ariſtoteles tamen qui felicitatem in actione conſtituit, rectius affirmat nullum hominem beatum fore, qui ſuam beatitudinis actionem ab obiecto exſaturante prodeuntem penitùs ignoret

Non eſt beatus, eſſe ſe qui non putat

ait Comicus, & Virgilius ipſe non tam beatos cenſuit agricolas ſi larga bonorum copia affluerent, quam ſi eam noſcerent, neque ingrato oculo deſpicerent

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint
Agricolas.

Ac proinde nullum eſse pretioſius bonum ſtatutum eſt apud Pythagoricos, quam illud, quod intellectum ſimul humanum, & voluntatem exornaret, nullamque eſse perfectam luminis ſapientiam, vbi ſciendi ratio ab ipſa

virtu-

virtute dissociaretur; hacque sola ratione Metopus, & Theages scientias bonorum omnium fontes appellarunt, cum inter eas potiorem obtineat locum notitia illa, qua homo sciens sui, suique status non ignarus vulgò perhibetur; & ob id Palladem, & Mercurium velut potiora Numina hominem patrocinantia adorauerunt Athenæ; ob id Heraclitus Ponticus scientias dixit esse Intelligentias quasdam semper stantes cælestes orbes immoto pede iugiter circulantes; ob id denique sapientiam quam scientia pareret virtuti sociata, præstantius vitæ bonum Peripatetici omnes confessi sunt, eamque esse inuincibilem hominis loricam vates ipsi cecinere, hæc de Chelia Virgine proferentes

Cur tranauit aquas Tyberinaque flumina Virgo
Cui populus statuam posuit Romanus equestrem
Chelia, quo Clypeo Fuscum, quibus ensibus hostem
Vicit, et lorica fuit, Catapultaque virtus.

Et sanè tanta est sapientiæ præstantia consociata virtuti, vt ex vtraque euehatur sapiens ad supremam illam vitæ regionem, in qua semper beatè viuitur, agitur benè; eamdem enim Sapiens vbiuis naturæ faciem, maiestatemque deprehendit; idem vbique Cælum intuetur, eumdem Solem, eamdem Lunam nullis infuscatam aut minoratam Eclypsibus, easdem semper tot syderum choreas harmonico concentu semper benè dispositas. Occurrunt ipsi vbique locorum consimiles montes, valles, planities, fluuij, fontes, arbores, herbæ, lapides, animantes, homines, vrbes, & dum tam vasto agitur animo non vnius regionis se ciuem agnoscit, sed totius mundi; & quocumque venerit, ibi se versari vt in patria putat; adeoque liber, ac sui iuris dicitur esse, vt nullo concludi ergastulo possit, nullis mænibus capi; & hac libertate tanto tranquillius vtitur, quanto conclusus carcere corporis animus, euolat altius, & mentis velut Cæli serenitate apricatur; idque omne Sapienti sola virtute, & sapientia paratur.





LEX LXIX

AD

HOMINEM SOLERTEM.



SOLERTIA hic ea non est, quæ passim, ac penè vulgo solertia nominatur, nimirum industria, vel perspicacitas, vel ingeniorum subtilitas, & acumen; licet enim etiam homines eiusmodi industrij, subtiles, ingeniosi, & perspicaces solertes in aliquo genere appellentur, quemadmodum etiam solertes appellat venatores Plinius, solertes machinatores Tullius, solertes bellatores Liuius; eiusmodi tamen solertiæ nomen ita commune non benè adaptatur illi prudentiæ parti, quam nos hoc loco in homine describimus, qua nimirum homo ad coniectandum ea, quæ ad ipsum spectant in quocumque statu, velox, ac celer ingenio est; cum enim prudentia non semper, quæ eligenda, ac facienda sint, aperta ratione videat, necesse habet quodammodo diuinare, eaque assequi diligenti adhibita rerum coniectatione; quapropter non sine ratione solertia à sapientioribus prudentiæ ars præstantissima dicta est, quæ omnes bonas in agendo parit, ac dirigit artes, & Claudianus ipse loquens de solertia lib. 3. ea protulit

Prouocet vt segnes animos, rerumque remotas
Ingeniosa vias paulatim exploret egestas
Vtque artes pariat solertia, nutriat vsus.

Sicut enim illa, quæ res agendas acutè introspicit, ac benè rimatur intelligentia dicitur, quæ est primum prudentiæ decus, sic ea quæ in rebus maximè dubijs medium facilè, ac confestim inuenit, iure potior prudentiæ ars est appellanda; Et licet optimum in agendis consultationis genus illud sit, quod non semper celeri deliberationis motu festinat, cum sæpe tamen incidant tempora, quibus ex improuiso capiendum est consilium, nisi præstò solertia sit, benè deliberari extemplò non potest, ex eo, quod interdum res ipsa, de qua consultatio aut deliberatio esse debet, moram, ac tarditatem non patiatur, sed etiam aggressionem postulet, atque in agendo velocitatem;

tem habet namque prudentia duplex quodammodo subsidium, & quo cunctanter,& quo celeriter agendo muneris sui partes impleat, & numeros; nec minus Q.Fabius habitus æuo suo prudentissimus à cunctatione prudentis famam accepit, quam Iulius Cæsar laudem suam à celeritate; videbat enim ille cum Annibale sibi rem, quem sola cunctatione ab Italia depellendum existimabat; & videbat hic bellum se gerere cum Gallis acerrimis, atque celerrimis, qui nullam sibi permitterent consilij tarditatem; hisq. duobus velut intermedius adnectebatur Scipio, qui nunc mora, & cunctatione, nunc festinatione, ac celeritate sapienter vtebatur, cum tamen vna esset, & eadem in omnibus prudentia, quæ & Q.Fabium de cunctatione monebat, & Iulium Cæsarem ad festinationem incitabat, & Scipionem ad vtramque pro loco, & tempore hortabatur.

Res verò solerter agendæ sic se hàbere debent apud prudentem virum, vt antequam agat, præterita per memoriam recolat, futura per prouidentiam anteuertat, & ea quæ res ipsas agendas comitantur, per circumspectionem vndique peruideat; circumspectio namque quæ vsum solertiæ, & prudentiæ præstat optimum,metitur singula, quæ rem circumstant, & quid sequendum,quid fugiendum sit,quid prodesse,quid abesse, quid commodi, vel incommodi existere possit, diligenter explorat; hæcque considerata animi ratio ad Principes præsertim, vrbiumque,regnorum, ac rerumpub. rectores spectare videtur; sicut enim optimus gubernator plagas omnes cæli circumspicit, vt ad omnem ventorum vim, ac tempestatum motus paratus adsistat, sic Princeps per solertem circumspectionem omnes aduersãtis fortunæ impetus facilè eludit, Martis dolos ac furores ingruentes deuitat, nihil denique pænitendum per inconsultam temeritatem agit; qua virtute, cum destitutus prorsus fuerit in bello Cimbrico Q.Cepio Consul, dictis solertissimi ducis Metelli renuens obtemperare, vno prælio octoginta Romanorum millia cædi,& occisioni tradidit; furentes enim Imperatores ac Duces, qui non solerter agunt, nec agenda circũspiciunt, facili negotio hostiũ excipiũtur insidijs rerumq. summam summis periculis obijciunt; cuius rei etiã testis esse potest C.Flaminius, qui fauente plebe Consul factus tanta elatus est insania, vt nihil nisi de certamine cogitaret; quẽ cum Pænus cerneret nihil circumspicere,sed omnia inconsultè solis viribus, & audacia peragere, ipsum cum exercitu suo ad Trasimenum lacũ insidijs excepit, & funditus profligauit; qua clade Romani cõterriti, Fabium solertissimum ducem ac valdè circumspectũ opposuere, vt Annibalis exultantiam cõprimeret, & sola solertia, ac circumspectione triumphum ageret de quo benè Silius Italicus lib. 7.

At ni sacra seni vis, impressumque fuisset
Sistere cunctando fortunam aduersa tuentem
Vltima Dardanij transisset nominis ætas.

ex qua prudentiæ parte præ cæteris in Fabio affulgente non veretur idem Silius Italicus eum cunctis Imperatoribus Romanis præferre, cum subdit

Hh Sum-

Summe Ducum qui regna iterum labentia Troiæ
Et fluxas Latij res, maiorumque labores
Qui Carmentis opes, & regna Euandria seruas
Surge, age, & meritò sacrum caput insere cælo.

licet enim populus Romanus animaduertens ex lento Fabij certamine Punicum furorem solum aliqua ex parte esse compressum, ac propterea statuerit Fabio Marcellum pugnacissimum virum, sed non adeò solertem, ac circumspectum adiungere, multò tamen magis esse æstimandam in Principe circumspectionem, quam audaciam, euentus ipse facilè indicauit, cum Marcellus licet quinquies Consul, & quadragies victor, tandem Annibalis insidijs circumuentus perierit.

Ideo etiam eiusmodi solertiæ, & circumspectioni iure finitima dicitur etiam prouidentia, quæ est alia prudentiæ pars solerti viro admodum opportuna; dicitur namque prudens vir, quasi procul videns; prouidentia quippe res in longinquo positas, & futuras videt; ac propterea, docet Plinius, ex hac parte prudentem prouidum, ac sapientem vno nomine vocitari; quæ nomina coniunxit etiam Tullius in Oratore cum ipsum prouidum simul ac prudentem appellauit; Quia vates, & Poetæ ipsi Sapientes à prudentibus, atque prouidentibus viris nunquam distinxere, vt patet apud Tibullum El. 5.

Tu procul venturà vides, tibi deditus Augur
Scit benè quid fati prouida cantet auis

Et Epicurus tanti in homine solerte prouidentiam fecit, vt ipsa donatum, atque ornatũ hominem Numen esse arbitraretur, cum etiam putauerit primum Diuinitatis fętum prouidentiam fuisse; nec sanè quippiam est, quod maiorem mortalibus vtilitatem afferat, quam prouida futurorum euentũum coniectatio cum ex ipsa sola Numa Pompilius tantam acceperit famã fortisque magnitudinem, vt ex priuato ac penè rustico viro Rex Romanorum euaserit, remque postmodum Romanam summa felicitate propagauerit.

Solerti tamen viro prouidentia, ac circumspectione velut nobilioribus prudentiæ partibus exornato, versutiæ seù astutiæ crimina, quæ dolo, ac fraude potissimum perficiuntur, summopere cauenda esse monet Aristoteles 1. Magnorum Moral. cap. 33. cum ad astum siue versutiam pertineat fallentes solummodo inire vias, opertas tamen, & fucata quadam honestate contectas; ac propterea ait Tullius 1. de Offic. Cleomenem Lacedæmonium versutum quidem fuisse virum, non solertem, quo tempore cum Argiuis aliquot dierum pactus inducias, tertia post pactum nocte ijs dormientibus aggressus est agros; quibus expostulantibus, ac perfidiam obiectantibus, respondisse fertur, se noctes cum diebus nõ esse complexum; quas etiã fraudes Thraces sæpè cũ Bœotijs bella gerẽtes adhibere solebant; quemadmodum etiã hùc reuocandũ est apud Val. Max. lib. 7. de Q. Fabio Labeone, quem cum à Rege Antiocho deuicto, ex icto fœdere dimidiã partẽ nauiũ

eius-

eiusdem Antiochi deberet accipere, singulas illas naues ferunt dissecuisse medias, vt Antiochum tota Classe priuaret; quos cauillos, & dolos siue in verbis, siue in factis adhibitos meritò Plautus Sutelas appellat, quia pactionibus, & conuentionibus semper aliquid commenti, atque mendacij addunt, & quodammodo assuunt, vt quadam veri specie tutiùs conuenientes decipiant; quapropter prudenter Romani solemni iurisiurandi formula prospicere dolis eiusmodi voluerunt; eos enim qui iurabant, confirmare disertè, conceptisque iubebant verbis ex animi sui sententia, hoc est simpliciter, & nudè se iurare, vt malitiosa omnis interpretatio depelleretur; quod luculenter exprimit Tullius tum in Academ. tum etiam lib. 3. off.





LEX LXX.

AD

HOMINEM

AMICVM.



MICITIA, quæ non exigua animi virtus eſt, & cuius cauſa (inquit Max. Tyr.) homines ſummoperè Deos ipſos imitantur, ibi firmiùs ſtatuenda eſt, vbi hominis ſimilitudo cùm Dijs clarior eniteſcit, hancque nanciſcitur homo feliciùs, ſi eiuſdem virtutis legibus, & decretis circumuallatus, Amici munere fungatur vt par eſt; Ex quo iure Dio Chryſ. in or. 5. de regno eum dumtaxat deprędicat Amicum, qui diuina quadam ſorte nobis obtingens id prorsùs agit in rebus Amicorum ex dilectione ſuſceptis, quo Deus ipſe quodammodo exercetur, nimirum, vt plura ſimul in gratiam Amici vno perficiat tempore, de multis ſimul conſilium capiat, multa experiatur, multiſque denique inueniatur locis. Cuius rei cauſam eam ſcitè reddit Tullius in lib. de Amic. quod nimirum Amicorum idem ſit velle ac nolle idem, vt vnuſquiſque Amicorum tantum habeat in Amico quantum in ſe ipſo; Atque eiuſmodi nexus diuina propè priuilegia oſtentantis, vnius nimirum Amicorum animi pluralitate multiplicis, lociſque diſterminis etiam ſine ſui ſecretione diſtenti euincit egregiè dictum Epaminundæ Thebani apud Plutarchum qui dum eſſet Imperator id ſæpiùs repetebat (ò duram ſortem ſimul imperare, & velut mancipium conijci in vincula) innuens inter carceres Alexandri Pheræorum Tyranni ſe vinculis detineri, donec Pelopidas detineretur, quem maximo amore proſequebatur; quo etiam factum eſt, vt cum ei facilè eſſet ingenti vallatus exercitu Tyranni vires euertere, metuens tamen, ne rebus aduerſarij in deſperationem actis, ira omnis, & plaga in Amicum effunderetur, lentius bellum proſequutus, circumagendo, & cunctando Amicum ſeruauit

incolumem; parque huic veræ amicitiæ elogium videtur concinasse Silius Italicus loquens de Mario, & Caspro quos amicitiæ nexu commemorat illustrissimos

—— Sacro Iuuenes Præneste vocati
Miscuerant studia, & iuncta tellure serebant
Velle ac nolle ambobus idem, sociataque toto
Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus
Occubuere simul votisque ex omnibus vnum
Id fortuna dedit iunctam inter prælia mortem.

In qua re licet affirment Stoici ex eo potissimum veræ amicitiæ laudem decerpi, quod amicitia virtute firmata, nullis mutetur amicorum aduersis, nullaque amicos diuexante fortuna succumbat dilectoris animus, cum debeat esse diligentis animus quodammodo virtutis studio ad quamdam impassibilitatem deductus, & extrà Amicorum ærumnas ni per sensum, saltem per rationem constitutus; ne nos tamen à vero in vera amicitia delineanda aberremus, non ità Stoæ in hac re est adhærendum, quin etiam cum Accademicis, & Peripateticis sentiamus Amicum, licet fortassis in parte hominis principe iugiter immutatum Amici infortunijs quoquo affici modo debere; id namque exigit pensum Amicitiæ amor, quod & in secundis lætitia aggeretur amicis, & in aduersis tristitia, & dolor afferatur, id satis probante Achillis, & Patrocli exemplo, quos Seneca ex hac animorum necessitudine tum in aduersis, tum in prosperis fecit esse in amore præclaros.

At sanè quædam sunt in quibus, neque in gratiàm Amici est commouendus Amicus, aut ab ijsdem ammouendus, eaque sunt quæ honestatis finibus, ac legibus concluduntur; nulla siquidem Amico scelera aut facinora perpetranda sunt, vt opituletur Amico quamuis extrema patienti; quod præsertim edocuit Pericles Atheniensis egregius planè vir, omnibusque disciplinis ornatus, qui rogatus ab Amico vt pro re sua parumper à veritate recederet, his in eum vsus est verbis (testante Gellio in lib. 1.) oportet me quidem Amicis gratificari, at vsque ad aras; vnde postmodum ortum est adagium, vt vult Plutarch. in lib. de inept. verecun. Amicus vsque ad aras; olim namque qui iurabant, manu tenebant aram, quod demonstrat Latinus apud Virgilium qui iureiurando sic obligat fidem suam

Tango aras, mediosque ignes, & Numina testor.

neque id sine ratione enunciari putandum est; cum enim Amicitia, quæ virtus est, velut in metam collimet in honestatem, numquam inter Amicos honestas ipsa deserenda est; hæcque namque duo (docebat Pythagoras apud Ælian. lib. 12. variar. histor.) hominibus data esse diuinitùs, primùm honestatem, & veritatem amplecti, deinde beneficijs, & Amicis operam dare; Idque in Phydiæ simulachro expressum est apud Ethnicos

in quo amor sub forma viri expressus primam veritati, quæ Virginis specie effingebatur, porrigebat manum, vt planè intelligeremus.

Haud arte tantam pictor vllus assequi
Statuariusque pulchritudinem queat
Tantum decorem Veritatis quantus est.

Hinc veteres omnes sapientiores Veritatem ipsam Amicitiæ præferebant, tum ptopter dignitatem subiecti, nam Veritas semper constans in intellectu moratur, Amicitia semper mobilis in voluntate mutatur; tum propter æternitatem principij, nam Veritas solum à Deo fluit infallibili; Amicitia etiam ab humano dependet arbitrio, quod fallax est; Tum propter excellentiam obiecti nam Veritas mentem rapit in beatitudinem, quod sæpè non præstat Amicitia; Tum denique propter simplicitatem, Veritas enim omni vacat affectu, Amicitia verò ijs maximè distenta conspicitur. Eaque propter eos in hac re non ineptè loquutos accipimus, qui aiunt Amicitiam à Veritate lumen suum velut à sole mutuare, cum amicus ille qui ab alio sine Veritate diligitur, diligatur sine splendore, inter tenebras obambulans, quemadmodum Antipatro roganti vt aliquid promeret in sui gratiam alienum à vero, optimè respondit Phocion, nequis Antipater in lumine, & in tenebris ambulare, hoc est Phocione vti adulatore, & amico; Eaque etiam causa erat Anaxagoræ æuo vt quamplures essent Veritati aræ dicatæ, ad quas nocte confugere nefas erat, confugientes verò ad illas aras, falsitatis criminibus, quibus essent obnoxij, purgabantur.

Quo prorsus modo etiam apud Veteres Legumlatores Iustitia ipsa, licet virtus celeberrima Amicitiæ posthabita est, quod ex eo euincit Aristoteles, quod Legumlatorum studium potissimum in Amicitia inter ciues fouenda, quasi in vno ad ciuitatem continendam remedio laborabat; saluа namque Amicitia putabant ipsi nullum esse Iustitia opus, nemine in iniuriam alterius prolapsuro; cum è contra incolumi etiam seruata Iustitia possit adhuc Amicitia desiderari. Ex quo etiam inferebant sola Amicitiæ virtute seruata neminem inter ciues improbum fore; sicut etiam, & hoc fuit Aristotelis decretum in lib. 8. Ethic. cap. 4. Veram Amicitiam solummodo inter laudatos, ac probatos viros esse posse, cum semper Amicitia in bonum collimet honestum; & licet Aristoteles ipse videatur docere etiam bonos viros posse quandoque prauis amicos esse aut propter vtilitatem, aut propter voluptatem, eiusmodi tamen Amicitia spuria, atque adulterina vocanda est; non enim vmquam vir probus tradet se totum homini prauo quemadmodum postulat Amicitia, cum probus, & improbus moribus dissimillimi sint, & quorum dispares mores sunt, disparia quoque esse studia necessum est, vt ait Tullius. Quin Plato ipse apud Apuleium lib. de philos. Amicitias sola voluptate aut vtilitate innixas ca-

xas calamitates animorum vocat; nec aliud est tam frequens apud Stoicos decretum quam eiusmodi dissimilibus fœderationibus nomen,& decus Amicitiæ abrogare; atque ob id inter pares dumtaxat, ac similes Amicitiam statuebant, quod saltem intelligebatur apud ipsos de morum similitudine, cum adhuc sub lite an inter inferiores, ac superiores amicitiæ fœdus firmari possit.

Quæ verò debeat Amicus Amico velle atque peroptare non ità in aperto posita sunt, cum enim ex vna parte amicorum sit idem velle, idemque nolle iuxta id quod docet Aristot. in 2. Rhet. & Tull. in lib. de Amicit. atque Amicus ille sit, qui ità cum Amico voluntate coniungitur, vt alter ipse dicatur, id videtur apertè postulare, vt Amicus Amico maxima bona velit, eademque proculdubio quæ alter sibi ipsi expeteret, & maximè cuperet. Ex altera verò parte cum Amicitiæ lege diù iam statutum sit Amicorum neminem id Amico velle debere, quod dissoluat, & perditum quoquo modo Amicitiam eat, atque adeo plurima bona sint, ex quibus Amicitiæ dissolutio sequatur, fit inde non omnia bona videri Amico expetenda; docet namque Aristot. lib. 8. Ethic. Amicitiam solui, & interire, si magna incipiat esse distantia, hoc est, inæqualitas inter Amicos, quæ sanè sequeretur, si alter Amicus bona summa, & maxima nancisceretur; quapropter Amicus prudens non debet Amico velle summum aliquod bonum, quod ipsum ab hominis conditione extrahat, cuiusmodi esset diuinitas, vel aliquid ad diuinitatem accedens. Quibus ita positis statuendum est Amicum Amico ea maxima bona velle debere, quæ non sunt humana conditione maiora, sed sint perfectæ conformata rationi inter limites humanitatis, cuiusmodi sunt præsertim virtutum bona, quæ cætera bona corporis, & fortunæ sic vincunt, vt humanorum bonorum maxima iure dicantur; ex quo sequitur Amicum ad veram, & perfectam exercendam Amicitiam velle etiam debere alteri Amico bona corporis, & fortunæ maxima, non ea, quæ vulgo talia intelliguntur, vt sunt opes maximæ, honores summi, & id genus alia, sed ea corporis, & fortunæ bona, quæ idonea sint virtutum præsidia; nam alioqui diuitiæ quantumuis amplæ, honores eximij, potestates insignes vbi extra dominatum virtutis sunt, nec operibus honestis inseruiunt, bona non sunt sed potius mala, quemadmodum disertè in polit. docet Aristot. ipse, vbi ait, tanta esse debere externa bona, quanta oportet esse virtutis organa, quam si mensuram egrediantur, aut nocere, aut necessaria non esse, aut esse habentibus inutilia; præsertim quia fortunę bona nimis exaggerata Amicorum mores semper in deterius mutare solent; & pauci admodum sint, qui ditiores atque potentiores effecti priores retineant Amicitias pristinæ conditionis memores; vnusque eo nomine à Martiale laudatur Traianus, & etiam Numæ Pōpilio anteferatur, quod imperium adeptus modū retineret, ac pristinę cōsuetudinis mores

Tan-

Tanta tibi est recti reuerentia, Cæsar, & æqui
Quanta Numæ fuerat; Sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores
Et cum tot Cræsos viceris, esse Numam.

Et vnus quoque suspicitur ab Antonio Siciliæ Rex Agathocles, quod eius insulæ dominatum consequutus, fictilibus semper vti voluerit, priscosque Amicos retinere.

Cætera verò quæ ex amici amore in alterum amicum consequi debent plura sunt, & quidem æstimabilia, licet enim beneficentia non sit memoranda tamquam Amicitiæ basis, recipitur tamen velut eiusdem Amicitiæ proles, cum beneficiorum colocatione Amicitia, quæ iam inita est, crescat magis, magisque firmetur; qua ratione conciliari potest Hippodami doctrina cum Veritate, licet redarguatur Hippodamus à Theodoreto lib. 12. contra Græcos, quod dixerit omnem humanam amicitiam opera, & beneficijs consolidari; quemadmodum etiam tanta debet esse in reliquis Amici cum Amico communicatio, vt ex grauissimorum philosophorum sententia dignus non videatur nomine Amici, si aliquid etiam si arcanum Amico communicare refugiat, cum non solum externarum rerum consiliorum atque arcanorum communicatio debeatur Amico, sed etiam ipsius communicatio vitæ, si id iusta Amicitiæ lex postulauerit, quod æterna cum laude apud veteres fecisse perhibentur Pylades, & Orestes, Nisus, & Eurymalus, Castor, & Pollux, Damon, & Pythia, qui omnes vitam suam pro alterius vita vadem obtulere; neque inhonestum pro Amico vitæ dispendium fas est arbitrari, dum id præter veteres Philosophos, & sapientes, admittant etiam Theologi Christiani quorum numerum refert Theophilus Raynaudus vbi agit de Amicitia in sua disciplina morali; vniuersa namque eorum doctrina est cum Amico in omnibus communicari posse citrà culpam; cum verò interuenit culpa, statim abrumpenda est necessitudo, silentibus in culpa omnibus Amicitiæ iuribus, quo fit vt Amicitiæ omnes inter improbos euanidæ sint, imò prorsus nullæ, easque benè appellet Plato animarum calamitates; ideòque monitum est omnium sapientum non nisi præuio diuturno atque accurato examine ineundas esse Amicitias, & necessitudines iuxta Senecæ doctrinam Epist. 3. vbi ait, omnia cum Amico deliberanda esse, sed prius de ipso Amico deliberandum.

Fouendæ deniquè atque firmandæ Amicitiæ subsidia potiora ea sunt, in quibus insigne Amicitiæ decus effulget Amici constantia; absunt enim à veræ Amicitiæ decore quam longissimè, qui fortunam secundam, non Amicum diligunt, quod in quibusdam arguit optimè Petronius ijs versibus

Nomen Amicitiæ, si quatenus expedit, hæret
Calculus in tabula mobile ducit opus.

Cum

Cum fortuna manet, vultum seruatis amici
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Cuius generis Amicos tineis ab Anaxilla collatos scribit Athenæus lib. 6. quod assideant homini, quamdiu aliquod exhibet quo vescantur, tandiu enim tineæ frumento insident; quod etiam Amicorum genus dixit Suidas tandiu ex amore feruere, quandiu feruet olla, cum nihil magis constans sit ad firmandam amicitiam magisque opportunum, quam virtutis studium æquè inter amicos pertractatum.





LEX LXXI.

AD
HOMINEM OBSERVANTIÆ CVSTODEM.



RIA sunt, quæ ad obseruantiam alicui exhibendam interuenire solent, quæque animaduertere debet homo obseruantiæ custos, vnum ex parte intellectus, alterum ex parte voluntatis, tertium denique ex parte potentiæ exterioris; præcedit enim in intellectu æstimatio condigna magnitudinis perfectionum alicui inexistentium, & per hanc æstimationem tamquam per causam flectitur hominis voluntas ad exhibendam alteri reuerentiam, quam prius conceperat intellectus; inde denique ad externam quamdam expressionem externo cultui consociatam proficiscitur;est namque vt bene ait Tullius 2. de Inuent. obseruantia virtus quædam, per quam ætate, aut sapientia, aut aliqua alia dignitate antecedentes colimus,& reueremur;atque ex hoc virtutis officio ea obseruantiæ argumenta orta sunt, quibus quotidie in humano conuictu exerceri solemus, vt sunt poplitem flectere, genua ponere, humeros proclinare, assectari, deducere, reducere, honoratiore loco cedere, & id genus alia, quæ dicuntur ad eiusmodi virtutem pertinere. Quapropter signa delatæ reuerentiæ, quibus animus testatam, & patefactam vult summissionem suam ad alienam celsitudinem, varia omnino fuere apud varias gentes, & apud veteres plerosque nullum aliud frequentius fuit obseruantiæ signum,quam silentium coram eo, cui venerationem delatam volebant, quasi esset illa sermonis parcitas subuerentis animi index, cui accedebat osculi impressio admota ori manu, quam passim dicimus adorationem voce ducta ab applicatione manus ad os; quod tamen venerationis, & obseruantiæ argumentum olim in sacris tantum vsurpabatur, & quidem ea adhibita cautione Apuleio teste 4. metam. vt admoueretur ori dextera priori digito in erectum pollicem residente, quod hodieque Hesperijs in vsu esse obseruat

Lips.

Lipſ. 2. elect. cap. 6. Senſim tamen vſus ille adorandi ad communem obſeruantiæ teſtificationem adhiberi cæptus eſt;ita vt inter ſalutandum,quod Plinius in panegyri teſtatur, oſcula manu redderentur, & oſcula delibata digitis ad os referrentur;quo geſtu corporis ſignificatum volebant (authore Suetonio in Octauio) illuc referri omnia ſalutantis deſideria. Plerique etiam veterum non manibus tantum admotis oſculum premebant venerantes,ſed etiam capita, & pectora honoris gratia oſculabantur, quod Plutarchus in Bruto prodidit; notauitque etiam Ammianus, cum ſcripſit ex Senatoribus quoſdam ſalutari cæpiſſe pectoribus oppoſitis, & oſculanda capita in modum taurorum minantium obliquantes exhibuiſse. Pectoris oſculum ex facto Leonidis apud Nicephorum lib. 5. cap. 3. vulgare eſt; itemque ex ijs quæ habet Eunapius in prohæreſio. De contactu verò genuum, & pedum oſculo ad venerationem multa eruditè congeſſit Ioſephus Stephanus, & nonnulla Lipſius.

Cæterum quædam alia obſeruantiæ ſigna, quæ alicubi fuere venerationis,&cultus notæ alibi ad contumeliam pertinebant,nam barbam prehendere hoc tempore noſtriſque regionibus potius probroſum, & deſpectum conteſtatur, cum tamen olim ea prehenſio præſertim apud veteres Græcos, vt teſtatur Plinius lib. 11. cap. 45. nota eſset ſupplicantis hominis, & venerabundi; Nicobulus enim filius apud Nazianzenum, Nicobulum Patrem ſupplex rogans barbam ſe eius prehendere, & ſupplicem accedere profitetur; & Thetis quoque apud Homer. 1. Iliad. pro Achille Iouem deprecans,genua contingit ſiniſtra,barbam dextra, quod Pallas Iunoni referre inducitur lib. 8. denique apud eumdem Poetam Diomedes Doloni

—————Barbæ cum vellet honeſtam
Tangere Cæſariem ſupplex, caput, enſe reducto
Diſſecuit medium.

Sic ſtigmata vultui inurere apud Thracios perhonorificum fuit,& nobilitatis inſigne, at alibi ea inuſtio fuit ignominioſiſſima; vnde ſerui ſtigmatum notis deformabantur,& ab inſcriptis vultibus,ac frontibus literati dicebantur; nec omiſerunt Chriſtianæ fidei infeſti Principes genere illo infamiæ Chriſtianos notare vt adnotat Baronius;denique ad venerationem, & obſeruantiam teſtandam ſolemne nobis eſt aſſurgere, & caput aperire, quod tamen dedecus eſt apud Iaponios,qui numquam caput nudant, aut flectũt, ſed calceos exuunt ad deferendum honorem; quæ omnia ſatis perſpicuum reddunt obſeruantię cultum omni tẽpore pro dignitate,& excellẽtia perſonarũ fuiſſe exhibitũ,ac propterea eſſe nũc quoq; inter homines exhibendũ.

Primus igitur obſeruãtię cultus inter eos qui dignitate pręcellũt,Principi exhibẽdus eſt,nemo enim eſt qui Principe altiùs efferatur, cuius eſt cũ Numine analogia;eſtq; frequẽtiſſimũ, vt princeps quaſi terreſtris quidã Deus, & Dei vices agens in terris omni cultu obſeruantia dignus ſtatuatur; ſicque Vegetius lib. 2. cap. 2. tradit Imperatori tamquam præſenti, & corporali

Deo

fidelem deuotionem esse præstandam; quo annuit etiam Tertullianus scribens ad Scapulam, & D. Cyrillus scribens ad Theodosium, vbi Princeps colendus indicitur vt homo à Deo secundus, & solo Deo minor; tantamque agnouit C. Sestius apud Tacit. lib. 3. hominis regentis, & Dei rectoris affinitatem ob munus regendi, vt dixerit Principem instar Deorum esse; planeque id agnouit Traianus, qui referente Plinio in Panegyr. Maiestatem repudiauit, ne Deo se æqualem faceret, contentus magnitudinis titulo. Denique Dio Chrysost. orat. 1. de regno in hac Principis analogia cum Numine multus est, ex eaque latè infert, quantis par sit fulgere virtutibus Principem, qui Dei Vicarium agat; atque ex eiusmodi excellentibus Principum titulis fas est deducere præcellentem omnino obseruantiam eis deberi; quod veri politici omnes morumque magistri efficacissimè suadent, sed præsertim Christiani Doctores omnes aduersus eos apud quos rumor increbuit, latèque disseminatus est Christianam religionē statui politico, Principum potestati, ac publicæ tranquillitati incommodare, cum tamen Christianorū dogmata quantum per veritatē licuit ijsdem semper conati sint suspicionem illam amoliri inculcata iugiter in Principes obseruantia; qua pari ratione philosophandum est proportione seruata de obseruantia Magistratibus debita, cum ipsi quoque Principis potestatem participent; quorum dignitas tanta apud omnes esse debet, vt si contingat filium Magistratu aliquo fungi, vinculo obseruantię erga ipsum patrem pro dignitatis tempore, ac munere solutus intelligatur, quod deprehensum est in Q. Fabio Maximo, cum pater obuium ei tunc consuli factus esset; tunc enim patri descensus indictus est in filijs obsequium, & Fabius summoperè collaudatus est, quod imperij, & dignitatis iura, optimè fuisset patrocinatus. Ita tamen Principibus tamquam Dei Vicarijs obseruantia debita est; vt à medio virtutis non deflectat, atque in turpem assentationem non degeneret, vt olim apud Ethnicos visum est, qui Principes suos Vicaria diuinitate donatos ita colebant, vt supremam ipsis venerationem impertirent læso ipsius Diuinitatis iure; quod fuisse inter Persas perpetuum plures referunt, & etiam apud Imperatores Romanos, quibus adulatione gliscente, ac debitæ religionis repagula perrumpente diuinitatis honos publicè addicebatur, apud quos etiam per Imperatorum Numina iurabatur, licet alij corruptè legant per nomina ex vulgato illo carmine

Iurandasque tuum per Numen ponimus aras:

Qua fortasse ratione apud Ammian. lib. 21. refertur vniuersos milites in Iuliani nomen solemniter iurasse.

Obseruantiæ verò debita constituuntur non solum in subditis erga Principes, & Magistratus vt hactenus dictum est, sed etiam in cæteris omnibus erga ministros sacros, ac præsertim Sacerdotes; legimus enim etiam apud Ethnicos olim summam venerationem Sacerdotibus, sacrisque ministris fuisse delatam; nihilque siuè apud Romanos, siue apud reliquas gentes Sacerdo-

cerdo-

cerdotio auguſtius fuiſse; quod vniuersè tradit Plutar, op. de Princip. cum Philoſoph. diſp. qui item lib. de defectu oraculorum Sacerdotes olim dictos Hoſios, ideſt Sanctos, & ad rerum ſanctarum modum veneratione dignisſimos obſeruauit; & Iulianus ipſe Apoſtata referente Sozomeno 5. hiſt. cap. 13. non alio quàm naturæ impreſſo lumine, & attenta rei natura ductus vetuit ingredientibus in vrbem Præſidibus, quibus omnes occurrebant, Sacerdotem vllum obuiam prodire; ſic apud cæteros Romanos honoratiorem locum ſacris perſonis tributum conſtat ex Arnobio 4. aduerſ. gent. nullumque ſine ipſis Concilium velut legitimũ habitum eſſe apud Græcos memorat Tullius 1. de diuin. Seruatum ad ſua vſque tẽpora à quibuſdam Barbaris, vt gentis Sacerdotale ad regnũ proueheretur ſcribit Clemens Alex. 7. Strom. denique ſellam curulem, lictorem, veſtes inſignes, omnia regia Sacerdoti Iouis à Numa conceſſa prodit Liuius lib. 1. Quod ſi tanti vitreum, quanti verum margaritum, ſi tanti habiti ſunt Magiſtri Idolomaniæ, impuritatis monſtra, ſcelerum Myſtæ, quanta par eſt Chriſtianos veneratione eos proſequi, quos habent cæli clauigeros, & melioris vitæ patres?

Adeſt denique obſeruantiæ debitum in ſeruo erga dominum, in diſcipulo erga magiſtrum, in iuuene erga ſenem, & in quocumque inferiori erga ſuperiorem; is enim ordo humani conuictus harmoniam optimè concinnatam efficit, nec ſeruus haberet, quo diſcrimen nanciſceretur à domino, niſi debitum illi præſtaret obſequium; dicuntur enim ſerui dominorum poſſeſſio, quæ aut iure belli, aut iure pecuniæ, aut iure naturæ in eorum dominium ceſſit; ea tamen conditione vt ipſi quoque heri memores ſint ſibi non eſſe à ſeruis, vel famulis expectandam fidelem ſeruitutem, niſi ipſi quoque Dominum ac Deum ſuum fideliter obſeruent. Pari modo diſcipuli magiſtris obſeruantiam debẽt lõgè maximam, & talem cuius debitum extingui nulla ratione queat; magiſtrorum porro meritum nulla pecuniarum vel honorum exhibitione adæquari poteſt, nam & magiſtris apud Antiquos referente Theophraſto apud Athenæum quaſi Numinibus diſcipuli libabant; quin etiam præceptores ipſos parentes ſuperare autumabant, cum à parentibus vita tantum animalis, & eſſe multis incommodis obnoxium conferatur, à magiſtris verò vita ſpiritalis, quæ ad animum pertinet nobiliorem hominis portionem; ac propterea Nazianzenus carmine ad Nicobulum patrem inducit filium appellantem præceptorem ſuum animæ patrem, eumque à patre ſolius luti ac cæni ſecernit; quo nomine etiam Auſonius cohoneſtauit Tiberium Mineruium profeſſorem Burdegalenſem præceptorem aliquando ſuum, iuxta ea quæ in magiſtrorum laudem dicta ſunt

Dic & magiſter, dic parens, dic omnia
Blanda, atque ſancta charitatis nomina

Idemque agnouiſſe, teſtatur Philoſtratus, Lacedæmonios, cum Apolloniũ vocari vellent adoleſcentum patrẽ, quod conſonum eſt doctrinæ Platonicæ in Theæteto, vbi dicitur hominẽ per magiſtrũ regenerari animo magis

quã corpore;qua ratione Theodosius Imperator, vt proditur in vita Arsenij, cum ipsi Arsenio filium erudiendum committeret, dixit, posthac eris tu magis pater eius, quam ego, & cum Arsenium stantem Arcadio discipulo sedente comperisset, indignatus non modicè, filium aperto capite magistro sedenti adstare iussit; quo illustrius exemplum traditum est à Magno Pompeio, cum confecto Mithridatico bello intraturus Possidonij domum, fores percuti de more à Lictore vetuit, & fasces lictorios ianuæ submisit is, cui Orientis, & Occidentis oræ fuerant submissæ. Denique vt reliqui obseruantiæ cultus prætereantur, ea tantum quæ etiam senibus debita est, præ oculis habenda cuicumque est; Aristoteles enim in Ethicis suis, præsertim lib. 9. nil hoc frequentius docet, & apud veteres tum Lacedæmonios, tum Romanos nulli rei præstantius obsequium legibus fuisse tributum, quam ætati; cuius rei rationem reddit Clemens Alex. 3. Pædag. quia quò magis homo festinat ad finem, tantò venerabilior est, vt qui Deum solum habet se seniorem, nam ille quoque est æternum senex; ac propterea, inquit Iuuenal. Sat. 13. Veteres tum Spartani, tum Romani

Credebant hoc grande nefas & morte piandum
Si Iuuenis vetulo non assurexerit & si
Barbaro cuicumque puer.



LEX

LEX LXXII.

AD HOMINEM VERECVNDVM.



TA humanum exornare conuictum dicitur Verecundia, vt qui eiusmodi pulcherrima naturæ dote præditus est, perinde habeatur ac si sublimius omnium virtutum pretium summa cum laude teneret; idemque prorsus sit homo verecundia ac pudore nobilitatus, ac homo per omnium virtutum semina optimâ deductus ad frugem; cum satis perspectum sit hominem verecundum nunquam ab honestate deflectere, aut quouis modo à recta ratione declinare; verecundia siquidem ex metu turpis actionis velut ex fonte corriuat, eaque semper refugit obiecta non minus pudenda, quam metuenda, quæ solent turpitudinis notam inurere, vt ijs præsertim contingit, qui præ timore aut per inertiam solent in acie clypeum abijcere, vel hosti terga dare; qua de causa apud Lacedæmones ille inuerecundus habebatur, qui sine pudore aut rubore clypeum abiecisset in prælio; quin imo Archilochus ipse Poeta velut inuerecundus è finibus Spartæ eiectus est, quod scripto consignare fuisset ausus, satius esse in bellis clypeum abijcere, quam interire; quemadmodum de se ipso haud gloriosè, nec citrà ignominiam canit Horatius

Tecum Philippos & celerem fugam
Sensi, relicta non bene Parmula.

Ea verò dicuntur potissima hominis verecundi ornaměta, quibus ab omni actionum turpitudine solet abstinere, ipsamq. virtutě sine intermissione sectari; & licet plerumq. fiat vt in ipsa exercenda virtute aliquis uerecundia conspergatur, aut aliquo rubore suffundatur, quatenus ignominiam aut cōtumeliam ab improbo, atque scelesto patiatur uiro, cum qua uirtus pacisci non potest, is tamen sic illatus pudor aut rubor hominem non facit ea uerecundia affulgentem, quam hoc loco delineamus, cum neque uerecundus ex eo dictus sit Codrus Atheniensium Rex, cum ad liberandam obsidione patriam rusticano se induit amictu, quem gestare uelut à regia dignitate maximè alienum erubescebat; est namque latius quoddam pudoris seù věrecundiæ genus, quod etiam ex actione non turpi potest exoriri, cum tamen

ea tantum vera verecundia sit, qua quis inhonestè agendo verecundatur; quapropter Epictetus apud Arianum lib. 3. cap. 22. cum latebras descripsisset, & tegumenta scelerum, quæ impij captant peccaturi, ait è contra probis viris pudorem esse pro domo, qua tecti id dumtaxat operentur quòd iustum est seipsos reueriti; ex quo etiam Cæus Sophista apud Clem. Alex. 2. Pædag cap. 10. Verecundiam appellauit tectum virtutis, & colorem honestatis iuxta illud ad iuuenes hortamentum

Tingite candentes roseo de murice vultus
Atque fidem morum pandite de facie.
In niueo spargens maculas sis pulchrior ore
Cum sudans tenerum roscida colla feras
Nil tibi plus lingua tribuas, quam stemmate frontis
Quidquid amare libet, hinc tibi concilia.

ex quo etiam plerique verecundiam appellarunt naturalem quamdam virtutem, qua homo naturaliter à rebus turpibus solet abhorrere, atque ex hoc ipso dicitur verecundia in quocumque personarum ordine laudabilis, & honesta; & licet docuerit Arist. 4. Eth. cap. 9. Verecundiam à senibus, atque à viris probis, & virtute communitis alienam esse, id voluit intelligere de ea tantum verecundia, cuius causa est aliquod turpe commissum hoc est voluntarium, & spontè susceptum in vita peccatum, ac propterea quibus non conuenit turpe commissum eiusmodi, ijs ne verecundiam conuenire.

Cæterum docuit Plato in Protagora à verecundia vniuersè accepta nullum hominum genus excludi, cum Pudor, & Iustitia sint illa duo munera Iouis per Mercurium tributa mortalibus vt ornarent ciuitates, ciuesque ipsos mutua beneuolentia cōciliarent, omnes siquidem horum participes esse debent; quapropter licet vir probus ac præditus virtute non possit illa verecūdia affici, quæ oritur ex actione turpi, cum hæc procul sit à viro virtute perfecto; potest tamen rubore suffundi ac verecundiam pati ex aliqua aliorū turpitudine aut alieno dedecore quoquo modo ad ipsum pertinente, virtus enim hominem licet probum non reddit immobilem, vt falsò Stoici prædicabant, ac propterea vnusquisque tristari potest, vbi contingat vt suorum aliquis ignominia afficiatur, cuius ipse propter coniunctionem, aut necessitudinem quamcumque aliqua ratione particeps sit, quo nomine etiam probissimus vir, ac virtute perfectissimus verecūdari potest, & eiusmodi uituperationem ac dedecus extimescere. Habet tamen id proprium probus uir, ut cum eiusmodi uerecundia permouetur, animo potius, quam corpore commoueatur nec adeò magna pudoris indicia proferat in uultu, quemadmodum præseferunt ij, qui propter turpitudinem propriam uera, & propria uerecundia perturbantur.

Sic etiam si uerecundiæ ratio magis late pateat, atq. accipiatur pro naturali quadā ad ruborē propensione, uel pro qualibet reuerentia, uel pro quacumque cautione aut formidine mali etiam non uoluntarij, proque sceleris odio,

odio, atque honestatis amore dicendum est omnes prorsus homines, omnesque ætates verecundiæ esse participes;cernimus enim etiam bonos verecundia capi, vel ex publico populi conspectu, vel ex cõgressione cum principibus ac magnis viris,quod est reuerentiæ signum; quin videmus ad viros quantumuis bonis moribus illustres, & ætate expertos quamdam peruadere verecundiam, & ruborem ex ipsis etiam laudibus, quibus afficiuntur ab alijs, siue id fiat ex modestia siue ex suspicione,quod possint etiam laudibus irrideri, de qua re optime scripsit Seneca ad Lucilium vt ipsum doceret naturalia corporis, & animi vitia nulla sapientia aut industria omnino poni posse, cum quidquid nobis ingenitum est, arte tantum leniri non vinci posit; ac propterea quibusdam etiam constantissimis viris in conspectu populi sudor erumpit,non aliter quam fatigatis,& æstuantibus solet; alijs tremũt genua dicturis,quorundam dentes colliduntur,lingua titubat, labia concurrunt; & hæc nec disciplina, nec vsus vmquam excutit, sed natura vim suam exercet,vt robustissimos quosque vitij sui semper admoneat; & licet magis in iuuenibus id verecundiæ genus conspiciatur, quibus,& plus caloris est,& frons tenerior, nihilominus etiam veteranos, & senes sæpè tangere dispicimus.

In quo verecundiæ genere quod sæpè laudabile est, cauenda est exuperantia illa quæ verecundiam ipsam in vitio potest constituere; idque magis ad viros ætate firmatos ac prouectos spectare solet, quam ad adolescentes, qui ad ruborem procliuiores dicuntur, cum in ipsis quoque magis verecundia commendetur quam in senibus; ex quo dixit Plato in Charmide, Charmidis genas rubore, ac pudore suffusas gratam semper speciem præ se tulisse; & scitum est etiam illud Diogenis dictum ad adolescentem, vbi pudor in iuuene semper adest virtutis color; quod tamen Seneca in ætate prouectis non admittit, inquit enim quosdam numquam magis, quam cum erubuerint, timendos esse, quasi omnem verecundiam effuderint, quod ostendit Syllæ exemplo,qui tunc erat violentissimus, cum faciem eius sanguis inuaserat,& ideo de pudore apud Homerum illud circumfertur,quod memorat etiam Plutarch.

Valdè pudor mortale genus lædituè iuuatue

contendit enim ibi Plut. laudabilem cuicumque esse illam verecundiam, quæ duobus extremis sit interiecta, nimirum, & impudentiæ, & nimio pudori, qui mollem, & effæminatum animum ostendit.





LEX LXXIII.

AD

HOMINEM COMEM.



NE nimijs premeretur, aut contabesceret natura curis in consuetudine vitæ humanæ, specialem quamdam adinuenere Sapientes Virtutem, quæ inter hominum cætus, conuictus, & societates honestam, & decoram præseferret vel festiui, vel iocantis ingenij oblectationem, eaque Comitas, seu affabilitas est appellata; non enim seuerum semper cum Stoicis necesse est habere supercilium, neque semper cum Catone opus est virgulam gestare censoriam, nec denique semper cum Heraclito lugendum; sed ita temperanda est humanæ vitæ societas, vt etiam gaudia tristitijs, & doloribus admisceamus, quo nec lapides aut syluestres feræ esse videamur, quemadmodum Ægyptij Sophistæ, neque in immodicas iocorum aut blanditiarum illecebras prolabamur, vt de quibusdam Aulicis Arabiæ scribit Athenæus; cum eò tantum homini Comi, & affabili pertingendum sit, vt inter nimiam vitæ duritiem, & asperitatem, atque inter nimiam iocorum, facetiarum, & assentationum exsolutionem, mediocritas quædam seruetur, cuius mediocritatis characterismum illa proferunt Ausonij carmina de Nepotiano Grammatico

Facete, Comis, animo iuuenali senex
Medela nostri Nepotiane pectoris
Tam seriorum, quam iocorum particeps
Te fabulantem non Vlysses linqueret
Linquit canentes, qui melodas virgines.

Non ita tamen Comem, & affabilem virum volumus esse, vt in humanis congressibus atque conuictu, blandiendo tantum, assentando, obsequendo singulis placere studeat, alieno semper adaptatus arbitrio; vitium quippe quod hoc nimio placendi studio distinetur longè per excessum à comitate recedit, quod scitè animaduertit Seneca lib. 3. de ira, docens nimia blandimenta iram, & eorum fastidium concitare in quos vertuntur; ibique exemplum

plum prodit Cælij Oratoris, qui diù ferre non potuit Clientem assentatorem, semperque blandientem, illi adolescenti fortasse persimilem, qui describitur à Terentio, & filius Simi nominatur, cuius inquit Terentius

Sic vita erat, facile omnes perferre, ac pati
Cum quibus erat, cumque vna ijs se dedere
Eorum obsequi studijs, aduersus nemini.

Eiusmodi namque blanditiæ exuperantes potius adulationis induunt speciem, quam affabilitatis; videntur enim esse hamata illa lenocinia, quæ ait idem Seneca inimiti solummodo ab assentatoribus ad captandas prædas.

Erit igitur potissimum in homine affabili Comitatis munus exuperantiam,& defectum tum in sermonibus,& dictis,tum in iocis,& factis depellere ab humano conuictu,atque inter vtrumque vitium asperitatis nimirum, & assentationis ponere modum extremis vtrinque reductis, ac medio designato; nihil enim in humana societate tanto odio dignum habetur quam eorum vita, quæ omnibus conuiuentibus se difficilem præbet, ac morosam quæ probri nota inuritur Neroni à Suetonio qui neque cum seruis, neque cum liberis hominibus humanos vnquam habuit sermones, neminem etiam vnquam salute, vel resalutatione dignatus; eademque viuendi asperitate notatus memoratur apud Athenienses Timon, qui omnium hominum commercia æquè fugit, ac colloquia, vno excepto Alcibiade, quem magno Atheniensibus malo futurum prospexerat; atque maiora in Timone inurbanitatis,& asperitatis argumenta ea fuere,quod ipsos amicos,quos ad conuiuium vocabat, inurbane excipiebat; quin aliquando in concionem prodiens indicto silentio,Atheniensibus denunciauit se omnium mortem per laquei suspensionem sitienter optare,ex quo iure merito hostis humani generis est appellatus, in cuius etiam sepulchro ea carmina visa sunt

Hic sum post vitam miseram, mortemque sepultus
Nomen ne quæras. Dij, Lector, te malè perdant.

Contra verò quem gignat amorem, omniumque exsuscitet beneuolentiam Comitas, & affabilitas in humana viuendi consuetudine inde coniectare licet,quod ob hanc virtutem egregiam Vespasianus Imperator dictus est Amor, & Delitiæ generis humani. Quo spectat etiam præceptum illud Matris Cyri, & Artaxersis, quo filios suos volebat byssinis esse semper verbis indutos,hoc est molli semper, ac blando sermone,quo imperij asperitatem lenirent, tutiusque imperarent; Inde enim vir Comis, & affabilis singulorum beneuolentiam captat,ex quo humanus conuictus dulcis redditur, & optabilis; hacque ratione rogatus Antalcidas quo pacto posset quis summopere hominibus placere, si inquit, loquatur illis iucundissima, præstet autem vtilissima;quemadmodum enim amicus cum amico iucundè viuit,si beneuolentiæ signa in verbis,operibus,reliquis ad leuandam humanam indigentiam adiumentis præstet, sic prorsus Comis, & affabilis vir suo

peibel-

perbellè functus munere humani commercij pondera solet alleuare colloquijs atque consuetudine sua, cum sæpè contingat homines plures eo asperitatis morbo in conuictu laborare, quo nemini placentes efficiantur, nihil in humanis congressibus adprobantes, nullius ad arbitrium se conformantes, sed semper, asperi molesti, iurgatores, turbulenti; cuius ordinis fuisse perhibetur apud Virgilium Poliphemus ille vir agrestis inconditus, atque insuauis, de quo iactatum est

———— Ipse arduus altaque pulsat
Sidera. Dij talem terris auertite pestem
Nec visu facilis, nec dictu affabilis vlli.

Sicut contra quidam alij ita blandi inueniuntur, vt in humana societate semper placere studeant, omniumque gratiam aucupari affectent, qui etiam summopere hac indigent virtute, ne indigna assentationis labe sordescant, sintque velut canes illi semper cauda adblandientes, de quibus dictum illud vagatur apud Nonnium, & etiam apud Ouidium

Quin etiam blandas mouent per aera caudas
Nostraque adulantes comitant vestigia.

Quapropter debet vir Comis ex Comitatis virtute potiùs cum hoc extremo pugnare quam cum opposito; licet enim vnaquæque virtus ad vtraque eliminãda extrema constituatur in medio, quædam tamen etiam inuenitur, quæ sibi hoc peculiare vindicat munus, vt cum vno potiùs altercetur extremo, quam cum altero, vel quia id superatu difficilius sit, vel quia vitium ipsum virtutis plerumque similitudine palliatum sit fraude potentius, quam ipso robore virtus.

Extremum verò difficilius à Comitate vincendum fuit semper assentationis labes quæ vt plurimum Comitatis personam solet induere, cum tamen diuersissima ex ipsorum natalium diuersitate iura sortiantur; Comitatem namque sola animi celsitudo progignit, cuius regula simul, & parens honestas est; assentationis vero exortus ex sola eiusdem animi pusillitate proseritur, originemque trahit ex ingenij ad nihil assurgentis seruilitate nulla imperante ratione, hacque ratione dixit Tullius hoc esse cum Assentatoribus natum suos sibi animos frangere, & ita flexos atque seruiliter demissos cunctis præbere; cum verè excelsus animus ad ea se ineptius deijcere erubescat, quibus semper agitur assentator, qui siue colloquatur, siue adblandiatur, suæ turpitudinis notam semper palam ostendit. Nec minori probro dignum habendum est aliud Comitatis extremum, quod ex vrbanitatis defectu dicitur rustica quædam asperitas; cum sit hoc vitium quoque vel hominum nimia elatione tumentium, vt de Tiberio scribit Plinius lib. 28. qui semper ceruice incedebat rigida adducto vultu, nullo plurimum adhibito sermone; vel vt de Domitiano narrat idem Plinius, cuius erat vultus semper in occursu terribilis, ira nedum in oculis, sed etiam in sermonibus, & verbis; hæcque aspera in congressibus rusticitas facit homines insuaues,

ſuaues, rupices, & petrones agreſti morbo laborantes, qui libentiſſimè rixantur, ac facillimè in iurgia, & contumelias feruntur; quapropter benè monet Epictetus ab hoc hominum genere maximè cauendum eſse in humanis conuictibus.

Cum tamen ea ſit humanæ, ac ciuilis vitæ conditio vt etiam quandoque in conuictu atque ſocietate iucundè colenda neceſse ſit verſari, habita laboris, & operis intermiſſione, idque maximè per Eutrapeliam habeamus, quæ eſt virtus Comitati atque affabilitati valdè affinis, poterit idcirco vir Comis, & vrbanus facetijs, iocis, & ludis vti ad ſibi alijſque conciliandam honeſtam animi remiſſionem, in quibus ſi moderatè occupetur, eam Scipionis laudem promerebitur, qui antonomaſticè affabilis Heros eſt nuncupatus; tanta ſiquidem inerat Scipioni Comitas atque ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt eius tum in agendo, tum in loquendo ſemper placeret in ſociali conuentu concinnitas; cuius virtutis exercendæ ea potiſſimum regula, & lex eſſe debet; vt in ciuili ſocietate, vbi ſumma plerumque iucunditate ſales, & ioci adhibentur, dicteria, quæ ſcommata appellantur, vir Comis effugiat; ſunt enim eiuſmodi dicta ſemper turpia, ingrata, virulenta ipſos audientes lædentia, non oblectantia; quapropter etiam prudentibus viris ſemper difficile viſum eſt in eiuſmodi iocis, dictis, & ſalibus modum inuenire, ex quo honeſta dumtaxat animi remiſſio capiatur in humana ſocietate; atque cum omnium rerum quædam interualla ſint, neceſse eſt quandoque à laboribus ſerijſque rebus abſtinere, & iocoſis, & ludicris oblectationibus indulgere; quod præceptum ſapientum omnium voce firmatum eſt apud Stat. 4. Sylu.

——————— exue curis
Pectus, & aſſiduo temet furare labori
Laxaturque Chelix. vires inſtigat, alitque
Tempeſtiua quies; maior poſt otia virtus.

Qua de cauſa Socrates ipſe cum pueris ludere ſæpe non erubeſcebat; Cato ipſe varijs iocis laxabat animum publicis curis fatigatum; atque adhoc ſapientiſſimi legum conditores feſtos inſtituerunt dies, vt ad hilaritatem homines inuitarentur relictis laborum preſsuris.

Quæ tamen lenimenta, ſeù leuamenta naturæ ita in communi ſocietate adhibenda ſunt, vt non excedant rationis, & prudentiæ fines, aut longè à meta virtutis aberrant; ex quo illi fuere ſemper redarguendi, qui omne vitæ curriculum in ludis, & iocis, atque cæteris id genus oblectationibus poſuere; ſicut contra laudabiles maximè illi referuntur, qui iocos velut ſales adhibuere, & nimirum qua par eſt, moderatione iuxta ſalis vſum, vt ſcitè aduertit Plutharchus; qui etiam his modis eſſe in humanis congreſſibus adhibendos iocos adhortatur vt gratiam, ac ſuauitatem non perdant, atque inde in ſcurrilitatatem incidant; ita etiam ne ſint obſcæni, turpes, leues, ac futiles, ſed honeſti, decori, graues, & liberales, quod monet etiam Cicero 1. de offic.

de offic. ne ioci,dicteria vel conuitia fiant, audientes lædentia vel irritantia; etsi quid ioco carpendum sit, id facili fiat, atque ingeniosa allusione, vt etiam habeatur personarum ratio; alius namque iocus conuenit seni, alius iuueni, alius priuato, alius Principi; neque iocari nimium fas est Principes cum subditis,parentes cum liberis,domini cum seruis, præceptores,cum discipulis ad euitandam Maiestatis,& præcellentiæ iacturam. Habenda quoque in iocis ratio temporis, & loci; quippe intempestiuus erit,qui tempore luctus,calamitatis,belli,aliorumq. id genus malorum facetijs,& risui voluerit indulgere; quæ omnia si absque lege Comitatis atque Eutrapeliæ agantur, incongrua semper essent, & minimè ad virtutem accedentia.





LEX LXXIV.

AD HOMINEM FACETVM.



A est humanæ, ac ciuilis vitæ conditio, vt præter virtutes, quæ in communi societate iucundè colenda versantur, specialem quamdam virtutem exposcat, qua quandoque habita laboris, & operis intermissione, honestæ animi remissioni indulgere possimus, hæcque licet ad Eutrapeliæ genus reuocetur, propriè tamen in facetijs, iocis, salibus, & ludis exercendis occupari perhibetur; ingenti siquidem in humano conuictu studiositate opus est, vt quis ad animum relaxandum uerborum adhibens sales, medietatem illam teneat virtutis, qua oblectetur omnes, lædatur nemo, cum quoddam adsit iocandi genus prorsus illiterale, atque ab honesto viro prorsus alienum, vt potè fines vrbanitatis excedens; in quo hominum ordine recensentur illi, qui immoderatè faceti intemperanter nimis iocantur, & colludunt, quos comparat scitè Eustratius auibus quibusdam, qui semper famescentes etiam aris insidiantur, captantes inde quidquid reliquiarum ex imolatis victimis remanserit; quemadmodum enim aues illæ cibum vndique conquirunt, & rapiunt, sic eiusmodi viri risum, & iocum ex quacumque rei occasione captant, ne ipsis quidem aris, sacrisque parcẽtes: Ad quod hominũ genus cohibendum spectat maxime Eutrapeliæ virtus, qua concinne moueri solemus ad sales, & iocos opportuno tempore adhibendos, quibus remittatur animus; hacque virtute præ cæteris commendat Liuius Scipionem summopere præstantem, cui tanta inerat Comitas, atque naturalis ingenij dexteritas, vt eius agendi, & loquendi semper placeret in sociali conuentu concinnitas; Sicut contra ij semper in vitio sunt, atque huius virtutis extremo laborant, quos Scurras, & Sanniones appellamus, omnibus importunos, ac dicterijs suis permolestos, quorũ colluuies

luuies etiam veterum æuo grassari cæpit consequutis postea etiam temporibus per aulas, & cænacula Principum semper liberius debacchata; quod duplex hominum genus optimè describit Horatius sub allato veteris, & nouæ Comædiæ discrimine in Sat. 3.

——————— Comædia prisca virorum est
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Eiusmodi igitur salium, iocorum, scommatum, atque dicteriorum intemperantiam viro faceto in ciuili societate maximè cauendam proponimus, vt ab Eutrapeliæ virtute non recedat, cum etiam à sapientissimis viris velut supremum scurrilitatis atque rusticitatis vitium damnetur; quod præ cæteris velut grauissimũ scelus damnat in Oratore M. Tullius, & in ipso M. Tullio Plutarchus accusat; quo crimine culpat etiam Liuius Philippum Macedoniæ Regem, & Suetonius Vespasianum Imperatorem, quem non solum fuisse dicacitatis plurimæ scurrilis, ac sordidæ testatur, sed etiam in dicteria, & scommata facilè erumpentem; Ex quo Macrobius lib. 2. Sat. eiusmodi Scommaticos homines vocat amaros, ac virulentos humanos conuictus semper perturbantes, sumpto scommatis nomine (vt aduertit Scaliger lib. 1. poeticæ) ab aue quadam Ansione, quæ apud Græcos Scomin appellatur, & dicitur auis ridicula, & iugi circumactu capitis, & colli flexu mirabunda, vnde fortassis orta est agitatio capitis ad irrisionem; nisi dicamus scommatis nomen ortum duxisse à quodam palliato aculeo, quibus antiquitus torquebantur homines specie rei blandientis, cum sit scomma morsus quidam figuratus, qui intermixta alterius punctione fraude atque vrbanitate tegitur; tantoque pressius hæret, quanto angulosi hami, quam directi mucrones tenacius infiguntur, atque in eiusmodi aculeatis verborum iocis Augustum præsertim, & Tullium cæteros omnes præcelluisse, testatur ipse Macrobius, quos ideo facit etiam maximè odibiles, cum tamen ex alijs virtutibus summè laudabiles essent.

At cum satis arduum, ac perdifficile sit etiam prudentibus, ac sapientibus viris in facetijs, iocis, ac dictis modum tenere, idcirco virtus illa toto conatu quærenda est, per quam vrbanitas etiam in ludicris rebus à ratione non discedens exerceatur; est namque humanæ imbecillitati pernecessaria honesta quædam animi laxatio etiam iocis, & facetijs quęsita; & cum omnium rerum interualla sint, necesse est quandoque etiam quieti atque animi remissioni indulgere; neque in æquali intentione humanam mentem esse iugiter retinendam docet Seneca de tranquill. sed plerumque ad iocos reuocandam, vt vegetior assurgat ad magna molienda

——————— Exue curis
Pectus, & assiduo temet furare labori
Laxaturque Chelix, vires instigat, alitque

Tempe-

Tempestiua quies, maior post otia virtus

canebat ad rem etiam Stat. 4. Syl. qua etiam de causa Socrates sæpe suauioribus inter discipulos dictis, & facetijs solebat animum recreare studijs ac curis publicis summè fatigatum, quod etiam agebat Scipio inter milites, cum quibus libentissimè iocis, & salibus detinebatur; & siquidem est humanæ mentis conditio vt à serijs, & grauioribus rebus quandoque abstracta diligentiùs postmodum ad easdem reuocetur, cum nascatur ex assiduitate laborum hæbetatio quædam animorum, & languor, quo ad quiduis graue suscipiendum impotentes efficimur. Sunt tamen eiusmodi lenimenta naturæ ità in communi societate adhibenda, vt non excedant vrbanitatis modum, vt non ad scurrilitatem accedant, quorum mensuram præsertim ij præscripsere, qui eos sales appellarunt, vt enim sale cibus ita iocis, ludis, ac facetijs oblectandus est animus, ea nimirum (vt aduertit Plutarch.) qua par est moderatione iuxta salis vsum: porro in facetijs, argutijs, & iocis ea præcepta seruanda sunt, vt ioci semper honesti sint, decori, graues, ac liberales, non obscæni, turpes, leues, ac futiles, quemadmodum monet Cicero 1. de Offic. Ne ioci conuicia fiant audientes lædentia, aut irritantia, & si quid ioco carpendum sit, id facili fiat, atque ingeniosa allusione. Vt habeatur personarum ratio, & discrimen; alius namque iocus conuenit Seni, alius Iuueni, alius Priuato, alius Principi; neque iocari nimium fas est Principes cum subditis, Parentes cum liberis, Domini cum seruis, Præceptores cum discipulis ad euitandam authoritatis iacturam. Habenda quoque in iocis ratio temporis, & locorum; quippe valdè importunus, atque intempestiuus erit, qui calamitatis, luctus, belli, aliorumque eiusmodi malorum tempore facetijs, & risui voluerit indulgere, cum neque eo temporis, neque eo loci iocandum sit, vbi res seriæ sunt pertractandæ.

Exempla verò vrbanitatis per iocos, & facetias ea sunt, quæ apud Scriptores afferuntur. Socrates à Xantippe sua post rixas lotio perfusus, sciebam (inquit) post hæc tonitrua imbrem futurum. Scipio Nasicca cum ad Ennium Poetam venisset, & domi non esse ancillà responderet, sensit id iussu Domini dici, & recessit; paucis post diebus cum ad Nasiccam Ennius venisset; & nùm adesset à Ianitore quæreret, clamauit ipse Nasicca, domi non esse; at inquit Ennius vocem tuam cognosco; Nasicca respondit, fatuus est, qui vocem noscit, & cognosci nolentem non percipit. M. Liuius Salinator cum amissa vrbe seruasset arcem dicebat Q. Fabio, mea opera Fabi recepisti Tarentum Ciuitatem; Certè, inquit ille, nisi tu amisisses, non recepissem. Augustus Cæsar, cum multi accusante Cassio absoluerentur, & Architectus forum, quod fieri Cæsar iusserat, diù protraheret, vellem, inquit, Cassius meum etiam forum accusasset. Cicero cum in Prouincia, quam frater eius Quintus reserat, clypeatam eius imaginem ingentibus lineamentis ad vsque pectus è more pictam vidisset, frater, inquit, meus

dimidius maior est quam totus. Catullus rogante quodam imperito Oratore, videretur ne satis misericordiæ ex oratione mouisse in audientes, respondit, omnino satis, cum tota oratio miserabilis fuerit. Id genus alia plura sunt apud Tullium, Macrobium, aliosque antiquitatis Scriptores, qui commendant vrbanitatis virtutem etiam in eiusmodi dictis, & iocis occupatam, dummodo suo loco, & tempore occupetur; quo fit, vt semper fuerit

Nobile lingua bonum si fari in tempore nouit
Nobile lingua malum si fari in tempore nescit

Idque sapientis munus semper habitum est opportunè tacere, atque opportunè loqui, cum non sit in humana societate semper probandum silentium.



LEX

LEX LXXV.

AD
HOMINEM HONESTÆ ANIMI REMISSIONI DEDITVM.

HONESTAM animi remissionem esse in humana natura captandam siue festiuis congressibus, siue iucundis ludis, atque exercitationibus, siue alio quouis exhilarante aut beneplacente laxamento fatentur sapientissimi omnes; cum enim ingenia simul, & corpora assidua actiuitate lassentur, ni aliqua intermissione laborum suppeditaretur quies, sub operoso conatu natura ipsa succumberet, nec vlla ratione ad vlteriùs agendum per vires suas posset excitari; quapropter Seneca de tranq. animi leuandis curis, atque laxando liberaliter animo eas facit accõmodatas actiones, quibus dicimur aut inambulationibus apertis peruagari, aut sub libero cælo feliciter spatiari, aut rusticanum laborem extra seruitij necessitatem in secessu ab vrbe suscipere, aut deniquè littus maris aura leniter spirante permeare; quibus laxamentis ea adnecti solent fessæ mentis leuamina, quæ lætis nimirum studijs, iucundis meditationibus, oblectantibus etiam librorum lectionibus detinentur; hæcque omnia ad laxandum animum, atque à curis auuocandum plurimum Plinio contulisse ipsemet testis est lib. 5. ep. 3. quò etiam spectant carmina illa vulgatissima

Vtque sacri fontes non sola incendia sistunt
Sæpe etiam flores, vernaque prata iuuant.
Sic hominum ingenium flecti ducique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

At honestam animi remissionem captanti summopere cauendum est in eiusmodi studijs animum iucundantibus, vt obscænitates, turpesque voluptates omninò oblegentur, cum is vulgaris ille scopulus sit, in quem impingens animus, dum delitium quærit, vt plurimum periclitatur; neque

enim in hac re Plinij, & Catulli authoritati adhærendum est, qui tradunt paginam posse esse lasciuam, dummodo vita sit proba; est namque non minus temporum quam hominum corruptela non ferenda, quod id deliciarum, ac solatij quæratur in vita, quo non leuatur sed conspurcatur homo; quo argumento à finibus istius virtutis excludit Cassiodorus, lib. 4. ep. vltima turpia quædam atque otiosa theatrorum negotia inhonestis rebus, ac scenis turpibus agitata; quemadmodum etiam Plato 3. de rep. & 7. de legibus videtur turpia, atque obscæna theatra omnino proscribere præcipiens Comædis ne fabulas publicè agant, nisi priùs à delectis morum censoribus fuerint approbatæ; qua ratione etiam olim apud Romanos cautum erat, vt voluptuosis spectaculis Tribuni quidam præficerentur, qui scenicos cohiberent, atque à fædis vbi opus esset, temperarent; est namque ex monito Cypriani scribentis ad Donatum fugiendum theatrum obscænum, velut turpitudinis magisterium, in quo prostituitur pudor, omnisque libido exsuscitatur; qua ratione theatro illi lapideo quod extruxerat Magnus Pompeius sacrarij Veneris iure nomen impositum est ex eo præsertim quod fædissima spectacula in ipso agerentur, licet idem Pompeius ad præcauendum censoriam animaduersionem damnandum opus titulo templi cohonestauerit; sicut etiam omni æuo improbanda est illa animi remissio, quæ ex alijs inhonestis rebus, iocis, aut ludis captari solet; neque enim ad honestam animi remissionem conciliandam tolerabilia esse videntur gymnica illa certamina, quæ apud Veteres exercebantur cum vario Athletarum colluctantium vitæ discrimine; eiusmodi namque oblectationes iure vocabat D. August. lib. 2. de symb. ad Cathecum. ebrietates Diaboli; illas præsertim quæ à spectatoribus Scandalistarum percipiebantur: Erant autem Scandalistæ viri quidam viribus, & summa dexteritate pollentes, qui pueros ità excutiebant, vt in aere pendentes luderent, & varias historias exhiberent, de quibus hæc habet Claud. 2. in Eutrop.

Ad solitos capere iocos, & iurgia Circi
Tendere. Ne quicquam magna confligitur ira
Quis melius vibrata puer vestigia molli
Membra rotet, Verrat quis marmora crine supino
Quis magis nodes laterum detorqueat artus.

Quamuis enim perspicuum videatur id remissionis genus innoxium fuisse, si ex obiecto spectetur, tamen ob rerum adiunctarum barbariem Ethnicis æquè, ac nostris sapientibus semper fuit improbata inter quos Plinius præsertim 4. epist. 22. gymnicum agonem abolitum, tamquam prolis moribus incommodum summè commendat; & Theodoricus Rex apud Cassiod. lib. 3. epist. 5. tanto ludibrio eiusmodi spectacula ipsosque Circenses ludos insectatus est, vt cum in eam rem sibi faciendæ essent de more anteriorum Principum expensæ, eo excusauit necessitatem, quod expediat interdum etiam Principibus desipere ad populos oblectandos.

Nec

Nec minus in captanda animi remissione cauendi sunt ludi illi, qui licet humanam oblectent societatem, tamen vt plurimum in vitio sunt, vt præsertim sunt alearum, ac tesserarum ludi, qui licet vsurpentur à pluribus ad fessæ mentis, atque fatigati animi leuamen, cuius causa sunt instituti, à maiore tamen hominum parte solent ad quæstus atque ad auaritiæ sordes referri; Quod illiberalitatis studium à sapientibus damnatur in illis aleatoribus, qui omni tempore dicuntur per ludum non minus exerceri, quam insanire; quod præsertim de aleatore quodam perhibetur, qui semper auidius furente ludendi cupiditate, magis, ac magis in dies deficientibus facultatibus, agrum ipsum, quo parentum corpora condita fuerant, addixit ludo. Ex quo benè D. Cyprianus, vbi de aleatoribus disserit, primum aleæ inuentorem, ait, fuisse Zabulum, cuius nomen alij vertunt in Diabolum; is enim Zabulus non modo dicitur se insigni statua consecrasse, cuius in gremio tabula lusoria cernebatur, sed sibi quoque ab aleatoribus sacrificari voluit, antequam ludum aggrederentur; & inde etiam aleæ Diaboli tabulæ dictæ sunt, per quas vitiorum cohors in hominum excidium solet irruere; quò referri solet illud Chilonis Lacedæmonij ad Corinthios Legati pro incunda pace, qui cum inuenisset Principes Corinthiorum viros alearum ludo occupatos re infecta statim redijt, eamque in senatu excusationem adhibuit, quod sibi nefas visum esset Spartanam gloriam aleatorum societate maculare, cui persimile fuit illud Parthorum regis, qui ad Demetrium probri causa taxillos aureos misit, vt indicaret nullum sibi cum eo rege pertractandum esse pacis negotium, qui tanta vitij fæditate sordesceret.

Capiēda igitur quies, & honesta animi laxatio ab ijs rebus, quę naturę leuamen simul, & vitæ honestatem conciliare possunt, nimirum ab inambulatione per amæna loca, à suburbano secessu, à rustícano labore, ab auium cantu, & concentu, à Piscatione, Venatione, & aucupio, à musicis, & concentibus, denique à lætis studijs, sermonibus, & conuictibus; hæc enim omnia si pro tempore, ac moderatione adhibeantur, non omissis cæteris operibus quæ hominis statum, ac conditionem suscipere addecet, & vitio vacabunt, & virtutis honestatem præsecferent; honestam namque relaxationem, atque à laboribus intermissionem esse homini necessariam infirmitas humana exploratissimum facit, eademque est vox sapientum omnium experimento multiplici iam firmata; neque alio consilio data esse nobis à Deo aduersa prosperis interpolata, diei operibus intermissā noctis quietem notauit Damippus Pythagoræus lib. de prudentia, & bona fortuna; vt nimirum natura se ipsam huiusmodi vicissitudinibus instauranti homo in perpetua rerum sibi aduersantium permutatione à lassitudine recrearetur; qua etiam de causa, aiebat Democritus apud Stobæum, optimum quid esse, diebus operum dies festos adnectere; ne frangatur animus diuturnitate laboris compressus, ad quam rem canebat etiam Statius 4. Sylu.

——— *Exue curis*

Pectus, & assiduo temet furare labori
Et sontes operit pharetras, arcumque tetendit
Partus, & Eleis auriga laboribus actos
Alpheo permulcet equos; & nostra fatiscit
Laxaturque Chelys. Vices instigat, alitque
Tempestiua quies. Maior post otia virtus.

Cum enim ingenia habeamus maximè mobilia,& animos ea actiuitate prędiditos, vt necessariò aliquid perpetuò versent, sanè cessatio à labore per actionem aliquam animum ab operosiore conatu auocantem, & suauiter demulcentem ad nouum laborum cursum erit admodum naturæ congrua raròquiescenti; hacque ratione docuit Seneca in calce lib. de tranquill. animi, esse quandoque homini inambulationibus apertis vagandum, vt sub liberò cęlo multo spiritu augeat,attollatque se animus;quod remissionis genus Senecæ probatum vsurpabat etiam Nazianzenus, alijque quamplures sapientissimi viri, cum vellent animum à studijs reuocare, sæpè sæpius per maris lictora inambulantes, vt & aura aspirans leniter membra vegetaret, & cum eximia voluptate molli vestigio cedens arena subsideret.

Suauissima quoque, & animo laxando accommodatissima secessio suburbana aut rusticana procul ab vrbium frequentia indicatur à Sapientibus, in qua, & garritu auium, & modulatione veluti naturali concentu citrà artem parato pascatur,& recreetur animus, & etiam aucupio, ferarum venatione,& piscatione detineatur;non enim parum lętitiæ conferunt illa studia venationum, & à canibus acta certamina, quæ nec periculis, nec damnis constat exposita esse;vbi piscator pendens exesis scopulis aut deceptor instruit hamos,aut suspensus spectat pressa præmia dextra,aut tremulum sentit linea piscem. Sic etiam lectionibus, scriptionibus, studijs adblandientibus recreandus est animus,ita tamen vt semper obscænitas ablegetur; cum sit corruptela non ferenda atque omnino detestandus abusus illius animi remissionis, quæ extrà honestatem quæritur; neque amænum aut hilare aliquid esse animo potest, quo animus ipse fædetur; quod pari iure dicitur de turpiloquio sermonibus obscænis, theatris impudicis, alijsque eiusmodi ad inhonestatem incitamentis in quibus Nazianzeni præcepta Iambrico 3. lata accuratè obseruanda sunt ab omnibus remissionem animi captantibus, ne extra metam, & præscriptum honestatis contendant; inquit enim

Cantum malorumque horreas spectaculum
Et vana vitæ, gaudij, & Lernam improbi
Hominum indecora studia lasciui gregis
Qui Castitate turpe nil dempta putant.
Quodcumque labem visui accersit, fuge
Oculos vt ipse, virgines, serues tuos.

LEX

LEX LXXVI.

AD HOMINEM SIMPLICEM, ET VERACEM.

SIMPLICITATIS vox, quæ in moralibus vsurpatur, variosque suscipit sensus, ex eo veluti primigenio, & radicali fonte ducta est, qui apud metaphysicos circumfertur, quoque compositionis carentia designatur, iuxta illud, simplex est, quod non à pluribus constituitur; cum is quoque quoad mores simplex appelletur, qui commixtus ac multiplex non est, nec in varia abit, sed vnius tantum, & incompositæ est formæ. Quod multipliciter arridere potest, nam qui innocenti vita est, qui peccato impermixtam vitam traducit, nec vlla labe viuendi consuetudinem commaculauit, simplicis viri iure sibi vendicat nomen; eaq. ratione Nyssenus in disput. de anima cum Macrina sorore, simplicem naturam eam esse dicit, quæ est mali communione impermixta; quò spectare videtur etiam ea quæ de simplicicitate habentur apud Nazianzenum Iamb. 15.

Simplex vocatur, quisquis ad malum est piger
Versutus autem moribus quisquis duplex.

aliàs nomen simplicitatis non effusum in multa, nec distractum in res extraneas animum signat; qua ratione in sacris literis Iacob dictus est vir simplex habitās in tabernaculis, quia fratre in res externas, & venationem distracto, ac extrà se vagante, ipse quietus in tabernaculo, vni Deo, ac sibi addictus habitabat; & hac eadem ratione ille intentionis oculus à Christo simplex dictus est, qui in solo Deo defigitur, & nihil extra ipsum quærit.

Non rarò etiam ille dicitur simplex homo, qui quamdam animi lenitatē iniuriæ referēdę nesciam denotat coniunctā cum quadam naturæ bonitate, qua quis ægerrimè inducitur, vt de alio suspicetur præterquamquod apertū est, forisque proditur; optimè enim homo eo genio præditus appellatur simplex, nullam, scilicet, recondens iniuriam, quam ad tempus vlciscatur, nullamque seruans indignationem in latebris cordis occlusam, quod indignationis genus illud est, de quo habet Tragicus

Sola

Sola ira quæ tegitur, nocet.

qui igitur transacta iniuria iram abijcit, nec in aliquo pectoris recessu, aut flexu recondit, qui de explenda aut vindicanda iniuria non est sollicitus, meritò dicitur simplex sicut Columba, atque eiusmodi sanctam simplicitatem supra modum adamarunt Sanctissimi omnes viri; quemadmodum etiam ab ijsdem dicta est virtus maximè veracitati affinis, ex eo quod per ipsam homo non in corde, & corde loquitur, sed quod animo concipit, hoc verbis exprimit; hæcque est illa virtus, ad quam suos frequenter hortabantur Pythagoræi cum cælum, & astra colloquentes suspicere iubebant, vbi nullum adesset velamentum; aperta siquidem, atque euoluta loquendi ratio, quam simplicitas profitetur nomen veritatis seu veracitatis etiam apud antiquiores sibi vsurpauit, quod apud Philostratum in Amphiarai imagine deprehēsum est apud Lybium Gyrold. Syntag. 1. de Dijs, vbi refert veritatem niueis vestibus circumamictam fuisse descriptam; ex quibus perspicuum efficitur simplicitatem fictionis, & simulationis verbis, aut factis interpositæ odium indicere cuius veritatem adamanti; quasi ob vtriusque illius virtutis affinitatem vna in alterius munera se ingerat, & quod reuera est simplicitatis munus adiudicetur Veritati, quæ simulationes, & fictiones excludit.

Quoniam verò non omnis simulatio, & fictio semper in vitio veritati opposito statuenda est, operæ prætium est quædam statuere, quibus plerumque honestum sit ipsi veritati simulationis nubilum interponere; possunt siquidem inter colloquentes verba quædam implexa, ac veluti duplicitate fæta adhiberi, quibus tamen nec simplicitas læsionem patiatur, nec veritas ipsa violetur; cuiusmodi sunt verba vel æquiuocatione adhibita, vel restrictione quadam mentali prolata, in quibus numquam mendacium adest, dummodo tamen ex causa adhibeantur. Tria tamen à Sapientibus enumerantur vitia simplicitati, atque veritati maximè opposita, à quibus simplici viro summopere cauendum est, eaque sunt in agendo, ac loquendo Iactantia, Ironia, & Hypocrisis; habet enim Iactantia falsitatis notam in rebus ipsis suprameritum extollendis, atque iactandis; Iactator enim ostentatione ac venditatione rerum suarum id agit, vt is esse videatur, qui verè non est; Si verò fiat vt iactantia non sit adiuncta mendacio, tunc non dicitur veritas aut simplicitas læsa; quemadmodum contigit tempore Assueri potentissimi Regis, cum sumptuosissimum ac quidem magnificentissimum Proceribus regni construxit conuiuium, in quo immensas opes ac diuitias ostentauit; tunc enim dumtaxat dicitur Iactator mentiri, cum simulat habere quæ non habet, quod Assueri magnificentiæ non contigit; vnde dicitur iactantiæ crimen tribus modis ab aliquo admitti posse, quorum primus est si glorietur quis ea sibi inesse, quæ non insint, vel inesse maiora, quam insint; Secundus, cum quis gloriosè de re loquitur ex honoris, & gloriæ cupiditate, tertius verò cum quis ex gloriatione, atq. vana ostentatione lucrum, & pecuniā quærit; ex quibus iactatorū generibus tria præsertim nominat Arist.

nimi-

nimirum Diuinorum, Medicorũ, & Sapientum, qui vt plurimum eas sibi vẽdicant, & arrogãt artes quarum sæpissimè imperitissimi sunt; quæ hominum genera satis detestatus est Ennius antiquissimus vates ijs carminibus


Non vicanos haruspices, non de Circo Astrologos
Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium
Non enim sunt ij scientia aut arte diuini
Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli
Aut inertes aut insani, aut quibus egestas imperat
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam
Quibus diuitias pollicentur, ab ijs drachmam ipsi petunt.

Cauendum quoque est simplici ac veraci viro ab Ironia, quæ semper in vitio est, atque mendacium redolet, licet sæpe sæpius humilitatis, atque propriæ abiectionis speciem præseferat, vt cum fingunt homines se ijs carere bonis, quibus abundant maximè; in quo vitio positus est Socrates, cuius vita perpetua quædam dissimulatio, & Ironia visa est, cum semper, & vbique dicere non dubitaret, nescire se prorsus omnia, qui alioqui acutissimus philosophus esset, & rerum omnium scientissimus, de quo etiam adest Oprinsiliani testimonium, vitam Socratis Ironiam appellantis, ipsique velut mendaci detrahentis; quod hominũ genus non modo Ironicos vocat Xenophon, sed etiam Iactatores, exemplũ petens à quibusdam Lacedęmonijs, qui vestibus vtebantur vilissimis nec infrà genu demissis, vt frugalitatis laudem aucuparentur; quod tamen cum sapiens quid, & cordatus vir aspexisset, nouum, enimuerò, exclamauit gloriationis, & iactantiæ genus sub amictu villoso ac sordido animum contegere arrogantissimum; quod fortasse respiciẽs etiam D. Hieronymus dixit, sordidas vestes esse candidæ mentis indicia, mundique contemptum probare viliorem tunicam, ita tamen ne tumeat animus, ne habitus & sermo differant.

Hypocrisis denique veraci viro cauenda est, cum ipsa quoq. mendaciũ, & deceptionem ferat; est enim simulatio quędam in eum cadens, qui cum sit improbus, externa tamen specie probitatem simulare connititur; eo prorsus modo, quo histrionis actio, & ipsamet Oratoris pronunciatio à Græcis dicitur hypocrisis; histrio quippe alienã personam, Orator alienas lacrymas, & affectus imitatur; Hincque illud est, quod de Demosthene scribit in eius vita Plut. nimirum Demosthenem in dicendo hypocritam fuisse, quemadmodum etiã histriones alienæ personæ simulatores ab Aristotele alijsque Græcorum vocantur hypocritæ; itaque tametsi non omnis simulatio hypocrisis dici possit, ipsa tamen hypocrisis certa quædã simulatio est, hoc est illa qua personã alterius aliquis ementitur, ac propterea sine dubio veritati cõtraria est, quę nuda dicitur esse, & omnem simulationis faciem auersari; ex quo benè ille apud Plautum cum suaderetur alienam ementiri personam dixit

——— nolo ego assentari mihi
Ego verum, amo, verum volo dici mihi, mendacem odi.

LEX



LEX LXXVII.

AD HOMINEM SVI DECEPTOREM.



MAGNVS Albertus in suis doctrinis, sed præsertim in Ethicis semper admirandis eo dicit hominem esse sui ipsius deceptorem atque illusorem quod aut proprios tamquam idola veneratur affectus, aut proprios contegit, & excusat defectus; vtrumque enim malè sanæ mentis crimen est, & delirium, quo fraude irretitus hominis animus facilè propendet in vitia, aramque virtutis in se ipso cælitus constitutam diruit, ac euertit; cùm enim affectus nostri velut Numina inter cætera Deorum simulachra, vel luto ficta, vel ære fusa, vel auro recocta, vel ligno dolata, vel sculpata lapidibus, omnia sibi vendicent diuinitatis iura, eos etiam facilimè insita quadam naturæ propensione nos colere dicimur, ijs ingenium imolare, sudoresque nostros libare, idque propterea quod nos ipsos fallentes, atque desipientes ad virtutem non conuertimus animum quem fas esset à Dijs huiusmodi litatem auuertere. Neque nostra hic mens conijcienda est in illas veterum consuetudines, quibus nimirum olim Lacedæmonij Timorem, Spem Romani, Misericordiam Athenienses, Inuidiam cum Romanis plerique Græcorum, Pudorem, & Impetum rursum Athenienses Deos omnes auuerruncos venerabantur, sed solum ea affectuum Idola hoc loco excutere pertentamus, quæ in ara cordis vniuscuiusque summa cæcitate laborantis impiè consecrantur, vt ità facilius Ara virtutis, & probitatis in eodem humano pectore construatur, nosque ipsi tam violenta fraude decepti in præceps abire non cogamur.

Et prima quidem Idololatriæ origo, si altiùs repetatur, eam in huiusmodi affectus animique perturbationes, quibus omnis bonitas nostra, omnisque virtus præpeditur, esse referendam, tum sacra, tum prophana literarum monumenta testantur; Timor siquidem sæuissimus ille tortor animorum

rum perculsa semel mortalium pectora stultissima præsentis Numinis opinione ità delusit, vt nullam aliam sibi præsidij spem à Diuinitate manantem arbitrarentur, peruulgatum est enim satis illud à Petronio simul, & Statio

Primus in orbe Deos fecit timor

Non ineleganter etiam a Britannico vate expressum

Quippe Deum genitore metu mens cæca creauit
Ditem vmbris, Cælo superos, & Numina Ponto.

Dolori alios quamplures se ipsos tamquam victimas imolasse, alios alijs animi ægritudinibus testantur veterum testimonia ex ipso Sapientiæ tabulario religiosè decerpta; disertè siquidem Salomon, Acerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit; quod ab Egyptio Syrophane factum fuisse tradit Fulgentius lib. 1. Mithol. cap. 1. de Idolis; Idemque à M. Tullio satis dolenter vsurpatum esse in filiæ obitu author est luculentissimus Lactantius lib. 1. inst. cap. 15. Fortissimus quoque ille apud Virgilium Nisus virtutis suæ calamitate nobilitatus, impotentis animi cupiditatibus iura diuinitatis adiudicans, amicum alloquens Eurialum ita furias consecrauit, quas è vicinæ mortis afflatu luctuosè generosus imbiberat

——— *Dij ne hunc ardorem mentibus addunt*
Euriale? an sua cuique Deus fit dira cupido?

Vt igitur vnusquisque de optimo suæ mentis statu opinionis errore deiectus aut perditè concupiscit, aut impotenter irascitur, aut desperatè metuit, ità sibi vel amoris, vel iræ, vel timoris imaginem fingit in animo, cui prophana religione se deuouet, ac turpiter litat, eaque sunt nouitia illa, ac subitaria Numina ipsorum hominum ingenio, & halucinatione procusa, de quibus dicitur

——— *Sua cuique Deus fit dira cupido*
Dum sibi quisque Deas auida certamine fingit.

Quæ sanè excutere necesse est, si virtutis capessendæ flagramus amore, eos imitantes qui prima Deorum fana cum simulachris arisque funditus sustulerunt, atque expiatis fœdissimi cultus inquinamentis ad sanctiora sacra traduxere.

Alia quoque est humanæ mentis contumacia, quæ etiam luculento veritatis lumine circúfusa spontè cæcutiens, tenebras suas vel Sole teste clarissimas ne fateri videatur, semper excusat, atque excusando ad ipsos defectus corrigendos adstruit impotentiam, vnde summum, ac nocentissimum ipsi homini sui ipsius deceptori statim oboritur; sic enim animus quia infelicitatem non agnoscit, infelix, morbis libenter adulatur suis, atque ægritudinis causas accersitæ excusationis veneno proteruè pascit, ne obuiæ virtutis beneficio gloriosè depascatur, malè enim ominata excusationis natalitia, vel à primis nostris parentibus omninò exorta, vel saltem in primæuo

mæuo deliciarum horto primi criminis satu proseminatam, parietariam veluti herbam in omnium mortalium animos clanculum irrepsisse totus testatur orbis; diuinitatis siquidem desiderio tacta mulier in prima illa vniuersitatis infantia, ac sæculo innocentiæ verè aureo venenum viro suo luctuosa humanitate propinauit, & dum vterque graui se perduellionis implicat culpa, neuter scelus profiteri audens excusationem criminis obtendit, illa serpentis calliditatem, hic vxoris lenociniũ, & inde amissa virtus, fugata innocentia, deperditus est Paradisus.


Et si sacris miscere prophana quandoque fas est, Mercurius ipse tunc omni sceleri mancipatus decantatur, cum furum ductor, & lenonum doctor primò excusationem suppeditauit, hic enim immaturæ adhuc infantiæ, sed adultæ improbitatis puer, ætatula ad furandum gestiente è fumosa Vulcani officina malleum, forficemque subtraxit, atque vt furto excusationem obtenderet, dixit se id egisse, ne Vulcanus ad exterrendos vel necandos homines fulmina cuderet Tonanti. Sic Perfidus perhibetur Annibal dum perfidiam suam excusatione tuetur; Crudelis Sylla, dum crudelitatem excusat; fraudolentus Lysander dum fraudem defendit; Imprudentissimus Crassus, dum imprudentiæ adulatur; leuissimæ Hesiodi lachrymæ dum ferrea se excusat natum ætate; insulsum Homerici Nestoris Consilium, quo pacis Agamemnoni, & Achilli obiectæ tuetur errorem; ridiculum denique Euandri votum apud Virgil. aientis

O mihi præteritos referat si Iupiter annos.

Quin Iupiter ipse à diuinitate deflectere reputatus est apud Homerum, cum neglecta in Troianos prouidentia, in Idæ latebras coniectus, atque ad inertissimas voluptatis illecebras spontè prolapsus, aliò culpam, nimirum in Iunonem (vt aduertit Homeri Scholiastes Eustratius) deriuat suam, Iunonem ipsam, ad se excusandum acerbè increpans; verbera etiam, suspendium, incudes, & cætera eiusmodi rigenter obminitans; Agunt namque hi omnes excusationem criminibus suis obtrudentes, quod agebat prorsus Verula illa Harpastes nomine, quam narrat Seneca in Epistolis paternæ hæreditatis appendicem, quæ postquam vel ætatis vitio vel fortunæ infortunio intelligentiæ lumen amisisset, oculis etiam corporis capta, quoties in cubiculo deambulans viam non tam pedibus iniret, quam manibus prensaret, suæ semper cæcitatis ignara, cubiculi tenebras columniabatur, domus potiùs quam propriæ frontis auuersata caliginem; hi inquam, quoties densam, quam animo circumferunt, vitiorum noctem accersita excusatione extenuare contendunt, toties crimen intendunt, & augent.

At versa vice qui illustribus veræ virtutis radijs imbuti eiusmodi cæcitate non laborant, Cimeriasque refugiunt tenebras, vt se ipsos magis videant, atque in sui deceptionem non cadant, hi sanè longè feliciùs ad metam beatitatis procurrunt, famæ etiam immortalitatem capessentes. Non se excusat Socrates sine iure sine meritò ipsum calumniantibus Anito, & Melito,

atque adeo censetur optimus, & virtutis reputatur oraculum; & si ad carcerem compulsus est, eò volentem traxerunt fata, vt carcer detraheret ignominiam, notumque omnibus ac perspectum fieret, ibi carcerem non esse vbi virtus adest etiam ergastuli tenebras sole suo collustrans. Non se excusat Thrasea, & inde elogium admiratione plenum extorquet à Nerone, ex eo nimirum, quod asentationibus ità semper fuerit infensus, vt sui Principis rabiem prouocare maluerit libertate, quam beneuolentiam blanditijs emercari. Non se excusat denique Cato dum Pompeium, Cæsarem, & Crassum pro Reip. incolumitate lacessit, dum à Lentulo inter orandum publicè conspuitur, dum cum Vatinio contendens in preturæ petitione post habetur, & ideò verum, & vnicum viri Sapientis exemplar est appellatum. Caue igitur quisquis es, homo, ne sis tui deceptor, tuos affectus venerando, aut defectus excusando.





LEX LXXVIII.

AD

HOMINEM NON SIBI CONSTANTEM.



QVÆSITVM diù multis est, cur rectum, & honestum, quod stati, atque immoti ordinis esse oporteret, vtpotè constanti ipsius cæli nutum firmatum, in tam varias, ac multiformes viuendi leges abierit, vt nulla vmquam certa rectitudinis, aut honestatis forma proposita sit omnibus gentibus excolenda; Eaque tandem ratio, & causa educta est, quod tanta semper fuerit in varijs locorum plagis morum dissimilitudo, tanta rerum atque consuetudinum pro vario temporum decursu multitudo, tanta euentuum incertitudo, à quibus homines vt plurimum in hac vita dependent, tanta denique humanarum imbecillitas virium penè nullo animi instructa robore, nullaque obuallata virtute, vt vno, ac certo honestatis limite coerceri aut præfiniri nequiuerit; eoque ducta res est, vt quæ honesta, & iusta à quibusdam putarentur, eadem turpia, atque inhonesta ab alijs percenserentur, in eiusmodi rerum discrimina varias adigente rationes ipsa temporum, locorum, & euentuum vicissitudine semper irrequieta.

At inde præsertim tantam rerum varietatem, morum, & consuetudinum inconstantiam exortam testatus est Archelaus Socratis Magister, Laertio scribente, quod homo ipse in mutatione firmatus, nulla esset sibi ratione, opinione, arte aut doctrina constans, semper in homine aberrante iudicio, quo etiam factum est, vt nihil iustum aut honestũ natura putaretur esse, quæ semper eadẽ est, sed decreto tantum, atq. hominũ consuetudine; Vnde Stoici quidã & etiam Epicuræi honestatẽ pro libito, & turpitudinem adstruẽtes in rebus, omnis pudoris limites prætergressi, eorũ etiam, quorum fæditatem palã excubare nõ sinit, pudor ipsi in apertis ac propatulis locis exercere nõ erubescebant, putantes Stoici quidquid natura ferret, publicè gerere honestum esse; queãdmodũ Epicurei omnia sensu dirigere, ac voluptatibus metiri; cũ tamen contrà apud veteres Persas, vt testatur Xenophon, etiã turpe habe-

haberetur spuere,& emungi,quod vel ipsa compellente necessitate liceret; qui tamen ipsa horrescente natura honestum ducebant cum matribus, filiabus, atque sororibus in connubijs commisceri, hasque consanguineorum coniunctiones legitimas habebant, iuxta id quod etiam apud Athenienses compertum est in Cimone, qui quadam plaudente fama sororis Elpinicis matrimonio vsus est.

Inter Græcorum mores peritè, ac scienter saltare laudi ducebatur, idque quod decorum habebatur in Græcia, turpissimum erat apud Romanos,nam Lucio Murenæ in petitione consulatus obiectum est,quod saltator esset, & choreas duceret. Apud Spartanos pueris furari, & quamplurimos habere amatores honestum erat,& ingenuum;aliæ gentes vtrumque turpe, alterum etiam nefarium iudicabant. Athenis cum popularis aliqua seditio grassaretur, qui neutram sequeretur partem, peccabat in legem Solonis, Romæ verò factionibus sese adiungere,& ad partes accedere quondam capitale fuit. Messagetæ communes habuere vxores, connubia vaga, prolem incertam, at hoc apud cæteras nationes nihil fœdius habitum est. Quinimo virtutes ipsæ ex hominum inconstantia inconstanter receptæ, honestatem ipsam vicissitudini obnoxiam apertè declarant; Plato namque Remp. suam quam perfectæ honestati conformatam instituebat sine iustitiæ,& æquitatis studiò stare diu non posse sæpiùs affirmauit, Solon verò è regione in Rep. sua omnia iustitiæ munera, vt staret diutiùs, conatus est abolere, tum maximè, cùm lata ea lex est, qua omnium debitorum vincula soluerentur; qua fortasse ratione habet Philostratus lib. 1. cap. 19. Darium Cyri filium, & Artaxersis Patrem tantam pro locorum diuersitate in ipsa Iustitia inconstantiam comperisse, vt in fine vitæ Iustitiæ velut Numini sacra faciens ea protulerit verba (ò Domina si qua es vsquam.)

Religio ipsa,quæ firmus dicitur ab Athanasio mundi Athlas,cultibus, & ritibus semper varijs circumducta hominis pietatem ostendit semper inconstantem fuisse diuagatam. Primus mortalium Hastas colere cæpisse, lignaque delibrata corticibus,accepimus à Iustino lib.43. At hastas eiusmodi Romanis expositas esse pro solo Marte colendas ex Varrone tradit Arnobius lib. 5. cont. gent. Indi solas maximas arbores Deos putauerunt quas ferro violare capitale erat vt refert Cartius in lib. 8. populis verò Indiæ finitimis arbores eædem velut occurrentes larræ erant infensæ. Ægyptij beluas colebant velut Numina, bouem præsertim sub nomine Apis, quem tamen alij populi Ioui sacrificabant; Sic Lybes arietes,qui apud alios cędebantur pro victima,vt planè intelligeremus neque in virtute hominem sibi ipsi esse constantem.

Artē quoque nō sibi constātem hominem esse ex eo inferunt Platonici, quod veterū putarēt quidā artes omnes humano generi infensas maleficas, & exitiosas,Alij verò summopere proficuas,atque velut humanę indigentię leuamina fuisse excogitatas; qua de causa notauit Plutarchus in Solone le-

gem Athenienſibus latam eſse, qua parentibus omnibus indiceretur, natos cuiuſcumq. ordinis eſſent, arte aliqua inſtitui, ſiuè ob publicam, ſiuè ob priuatam vtilitatem; Sicut etiam apud Lacedæmones compertum eſt Artes omnes inuiolatæ legis ſtatuto extorres fuiſse à Rep. Etſi Herodoto fides adhibenda, apud Ægyptios vetuſtiores vitam duxere ſeptem tantũ hominum genera, Sacerdotes, Bubulci, Subulci, Inſtitores, Interpretes, Gubernatores nauium, Milites, & Duces; Quod tamen vetuſtis temporibus contigiſse fatetur Max. Tyr. vel ex obcæcata hominum mente, vel ex truculenta imperantium tyrannide, quibus potiſſimum humanæ naturæ leuamen aut fuit ignotum, aut ex notitia infenſum, & exoſum; canunt namque poetæ omnes aureo ſæculo ſublato ad abigendas egeſtates vitæ, declinandaſque miſerias Artes in lucem editas eſse

Tunc varia Venere artes; labor omnia vincit
Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas

non enim homo perfecto rationis polleret imperio ſi artes omnes à finibus exiſsent humanis; quin Imperator Nero artium, & diſciplinarum ſectator ſimul & hoſtis, cũ ab Aſtrologis audiret fore vt aliquando detruderetur imperio, pro reſponſione iambicum hoc dimetrum vſurpauit

Terra quæuis artem alit

innuens ſibi bonum aliquod numquam defuturum, licet exturbaretur imperio, dum in omni regione poſset artem aliquam exercere; hacque ſola ratione Romanam Iuuentutem monebat Ouidius, vt artium ſtudio, & acquiſitioni operam nauarent

Diſce bonas artes, moneo Romana iuuentus
Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis.

Cum itaque omni ratione vt animal ſemper mutans à recti cõſtantia aberret homo, nil mirum ſi perenni circumactus errore, numquam beatitatis quę quies eſt, & votorum meta, compos efficiatur; Indeq. fit teſtante Horat.

—— Vt rarò qui ſe vixiſſe beatum
Dicat & exacto contentus tempore vitæ
Cedat vti conuiua ſatur, reperire queamus

Ad id Plato in lib. de legib. hominem appellans Deorum ludum, fecit eumdem hominem velut pilam inconſtantem à cęleſtibus ad terrena, & viciſſim à terrenis ad cæleſtia iugiter ludendo curſitare, numquam immutabili conquieſcẽtem ſede, ſed varijs iugiter agitatum impulſibus modo ad ſublimia, modo ad inferiora depelli; ac ſi volubili ſemper circumſiſteretur orbę, vbi irrequietæ noctis tenebricoſæ volitant vmbræ, vbi incurſantes ſẽper angunt ærumnæ, vbi importabilia fatigant ac frangunt onera omni ſpe quieſcendi abacta. Ipſe homo eſt, inquit Boeth. in lib. 2. de conſol. qui dum in ſua rapitur deſideria ſine virtute, ſuam quoque inconſtantem efficit felicitatem; Idq. ex eo prouenit quod in tota rerũ vniuerſitate nihil cõperit homo ablata virtute, quo animus ipſe expleatur humanus; modo namq. qui priùs bonã

vale-

valetudinem velut summum optabat bonum, repente status conditione mutata, si egestate prematur, beatitudinem in bonorum copia in diuitijs, in opulentia positam ducet, etsi postmodum diuitijs opibusque circumfluat, sed summa se rerum ignoratione teneri animaduertat doctos scientesque viros beatos appellabit, & ità de reliquis deinceps bonis, quæ assolet mentis inconstantia facultati appetenti exhibere; Quapropter optimè docebat Stilpo Sapientissimus ille apud Senecam epist. 9. nullum esse sibi constantem virum, nisi qui sit ex virtute beatus, quod idem Stilpo sui ipsius exemplo apertè demonstrauit Demetrio, cùm iam capta patria, amissis liberis, relicta vxore, ex incendio profugus interroganti quid in tot iacturis amisisset, respondit, nihil, atque Stilponem eumdem hominem esse semper fortem, ac sibi constantem, cuius etiam doctrina ea fuit

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.


quò respexit etiam Diogenes apud Laert. lib. 6. cum ipsum adhortantibus amicis vt saltem in senectute extrema tam asperam vitæ consuetudinem leniret, respondit ad ipsum vsque mortis momentum sapienti benè agendum esse, & philosophandum, ne in homine virtute prædito decidat vmquam aut intereat constantiæ dignitas, atque præstantia; non enim pro tempore tantum florere potest bonum illud, quod firmum, & immobile ipsa natura fecit, estque malæ mentis inditium in rebus rectè peragendis aliquando fluctuasse

Vtcumque defecere mores
Dedecorant benè nata culpæ

aiebat ad rem Lyricus vates



LI 3 LEX



LEX LXXIX.

AD

HOMINEM IMPOTEM SVI.



TRIA sunt ex vulgatissima Sapientum doctrina, quæ summopere rationis arcem concutientia in homine, ipsum faciunt sui ipsius impotem omnino, ac sana mente deiectum, dolor nimirum, ira, & voluptas, quæ cum totam tum in parte irascente, tum etiam in concupiscente occupent eiusdem hominis ditionem, nil relinquere solent, quo queat ad lumen rationis euocari; licet autem dolore, & tristitia facilè perdatur homo (vt ait Heraclitus apud Plutar. lib. de iræ vacuit.) faciliùs tamen iræ, & voluptatis impetu à rationis imperio, ac bonæ mentis consilio deturbari fatendum est, hosque præsertim eos esse animi motus quibus homo à se ipso desciscit, constantissimè affirmat Seneca in lib. de ira; longè verò difficiliorem esse cum voluptate, quam cum ira concertationem, & pugnam multæ rationes euincunt, cum enim voluptas nobis innascatur, atque nobiscum adolescat à pueris, adeòque in naturam quodammodo vertatur, eam omninò prosternere maximè erit operosum; ira verò quæ non adeò immatura sumit initia, neque nobis est veluti insita neque à natura congenita, eo modo quo dicitur facilius accedere, facilius quoque dicitur depelli, dictum enim de ira est apud Horatium lib. 1. epist. esse furorem breuem

Vt facilis glacies interit ira mora.

Vtraq. tamen furente nimis hac animi perturbatione dicitur homo commoueri, atque vsque ad impotentiam sui quodammodo propelli; quo respexit Aristoteles in Ethicis lib. 3. cap. 10. vbi perturbationes eiusmodi ferinas appellat, hominem scilicet, è statu rationis in statum belluarum detrudentes; nec alia ratione docebat Plato homines maximè cum feris conuenire, cum ira, & voluptate feruescunt, nec vllum esse sceleris genus in quod per iram, & voluptatem non abripiamur, sunt enim voluptas, & ira vniuersa quædam, atq. immedicabilia mala quæ hominem totum inficiunt, atque animo tortorem afferant

Quippe

Quippe nec ira Deum, nec tela, nec hostes
Quantum sola neces animis illapsa voluptas.

De voluptate prolatum est à Silio Italico lib. 15. At de ira homini hostes geminante, atque rationem ad sensum pertrahente canebat Melanthius

Acerba patrat, mentem ab ædibus suis
Alias in ædes transferens.

Vbi enim ira est vel voluptas in sede sua non dominatur ratio, inquit Seneca; nihilque est quod non inuadat, & in quod impetum non faciat ira, & voluptas, cum ab homine libidine, & furore agitato vehementer erumpit; multos, inquit Plutarchus, tentauit cupiditas, sed innumeros iræ impetus sustulit, & si Pindarus in se ipsum excandescens arcus manibus laceratos conijcit in ignem, Xerses libidine simul percitus, & furore, flagellat mare, plagas incutit vndis, ac montibus, & plantis iratas, & amatorias mittit epistolas.

Ex eo verò voluptatis impulsui difficilius reluctatur homo, quam iræ, quod voluptas tota in sensu versatur, nullumque fœdus cum ratione solet inire, quod sanè non semper contingit in ira, quam sæpè docet Aristoteles obtemperare rationi; ac propterea ex hoc voluere quidam apud Clement. Alex. Cupidinem æstu cupiditatum euocatum in lucem interni hominis exoculatione cæcitate fictum detineri, quo grauior voluptatis vincendæ difficultas insurgeret, vt illa quæ inter tenebras insidias molitetur; & licet quandoque fertior, ac vehementior erumpat ab ira motus, quam à voluptate, ac propterea ex iræ furore potiùs, quam ex voluptate non sanus homo dicatur Orestes à Persio

Nunc face supposita feruescit sanguis, & ira
Scintillant oculi dicisque facisque quod ipse
Non sani est hominis, non sanus iuret Orestes.

Maiori crimine dicitur homo ex voluptate culpari, quam ex ira, eo potissimum, quod frequentiori vsu vsurpata voluptas, rationis vires validius lædit atque eneruat, adeoque ad resistendum fiat impotentior homo voluptati quam iræ.

At si intimiùs inuestigandum est, quid causæ sit, quod homo tam facilè à se ipso deflectat, fiatque tam leui negotio impotens sui in cohibendis animi perturbationibus, occurrent sanè tres illæ omnium difficultatum origines in humana natura, quas exponit Plato in Phædone, vt homo ad rectè agendum sibi imperandum cautior euadat, nimirum, modica in homine sui ipsius notitia, nimia animi cum corpore cognatio, multiformis denique eiusdem animi distractio iugi contrariorum conflictatione prosata; etsi primum spectanda est obcæcata mortalium mens in propria iugiter fatiscens caligine, ex ipsa malorum omnium initia prouenire facilè deprehendemus; si enim mens cui regnum totius hominis à natura tributum est, aciem suam ad ea quæ in

quæ in homine admirabilia condita sunt indaganda conuerteret, nil sanè homini optandum est, quo sibi facilè imperaret, motusque suos ferociter insurgentes ad moderamen virtutis lege præscriptum redigeret; at inde humani generis calamitates oppidò deplorandæ augentur, quod inertia quædam, seù stupor accedit, quod ad nostra cōtemplanda prorsus hebescimus, in alienis verò tantum perspicaces efficimur, eamque quam nostri intelligentiam exercere deberemus, vertimus in infortunium ex quo meritò dicat Persius Satyr. 4.

Vt nemo in se se tentat descendere, nemo
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Adhoc acerbè oculos sibi effodiens Democritus, fenestras animi, quibus in aliena prospectus aperiebantur obstruxit, vt sibi tantum ad animi affectus cohibendos vacaret, ac sui ipsius cognitioni, Aspendium imitatus non paulò præstantiorem quam Cytharædum, qui Cicerone testante act. 3. in Verrem, qui spreta tandem omni consuetudine, qua inter harmonica dies suos obire consueuerat, intimum dumtaxat animi concentum virtute modulante nitebatur exprimere; nouerat enim notitiam sui in vnoquoque homine disciplinam quamdam omnium pulcherrimam esse, quam qui ignorat, & metam recti, & honestatis præscriptam necesse est ignorare; hancque vim semper habuit illud Apollinis dictatum, Nosce te ipsum.

Neque hac solummodo ratione dicitur homo in effrænes, ac liberè exultantes animi motus, & perturbationes impotentem abire, sed eo etiam quod ex cognatione nimia, quam inter animum, & corpus natura constituit, mens ipsa cum sensibus rationis imperium detrectantibus mitius, & clementius segerat, quam par est; quod vt confirment Platonici Animas ante corporum effectionem stellarum numero pares in Cælo docent habitasse, inde per lacteum circulum ad hęc inferiora delapsas alis effractis in corpora tamquam in ergastula fuisse detrusas, ex qua ærumnosa societate eam animis ipsis labem opinantur adhærescere, vt voluptate, dolore, iracundia, cæterisque eiusmodi perturbationibus quasi clauis ipsi animi corporibus affigantur, eorumque formam induentes quadamtenus ratione corporati censeantur; indeque etiam vitijs semper atque perturbationibus commoueri, cursumque ad metam virtutis retardari. Sic omnem scelerum culpam in corporis, & animi cognationem reijcientes, neque animi innocentiam à vi, & impetu motuum aduersantium, & concutientium tuentur immunem, quod prorsus illud est de animis decantatum à Virgilio 6. Æneid.


Igneus est ollis vigor, & cælestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque nec auras
Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.

A qua Platonicorum opinione nec aberrans Plutarch. in eo libro in quo desidio-

desidiosos Epicuræorum mores exagitat, sententiasque conuellit, perturbationes omnes ex sola corporis consuetudine transcribit in animas, quarum veneficio animæ ipsæ à ratione virtutis elongantur, atque in belluas degenerare creduntur; Alæ enim quas vtrque ad volandum affinxit animæ Plato cognati corporis labe madefactæ ad volatum, ad captum virtutis explicari non possunt, cum nemo sit, qui ab humanarum rerum ludibrijs ab illecebris voluptatum, à sensuum lenocinio tam seriò atque constanter mentem auuertat, vt corporis contagione, & perturbati sensus affinitate infici se, imò persæpè corrumpi non sentiat, atque animam corpori quodammodo non immisceat; eoque modo quo de æneo Phalaridis Tauro Siculæ crudelitatis inuento decantatum est, homines coegisse subditis ignibus morientes non eiulatus sono vocis humanæ exprimere, sed in tauros propemodum commutatos, mugitus edere; sic animus noster non humanæ sæuitiæ sed diuinæ sapientiæ molimine corpore exceptus, eius contubernio mores quandoque induit ità corpori proprios vt in naturam corporis, ex Platonis Phædone quodammodo commigrasse dicatur; hincque amentiam in pueris, in senibus deliramenta, in cæteris omnibus furorum atque perturbationum fontes excogitauit Galenus, ex quo eo tandem deuenit, vt nescire se quid esset anima, alicubi fassus sit.

Inde denique impotens sui ad impetus perturbationum vincendos ducitur homo, ex quo homo ipse in sua simplicitate quodammodo multiplex diuisus, ac multiformis efficitur, idque nobis satis notum atque perspectum obtruditur Centaurorum exemplo, quos olim ingeniosa excogitauit antiquitas; qui cum vna res essent, corpus tamen, & pectus ad humani corporis formam gerebant, reliquæ vero eorum partes inaudita rerum permixtione in equum transfundebantur; quod sanè optimum est ex partibus inter se discrepantibus hominis coalescentis simulachrum, dum ratio in humani capitis arce, tamquàm in nobili Capitolio (vt ait Calcidius) imperium tuetur suum; sentientis verò animæ satellitium belluis etiam natura commune reliquis monstri partibus continuetur, quò etiam referuntur equi illi Platonici currus, cui aurigam mentem imposuit itineris moderatricem, & viarum peritam; ex iugalibus verò equis qui naturæ bonitate præcelleret, rationis appetitum referebat, intractatus verò, & contumax partem animæ sensuum motionibus agitatam exprimebat; quod est illud Ægyptiorum mysterium tres in homine Principes indicans partes, rationalem nimirum, irascibilem, atque concupiscibilem, quo pro templorum vestibulis vtebantur, Sphinge nimirum, cuius egregia forma virginem vultu mentiens, in auem paulatim, inde postrema corporis parte in leonem degenerare videbatur; tripartita si quidem hæc hominis diuisio, quæ, & Platoni, & Aristoteli, & Stoicis arrisit ea est, quæ maius facessit negotium adhoc vt homo vitam traducat compotem

sui; ait enim Clemens Alex. hominem ratiocinantem Deo subditum esse, ac facilè docilem, hominem verò irascentem velut immanem feram non longè à furore domicilium habere, hominem denique concupiscentem esse malorum omnium fontem, ex quo etiam vniuersa perturbationum colluuies ad depugnandos animos solet corriuari.





LEX LXXX.
AD
HOMINEM POLITICVM.

LIS est de Aristotelis mente in 1. Eth. cap. 13. quęnam ipsa fuerit cum inter politicos legum conditores, qui varias dirigente virtute constituere Resp. Cretensium tantum, & Lacedæmoniorum reliquis posthabitis memorauit Institutores, Lycurgum annuens, & Minoem. Cur non apud Indos Zoroastrum, Demonacum apud Afros, Mercurium apud Ægyptios, apud Argiuos Foronæum apud Spartanos Dicæarchum, apud Athenienses Cecropem, apud Eleos Parmenidem; apud Locrenses Zaleucum, Antiphanem apud Arcades, Hippodamum apud Milesios, aut alios eiusmodi præstantissimos viros legum conditores, quorum fortasse melius meminisse fas esset.

Non eo id factum esse censendum est, vt opinati sunt nonnulli, quod ipsi in legibus forma quadam condendis atque instituendis fuerint primi, ex quibus etiam cæterarum statuta Rerump. corriuata perhibeatur; latet enim adhuc, vel saltem anceps sententia peruagatur quinam inter mortales legumlatores extiterint primi; siquidem non apud Cretenses censetur Minos, apud Lacedæmonios Lycurgus, quam apud Hebræos Moyses, apud Athenienses Cecrops, atque apud alios alij: Quin legimus apud plerosque primam ferendæ legis originem fuisse Cererem, quæ ideò à Poetis legifera dicta est, quod ipsa prima frumenti serendi rationem edocuit atque in hominum commodum adhibendi, vnde postmodum homines in vnum coire cæperunt, vrbesque condere communi quadam statuta viuendi ratione

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris

Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.

De Cerere canit Ouid. 3. met. Quæ tamen de Cerere hactenus dicta eo argumento facilè refelluntur, quod Cererem fuisse constat annis ab initio mundi tribus millibus septingentis octoginta, certè post Solonem legislatorem Athenienſem, qui vixit à creatione anno termillesimo quadringentesimo sexagesimo; post Draconem, qui triginta annis Solonem præcessit; post Lycurgum, qui Lacedemonijs condebat leges anno ab initio mundi termillesimo centesimo trigesimo octauo, post Minoem in Creta regnantem ex Ioue, & Europa filium circà annum mundi bis millesimum sexcentesimum quinquagesimum, post Cecropem denique Athenis condentem regnum anno bis millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo; ex quibus tam varijs Legumlatorum temporibus accuratè à Io: Bussieres in floscul. histor. notatis coniectare decet, nec Minoem, nec Lycurgum, nec Cererem fuisse primos in orbe legumlatores, vt asserebant illi; nec propterea eos fuisse ab Aristotele memoratos legumlatores, quod ab ijs cæteræ Resp. regiminis formas acceperint.

Neque eo dirimenda lis est, quod Cretensium, & Lacedæmoniorum legumlatorum obiectentur exempla ad supremam inter cæteras illarum Rerump. decantandam dignitatem, qua præsertim Aristotelis æuo erant insignes; de Rep. namque Lacedæmoniorum scribit Cuspinianus in Cæsaribus inter alias facilè Principem extitisse, quod simul ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia fuerit constituta; habuit enim Regem qui vnius gubernationem, senatum qui paucorum potentiam, Ephoros qui popularem statum præseferebant; De Cretensi vero hæc habentur apud Antonium Thysium in fragment. Rerump. Cretensis Reip. antiquitatem Minos Legislator antiquissimus arguit, amplitudinem, & dignitatem, quod centum fuerit vrbibus habitata, & inter Græcos prima maris imperium adepta sit, de Creta quoque illud elogium concinente Seneca

O magna vasti Creta dominatrix freti
Cuius per omne littus innumeræ rates
Tenuere pontum.

Adhuc enim sub iudice lis ipsa maneret, cum non facilè constet, quænam Resp. dignitate, & præstantia celebretur illustrior, primatumque gerat, etsi inter vetustissimas Cretensibus, & Lacedæmonijs detrectantes obsequium posset Veneta Resp. adnumerari, hæc omnium dignissima, atque illustrissimo iure meritò habenda esset, quam diuinitus conditam, immò Deos ipsos eam posuisse testantur sapientiores omnes; Veneta enim Resp. & gentis vetustate, & intemeratæ libertatis prærogatiua, & rerum gestarum claritudine, & Classium opportunitate, & Patrum moderatione, & legum sanctitate, tantum consecuta gloriæ quibusdam videtur, vt si ex veteribus alicui primas concedere oporteat, propior primæ quam secundæ existimanda sit; Atque inter cætera eiusdem instituta, quæ in miraculum vs-

que ex-

que excreuerunt, id potissimum summa admiratione conspiciendum est, quod præstantissima regendi forma licet multiplici Procerum ordine constituta, nullam confusionem pariat, nullas insidias, nulla dissidia, aut coniurationes, sed semper constans sanctitas legum, atque magistratuum integritas perseueret.

Eo itaque dumtaxat in medium prolatos esse ab Arist. Legumlatores illos Cretenses, & Lacedæmonios, quod nouisset ipse eos in legibus condendis, atque in instituenda Rep. cæteris præstitisse, & in solam honestatem perfectamque viuendi rationem collimasse, de quibus etiam dictum perhibetur, vnum virtutis Regnum in Cretam, & Spartā deuenisse, Cretensibusq. atque Lacedæmonijs vnam legem fuisse virtutem, quæ Ciues beatos efficeret; vnaque siquidem iudicanda est (inquit Socrates in Gorgia) Politicæ, & virtutis genitura, vna dignitas, & Maiestas. Quod sanè nec sine ratione dictum est; cum enim actus, & obiectum Politiæ felicitas sit, vel vni tamquam singulare bonum, vel communitati vniuersæ tamquam bonum commune proposita, efficitur inde vt optima regendi forma ex sola virtute accersatur, soloque virtutis vsu comparetur; Neque ab ipso Platone optimum regimen iustitia pietate, prudentia, & sapientia firmante visus est dissentire Virgilius 6. Æneid. cum inter egregia virtutis opera etiam Remp. administrare connumerauit.

Excudent alij spirantia mollius æra
Orabunt causas meliùs cæliquè meatus
Describent radio, et surgentia sydera dicent
Tu regere imperio populos Romane memento.

Romanis etenim ars benè regendi, & orbi imperandi a sola virtute data est; & Numa qui ex Cassiodoro primus extitit politici regiminis institutor, cum ferocem populum sub Romulo nulla pæne lege, nulla virtute, sed tantum armis, & bello tractari posse videret, cicuratis pace animis, atque indito Religionis obsequio, vnam omnibus excolendam virtutis legem exposuit, vnde Romana felicitas in reliquo temporum decursu exorta est; Ipse siquidem fidei templum erexit quo vitarentur periuria, & iura inuiolata seruarentur; Deo Termino tamquam Iustitiæ, & Pacis præsidi etiam constituit sacram; Aliorum denique Deorum cultu, & veneratione omnium virtutum studia ciuibus æquè, ac populis indixit; nouerat enim cum Isocrate quod prima regiminis turpitudo, & calamitas est vitiorum labes; operumque fæditas quibus ars imperandi solet contabescere; & vbi politicus director in corruptos defluit mores, statim improbitatis triumphus efficiuntur ciues, & omnis recti regiminis oritur desperatio: Latè nimis serpunt imperantis contagia (aiebat Agrippa) sicut Crinitarum stellarum venena, quæ orbem imperij inficiunt, eiusdemque Elementa confundunt causa est, cur in sacris literis Antiochus vitiosus Politicus radix

peccatrix nominetur, cum ex flagitioso politico in apertum erumpant omnia scelerum germina, Ciuitatum excidia, regnorum conuersiones; Indeq. Assiriorum Monarchia, quæ per mille, & trecentos steterat annos, defecit in Sardanapalo, quem ad muliebria persa socordis ingenij lasciuia relegauerat; nulloque æuo erunt obliteranda. Tiberij Cæsaris infortunia, qui simulatione virtutis, atque induto politiæ dolo in flagitiorum delapsus extremum, omnium populorum abijt in derisum, atque abbominationem, egregiè annuente Tacito in 6. Annal. omnia Tiberij facinora, atque flagitia in supplicium viuentis fuisse conuersa iuxta Xenophontis doctrinam in 5. Cyropæd. affirmantis pudorem, & conscientiam Rectoris mali esse potentissima ipsius scelerum flagella, de quo politicorum ordine canit etiam Iuuenal. Satyr. 13.

Quos diù conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Sic vltrices Tartari furias in impij Regnatoris pectore sessitantes agnouit Trismeg. c. 10. cum Pimandri supplicia animæ post corporis depositum inferenda in scelerum vindictam, æstimari vult ex teterrimo eiusdem animæ statu etiam nùm corpori consertæ tormenta sibi inferentis ex scelerum cōscientia; quæ est etiam Tatij patrem rogantis, & Mercurij respondentis oratio, in qua impietatem esse ipsius impij regnantis supplicium maius satis euincitur; Idque fortasse cæteris apertiùs testatus est Caligula, qui licet fingeret (vt ait Suetonius) se cum Ioue quotidie fabulari, cum Castore, & Polluce familiariter colloqui, & versari, imo quandoq. etiam congredi cum Luna, vt sibi non solum pietatis, sed etiā Diuinitatis famam conciliaret nō serò intellexit palliatam virtutis vmbram verum ac lethale exitium peperisse, cuius etiam caro vt est apud Dionem, post mortem degustata est in derisum à quibusdam experiri peroptantibus an *Deorum* caro iucundi esset saporis.

A sola itaque virtute veræ politiæ nitor effunditur, cum sit illa elegantissima species, de qua ait Senec. in 1. de vit. beat. semper fulgens, semperque florens, nullo situ, nullis regnis, nullo sæculorum lapsu temeranda, omnibus, sed potissimum politicis summoperè adamanda, qui cum sint imperio maximi, etiam virtutis exemplo omnibus maiores esse debent iuxtà monitum Agapeti ad Iustinianum Imperatorem, Regentis mens speculum est, quod detersissimum esse oportet, vt diuinis radijs ad commodum ciuium, simulque egestatem accendatur; Inseruntur enim Reipub. viri politici, vt semper luceant, & extrà tenebras regant.

Hincque apud Ægyptios veteres regnatoris imago in Sole pingebatur omnibus summa benefaciendi virtute æquè fulgurante; quemadmodum etiam erat ijsdem imperandi ars singulari quodam studio ex Accipitris natura accersita, quod ipsis creditum esset quondam ab Accipitre librum de Cælo delatum esse puniceis literis de iustitia, & religione con-

conſcriptum, quæ res etiam fecit vt Accipiter in inſignibus pro ijs qui leges ferrent, & populo imperarent remanſerit; Nec ſanè Monarchia quæ eſt ars imperandi in vno conſtituta eſset hominibus ſalutaris, ſi liceret Regibus omni poſthabito virtutis, & rationis imperio omnia pro libidine impunè facere, ſola regente peccandi licentia; Neque Ariſtocratia, quæ optimatum ars eſt, ars optima diceretur, niſi virtute, quod optimum genus eſt vitæ, ſolidaretur; Nec denique haberetur Domocratia velut ars regiminis iuſti, niſi iuris æqualitate inter omnes ſeruata, Iuſtitiæ formas vbique gentium, & locorum exprimeret.



LEX LXXXI.

AD HOMINEM REIP. INSTITVTOREM.



MPII quidam olim impiè asseruerunt Respublicas à Deo irato,& pęnæ loco inductas esse, à quorum impietate nec multum absuit Epicureorum insania, qui dixere homines temerè ac fortuitò in politicam societatem conuenisse, quemadmodum nulla naturæ lege confluunt Atomi; cum tamen re vera exploratissimum sit Ciuitatis,& Reip. constitutionem à Deo,& Natura fuisse ad commune bonum procurandum; vnde optimè Tullius in 2. de off. ait, Natura duce homines cógregari ad benè beateq. viuendum; qua de causa docet etiam Arist. in 3. pol. homines omnes fuisse sociatos. Hinc multiplices Rerump. formæ inuentæ sunt, quibus eiusmodi communis beatitudo pararetur; indeq. dixit Arist. ipse in 3. pol. Necesse esse imperare aut vnum, aut paucos, aut multos. At plures ne, an vnus tantum aut pauci imperent, hoc minimè Reip. Institutori curandum est, sed solum ipsi cogitanda est regiminis forma, in qua ciues iustiùs, ac sanctiùs viuant.

Vetus autem ac peruulgata est inter politicos disceptatio, quænam sit inter Reip. formas præstantissima, ac præsertim diù agitata est apud Herod. lib. 3. inter Persarum Optimates post mortem Cambysis. Ottanes pro Democratia contendens eiusmodi rationibus Monarchiam oppugnauit, quod Monarcha pro arbitrio, ac libidine agat omnia impunè, moresq. mutet bonos sæpius in prauos; quod Tyrannus bonis cómunibus semper inuideat, rebus deterioribus in aliorum exitium conspirantibus semper delectetur; quod patriæ iura labefactet, fæminis vim inferat, indemnatos etiam interimat,& id genus alia perpetret scelera, & facinora, quæ omnia in Democratia non dispiciantur in qua omnium iura seruantur. At Megabizo in ea Persarum contentione multitudinis Imperiú placere nunquam potuit, & id-

circò

circo paucorum dominatum commendauit; aiebat enim multitudine nihil insolentius esse, nihil insipientius; Plebem sine consilio ad omnia præcipitem ruere, incertam vagam inconstantem; sicut contra ab optimis semper optima esse consilia. Darius pro monarchia certauit, in cuius sententiam pedibus itum est; & vt monarchia retineretur, apud Persas sancitum est.

Franciscus Patritius lib. 1. de Rep. præstantiorem iudicans Reip. Principatur qui à selectioribus viris geratur contra Principatum vnius his mouetur rationibus; primum exemplo Zeuxis prolato, qui perfectam Helenæ imaginem ex diuersis puellis delineauit, ait, vnum numquam inuentum esse, qui virtute omnes complecteretur, cum in Rep. plures sint, qui partem aliquam virtutis obtinere solent; quo circa in vnum collati ciues quasi vnum hominem præstant, qui multiplici ingenio, ac mente pollet, qui pluribus oculis cernit, qui pluribus demum pedibus ambulat, & innititur; hincque apud Veteres nullum purè Regium Principatum extitisse, fatetur, qui breui non sit in Tyrannidem conuersus; sicut contra plurimas multis sæculis perdurasse, ac pace, belloque floruisse Resp. quarum imperium multorum consilio, ope, & regimine temperatum est.

Hugo Grotius lib. de antiquitate Reipubl. Batauicæ cap. 1. cum in omni re id optimum sit, quod medium est, Rempub. illam probat, quæ inter regnum, & multitudinis imperium est constituta; & cum regnum præcipuè Maiestate, populi verò imperium æquali libertate commendetur, Rempubl. illam Principatus maiestate Principatum assequi, & æqualitatis quantum satis est, præstare, cum cuiuis è quouis ordine per virtutem ad summos honores, partemque imperij munit viam, & sternit iter.

Plato denique in lib. de Republ. & cum ipso Aristot. sæpè in polit. probare videntur vnius dominationem, dummodo sit optimis instructa legibus, quibus consentit etiam Plutarch. qui disserens de Monarchia, hæc habet; si optio eligendi concessa fuerit, non aliud eligat Sapiens, quam vnius potestatem, quod fuit etiam oraculum Homeri

Multos imperitare malum est. Rex vnicus esto

Ac propterea fortasse vsi sunt olim Monarchia Assyrij, Medi, Iudæi, Persæ, Macedones, Ægyptij, Parthi, Arabes, Indi, Ethyopes, Scythæ, & alij quamplures; Sicut etiam hodie Monarchiam retinent Galli à Pharamundo Rege, Hispani ab Athalarico, Angli à Britone, Hungari ab Attila, Boemi à Zecho, Sueci à Magoga, & alij populi ab alijs regibus. Eiusdēq. rei testes esse possūt antiquæ Græcorum vrbes, & Resp. quæ antequam cæca imperandi cupiditate laborarent, sub regio Imperio tranquillè, beateque vixerunt. Atheniensis Resp. Reges habuit à Cecrope ad Codrum; Lacedæmonij à Selege vsque ad Cleomenem; Sicyonij ab Agialao vsque ad Ceusippum; Thebani ab Ogyge vsque ad Xanthum, Corinthij ab Epyro vsque ad Thelestem, Romani denique à Romulo vsque ad Tarquinium superbum.

Plures tamen,an vnus,an pauci imperent ad optimè instituendā Remp. parum intereſt profectò,dummodo Reip. institutor quæcūque ſit,ſiue Monarchia,ſiue Ariſtocratia,ſiue Democratia,in id vnum ſua institutione collimet, vt ciues ſemper iuſtè, ac ſanctè vitam traducant; & prima Reip. baſis pietas,atque religio conſtituenda eſt;quippe vt Cicero ait de natura Deorū Pietate erga Deum ſublata,fidem, & humani generis ſocietatē tolli neceſſe eſt; quam ob cauſam prima Romuli cura fuit, iactis vrbis Romanæ fundamentis,Religionem etſi vanam,& ſuperſtitioſam,ſtabilire; quem poſtea ſequutus Numa Pompilius ità feliciter regnum firmauit,vt quamdiu conſtitit eius imperium, nemo illi bellum aut cladem intulerit; cum enim Religio ſit non omnis Reip. dumtaxat ſed etiam omnis humanæ ſocietatis vinculum, cuius ſanctitate omnia commercia,& fœdera ſanciuntur,hæc ſi Reip. deſit, omne quod firmū eſt, & ſtabile ſtatim nutat,ac trepidat. Neque eſt ſatis ſine Religione Remp. nō eſſe,ſed vnam tantū eſſe, & veram oportet: & ſicut vnus eſt Deus, ita vnus cultus, religio vna eſſe debet. Quod ſi Ægyptiorum olim Reges promiſcuā religionē permiſere;eo id egere myſterio, vt nūquā vnanimē populū haberent,ſicq. difficilius congredientē atq. coniurantem.

Alteram velut potiſſimam Reip. baſim debet Reip. Institutor conſtituere Iuſtitiam legumque obſeruationem, qua, & benè merentes præmia ferant,& facinoroſi ſupplicia;ſi enim diuinam authoritatem conſulamus Salomonis oraculo conteſtatam,accipiemus ex cap. 16. prouerb. Iuſtitia ſolium omne firmari; Si humanam, ait Plato 2. de leg. Iuſtitiam Ciuitatum fulcium eſſe,neque abſque Iuſtitia Iouem ipſum Principatum gerere poſſe; Si denique rationem, ſanè inueniemus ſola Iuſtitia Reſp. & Regna fundata, aucta atque in ſummitatem gloriæ, potentiæ, atque amplitudinis propagata; Sicut contra vbi per impietatem locum obtinet Iniuſtitia, Iniuria, legum violatio, inde ſtatim Reip. euerſio contingere ſolet, ad rem loquente Seneca in Thyeſte

——— vbi non eſt pudor
Nec cura Iuris, Sanctitas, Pietas, Fides
Inſtabile regnum eſt.

Vnde iure optimo dixere quidam, quod omnis Imperatoria Maieſtas armis, & legibus innitut tanquam binis potentiſſimis brachijs, quibus armata ſimul, ac decorata ad altiora ſemper euehitur; hincque palmari pluſquam errore decipiuntur illi, qui ſperandam ſolummodo faciunt à ratione ſtatus pro libito adhibita Reip. felicitatem, quaſi Iuſtitiæ, & legum obſeruatio cum publico bono paciſci minimè queant iuxta illud Lucani lib. 8.

Sceptrorum vis tota perit, ſi pondere iuſta
Incipit.

Quantum enim ſcelus ſit pro imperij amplitudine, ſeu pro alia ſtatus ratione leges,Iuſtitiam, & pietatem contemnere, quamplurium Rerump. exempla ſupremum earum exitium oſtendentia ſatis probant.

LEX



LEX LXXXII.

AD

HOMINEM REIP. ADMINISTRATOREM.



LATO in lib. 6. de leg. & 7. in lib. 5. & 6. de Rep. fœminas etiam promiscuo hominis nomine comprehensas à munijs Reip. obeundis minimè secernit, aitque nullum inter eos, qui ciuitatem curant officium esse mulieris proprium quà mulier est, aut viri proprium quà vir, cum omnium operum supremi conditoris lege, eademque natura compos sit fæmina, quorum particeps est vir; atque ob id denique iubet Magistratus debere esse vtrisque communes, & officia æqua ratione ab vtroque sexu esse exercenda ne per munera à fæminis remota dimidia reddatur Ciuitas, nec vndequaque perfecta, adductis in exemplum Sauromaticis mulieribus, quæ tempore ipsius Platonis circa Pontum tum pedestrem, tum equestrem exercuere militiam, quemadmodum etiam perhibetur de mulieribus Spartanis, quæ promiscuè ludis etiam virilibus exercebantur in palestra absque vllo à viris ipsis discrimine, de ipsis enim canit Propertius lib. 3.

Multa tuæ Sparte miramur iura palestræ
Sed Magè Virginei tot bona gymnasij
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros
Puluerulentaque ad extremas stat fæmina metas
Et patitur duro vulnera Pancratio.

huicque Platonis sententiæ videtur annuere Plutarc. in opusc. vbi de virtutibus mulierum disertissimè loquens, ait mulieres quoque indolem ad omnem virtutis speciem aptatam à natura sortitas esse, itaut ipsæ quoque si institutio non desit, omni Reip. munere perfungi queant, cum nihil intersit

quoad hanc insitam à natura aptitudinem inter viros, & mulieres; potest enim Saphus cum Anacreõte quoad carmina comparari, sicut Sybillæ cum Bacide quoad oracula; eandemque persæpe nanciscuntur formam Semiramidis, & Sesostris magnificentia, Tanaquilidis, & Seruij Regis calliditas, Porciæ magnanimitas, & Bruti, Timocleæ, & Pelopidæ virtus, & sic de cæteris. Quin apud Argiuos ne vllum inter virilem, atque muliebrem institutionem haberetur discrimen in sacris publicis peragendis promiscui adhibebantur amictus, viriles enim tunicas induebant mulieres, vittas verò fæmineas vestiebant viri; vbi etiam lex lata fuit, quæ & mulieres barbam iubebat habere, vt incognita sexus distinctione in æqua viuendi consuetudine, atque publicorum officiorum exercitatione, communia etiam subirent munera, quæ Reip. benè gerendæ prodessent; ac propterea etiam mulieres Celtarũ ita erudiebãtur ab adolescentia, vt cũ adoleuissent, Consultationibus Reip. grauioribus admitterẽtur, quod vulgatissimè patet in fœdere illo inito ab Annibale cum Celtis, in quo statutũ est, si aliquid Celtis à Carthaginensibus obijceretur, causam cognitionum penes mulieres extituram.

Nec desunt pro doctrina Platonis validæ rationes, nam fæminæ, quã plures, si benè instituantur, possunt ad apicem scientiæ, Consilij, & pietatis peruenire; fuere enim inter ipsas Sabæ insigni sapientia, Corneliæ multiplici rerum cognitione, Artemisiæ rara fortitudine, Tamyres robore bellico, & eiusmodi aliæ plures alijs animi dotibus præstantissimæ; Quia apud vetustiores Ægyptios regij dominatus insignia à Regijs tantum gestabantur vxoribus, & apud Germanos quod maius insurgeret facessens negotium, solo fæminarum consilium regebatur, quod etiam Deorum reputabatur oraculum; Etsi sexum vniuersè respiciamus, non rarò contingit, maiorem esse in viris quam in fæminis animi, & etiam corporis imbecillitatem, quod præsertim apud Troades visum est, cum primum Latium conuenere, & etiam apud Persides sub Cyro Rege, à quo lex posita est in honorem muliebris fortitudinis, quia insignis victoria deportata fuerat, vt quoties Rex in vrbem intraret singulis mulieribus aureus daretur nummus; quam legem seruauit postea etiam Alexander, qui bis intrauit, & duplum fæminis grauidis dedit; Ac denique si ampliora virtutis ostentamenta quæramus ea inueniemus apud mulieres Tyrrhenas, apud Milesias, Licias, atque Salmanticas, quæ omnes fastigium gloriæ etiam in rebus publicis administrãdis occuparunt.

At ne in hac re videamur potiùs ex mulierum amore, quàm ex veritate Platonis sententiam patrocinari, Aristotelis etiam doctrina proferenda est, qui licet in polit. sæpè dicat mulieres quoque, & puellas esse accuratè instituendas, non tamen adprobat esse ad publica Reipubl. munera, & officia promouendas, quin potius eas excludit velut ineptas omnino, virosque solummodo fuisse ad tantam rem à natura destinatos; mulierum, namque innata debilitas, ac mentis halucinatio in ciuilibus congressibus potius nata est detrimentum, & noxam inferre, quam adiu-

adiumentum, & vtilitatem; atque ob id constanter affirmat Aristot. 1. polit. Marem semper imperare, fœminam semper parere debere; qua ratione Sapientiores omnes fœminis consilium, & Imperium interdicunt, easque iugo seruitutis semper premunt, cum sit mulierum genus leuissimum nullamque retinens soliditatis constantiam, quæ maximè deseruit imperiis, atque Remp. administranti; Ex quo in Athenarum Areopago cum ageretur de mulierum institutione, definitum est, eas esse quam maximè arcendas à publicis curis, & muneribus propter garulitatem, morositatem, ruditatem, & mentis inconstantiam, cuius causa dicta est etiam fœmina leuior vento, fulmine, fama, vnda mollior, mobilior, inconstantior; vnde benè mulierem dixit Quintilianus, sexu suo velut vinculo ligari ne suæ domus limites egrediatur cum ad summum mulier ad id nata sit quod innuit Claudianus

Nascitur ad fructum mulier, prolemque futuram.

Quibus omnibus ducimur fortasse cum Aristotele fœminas omnino ineptas ad gerendam seu administrandam Remp. iudicare, virosque tantummodo decere publicis oneribus, ac muneribus admoueri, etsi Senatus vnquam ex mulieribus constituatur, vt contigit in monte Quirinali ad nutum Matris Heliogabali Imperatoris, potius Senatuli nomen gerat quam Senatus.

Plato verò qui muliebrem sexum ita extollit, vt doceat in omnibus cum viris communicare, bella gerere, Ciuitates Cōsilijs gubernare, omne deniq. sapientiæ genus intellectu, mentisque acie exercere. Ipse quoque in Timæo, atque alijs plerisque locis fœminam ex viris solummodo intēperantibus, iniustis, ac timidis nasci posse confessus est; quid nō modo è corruptis quidem viris fœminam esse gignendam asseruit, verum etiam eo generationis tempore, quoniam heroibus procreandis iam esset effœta natura; vt inde etiam traderet in 6. de leg. mulieris naturam non solum hominis dimidium esse, sed longè etiam qualibet virili virtute deteriorem. Illudque præ cæteris est in Platone mirandum, qui cum mulieribus, vt ferre testimonium possent, non nisi cum quadragesimum annum excesserint, liberè concedat, easdem postea voluerit publica inire posse cōsilia, Magistratus subire, atque Remp. ipsam administrare. In qua re si affirmet quis Platonem sententiam mutasse, cum hæc in lib. de leg. proferat, non potuit sanè Plato mulieris mutare naturam, eiusque sexus cognitionem, maximè cum è sacris literis acceperit Plato (vt non pauci existimant) mulieres ex generis leuitate, atque procacitate non esse in testes vlla ratione admittendas; cuius instituti consuetudinē neque olim aspernati sunt Romani, teste A. Gellio, cum Tarratiæ tantum Vestali ius testimonij ferendi ex priuilegio tributum fuerit; & Socrates ipse qui nunquam à Platone dissentire visus est in 1. de Rep. mulieres damnat velut vile genus, & auarum, monetque victores in bello, ne quidquam mortuis detrahāt prçter arma, cum sit muliebris auaritia, & vilitas cadauera spoliare, quod fermè ad vnguē expressit etiā Virgilius 11. Æneid. illo carmine

Fæmineo prædæ, & spoliorum ardebat amore

Quod si videntur fauere Platonicis mulieres nonnullæ apud quasdã gentes in Senatu adhibitæ, quales fuere Artemisia Xersis vxor, Agrippina Claudij Neronis mater, mater itidem Heliogabali, & Mesa eiusdem Heliogabali auia; ea tamen cum corruptiorum temporum portenta fuerint, non debent sanioribus ætatibus ferre legem; reliqua si quidem, quæ ad hanc rem afferuntur exempla de Celtis mulieribus, de Lacedæmonijs, de Atheniensibus, veteribusque Germanis aut omnino barbara sunt, aut sapientiori consuetudine prorsus abolita; atque vt prorsus à publicis rebus arcerentur mulieres ea lex postmodum omnibus Rebusp. indicta est à Vigilio 7. Æneid.

Bella viri, pacemque gerunt

Sicut etiam illa alia ab hac non omnino discrepans ab Ouidio lata est ad mulierem quamcumque 12. Met.

I, cape cum calathis, & stamina pollice torque
Bella relinque viris.

Cũ enim in rebus omnibus siue bello, siue pace gerendis maxima prudentia opus sit, hacque vt plurimum destituantur fæminæ, quę natæ sunt vt tantum generent, atque ab hominibus decipiantur, idcirco fit vt à Reip. administratione sint semper ammouendæ mulieres; diuina siquidem prouidẽtia actum est vt timidiores, atque imbecilliores viris ad omnia nascerentur mulieres, quo solum custodiæ, & diligentiæ rei familiaris destinarentur, & ita ipsę quę domi sunt, viri verò, quæ foris curarent, nec vnquam æqualiter cum viris communionem haberent; Si quis verò fęminarum notas, quibus plerumque omne malorum genus in Remp. inuehitur, clariore luce intueri peroptaret, ea saltem ex ioco Phocilidis carmina perlegat, quæ ex poetica morum philosophia referuntur apud Crispum Gallipolitanum distribut. 11. lib. 10. quæ licet omnibus vniuersè fæminis censuram non inferant, quamplurimas tamen afficiunt vt legenti patebit.

Primum seorsum à fæmina mentem Deus
Creauit. illam ex hispida setis sue
Cui cuncta cœno fæda sordido, domi
Humi supellex turpiter peruoluitur
Illota, & ipsa veste turpis, squalida
Pinguescit alto desidens in stercore.
Aliam è scelesta vulpe formauit Deus
Quæ cuncta nouit, nec boni quicquam, aut mali
Ignorat: hoc in genere plurimum boni
Inest, maloque plurimum; ac sæpe temerè
Modo huic, modo illuc flectitur mobilis
Alia parentem moribus refert canem
Maledica cuncta audire, cuncta cernere
Intenta, & acri cuncta figens lumine


Passim

Passim errat, etsi neminem conspexerit
Oblatrat. Hanc vir nec minis compescere
Queat, nec ira turgidus, si excusserit
Et silice dentes, nec suaui blandiens
Sermone, nec si sedeat inter hospites
Sed pertinaci iurgio incassum furit.
Hanc fabricarunt terream Dij: inutile
Onus marito; nec boni quicquam, aut mali
Quæ norit: vnum id docta tantum grauiter
Comesse; & algens bruma cum induxit niues
Horrens sedile propius ad focum mouet.
Nunc animum ad illam verte; quæ nacta est mari
Modo læta totum gaudet, ac videt diem
Vt hospes illam laudet intuens domi
Nullamque iuret fœminam vsquam gentium
Bonis honestisque hac priorem moribus
Alias nec vlli facilis aspici, neque
Patiens adiri propius indomitum furit
Ceu fœta catulis accubans tenellis Canis
Insuauis aspera, tristis ex æquo hostibus
Eadem, atque amicis; instar instabilis freti
Quod nunc per æstum leniter stratum iacet
Fluctu quieto, & gaudium nautis parit,
Plerumque vasto sæuiens cum murmure
Attollit vndas: illius planè refert
Quæ nata ponto fœmina est, imaginem
Ingenio, & ira ceu fretum mutabili.
E cinere, & asina exercita molestijs
Effecta, tandem vix coacta vi, & minis
In officio erit desidens in angulo
Noctem diemque se cibis ingurgitat
Ad Veneris autem furta amicum quemlibet
Aduentitantem suscipit promiscuè.
Mustela genuit aliud infelix genus
Miserumque formæ, nulla cui sit gratia
Nihil suaue, nulla illecebra, nihil amabile
Inane amoris, atque mansuetudinis
Et coniugalis negligens thori, viro
Præsente acerbo nauseat fastidio
Furtisque multis noxia est vicinia
Nedum immolatis vescitur etiam sacris.
Aliam equa mollis genuit exultans iuba

Fugitans laboris, & operum hæc seruilium est:
Nec admouebit aut molæ manum, aut cribrum.
Tollet, domo nec efferet sordes, neque
Furno assidebit, verita ne fuligine
Contaminetur; se coacta coniugi
Simulat amicam; bis quotidiè, interim
Ter abluit se, et spargit vnguentis comam
Densam per humeros fusa flore verticem
Vmbrata; pulchrum cæteris spectaculum
Miserum marito: ni Tyrannus quispiam
Sit; Rexuè gaudens apparatu huiusmodi.
Hæc è parente Simia est; qua Iupiter
Non tribuit homini pestilentius malum.
Huic singularis est deformitas
Gradiens per vrbem risui est passim omnibus
Ceruice circum vix caput flectit breui
Depygis arens osseis crurum artubus.
O tale monstrum quisquis amplexu fouet
Miserum maritum. Callet instar Simiæ
Mentesque moresque omnium; nec soluere
Risu ora curat, nec studet quicquam boni
Facere, sed vnum id cogitat totum diem
Secumque versat, arte qua tandem scelus
Designet aliquod maximè nefarium.
Ex ope creatæ coniugis felix vir est
Quæ sola nulli crimini est obnoxia
Vitamque longam, et floridam facit viro
Caroque cara consenescit coniugi
Fæcunda pulchræ, et splendidæ propaginis
Interque cunctas fæminas spectabilem
Decore circum gratia ambit vndique
Diuina, segnes nec frequentat circulos
Vbi de Venereis fabulantur fæminæ.
Tales mulieres Iupiter longè optimas
Et singulari præditas prudentia
Præbet benignus, et fauens mortalibus
At reliqua genera callido Iouis dolo
Creata cuncta sunt, et apud homines manent.
Has nempe pestem Iupiter grauissimam
Produxit, etiam vt ferre si quid commodi
Videantur, ipsum id fit Marito incommodum;
Nec iterum vnquam transiget lætus diem

Qui cum muliere degit vna : nec famem
Diram è familia contubernalem, Deumque
Hostem repellet facilè. cum vir maximè
Animo videtur lætus, aut fato Deum,
Aut hominis ergo, tum reperta criminis
Occasione comparat se prælio.
Nam sicubi ædes vxor vllas incolit
Nunquam hospes hilare poterit illic excipi.
Tam maximum istuc Iupiter genuit malum.

Cætera quæ in probrum mulierum infinita penè afferuntur, non est hic nostri instituti referre; quin eas semper intelligimus exceptas mulieres, quas ad alta magis virtus euexit, quam natura.





LEX LXXXIII.
AD
HOMINEM CIVEM.

Triplex & vulgatum hominum ciuilium genus commemorat Plato in lib. de Repub. Quidam dicuntur viri ciuiles à natura quidam à virtute & electione, quidam verò à fortuna, & ab euentu; Homines à natura ciuiles ij sunt, quibus datum est vel inter Ciuitates conciues enasci, vel saltem ciuilium bonorum communitate gaudere, non solitarios esse, aut in montibus satos, aut pagorum cultores, vel heremorum incolas; Ciues à virtute & ab electione censentur illi, quos è gregario cætu sustulit animi cultus, studiumque operariæ virtutis ad quemdam dignitatis splendorem euexit; Ciues tandem à fortuna aut ab euentu dicuntur ij quibus quouis etiam generis, ac virtutis splendore destitutis ita secunda afflat fortuna, vt inter nobiles, virosque ciuiles reputentur, quamuis nullam sortiantur claritatis indolem; At hoc licet triplici ac Vulgato ciuilium hominum numero præscripto, non sunt veri ciues illi censendi, quos tales solummodo genuit natura, aut fecit esse fortuna; cum enim non bene regatur Ciuitas quæcumque absque virtute leges & iura regiminis edictante, neque veri ciuis nomen potest ille gestare, qui in Ciuitatis bonum haud virtute conspiret; omnis siquidem homo, vt scitè tradit Aristot. in 1. polit. à natura animal ciuile & sociale est, & homo omnis etiam à fortuna ad ciuiles honores, & magistratus potest attolli, at non proinde euadet ciuis ille de quo ait Claudianus

Tu ciuem patremque geras

quod ex Sophocle desumptum in Antigone alij in hos iambicos versus transtulere

Sic gerito ciuem, patrem vt interim geras
Et omnibus fac consulas, sed non tibi
Te damna publica moueant, sed non tua.

Ex

Ex quo aiebat Solon esse valdè dolendum cum reperiuntur in Republ. ciues proprij tantum commodi munera obeuntes, atque in publica vtilitate penitus torpentes; hi etenim, quorum in thalamos intrant publica damna pro priuatis beneficijs peccant in Ciuis dignitatem, & nomen, eosque tamquam animalia Rempubl. arrodentia dicitur è Ciuitate eiecisse Antoninus Pius qui veros Ciues Decios Romanos tantummodo prædicabat, quod se ipsos suaque omnia pro patria deuouissent; non secus ac Metellus, qui antonomasticè Romanus Ciuis inde dictus est, cum labente Republ. ipse diutius noluit esse superstes, extat enim adhuc illud insigne eius virtutis testimonium in monimento propè Eboram in Lusitania, Patria cadente cum ipsa cecidit, morte optata, luce inuisa; Ex quibus inferre necesse est verum ciuem eum esse qui virtute fulgescit in ciuitate ad solum commune bonum irradiante; qualis etiam à Plutarcho dictus est inter Thebanos Epaminondas; Inter Athenienses Hermodorus, Aristides, Themistocles, & inter Romanos Scipio, Tullius, & Rutilius; de quibus etiam illud intelligendum apud Ciceronem in Catone maiore dictum iam per omnium ora vulgatum, Reipub. prodesse magis decem Ciues similes Nestori, quam decem Aiaces licet strenuos, & inuictissimos duces, ea lata ab Aristoxeno Philosopho ratione apud Lactantium, quod nimirum Ciuitatis anima sit bonus Ciuis, hancque procreet animam sola virtutis consonantia.

Hinc velut animam à suo corpore secretam existimat Plato in lib. de rep. Ciuē illum, qui in solitudine gerens nil gerit aut eorum mouet, quæ Reipub. vel Ciuitatis postulat status; non enim de ciuium numero censendus est, qui omnia velut membrum solitariè viuens in sui gratiam, vtilitatem, & commodum facit, quique remotus ab omni prorsus societate ciuili, neque consilio, neque opere, neque authoritate Rempub. adiuuat, cuius etiam vita dicitur tantum in se ipsum reflexa; Si verò sit Ciuis, qui solitariè viuat, vt melius rebus Reipub. consulat aut prouideat, vt de quibusdam Athenarum proceribus iactatum est, is eiusmodi ducens vitam summoperè commendatur, vtpotè totus in suos ciues transfusus & erogatus; hancque ducentes vitam Architectis persimiles sunt, qui sedendo plus faciunt operis quam agendo, & laborando, laborante iugiter in ijs animo, in gratiam ciuitatis solitariè occupato.

At cœteris aptiùs à Ciuium cœtu depellitur ille, qui erraticus semper, atque sub vario iugiter pernoctans climate relicta propria Ciuitate & Republ. aliena terrarum spatia peruagatur, quippe qui nec illa perampla Ciuis definitione comprehendatur, quæ Ciues appellat eos, qui legum communium, sacrorumque participes sunt, aut quoquo modo vitam agunt in societate, vel aliquem saltem ciuitati exhibent sui vsum & officium; Sunt enim eiusmodi viri velut Cingari, seu Cingali illi, tota iam penè palantes Europa, ex leges, furaces, impostores, de quibus dictum est

Quos aliena iuuant, proprijs habitare molestum
Fastidit patrium non nisi nosse solum.

Cum nimis communis & perampla Ciuis appellatio ea sit, qui omnes omnino homines in Ciuitate degentes complectitur, reuera enim contractior Ciuitatis notio plerosque è Ciuium numero dispungat, quamuis in Ciuitate sint, ciuiumque albo saltem propter habitationem, & conuictum adscribantur; Quare Arist. lib. 3. pol. cap. 1. cum dixisset eadem habitatione ac domicilio non fieri ciuem cœpit primum è ciuium numero depellere eos omnes, qui sunt talium ciuitate donati, deinde inquilinos exclusit & aduenas; quibus expunctis decreuit Ciuem nulla alia re definiri magis, quam participatione magistratus, siue publicæ potestatis, nimirum ad iudicandum, consultandum, concionandum, & decernendum; quæ ciuis definitio à nullo Reipub. genere aut statu videtur abhorrere; non à Monarchia, quæ si bona est omnique vitio careat, aliquam demandat ciuibus auctoritatem deliberandi, aut iudicandi ad dominatus imminuendam nimiam potestatem, ne degeneret in Tyrannidem; non ab Aristocratia, in qua magistratus cum imperio creantur illi, qui dicuntur optimates; atque optimates ipsi iudicandi, & deliberandi potestatem alijs permittunt ordinibus, vt omnes proprij ciues sint, hoc est participes publicæ potestatis; non demum à Democratia; in qua populi non modo potestas illa deliberationis est, verum etiam dominatus, cuiusmodi Romana Respubl. fuit, vbi Senatus semper populusque Romanus æquali prorsus iure demandabat, & capiebat imperium.

Ex hac Ciuis definitione intelligi probè potest, cur pueri & senes è ciuium numero ac nomine sæpè depellantur ab Aristotele, cum pueri propter insciciam, senes ob imbecillitatem participes esse non possint magistratus, aut publicæ potestatis iudicandi, consulendi, atque deliberandi; quæ causa item est, cur serui opifices & pauperes ab eodem expuantur albo; serui enim atque opifices haud tanto præditi sunt ingenio, nec ita sunt instituti, vt magistratibus gerendis, consultationibus tractandis atque iudicijs ferendis pares esse queant; pauperes verò sua occupantur inopia, atque rei domesticæ difficultate impediuntur, quò minus Reipubl. negotia capessere sedulò possint.

Ipsa porrò causa cur sit in angustum adducatur Ciuitatis seu ciuis intima vis & ratio, vt ij tantum ciues dicendi propriè sint, qui earum, quas diximus sunt rerum participes, ea est, quod Ciuitas velut quoddam animal sit suis distinctum membris & partibus; sicut autem animantis forma pars perfectior est in ipso Animante ad gerendas operationes à natura instituta; Sic in Ciuitate ea forma, & vis Ciuitatis intima, quæ erit pars in eadem perfectior; operationes autem formæ ciuitatis sunt, regere, iudicare,

care, decernere, imperare, suffragium ferre, & id genus alia, quæ pueris, senibus atque pauperibus minimè congruunt. Hæc eadem ratio demonstrat, quid causæ sit, cur inter ciues haud numerentur serui; cum enim politia illa, seù regiminis forma, cuius nullam attingunt partem, minimè informentur, ex eo quod nullas regiminis in ciuitate exerceant actiones, eiusdem ciuitatis nullo modo partes censendi sunt, licet in ipsi ciuitati quemadmodum opifices sint per necessarij.

Hinc iure optimo etiam à Ciuium segregatur consortio illud contemplantium atque solitariorum hominum genus, qui solitudinem atque contemplationem sic amant, vt ab omni ciuili societate remoti, neque consilio, neque auctoritate Rempubl. adiuuant, sed omnia sui tantum gratia operantur, atque in sola solitudine, & contemplatione conquiescunt tamquam in fine.

Cuius generis tamen non sunt illi dicendi, qui eo dumtaxat solitudine aut contemplatione detinentur, vt melius ex ipsa omnia in ciuitatis commodum referant, vt nimirum contemplatio omnis in gratiam actionis fiat; horum namque vitam ità ciuilem iudicat Aristoteles in polit. lib. 7. vt eam anteponat actuosæ; dicatque Architectis similem esse, qui sedendo plus faciunt operis, quam cœteri ministri agendo, & laborando; Quin etiam reprehendit, qui contendunt hanc vitæ contemplantis rationem otiosam esse, ac nihil agentem, cum multò plus ciuitati possit, quam actuosa; si enim finis spectetur, qui positus est in agendo, non dicitur eiusmodi vita sui gratia exerceri, sed ad commune bonum vtiliùs destinari. Qui igitur tantum in solitudines secedunt ad contemplandum eo consilio, vt nullo modo neque auctoritate, neque ductu, neque suffragio aliquam ciuitatis partem attingant, sed tantum vt ea solitariæ contemplationis dulcedine perfruantur neglecta omnino Repub: ij ex Aristotelis sententia nullo modo in ciuium numero habendi sunt, tametsi reliquis ciuibus superiores existimentur, & quodammodo humano fastigio celsiores, longissimè namque ab eo fine aberrant, quem sibi propositum habuere illi, qui ciuitates ab initio congregarunt; intuentes siquidem illi homines singulos sibi satis non esse, vnum in locum confluxerunt ad rerum subleuandam indigentiam, qua solitarij premebantur.

Præ cęteris verò numquam Ciuis nomē obtinere possunt homines quidā errones seu erratici semper vagi atq; errabundi, qui nullum vllibi stabile domicilium profitentur, qui etiam vt plurimum homines flagitiosi sunt ad mala semper intenti, quales præsertim illi sunt, quos Cingatos, seù Cingalos appellamus tota iam penè palantes Europa, homines ex leges, furaces, impostores quorum colluuio adhuc incertum est vnde fluxerit; licet suspicentur non pauci scriptores homines eiusmodi ex illo Hispaniæ tractu profectos, vbi fluuius est Cinga, cuius meminit Lucanus initio libri 4.

Explicat hinc tellus campos effusa patentes
Vix oculo prehendente modum, camposque coercet
Cinga rapax, vetitus cursus, & litora cursu
Oceani pepulisse suo. nam gurgite mixto
Qui praestat terris aufert tibi nomen Iberus.

De quibus tamen alij fortasse prudentiùs opinati sunt fuisse Scythicam seu Tartaricam gentem à Cingisabro Magno eius quondam duce sic appellatam; quibus videtur etiam adhærere Albertus Crantius in lib. 2. Saxoniæ, qui ait hos errones seù cingaros vulgo Tartaros creditos esse atque appellatos, cum Tartari Cingaris similem ducant vitam, nimirùm rapacem, irreligiosam, ferinam, atque etiam diuinationi ac superstitioni deditam.


Sed operæ pretium est audire Munsterum in lib. 3. Cosmographiæ, qui originem huiusce pestis in hanc fermè sententiam tradit, quod scilicet cum ageretur annus post Christum natum millesimus quadringentesimus decimus septimus existere cæperunt in Germania primùm homines nigredine deformes & incocti, vestitu immundi, vsu rerum omnium fœdi, furtis semper intenti præsertim fœminæ, nam viris ex furto fœminarum victus est, qui per oras omnes circumuagantes ferunt id sibi contingere ex irrogata diuinitùs pœna, & ex minori Ægypto primùm fuisse digressos.

Alij tamen errones eiusmodi multo antiquiores faciunt, eorum origines & primordia repetentes à Chamo filio Cus; ab hoc enim natos putant incoluisse regiones inter Cilices & Assyrios, ex hoc quod è Cilicibus præsertim Isauri fuerint prædones, & Piratæ maximè celebres; Ex qua antiquitate ductus est Volaterranus vt arbitraretur eos Vxios fuisse, ex eo coniecturam capiens, quod diuinationi atque vaticinio sic operam dent Vxij, quemadmodum Chaldæi, quorum propinqui, ac finitimi sunt; atque authorem huius opinionis profert Silacem historiæ Constantinopolitanæ scriptorem, qui confirmat Vxiorum responsis & vaticinatione Michaelem Balbum primum Orientis Imperium fuisse consequutum, & eorum sectam eiusdem Imperatoris studio per Mœsiam, totamque propemodum Europam fuisse dispersam.

Denique Pierius Valerianus in lib. postremo putat Cingaros nomen accepisse ab auibus illis, quæ græcè Cinclos dicuntur; quæ quidem aues sic inualidæ & infirmæ sunt, vt ne nidum quidem sibi parare queant, adeoque alienis nidis oua supponant sua, vt etiam testatur Ælian. lib. 12. ex qua auium imbecillitate atque indigentia velut in Prouerbium abijt, quod Cincli, seu Cingali ij omnes appellentur, qui supra modum ac præter cœteros pauperes sunt, hoc est, sine penatibus & domo, qualem describit Catullus fuisse Furium illum, cui nec villula esset, nec domus, nec arca.

At quidquid sit de eiusmodi Cingaris & erronibus sat nobis est eos cum cœ-

cœteris erraticis viris domicilia non habentibus à Ciuium societate eliminare; idque ea Aristotelis ratione, quod Ciuis quicunque sit saltem aliquarum communium legum & sacrorum particeps esse debet, quemadmodum etiam vitam quoquomodo agere in societate, & aliquem Ciuitati sui vsum exhibere; quibus omnibus certè carent erratici viri semper errabundi; quapropter eiusmodi homines non sunt in ciuitates admittendi, sed potiùs magistratuum auctoritate omnino tollendi; sunt enim inquit Arist. velut bestiæ feroces ac truces computandi in cędes & sanguinem sua ferocitate inhiantes; homo si quidem qui sponte vel natura sit alienus à communi lege vel societate, homo non est, qui est animal sociale.



LEX



LEX LXXXIV.

AD HOMINEM PRINCIPEM.

VT Princeps suæ dignitatis iura rectè exerceat, ac teneat; vtque summa æquitate quod sui muneris est, populos regat, splendoremque principatus nunquam tenebris supprimat, facem virtutis in omni gerenda administratione præferre debet; sciatque illud Cyri apud Xenophontem sibi indictum esse, illum principem imperium valdè dedecere, qui ijs haud quaquam melior sit, quibus imperandum est; non enim magis principi quam soli latere congruit ex sui status conditione, quæ supra subiectos virtutis etiam eminentiam exposcit, cum superiori Virtuti nemo parere dedignetur, sitque æterna naturæ lege receptum, vt inferiores præstantioribus vltrò subijciantur. Quare licet virtutes omnes in principem aceruatim concurrere debeant, quædam tamen velut potiores in ipso quærendæ sunt, quibus Maiestas æquè ac Principatus dignitas effulgeat. Præ cæteris verò dominatori ita prudentia & fortitudo adstare debent, vt tum peragenda & vitanda cautè prospiciat, tum aduersantia vi adhibita repellat; est siquidem Prudentia Principi velut oculus opem præstans, fortitudo vt manus, quæ si destituatur oculus, sua sæpè cæcitate agitur in ruinam.

Prima Principi ad comparandam prudentiam ea debet esse via, vt se ipsum in dominatus officio noscere satagat, seseque quasi in speculo iugiter contemplari; qui enim se ipsum nouit princeps, nihil principe indignum facit, Deo se minorem gerit, ac mortalitatis & suæ conditionis memor nunquam insolescit; qua etiam ratione ad Principis Prudentiam spectat non modo se ipsum, sed suos quoque cognoscere, vt inde condiscat modum quo sit imperandum; idque præsertim, vt scitè aduertit Tacit. in lib. 7. Annal. postulant varia subditorum ingenia, varia indoles ac natio, quæ Principem prudenter considerare expedit, vt melius, quos nouit, regere valeat. Hinc prudentiæ principis perplures esse colligatas virtutes testatus est Plato scribens ad Dionisium; fortitudo namque sine prudentia in principe temeritas esset, prudentia sine Iustitia calliditas, mansuetudo sine prudentia animi abiectio, Iustitia absque Clementia crudelitas, & sic de reliquis; & cum prudentia sit

recta

recta agendorum ratio, modo erga subditos spem Iustitiæ sumit, ius suum cuique tribuens, modo temperantiæ, quæ ab abstinendis abstinet, modo fortitudinis, quæ in periculis immota persistit, & vbi opus est, fortiter aggreditur; propterea de principis prudentia in sacris literis illud vulgatum est, melior est sapientia quam vires, & vir prudens quam fortis; cum deficiente prudentia cæteræ quoque deficiant Virtutes ad benè gerendum principatum maximè necessariæ, quapropter ad rem optimè Val. Flacc. 4. Argon. cecinit.

—— non solis viribus æquum
Credere, sæpè acri potior sapientia dextra.

& licet prudentia sit de singularibus agibilibus recta ratio, quæ sine numero propemodum sunt, ad certas tamen regulas & capita in Principatu redigenda est, quibus princeps ipse æquum ab vtili regnandi causa nunquam disiungat, & licet regiminis fiduciam in vinculis fœderum locet, tamen etiam in euentus quæ extrà fœdera occurrunt, iaciat obtutum; vbi verò malorum grauitas supra vires exurgit, cũctando res remoretur, donec temporis tractu, quo solent res variari, præbeat medelam, opemque ferat.

At hæc potissimum prudentia sua cauere debet Princeps, ne dominij mutatione aut rerum nouitate turbationes in animis subditorum exsuscitet; ne vno eodemque tempore plures magni momenti res agat; ne nouas prouincias aut regiones inuadere pertentet, priusquam in quæsitis firmiter hæreat; ne cum potentioribus dissidia aut contentiones moliatur, sicque facillimè opprimatur, cedere enim quandoque potentioribus prudentis est, idq; passim agebat Philippus Macedo prudentissimus Princeps, qui cum à multis hostibus conflictaretur, cum potentioribus pacem & fœdus statim inibat, vt bellum validius aduersus hostes imbecilliores pertractaret, ne denique ita semper paci fidat, vt inermis omnino sit, cum pax armis destituta facili negotio commutetur in bellum; quibus si addat arcanorum suorum accuratam tectionem, inde felicissimos euentus potest auspicari; sicut etiam si secretioribus consilijs aliquid noui in regimine suscipiendum est, tectus postulat prudentiæ vsus, vt id occulta, quoad fieri poterit, machinatione paulatim proferat in lucem, cum in imperij administratione nihil odiosius sit, quam ea immutare, quæ antiquitas vt honorifica introduxit, à quo præsertim initio dominij abstinendum est, exemplo Cęsaris Augusti, qui in imperij ingressu Tribunus potius, quam Imperator voluit compellari, solitis absque Imperatoria Maiestate terentis præsidijs; hæc tamen principi ità agenda sunt vt ea, quæ magnanimitatem redolent, seù principatus dignitatem, nunquã omittat; nulla enim virtus magis Principem commendat, quam magnanimitas quæ etiam fortitudinem atque animi robur ostentat; ex qua preclarè quidem laudantur apud Romanos Gneus Pompilius, & Lucius posthumius, qui cum summa prudentia in muneribus suis obeundis magni animi specimen iugiter præbuerunt.

Ne tamen opinetur quis eiusmodi virtutum limitibus principatus amplitudinem

tudinem coarctari, Iustitia quoque & Temperantia adiūgendæ sunt, quæ sūmam obtinent vim ad principis decus augendūm atq; illustrandum nec minus ad beneuolentiam populorum promouendam; Iustitia siquid principis pax populorum est, plebis immunitas, munimentum gentis, vinculum ciuitatum, inquit Cicero in orat. pro Rabirio; qua submota regna & imperia nihil sunt, nisi magna latrocinia; atque cum solum modo iustitiæ tuendæ & seruandæ causa principes in sede Maiestatis collocētur, in id præsertim principem conniti decet, quo iura subditorum ac si esset subditus princeps, inuiolabiliter tueatur; Ex quo virtutis ornamento Romani potissimum tam amplum imperium sunt consequuti, totque annis ità feliciter in eo perdurarunt; vt populi omnes vltrò illis se dederent, quos tanta virtute coruscare vbique terrarum dignoscebant; idque fuit in causa, vt Falisci sine armis eis sponte portas ciuitatis aperirent, vt testatur Liuius in lib. 5. & Plut. in Camillo. Par etiam Iustitiæ debet esse in principe Temperantia, sine qua & principis prudentia redditur, cęca, & fortitudo eneruis, & iustitia ipsa corrupta; quia, vt optimè aduertit Xenophon, crapula, ebrietate, atque luxuria totus principis animus ità hæbetatur, vt ad singulas sui muneris exercitationes prorsus impotens efficiatur, quod præsertim in Claudio, & Heliogabalo Imperatoribus obseruatum est; sicut contrà summum Alexandro Macedoni attulit Decus ab eiusmodi vitijs sæpè abstinuisse, eo præsertim tempore, quo virgine pulcherrima alteri desponsata in Victoriam & triumphum deducta, eam intactam ingentibus muneribus adornatam dimisit, viroque suo restituit; quæ temperantiæ laus tribuitur etiam à Valer. Scipioni Aphricano, Annibali Chartaginensi à Trogo, & Cyro Regi à Xenophonte.

Quæ verò ad reliqua Principis attinent officia, eum summopere commendanti haudquaquam prænumeratis leuiora sunt; potior siquidem Principis cura illa recensetur, qua optimæ conduntur leges, qua probatissimi eligantur magistratus & ministri regiminis consortes, qua denique in omnibus commune bonum, non sibi tantum vtile spectetur. Vbi verò de Consiliarijs agitur in opem bonæ administrationis admouendis ea lex seruanda est, quod integerrimos homines sibi semper adsciscat princeps, vt cuncta summa cum æquitate ac rectitudine gerat; hæcque omnia dirigat in populorum salutem ac felicitatem, quam velut metam agendorum sibi præscribat; Etsi quandoque contingat, quasdam in principem ipsum procellas insurgere, aut ex exterorum machinationibus, aut ex subditorū insidijs vel seditionibus, sciat Princeps, ne totius Reip. pax aut tranquillitas perimatur, magnoperè expedire vsque ad tempus dissimulatione vti plus enim tranquilla potestate, atq; regnanda suauitate solent principes in certis euentibus obtinere, quam adhibita vi & maiestatis authoritate; idque experimento sępius compertum concitatos furentium animos faciliùs flecti; quam frangi, nec vnquam bonum esse in rerum colluuione maiestatem contumeliæ periculis exhibere; ità tamen vt nūquam fractam aut collabentem animaduertant subditi ipsius

Prin-

Principis mentem, vt etiam vbi opus sit, Ouidij monitum implere paratus dignoscatur,

Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus
Ense recidendum ne pars sincera trahatur.

In publicis itidem negotijs pertractandis aut perficiendis ea iugiter debet princeps prudentia vti, vt in rebus gerendis nec nimium tardus sit, neque nimium celer aut velox, sed modo tarditate, modo celeritate, prout opus erit se exerceat; in parua siquidem mora magnum aliquando commodum est, nonnumquam maximum in celeritate bonum: ibi verò potissimum trahendæ erũt à Principe moræ, vbi acriores quidam assurgunt, subditorum aut hostium impetus, qui sæpissimè ipsa cunctatione languescunt; similiter vbi percutiendum erit cum extero Principe fœdus, aut de rebus arduis & grauibus cũ principum Legatis agẽdum sit, eiusmodi enim omnia grauiora negotia moram exposcunt in imperante, vt cuncta in rectum finem perducat; hucq; collimant ea vulgatissima dicta (Quod citò fit, citò perit) Sat citò si sat benè (Canis festinans cæcos parit Catulos, & similia, quibus addi possunt illud Ouidij

Differ, habent parua commoda magna mora

& illud etiam Ennij

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Non tamen sat non proinde ita in singulis reb. mora principi amplectenda est, vt quandoq; etiam non sit adhibenda celeritas, præsertim in bello, vbi sæpè ea mora caluæ occasiones euadunt, easque nimium perpendere velle, amittere est; ex quo Vegetius lib. 4. dixit in bellicis rebus magis Imperatori prodesse celeritatem, quam aliam quamcumque virtutem; nec aliud in bello magnum Alex. & Iul. Cæsarem insignes effecit victores, quam è castris eliminata procrastinatio iuxta illud Lucani præceptum

Tolle moras semper nocuit differre paratis

nec alio clariori titulo cohonestauit Ponticum triumphum Cæsar ipse, quam tribus illis decantatis verbis, veni, vidi, vici. Si tamen celeritas consilij maturitate temperetur, atq; quandoque tarditas celeritati iungatur, meliùs implebitur prudentis principis munus; idque est illud Augusti Cæsaris monitum festina lente, & nummus ille Vespasiani Imper. referens Anchoram simul & Delphinum referens ad vtrumque in supremo imperante commendandum.



LEX



LEX LXXXV
AD
HOMINEM CONSILIARIVM.



Oncilium & Consilium ità nonnulli distinguunt, vt Concilium vocetur legitima hominum selectorum congregatio, qui Principi adstantes, belli pacisque tempore consulunt ad Reip. incolumitatem seruandam; Consilium verò sit aliquid áut nó faciendi ratio prudenter excogitata; quæ verò sit in Rep. Cócilij atque consilij necessitas, atque inde Consiliariorum indigentia facilè patet nam Theopópus Lacedęmoniorum Rex, vt habet Plut. in Apoph. quęrenti cuidam, qua ratione quis fidele & perpetuum posset regnum seruare; si homines (inquit) habeat virtute probos, & rectè de regno consulétes. Quin Theodosius & Valentinianus Imperatores ad Senatum Romanum scribétes, dixere illius Imperij beatitatem à solo ipsorum consilio ortam habuisse, & Aristoteles ipse scribés ad Alexandrum in Rhet hęc habet (Rerum humanarum augustissimum est consultatione vti) Platone quoq; in hanc rem cum Aristotele consentiente qui sæpè Consilium rem sacram appellauit. Quam etiá ob causam nonnulli aliquando Regés, vt habetur ex Historijs noluerunt filios suos scientijs operam dare, ne rerum cognitione cú summa potestate cóiuncta, nimium sibi ipsis fidentes, aliorum consilium aspernarentur.

Ijs itaque præstare potissimum Consiliarius debet, quibus non solum vitę integritate, morumque probitate omnibus in aula principis possit antecellere, verum etiam ijs, quibus optimè aut regi resp. aut regnum administrari cócedatur; quapropter in Consiliario requirunt multi varias doctrinas & sciétias, quæ optimo regimini facem præferant, præsertim verò Philosophiam, Iurisprudentiam, Historiam & politicam; Plato siquidem felicem iudicabat Remp. illam, quam philosophi administrarent; ne tamen philosophi rempub. administrantes sint similes Thaleti, qui dum cęlum suspiciút, sine cósilio in foueam cadant; non enim debent principum Consiliarij ita philosophari, vt ex eorum numero sint, quos commemorat Athenęus in lib. 5. de quibus dictú accepimus apud eumdem.

Heù mihi philosophatis? atqui philosophi
Sermone solo sunt sapientes; cæteris

In re-

In rebus esse noui ego stultissimos.

Non quærimus igitur hic in Consiliario illud philosophiæ genus, quæ in animo ab omni rerum experimento, atq; gubernatione vacāte vt plurimum inueniri solet, sed eam philosophiam, artesq; ceteras in Consiliario commendamus, quibus, ait Plin. optime negotia publica pertractati posse

——— Hic erit optimus

Hic poterit cauere rectè, iura qui & leges tenet

scite ad tē, Plaut in Epicid. quo de genere erant consiliarij illi apud veteres Romanos Imperatores electi, quibus præsertim vsus est Augustus, Suetonio teste; quos etiam in omni publico decreto adfuisse Galbæ Traiano, Adriano, Aurelio, Alexando Seuero, testatur Lampridius. Addendum etiam augete quam maximè Principis famam optimam Consiliarij electionem; quales nāque consiliari sunt, tales principes esse existimantur; semperque in veterum monumentis deprehensum est turpem consiliarij electionem principatus venustatem deformare, vulgatumque prouerbium illud est

Noscitur ex socijs, qui non cognoscitur ex se

eaque potissimum inter cœteras ratione pessimè audiuit apud omnes Caligula quod in Curiam introduxisset nequissimos homines, atq; in omni liberali arte planè rudes.

Inde cum omnis bo ni consilij fundum sit in Con liario virtus & doctrina, ille præ cœteris à principe Consilijs etit admouendus, in quo æquè rerum vsus & cognitio, Patriæ charitas ac boni publici amor, mentis atq; animi candor tutilabunt; quas consiliatij dotes exquirens etiam Gregorius Nazianzenus in suis carminibus hæc protulit

Nam trina cum sint, vt vetus sensit cohors
Pollere debet optimus monitor, quibus
Rerum vsus, ingens charitas, os liberum
In me requires prorsus ex tribus nihil.

non enim sine rerumgerēdarum peritia in tot varijs fortunæ casibus inopinatò sæpe occursantibus, quæ principi agenda sunt, in metam agendorum perduci facile possunt; subdēte Tacito, morum, animorum, prouinciarum, ac negotiorum aduentantium ignaros vt plurimum perdere se & remp. Charitas quoq; erga principem & patriam necessarius est in consiliario fulgor ad principis & reip. salutem prouidendam atque procurandam; neque aliquis fidelior esse principi ad cōsilium potest, quam qui non sua, sed principem diligit, & licet rara sit auis consiliarius fidelis & principis dilector qui nimirum non sua quærat, sed principis bona, non proprium, sed cōmodum cōmune, tamen non ex eo consiliarij officium cōtemnēdum est, quo scilicet in principem & patriam magno semper feratur amore, fide consulat sincera, & candida, quod nouerit agendum, suadeat voluntate. Caueant tamen Cōsiliatij, ne in Consultationes habeant ingenij tantum ostentatione ducti posthabita melioris reipub. commodi consideratione, qua ratione Lipsius in politic.

consiliarios desiderat, quorum mens non sit nimis subtilis, aeris, vel acuta, sed par tantum sit ad tractanda negotia; prægrandia enim eiusmodi ingenia nouandis rebus in Rep. aptiora sunt, quam iisdem benè gerendis, quo in ipsa tep. nihil exitiosius est; atque antiquitatis experimentis compertum est fœcunda nimis eiusmodi ingenia perniciem ac sæpè interitum suis imperijs attulisse, vt recte etiam ad rem dixerit Euripides

Mens quæ sapit nimium, non sine damno sapit,

cuius rei exemplum Pericles Atheniensis apud Plutar. qui quo elatiori pollebat ingenio, eò ampliora suis ciuibus afferebat incommoda in rebus arduioribus iugiter pertentandis.

Et hac ratione à ferendis consilijs arceantur vt plurimum ingenia iuuenilia vtpotè nimis acuta, aerea, immatura, atq; experientia destituta, etenim rerum euentus difficillime prospicere possunt, fiuntque illis Citharedis inexpertis atque imperitis persimiles vt ait Xenophon qui multas Citharas perdant, antequam eas rite pulsare perdiscant; quod tamen dicitur, ni in adolescentibus matura virtus suppleat ætatem; fieri namque potest vt in ipsis morum senectus & cana prudentia inueniatur; & sicut in senibus sæpe fatuitas & insipientia dispicitur, ita Iuuentutis plerumque eximia indoles est, atque ingenij maturitas, annuente Comico

Non etate verum ingenio adipiscitur sapientia,

maximè quia in adolescentibus longe própius fit Consilium capere in arena, quod sæpe capiendum contingit, quam in senibus, qui semper longas protrahunt moras, quibus res ipsæ perduntur; etenim dum nauis integra est, vt dici solet, promptè consulere & prouidere oportet, ne disrumpatur, postquā fluctus exsuperant, oleum & opera perditur. Opus tamen est in grauibus cōsultationibus aliqua mora, ne prorsus præcipites dentur publicæ res, ac proptereà Thomas morus sapientissimus vir in Vtopia iubet, vt nihil arduum, cum primum a Conciliarijs proponitur, statim resoluatur.

Vitandi autem sunt in ferendis consilijs omnes affectus humani sanum corrumpentes, aut saltem infuscantes iudicium, quod fuit potissimum Cæsaris monitum relictum apud Sallustium; haud enim facilè animus prouidet, vbi odiū, ira, amicitia, aut misericordia ratiocinanti officiunt; sicq; non immeritò scribit Liuius ex priuatis affectionibus omnem nasci Reip. perniciem

—— Dijs proximus ille est
Quem ratio, non ira mouet.

quod licet vniuersè dictum sit à Claudiano, consiliarijs tamē præcipuè aptandum est, ex quo Panormitano referente lib 3. Alphonsus Aragoniæ Rex dicere solebat, quod si se nasci Romanorum temporibus cōtigisset, è regione Curiæ templum Ioui positorio construxisset, in quo priusquam in Senatum venirēt Patres Cōscripti, iram, odium, amorem, ac reliquos priuatos affectus deponerēt; qua de causa à nō paucis valde probantur consiliarij exteri atque indiuene nō indigenę, vtpote illi, qui proprijs affectibus, ac cōmodis vacuiores

res ſint; & licet Magnus Alexander malè audire cęperit, cum Perſas in Conſilium adhibuit; & dicat etiam Thucydides gentes natione diſpares nihil boni in communem Reip. ſalutem conſulere; verum tamen eſt etiam peregrinos & exteros ad conſilia ferenda aſſumi poſſe, cum præſertim virtute & prudentia excellere deprehenduntur; vnde valde decipiuntur illi, qui aſſerunt magis Principi, atq; Reip. expedire Conſiliarijs carere, quam exteros adhibere; cum enim Princeps non poſſit cuncta ſua ſcientia complere, nec vnius, licet Principis mens, ſit tantæ molis capax, qualis eſt totius Reip. adminiſtratio, ideò conſiliarios in curarum partem adſumere debet, licet eos aliũde atq; ab exoticis regionibus neceſſe eſſet aduocare.

Ea denique Conſiliarijs in optima Reip. adminiſtratione in Conſultationem præcipuè vocanda ſunt, quæ ad religionem ſpectant, atq; ad diuinum pertinent cultum, vt nullibi, nullaque ratione aut prætextu violetur, cũ enim pietas & religio ſit ſummum ipſius Reip. bonum, id Conſiliarij totis artibus parare ſatagentes, potiorem etiam illius rei curam ſuſcipere debent in conſilijs, ne contempta Diuinitate impia ipſa conſilia in perniciem vertantur; atq; id vnum inter cętera Conſiliarijs debet eſſe perſpectum citrà Religionis, ac Diuini Numinis cultum nihil feliciter geri poſſe; qua ratione motus L. Metellus Pontifex Romanus nunquam paſſus eſt Poſthumium Flaminem & Cõſulem ab vrbe deſcedere, ne ſacro deficiente cõſilio, res, quæ gerebantur in Affrica, aduerſam fortunam ſubirent; Vnde Conſiliarij numquam Religionem à ratione ſtatus ſeparandam in conſilijs cenſere debent, quaſi religio, & bonũ publicum ſimul eſſe non poſſint, illud Claudiani ſemper in ſuis ferendis conſilijs meditantes.

—— nuſquam libertas gratior extat
Quam ſub Rege pio.

ſic etiam eò potiſſimum conniti debent Conſiliarij, vt ea quæ ſpectant ad populos in bonum promouendos iugiter principi in conſultationibus proponant, abſtinentes in eiuſmodi propoſitionibus ab auaritia, ambitione ac reliquis id genus vitijs quę candorem conſilij fędare poſſunt; in quo certatim conſiliarij debent ſe oſtendere ſolius boni publici amatores, Iuſtitię, atq; honeſtatis; ſe etiam inuicem amantes, & quoad fieri poterit numquam in Cõſilijs diſcordes; licet enim inter eoſdem non ſemper improbentur æmulationes, quibus alius alio præſtantiùs bono publico conſulere ſatagit, tutiùs tamen ſemper erit in vnam conſilijs collineare metam, ne à bono, quod eſt reipubl. & principis ſcopus, aberretur.





LEX LXXXVI

AD HOMINEM LEGATVM.



VT Legati nomen est augustum, sic munus arduum,atq ad omnes huius curæ numeros feliciter implendos,censeo plura requiri,sine quibus ipsa Legati dignitas,Principis, seu reip maiestas omninò vilescit, cum enim is rantum sibi iure legati vendicet nomen,qui lectu,missuque publico publicum negotium agir, huic quoque publico muneri admouendus est, qui sit vir è sapientioribus atq; præstantioribus selectus,hacque lectione Senatus Areopagiticus legatos suos deligebat; & Cyrus vt ad maxima imperia,sic ad legationes illos eligebat, qui essent ipsa rerump. columina, quibus etiam (aiebat) Principes longè meliùs muniri quam muris & armis; quæ fuit etiam Neoptolemi sententia apud Sophoclem in Philoctete,cum dixit

Pulchra possessio est, vnum è Græcis
Iudicatum fuiße præstantißimum.

nec sine euidente ratione inclytus ille conditor Iliadas Aiacem & Vlyssem legatus Agamemnonis nominauit, scilicet viros impensiùs quæsitos, atq; è quæsitis lectissimos,vt demonstret quantæ molis sit legatos benè eligere, cuius virtuti ac sapientiæ totius Reip. negotia committuntur; subdirque Sallustius in Iugurta Bocchum sapientissimum Regem ex omni præstantiorum copia quinquedelegisse, quorum fides cognita,& ingenia validissima essér, eosque ad Marium, ac deinde Romam Legatos ire iussisse, cuiusmodi etiam fuere legati illi apud Virgilium 1. Æneid.de quibus dicitur

—— cuncti nam lecti nauibus ibant
Orantes veniam, & templum clamore petebant.

Hincapud Græcos legati vt plurimùm senes eligebantur, idest senili prudentia præditi;enimverò legati apud illos ęstimabantur,qui ętate consumpta in rebus pręclarè gerendis penè ad Deos accederent, vereq; Heroes nūcuparentur qua ratione Iupiter ipse fertur Mercurium legatum ad Regem Iarbam destinasse; à quoetiam in speciem dignitatis velut clarissimum Legationis insigne dicitur Caduceum gestatum esse, vt mortales omnes munus illud

tam-

tamquam diuina veneratione conspicuum summo in honore haberent; quapropter tradit Athenęus Caduceum tantæ magnitudinis inuentum esse apud Ægyptios, vt vsque ad cubitos quadraginta quinque pertingeret; idque eo tantum factum esse, vt Antiquitas Legatorum venerationi ac securitati prospiceret, quo longiùs ab ipsis gestatum adspici posset.

Cum igitur legationem non curiositas, non volupras inuenerit, sed sola necessitas rerum inter longinquos pertractandarum, ijs præsertim præstare legati debent, quæ ad id munus magis opportuna videbuntur; idque in primis in Legato spectādum est, quo summus suæ patriæ dilector appareat, animúq; numquam à commodo Reip. degenerem gerat, sed semper totus sit arte ac studio impensiori in potioribus negotijs ritè ad meram intentam redigendis; In qua re non est distinguendum an Legatus Indigena sit, aut Alienigena, dummodo parem oneri, atque suscipiendę Prouinciæ humerum supponat, sicut enim exotica mala semper cautè in rep. vitanda sunt, ita virtus peregrina vndecumque aduenerit, semper latè excipienda est, atque hospite honore decoranda, cum id sit etiam Homericæ sapientiæ preceptum in Odys.

——— ne quid animo
Timeas: fortis enim vir in omnibus potior
Rebus exsistit, etiam si quando aliundè venerit.

idest etiam si sit peregrinus iuxta illud etiam Annibalis apud Ciceronem, Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginensis; non enim inquirendum est, vnde sint viri præclari, qui possint Legationes suscipere, sed ijs tantum inuidendum, qui, cuiuscumque generis & originis sint, præclara in legationibus facinora patrarunt, quorum facta semper vt domestica sunt laudanda. Aristippo Athenienſ. Ptolemęus Lagi filius Legationem dedit ad Lysimachum; neque vmquam apud veteres sanioris politiæ crimen reputatum est etiam exteris ciuibus legationes dari attenta Legatorum virtute; quin apud eosdem Diademata ipsa eorum capitibus imposita, & sceptra indita manibus recēsētur, id præsertim Nerua adprobante, qui Traianum sibi successorem destinauit, qui tamen Italici non erat sanguinis germen.

Rei quoque familiaris abundantia, & generis claritas, quoad fieri potest, desiderantur in Legato, vt splendidiùs munus suum obeat; non id tamen ità affirmandum est, vt virtus semper subijciatur fortunæ, vel naturæ, cum supra eas se facilè possit extollere, sed census amplitudo, & sanguinis dignitas ęstimantur, cum etiam ipsa virtute in Legato cohonestantur; neque hæc iniuria in Legatis postulantur, nam studium cuiusque eò trahitur, quò trahit vtilitas ex qua sepe dignitas & fama ipsius Reip. præceps datur. Cēsum tamen in Legatis non quærimus immodicum, neque diffluēres atque inuidiosas diuitias, sed ad sanum modum easque quæ claritudini administrandi muneris adiumento sint, quales nimirum Aristoteles ipse probat in bonis ciuibus lib. 4. polit.; Quod etiam est dicendum de generis nobilitate, de qua summæ

apud Æmil. Prob., vt plurimum tamen corporum domicilia animis coaptata videtur natura condidisse.

Cœterùm qui Legationum oneribus se exponunt, atque subijciunt, ità se comparare in Repub. æquum est, vt quem hostibus armatum ipsa Respub. posset opponere, eundem pace parta regendæ multitudini queat imponere; non enim vnum tantum à Legatione suscipienda Patriæ seù Reip. debemus, sed omnia, quæ in eius commodum cedere possunt; neque semper est satis Rempub. armis protegendam suscipere, nisi etiam alijs officijs optimè muniatur iuxta id quod in ipso aditu iura clamant, Remp. non solũ armis honestari, sed etiam legibus armari: Ideò sollers Antiquitas Palladem & Mineruam vnam fecit, quippe natales eius non solum olea, triplex vestis, Noctua nobilitabat, sed etiam hasta, Ægis, ac Gorgon; nec alia ratione Ædem Herculi simul & musis Fuluius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit in circo flaminio, nisi vt musarum quietem Herculis robur tutaretur, & Herculis virtutem musarum societas adiuuaret; quæ omnia quomodo sint eiusmodi dotes in Legato potiore Reip. administro colligandæ satis indicant, vt sit qualis, se esse gloriabatur Archilocus apud Athenæum lib. 14.

Et clueo cultor Martis, fortisque satelles
Atque artes Musæ me docuere scias.

quapropter eximiè probandi sunt in Rep. Legati illi, atque suprema veneratione colendi, in quibus tam multa eminent præsidia ad Reipub. incolumitatem conducentia, cum enim sint Legati rerum maximarum arbitri, quæ aut bello, aut pace gerendæ sunt, debent esse non minus ingenio ac virtute, quã experimentis vtrimque comparatis admodum præstantes, vt in omnib. versati, omnia faciliùs peragant atque expediant. Hinc datur ciuibus intelligendum non esse nouitijs ac tyronibus tale Legationis onus aprandum, sed solummodo viro multis exercitijs pertentato; enimuerò in sacrarium legationis illi tantum inducendi sunt, in quibus veterana virtus se se exerit spectatis egregiè factis, ijque Legati, quibus omni virtutum genere multum claritudinis partum est, semper facilius audiuntur atque exaudiuntur, quam cœteri eiusmodi dotibus minimè insigniti, quod scitè innuit Annibal apud Liuium lib. 10. petens Romanis pacem, ac si esset ipse pacis Legatus constitutus.

Incidunt tamen sæpe tempora, quibus hæc omnia in Legato otiosè spectantur; non enim semper datur instantibus rerum euentibus, ac parca ipsorum temporum messe, quæ deficit ciuium sapientia ac prudentia, alijsque prænumeratis Legatorum dotib., insigniores viros ad tale onus eligere, quod præsertim Rhodiorum Resp. commonstrauit, cum Archelaum hominem quemdam qui Rhodi ludum literarium exercuerat, legare ad Cassium non est verita, quemadmodum etiam fecere Athenienses Athenionem quemdam legantes ad Mithridatem; vrgente namque Reip. necessitate satiùs est etiam imperitos legare, quam neminem; sicut etiam quandoque ad fuere tempora, quibus fœminas ipsas ad omnia muneta publica obeunda prorsus ine-

ineptas, legationis officio legimus cohonestatas, hæcque Gentium monumenta percurrenti passim obuia inueniuntur; ait namq; Briseis apud Ouid. epist. 3.

Mittite me Danai, Dominum Legata rogatò
Mistaque mandatis oscula multa feram.

sic de Cerelia quadam, ait Tullius, ad me Legata missa est; quin etiam Vestales Virgines à Vitellio ad Antonium solemni ritu missas esse legimus, quod etiam scribit Halicarnassæus de Sabinis sæpè legatione functis, atque de alijs mulierib. apud Plutar. Herod. & Liu.

Quia verò Legati, & Legationes plerumque mittuntur super petenda aliqua re quæ Reip. petenti non exigui ponderis sit, deforme Legato semper erit aliquid exquisitioris artificij non adhibere vt rem intentam obtineat; atque id quod magis arduum est, atque petenti vtilissimum semper in primo aditu à Legato petendum, & petitioni tamdiù insistendum, quousque, quod petitur, impetretur vetus namque & valdè vsitatum est illud (Iniquum petendum, vt æquum feras.) Quod si Legatus est in spe tenui rei difficillimæ impetrandæ, aut si negotium in extremo situm est, tunc ea tentari debent, quæ sunt magis impetrabilia, proposito ad hanc rem à Liuio Campanorum exemplo, quorum Legati ab Senatu primùm amicitiam petierunt, atque arma auxiliaria, quibus non impetratis rogarunt, vt in deditionem acciperentur, & sic demum in ius Romanum concessere. Quo etiam monentur Legati non aliud ab ipsis petendum esse, quam quod impetrati permultum intereft, ne aut leui de causa cuiquam valdè obligentur, aut rei paruæ inefficaciter postulatæ adsit pondus pudoris; Sicut etiam semper Legati in cogitantis est, atque imperiti ea petere, quæ ipso iure status negantur

——— nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se traducebat Vlysses
Ancipitem.

canit Iuuenalis sat. 11. quapropter Legati in petendis rebus summa indigent prudentia & sapientia, nimirum vt ea semper petant, quæ & petentibus magna & necessaria sunt, & etiam tribuentibus prona, & honorifica.


Aliæ quoque circumspectiones, seù cautelæ Legatis necessariæ sunt, vt ritè munere fungantur imposito, vt studeant præsertim omnia scite dicere, atque prudenter agere, sicque omnia quæ dicunt, aut peragunt, vel sint virtutes, vel virtutum argumenta, quibus magis principis legantis dignitas & maiestas splendescat in subditis tam bene moratis; sunt enim non pauci Principum Legati, qui solent vbique inconsultè loqui, verba etiam quædam temerè effutientes, quæ ingentem principibus suis afferunt noxam; quod malum potissimùm deprehensum est in Legatis Demetrij apud Lysimachum, qui cum memoraret suam illam cum Leone luctam; nudatasque cicatrices inspiciendas præberet, ipsi illicò ad gloriam sui Regis ostentandam dixere, Noster quoque Rex Lamiæ morsus in callo habet impressos, quasi Regi suo expro-

exprobrarent amorum ſuauiationes, & mulierum morſiunculas; vnde optimo iure inter cœteras laudes, quas Antenor Menelao tribuit, qui fuit Legatus Agamemnonis cum Vlyſſe, hæc eſt, vt fuerit

Non errans in verbis

quemadmodum teſtatur Homerus, ſed oris grauis, vt ex Æſchylo de Mercurio dictum eſt. In quo ordine etiam illi adnumerantur, qui intempeſtiuas literas, nec deſiderantibus oſtentant; abſurda enim hæc literarum oſtentatio ſigni ſat eſt, Legatum hominem eſſe animi leuis, ac mentis parum ſolidæ, qualis fuit ille Legatus apud Cæſarem, cui cum ſolœciſmus in dicendo excidiſſet, rigidus latini ſermonis exactor, reprehenſionem fecit, verè dignus, cui Cæſar ipſe reſponderet, credebat agere de re ſeria cum Legato, ſed aduerto me in moleſtum incidiſſe Grammaticum. & ſanè ſicut è libris atque diſputationibus eruta, ac parta ſapientia & literata colloquia in priuato fidem faciunt pectoris eruditi; ità in Legato, ac viro publico, ſi non deſiderantur, produnt ingenium leue, ineptè ambitioſum, & linguam circulatricem; vulgatiſſimum ſiquidem illud eſt; Aliud Sceptrum, aliud Plectrum (Quapropter Legatus,) vbicumque ſit, eas tantum occaſiones ſiue loquendo, ſiue tacendo, arripere debet, quibus palam faciat animum vigilem, oculum excubitorem, mentem exploratricem, iudicium denique prudentiſſimum.

.).(.





LEX LXXXVII AD HOMINEM AVLICVM.

Naturalis quædam cupiditas, qua in captandis honoribus, atque in exoptanda meliori statu conditione omnes ferè iugiter homines feruntur, eos sæpè sæpius tanta mentis cæcitate confundit, vt perpauci inueniantur, qui morbosa hac vertigine circumacti, miseriarum tandem pondere non opprimantur, ibiq; inter profunda voluentur, vbi altius dignitatis fastigium meditabantur; cum enim ferè ex omni parte Principum Aulas constituat Ambitio, hæcque illa sit, quæ dum altiora petit, sepelitur in imo, inde sequitur Aulicos omnes ea perturbatione intumescentes atque commotos vt plurimum in præceps tenebrarum abire, absque eo quod permanens vnquam appareat speratæ magnitudinis nitor. Verum cum inter tot hominum status etiam Aulæ sectatores sint connumerandi, & licet ratione sui status numquam extra rotantis fortunæ aleam id hominum genus constitui possit, operæ tamen prætium est quædam hoc loco proferre, quibus veluti manuductionibus securior atque honestior in aula ipsis sit vita traducenda.

Atque cum in Aulæ professore tum animi, tum corporis dotes quærendæ sint, licet Aulico sola virtute fulgenti ad Aulam non denegetur ingressus, si tamen cum ipsa virtute iungi nobilitas ac genus possit, hoc sanè maximum est in Aulico magnarum rerum initium; cum enim certa quædam boni malique semina vnà cum sanguine in vnoquoque fundantur, quæ temporum progressu perueniunt ad frugem, qualitates secum trahentes, quibus aut amabiles, aut inuisi homines redduntur; ij qui præter virtutem generis fulgore diradiant, faciliores in aula sibi parant gradus, quam cœteri ea face destituti; & sicut illi qui per obscuros in lucem emittuntur natales, ipsa extimulante natura non vlteriùs progrediuntur, quam quò maiores euecti sunt, sic qui excelsum ac perillustre ostentant sanguinis genus, semper ad aliquem apicem peruenire satagunt, vbi clariores eniteant; certum si quidem est generis claritati ad præclara facinora potentiora circumstare calcaria, quam plebeiæ nati-

natiuitati; & licet hominum æstimatio virtute concilietur, virtutemque sola probitas, & honestas agendi progignat, nulli tamen dubium esse potest, splendorem quoque ortus Aulicos exornare; præsertim cum habeamus ex Seneca magnos animos facilius patientiam, & fortitudinem comitari, quæ sunt illæ duæ virtutes, sine quibus rectè aulicam duci vitam Plutarchus negat; & veteranus Aulicus apud Senecam in lib. 2. de ira cap. 33. interrogatus quomodo rem rarissimam in aula consequutus esset, nempè senectutem, respondit, Iniurias ferendo, & gratias agendo iuxta illud

Nobile vincendi genus est patientia, vincit
Qui patitur, si vis vincere, disce pati.

si quidem per patientiam Aulici cum nobilitate indolis etiam magnum animum ostendunt, difficultates omnes, & ardua iugiter in aulas irrepentia inuictè superantes.

Verum cum innumeræ prorsus sint viuendi rationes, quibus homo se exercere debet in aula, quicunque eas ad vitæ beatitatem callere satagit, hæc omnia prorsus versare animo debet, vt quod verè sit aulæ iugum, scitè dignoscat; Quid namque à conditione sapientis magis alienum censendum est, quam onera aulæ ferè importabilia minimè cogitare? Quid libero homine indignius reputandum est, quam propriæ rationis atque arbitratus imperio, alieno imperio, & rationi sine ratione subijcere? vbi exardescit ambitio, atque inexplebilis honorum & facultatum cupiditas, quid boni aut refrigerij sibi nimis exæstuans animus potest spe designare, aut ex egestate concipere? Quid quietis apparati vbi iugi affectuum commotione interturbatur tranquillitas? vbi numquam parcitur laboribus, ac tandem fatigatione deuictum cum ipsius animo dispendio corpus succumbit, mille curis abrodentibus, affligantibus, absumentibus? & cum hæc vera sint, atque quotidianis probata experimentis, vt sanior & tranquillior Aulici vita sit, eò obtutum intendere debet, vt etiam in aula virtuti potius, & honestati inseruiat, quam aulæ, vbi sine virtutis directione fortunæ famæ & honoris naufragia iugiter sunt metuenda; isque tantum ab Aulico scopus sibi statuendus est, quo honestè viuat, suoque principi debita præstet obsequia absque honestatis, fidei, atque Iustitiæ læsione; Qualemcumque enim alium finem, quem sibi deligat Aulicus in aula, non modo incertus, periculisque obsitus dignoscitur, verum etiam mille curis ac molestijs circumseptus. Facilis sola, & innocens naturæ & iustitiæ via est, atq; omne susceptum, quod à regulis rationis exorbitat, errorem sibi ducem, miseriam, & pœnitentiam comitem habet.

Non est tamen ea Aulæ natura & conditio, vt omnia prænumerata infortunia secum trahat, ea in Aulicos quodam ipsius Aulæ ingerente fato, cum potiùs ea omnia eorum crimini ac culpæ adscribenda sint, qui per-

uersè Aulam colunt; Si enim exiguus recti iudicij vsus, seu rectæ rationis radius Aulicos ità ducat, vt bona principis quærant, non propria, vt Iustitiam ac pietatem in aula profiteantur, optimè partes muneris sui dicuntur implere, atque inde summam sibi ipsis, etiam in eiusmodi vitæ genere, commendationem adsciscere; Aulicus si quidem qui singulis animi, & corporis dotibus ad rectè seruiendum Principi idoneis præditus esset, tantam sibi famæ æstimationem compararet, vt pars Principis ac Principatus dici posset, quemadmodum ad quemdam Cyri ministrum testatus est Xenophon., atque Aulicorum animi, qui eiusmodi gloriæ stimulis concitantur, sibi ipsis saluberrimo nutriuntur honore, nullaque vnquam insidiarum machinatione queunt labefactari.

Super omnia erga Principem sincerè semper Aulico agendum est, idque debent Aulici sibi facilè persuadere, quod dixit Euripides, nullum mendacium in aula senescere, Amphiarium Aulicum & Augurem imitantes, qui ex eo laudatur ab Æschylo, quod statuisset, vt in aula non videretur, sed esset optimus. Læditur nimiùm Principis maiestas Aulicorum impietate, sed præsertim simulatione, atque assentatione; ac propterea Homericus Princeps dicebat optimè

Hostis ille mihi perinde, ac inferorum portæ
Qui aliud quidem celat in præcordijs, aliud verò dicit.

nec alia ratione Pisonem laudat Paterculus, nisi quod, agenda semper egerit absque vlla assentatione.

Sic etiam Aulici prudentis munus est in Principis arcana numquam inquirere, neque de illis vllo modo loqui, cum dicat Cassiodorus eos Aulicos iugi necis periculo esse subiectos, qui arcana quoquo modo nouere; qua ratione Callisthenem discipulum ad Alexandri aulam profecturum monebat Aristoteles, vt quam rarò loqueretur, & quæ sciret, se nescire putaret; ex quo monitum illud ortum est

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vmquam
Commissumque teges & vino tortus, & ira.

Hinc etiam pro Aulicis ea vniuersè instituta sunt præcepta nimirum cum obsequium deferendum est Principi, sint promptissimi; Numquam propter merita sua plus sibi, quam alijs licere putent, cum meriti gratia amittatur, vbi insolentiùs ex merito aliquid geritur; Quod suæ virtutis, animi, & indolis excellentiam cum Principis præstantia numquam conferant, aut vllius gestæ rei laudem ad se trahant; nihilque vehementiùs quam Principem suum offendere timeant. Quod denique semper opportunè occasiones captent, si quid agendum, aut petendum sit, sciantque non semper secundos in Aula ventos spirare, cum de Aula id vetus ac vulgatissimum sit



Aula,

Aula, locus, fortuna suos vbi lubrica ludos.
Ludit & eludit, nunc hos nunc deijcit illos.

Quin illud quoque Aulico præceptum seruandum est, quod excelsa nimis numquam appetat, aut impensè nimis prosequatur, nam vt inquit Quintilianus, nesciunt diù stare successus, & quotidie prodire vltrà felicitas non potest, redit. Segetem quoque nimia sternit vbertas, & nimio onere franguntur rami, neque ad maturitatem peruenit nimia fœcunditas; Ideo non mirandum si immoderata felicitas animum sæpè rumpat, atque in propriam vt plurimum perniciem conuertatur; Et hac sola ratione Aurelianus Imperator modicè tantum Aulicos suos ditabat, vt scilicet tantum miserias paupertatis effugerent, & diuitiarum inuidiam patrimonij moderatione vitarent, quod tradit Vopiscus in eius vita; ad hæc opportunè satis canentem etiam Ouidio in 3. de Tristib.


Tu quoque formida nimium sublimia semper
Propositique memor contrahe vela tui.

Ea denique quæ oportet Aulicum in Aula nedum seruare, aut cauere, sed etiam scire plura sunt ad eius officij honestatem optimè concinnata; stultum enim esset ad Principum Aulas aliquem accedere velle, si ea prorsus ignoraret, quæ spectant ad ipsius Aulæ tuendam dignitatem atque maiestatem; Intuentur enim cœteri homines Aulicos viros tamquam supra genus humanum quodam elegantiæ nitore euectos, atque adeo putant neminem ipsis aut ornatiùs loqui; aut prudentiùs agere posse, quapropter artibus liberalibus ferè omnibus debent esse instructi, sed oratoria præsertim, Historica, Politica, & Mathematica, ea si quidem est in Italicis harum artium necessitas, vt Principum negotia, de bello, pace, fœderibus, alijsque magni momenti rebus tractare possint; studium verò historiæ Aulico potissimum esse debet, vnde omnes corriuant ciuilis prudentiæ fontes; ait enim Quintilianus prudentissimum illum fore, qui non ætatis suæ modò, sed præteritorum quoque gesta cognouerit, sicque Claudianus volens Honorium in Aula studio ac virtute celeberrimum reddere, ipsi potissimum commendat historiam

—— —— nec desinat vnquam
Tecum Gratia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos euolue Duces, aßuesce futuræ
Militiæ; latum retrò te confer in æuum
Libertas quæsita placet? Mirabere Brutum:
Perfidiam damnas? Metij satiabere pœnis:
Triste rigor nimium? Torquati despice mores:
Mors impensa bonum? Decios &c.

Sed ante hæc omnia sciat Aulicus peregrinationem valdè profuturam ad exercendam in aula Prudentiam, cum ex ipsa externos mores, varia Rerum-

pub. instituta, diuersas linguas, & multiformia administrationum genera facilè deruт addiscere; ad quam rem illustre adhuc memoratur à Cicerone exemplum in Lucullo, qui cum Roma omnino rudis profectus esset, rediјt postmodum egregius Imperator, quem iure merito postquam in Asiam venit testatus est Mithridates Rex post Alexandrum Maximus, fuisse ijs omnibus Ducem longè maiorem, quos ipse cognouisset, aut legisset.



LEX



LEX LXXXVIII

AD

HOMINEM IVDICEM.

Frustrà in Rep. constituerentur leges, nisi qui ex earum præscripto iudicarent, iudices quidam essent; cum enim Principes ac Reges publici iuris custodes sint, & patroni, ipsis præserrim incumbit onus, vt ius ipsum per iudices administretur, ex eo quod ipsi grauiorib. curis intenti, singulis iudicijs, quæ in regno atque in Repub. contingere possunt, interesse haud facilè permittatur. Ad id vero ius dicendum atque exercendum viri eligendi sunt summa integritate conspicui, qui legitima cum potestate inuiolata semper æquitate subditorum controuersias dirimant, quorum virtutes in exercendis iudicijs illæ potissimum sint quibus reddantur homines omni exceptione maiores, præsertim verò incorrupta æquitate præfulgeant, fide erga Principem suum, Prudentia, atq; experientia; Sicut enim inquit Isidorus in li. 5. Populi delictum est, quando Principes mali sunt, ità Principis peccatum est, quando iudices eliguntur iniqui; iuxta id, de quo monebatur Iustinianus Imperator ab Agapito Diacono, & etiam Diocletianus à quodam iudice æquitatis amatore.

At quatuor potissimùm illa sunt, quæ debet cauere iudex integer atq; incorruptus qualem hic delineamus, nimirum Timor, Cupiditas, Amor, & odium; & sanè Timor ita iudicis animum quandoque concutit, vt condemnare sua sententia eum non audeat, qui in Rep. aut opibus affluit, aut præpotentia cœteris præstat: nisi igitur iudex inuicto animo sit, ac minimè trepidante, munus suum aduersus præpotentes rectè obire non valebit; quapropter Diotes vir quidam integerrimus, quem summa cum laude commemorat Herodot. lib. 1. cum esset à Medis vocatus ad quoddam graue ferendum iudicium, primùm arcem tutam sibi construi voluit, addique milites ad custodiam, vt tutus ac sine metu posset iudicare. Aliud quoque illustre incorrupti iudicis exemplum referunt Annales Angliæ in vita Henrici Quinti; Cuius filius, cum videret seruum raptum ad Tribunal ob indignum aliquod facinus, summo in satellites irruens furore, illum eripere contendit, cumque

consiliarios desiderat, quorum mens non sit nimis subtilis, aeris, vel acuta, sed par tantum sit ad tractanda negotia; prægrandia enim eiusmodi ingenia nouandis rebus in Rep. aptiora sunt, quam iisdem benè gerendis, quo in ipsa rep. nihil exitiosius est; atque antiquitatis experimentis compertum est fœcunda nimis eiusmodi ingenia perniciem ac sæpè interitum suis imperijs attulisse, vt recte etiam ad rem dixerit Euripides

Mens quæ sapit nimium, non sine damno sapit,

cuius rei exemplum Pericles Atheniensis apud Plutar. qui quo elatiori pollebat ingenio, eò ampliora suis ciuibus afferebat incommoda in rebus arduioribus iugiter pertentandis.

Et hac ratione à ferendis consilijs arceantur vt plurimum ingenia iuuenilia vtpotè nimis acuta, aerea, immatura, atq; experientia destituta, etenim rerum euentus difficillime prospicere possunt, fiuntque illis Citharedis inexpertis atque imperitis persimiles vt ait Xenophon qui multas Citharas perdant, antequam eas rite pulsare perdiscant; quod tamen dicitur, ni in adolescentibus matura virtus suppleat ætatem; fieri namque potest vt in ipsis morum senectus & cana prudentia inueniatur; & sicut in senibus sæpe fatuitas & insipientia dispicitur, ita Iuuentutis plerumque eximia indoles est, atque ingenij maturitas, annuente Comico

Non ætate verum ingenio adipiscitur sapientia,

maximè quia in adolescentibus longe propius fit Consilium capere in arena, quod sæpe capiendum contingit, quam in senibus, qui semper longas protrahunt moras, quibus res ipsæ perduntur; etenim dum nauis integra est, vt dici solet, promptè consulere & prouidere oportet, ne disrumpatur, postquā fluctus exsuperant, oleum & opera perditur. Opus tamen est in grauibus cōsultationibus aliqua mora, ne prorsus præcipites dentur publicæ res, ac proptereà Thomas morus sapientissimus vir in Vtopia iubet, vt nihil arduum, cum primum a Conciliarijs proponitur, statim resoluatur.

Vitandi autem sunt in ferendis consilijs omnes affectus humani sanum corrumpentes, aut saltem infuscantes iudicium, quod fuit potissimum Cæsaris monitum relictum apud Sallustium; haud enim facilè animus prouidet, vbi odiū, ira, amicitia, aut misericordia ratiocinanti officiunt; sicq; non immeritò scribit Liuius ex priuatis affectionibus omnem nasci Reip. perniciem

—— Dijs proximus ille est

Quem ratio, non ira mouet.

quod licet vniuersè dictum sit à Claudiano, consiliarijs tamē præcipuè aptandum est, ex quo Panormitano referente lib 3. Alphonsus Aragoniæ Rex dicere solebat, quod si se nasci Romanorum temporibus cōtigisset, è regione Curiæ templum Ioui positorio construxisset, in quo priusquam in Senatum venirēt Patres Cōscripti, iram, odium, amorem, ac reliquos priuatos affectus deponerēt; qua de causa à nō paucis valde probantur consiliarij exteri atque indiuene nō indigenç, vtpote illi, qui proprijs affectibus, ac cōmodis vacuio-

res

res ſint; & licet Magnus Alexander malè audire cęperit,cum Perſas in Conſilium adhibuit;& dicat etiam Thucydides gentes natione diſpares nihil boni in communem Reip.ſalutem conſulere;verum tamen eſt etiam peregrinos & exteros ad conſilia ferenda aſſumi poſſe,cum præſertim virtute & prudentia excellere deprehenduntur; vnde valde decipiuntur illi, qui aſſerunt magis Principi,atq;Reip.expedire Conſiliarijs carere,quam exteros adhibere; cum enim Princeps non poſſit cuncta ſua ſcientia complere, nec vnius,licet Principis mens, ſit tantæ molis capax,qualis eſt totius Reip. adminiſtratio, ideò conſiliarios in curarum partem adſumere debet, licet eos aliũde atq; ab exoticis regionibus neceſſe eſſet aduocare.

Ea denique Conſiliarijs in optima Reip. adminiſtratione in Conſultationem præcipuè vocanda ſunt, quæ ad religionem ſpectant, atq; ad diuinum pertinent cultum,vt nullibi,nullaque ratione aut prætextu violetur,cũ enim pietas & religio ſit ſummum ipſius Reip. bonum, id Conſiliarij totis artibus parare ſatagentes, potiorem etiam illius rei curam ſuſcipere debent in conſilijs,ne contempta Diuinitate impia ipſa conſilia in perniciem vertantur;atq; id vnum inter cętera Conſiliarijs debet eſſe perſpectum citrà Religionis, ac Diuini Numinis cultum nihil feliciter geri poſſe; qua ratione motus L.Metellus Pontifex Romanus nunquam paſſus eſt Poſthumium Flaminem & Cõſulem ab vrbe deſcedere,ne ſacro deficiente cõſilio,res,quæ gerebantur in Africa,aduerſam fortunam ſubirent; Vnde Conſiliarij numquam Religionem à ratione ſtatus ſeparandam in conſilijs cenſere debent,quaſi religio,& bonũ publicum ſimul eſſe non poſſint,illud Claudiani ſemper in ſuis ferendis conſilijs meditantes.

—— nuſquam libertas gratior extat
Quam ſub Rege pio.

ſic etiam eò potiſſimum conniti debent Conſiliarij, vt ea quæ ſpectant ad populos in bonum promouendos iugiter principi in conſultationibus proponant, abſtinentes in eiuſmodi propoſitionibus ab auaritia, ambitione ac reliquis id genus vitijs quę candorem conſilij fędare poſſunt;in quo certatim conſiliarij debent ſe oſtendere ſolius boni publici amatores, Iuſtitię, atq;honeſtatis; ſe etiam inuicem amantes, & quoad fieri poterit numquam in Cõſilijs diſcordes; licet enim inter eoſdem non ſemper improbentur æmulationes,quibus alius alio præſtantiùs bono publico conſulere ſatagit, tutiùs tamen ſemper erit in vnam conſilijs collineare metam,ne à bono,quod eſt reipubl.& principis ſcopus,aberretur.





LEX LXXXVI

AD

HOMINEM LEGATVM.



VT Legati nomen est augustum, sic munus arduum, atq; ad omnes huius curæ numeros feliciter implendos, censeo plura requiri, sine quibus ipsa Legati dignitas, Principis, seu reip maiestas omninò vilescit, cum enim is tantum sibi iure legati vendicet nomen, qui lectu, missuque publico publicum negotium agit, huic quoque publico muneri admouendus est, qui sit vir è sapientioribus atq; præstantioribus selectus, hacque lectione Senatus Areopagiticus legatos suos deligebat; & Cyrus vt ad maxima imperia, sic ad legationes illos eligebat, qui essent ipsa rerump. columina, quibus etiam (aiebat) Principes longè meliùs muniri quam muris & armis; quæ fuit etiam Neoptolemi sententia apud Sophoclem in Philoctete, cum dixit

Pulchra possessio est, vnum è Græcis
Iudicatum fuisse præstantissimum.

nec sine euidente ratione inclytus ille conditor Iliadas Aiacem & Vlyssem legatus Agamemnonis nominauit, scilicet viros impensiùs quæsitos, atq; è quæsitis lectissimos, vt demonstret quantæ molis sit legatos benè eligere, cuius virtuti ac sapientiæ totius Reip. negotia committuntur; subdirque Sallustius in Iugurta Bocchum sapientissimum Regem ex omni præstantiorum copia quinquedelegisse, quorum fides cognita, & ingenia validissima esset, eosque ad Marium, ac deinde Romam Legatos ire iussisse, cuiusmodi etiam fuere legati illi apud Virgilium 1. Æneid. de quibus dicitur

——cuncti nam lecti nauibus ibant
Orantes veniam, & templum clamore petebant.

Hinc apud Græcos legati vt plurimùm senes eligebantur, idest senili prudentia prædit; enimverò legati apud illos ęstimabantur, qui ętate consumpta in rebus pręclarè gerendis penè ad Deos accederent, vereq; Heroes nūcuparentur qua ratione Iupiter ipse fertur Mercurium legatum ad Regem Iarbam destinasse; à quo etiam in speciem dignitatis velut clarissimum Legationis insigne dicitur Caduceum gestatum esse, vt mortales omnes munus illud

tam-

tamquam diuina veneratione conspicuum summo in honore haberent; quapropter tradit Athenæus Caduceum tantæ magnitudinis inuentum esse apud Ægyptios, vt vsque ad cubitos quadraginta quinque pertingeret; idque eo tantum factum esse, vt Antiquitas Legatorum venerationi ac securitati prospiceret, quo longiùs ab ipsis gestatum adspici posset.

Cum igitur legationem non curiositas, non voluptas inuenerit, sed sola necessitas rerum inter longinquos pertractandarum, ijs præsertim præstare legati debent, quæ ad id munus magis opportuna videbuntur; idque in primis in Legato spectãdum est, quo summus suæ patriæ dilector appareat, animũq; numquam à commodo Reip. degenerem gerat, sed semper totus sit arte ac studio impensiori in potioribus negotijs ritè ad meram intentam redigendis; In qua re non est distinguendum an Legatus Indigena sit, aut Alienigena, dummodo parem oneri, atque suscipiendę Prouinciæ humerum supponat, sicut enim exotica mala semper cautè in rep. vitanda sunt, ita virtus peregrina vndecumque aduenerit, semper latè excipienda est, atque hospite honore decoranda, cum id sit etiam Homericæ sapientiæ pręceptum in Odys.

——— ne quid animo
Timeas: fortis enim vir in omnibus potior
Rebus exsistit, etiam si quando aliundè venerit.

idest etiam si sit peregrinus iuxta illud etiam Annibalis apud Ciceronem, Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginensis; non enim inquirendum est, vnde sint viri præclari, qui possint Legationes suscipere, sed ijs tantum inuidendum, qui, cuiuscumque generis & originis sint, præclara in legationibus facinora patrarunt, quorum facta semper vt domestica sunt laudanda. Aristippo Atheniens. Ptolemęus Lagi filius Legationem dedit ad Lysimachum; neque vmquam apud veteres sanioris politiæ crimen reputatum est etiam exteris ciuibus legationes dari attenta Legatorum virtute; quin apud eosdem Diademata ipsa eorum capitibus imposita, & sceptra indita manibus recẽsẽtur, id præsertim Nerua adprobante, qui Traianum sibi successorem destinauit, qui tamen Italici non erat sanguinis germen.

Rei quoque familiaris abundantia, & generis claritas, quoad fieri potest, desiderantur in Legato, vt splendidiùs munus suum obeat; non id tamen ità affirmandum est, vt virtus semper subijciatur fortunæ, vel naturæ, cum supra eas se facilè possit extollere, sed census amplitudo, & sanguinis dignitas ęstimantur cum etiam ipsa virtute in Legato cohonestantur; neque hæc iniuria in Legatis postulantur, nam studium cuiusque eò trahitur, quò trahit vtilitas ex qua sepe dignitas & fama ipsius Reip. præceps datur. Cẽsum tamen in Legatis non quærimus immodicum, neque diffluẽtes atque inuidiosas diuitias, sed ad sanum modum easque quæ claritudini administrandi muneris adiumento sint, quales nimirum Aristoteles ipse probat in bonis ciuibus lib. 4. polit.; Quod etiam est dicendum de generis nobilitate, de qua summæ

apud Æmil. Prob., vt plurimum tamen corporum domicilia animis coaptata videtur natura condidisse.

Cœterùm qui Legationum oneribus se exponunt, atque subijciunt, ità se comparare in Repub. æquum est, vt quem hostibus armatum ipsa Respub. posset opponere, eundem pace parta regendæ multitudini queat imponere; non enim vnum tantum à Legatione suscipienda Patriæ seu Reip. debemus, sed omnia, quæ in eius commodum cedere possunt; neque semper est satis Rempub. armis protegendam suscipere, nisi etiam alijs officijs optimè muniatur iuxta id quod in ipso aditu iura clamant, Remp. non solũ armis honestari, sed etiam legibus armari: Ideò sollers Antiquitas Palladem & Mineruam vnam fecit, quippe natales eius non solum olea, triplex vestis, Noctua nobilitabat, sed etiam hasta, Ægis, ac Gorgon; nec alia ratione Ædem Herculi simul & musis Fuluius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit in circo flaminio, nisi vt musarum quietem Herculis robur tutaretur, & Herculis virtutem musarum societas adiuuaret; quæ omnia quomodo sint eiusmodi dotes in Legato potiore Reip. administro colligandæ satis indicant, vt sit qualis, se esse gloriabatur Archilocus apud Athenæum lib. 14.

Et elueo cultor Martis, fortisque satelles
Atque artes Musæ me docuere scias.

quapropter eximie probandi sunt in Rep. Legati illi, atque suprema veneratione colendi, in quibus tam multa eminent præsidia ad Reipub. incolumitatem conducentia, cum enim sint Legati rerum maximarum arbitri, quæ aut bello, aut pace gerendæ sunt, debent esse non minus ingenio ac virtute, quã experimentis vtrimque comparatis admodum præstantes, vt in omnib. versati, omnia faciliùs peragant atque expediant. Hinc datur ciuibus intelligendum non esse nouitijs ac tyronibus tale Legationis onus aptandum, sed solummodo viro multis exercitijs pertentato; enimuerò in sacrarium legationis illi tantum inducendi sunt, in quibus veterana virtus se se exerit spectatis egregiè factis, ijque Legati, quibus omni virtutum genere multum claritudinis partum est, semper facilius audiuntur atque exaudiuntur, quam cœteri eiusmodi dotibus minimè insigniti, quod sciтè innuit Annibal apud Liuium lib. 10. petens Romanis pacem, ac si esset ipse pacis Legatus constitutus.


Incidunt tamen sæpe tempora, quibus hæc omnia in Legato otiosè spectantur; non enim semper datur instantibus rerum euentibus, ac parca ipsorum temporum messe, quæ deficit ciuium sapientia ac prudentia, alijsque prænumeratis Legatorum dotib., insigniores viros ad tale onus eligere, quod præsertim Rhodiorum Resp. commonstrauit, cum Archelaum hominem quemdam qui Rhodi ludum literarium exercuerat, legare ad Cassium non est vetita, quemadmodum etiam fecere Athenienses Athenionem quemdam legantes ad Mithridatem; vrgente namque Reip. necessitate satiùs est etiam imperitos legare, quam neminem; sicut etiam quandoque ad fuere tempora, quibus fœminas ipsas ad omnia munera publica obeunda prorsus ine-

exprobrarent amorum suauiationes, & mulierum morsiunculas; vnde optimo iure inter cœteras laudes, quas Antenor Menelao tribuit, qui fuit Legatus Agamemnonis cum Vlysse, hæc est, vt fuerit

Non errans in verbis

quemadmodum testatur Homerus, sed oris grauis, vt ex Æschylo de Mercurio dictum est, In quo ordine etiam illi adnumerantur, qui intempestiuas literas, nec desiderantibus ostentant; absurda enim hæc literarum ostentatio signi sat est, Legatum hominem esse animi leuis, ac mentis parum solidæ, qualis fuit ille Legatus apud Cæsarem, cui cum solæcismus in dicendo excidisset, rigidus latini sermonis exactor, reprehensionem fecit, verè dignus, cui Cæsar ipse responderet, credebat agere de re seria cum Legato, sed aduerto me in molestum incidisse Grammaticum. & sanè sicut è libris atque disputationibus eruta, ac parta sapientia & literata colloquia in priuato fidem faciunt pectoris eruditi; ità in Legato, ac viro publico, si non desiderantur, produnt ingenium leue, ineptè ambitiosum, & linguam circulatricem; vulgatissimum siquidem illud est; Aliud Sceptrum, aliud Plectrum (Quapropter Legatus,) vbicumque sit, eas tantum occasiones siue loquendo, siue tacendo, arripere debet, quibus palam faciat animum vigilem, oculum excubitorem, mentem exploratricem, iudicium denique prudentissimum.

.).(.





LEX LXXXVII

AD

HOMINEM AVLICVM.

NAturalis quædam cupiditas, qua in captandis honoribus, atque in exoptanda meliori status conditione omnes ferè iugiter homines feruntur, eos sæpè sæpius tanta mentis cæcitate confundit, vt perpauci inueniantur, qui morbosa hac vertigine circumacti, miseriarum tandem pondere non opprimantur, ibiq; inter profunda volutentur, vbi altius dignitatis fastigium meditabantur; cum enim ferè ex omni parte Principum Aulas constituat Ambitio, hæcque illa sit, quæ dum altiora petit, sepelitur in imo, inde sequitur Aulicos omnes ea perturbatione intumescentes atque commotos vt plurimum in præceps tenebrarum abire, absque eo quod permanens vnquam appareat speratæ magnitudinis nitor. Verum cum inter tot hominum status etiam Aulæ sectatores sint connumerandi, & licet ratione sui status numquam extra rotantis fortunæ aleam id hominum genus constitui possit, operæ tamen prætium est quædam hoc loco proferre, quibus veluti manuductionibus securior atque honestior in aula ipsis sit vita traducenda.

Atque cum in Aulæ professore tum animi, tum corporis dotes quærendæ sint, licet Aulico sola virtute fulgenti ad Aulam non denegetur ingressus, si tamen cum ipsa virtute iungi nobilitas ac genus possit, hoc sanè maximum est in Aulico magnarum rerum initium; cum enim certa quædam boni malique semina vnà cum sanguine in vnoquoque fundantur, quæ temporum progressu perueniunt ad frugem, qualitates secum trahentes, quibus aut amabiles, aut inuisi homines redduntur; ij qui præter virtutem generis fulgore diradiant, faciliores in aula sibi parant gradus, quam cœteri ea face destituti; & sicut illi qui per obscuros in lucem emittuntur natales, ipsa extimulante natura non vlteriùs progrediuntur, quam quò maiores euecti sunt, sic qui excelsum ac perillustre ostentant sanguinis genus, semper ad aliquem apicem peruenire satagunt, vbi clariores eniteant; certum si quidem est generis claritati ad præclara facinora potentiora circumstare calcaria, quam plebeiæ

nati-

natiuitati; & licet hominum æstimatio virtute concilietur, virtutemque sola probitas, & honestas agendi progignat, nulli tamen dubium esse potest, splendorem quoque ortus Aulicos exornare; præsertim cum habeamus ex Seneca magnos animos facilius patientiam, & fortitudinem comitari, quæ sunt illæ duæ virtutes, sine quibus rectè aulicam duci vitam Plutarchus negat; & veteranus Aulicus apud Senecam in lib. 2. de ira cap. 33. interrogatus quomodo rem rarissimam in aula consequutus esset, nempè senectutem; respondit, Iniurias ferendo, & gratias agendo iuxta illud

Nobile vincendi genus est patientia, vincit
Qui patitur, si vis vincere, disce pati.

si quidem per patientiam Aulici cum nobilitate indolis etiam magnum animum ostendunt, difficultates omnes, & ardua iugiter in aulas irrepentia inuictè superantes.

Verum cum innumeræ prorsus sint viuendi rationes, quibus homo se exercere debet in aula, quicunque eas ad vitæ beatitatem callere satagit, hæc omnia prorsus versare animo debet, vt quod verè sit aulæ iugum, scirè dignoscat; Quid namque à conditione sapientis magis alienum censendum est, quam onera aulæ ferè importabilia minimè cogitare? Quid libero homine indignius reputandum est, quam propriæ rationis atque arbitratus imperio, alieno imperio, & rationi sine ratione subijcere? vbi exardescit ambitio, atque inexplebilis honorum & facultatum cupiditas, quid boni aut refrigerij sibi nimis exæstuans animus potest spe designare, aut ex egestate concipere? Quid quietis apparari vbi iugi affectuum commotione interturbatur tranquillitas? vbi numquam parcitur laboribus, ac tandem fatigatione deuictum cum ipsius animo dispendio corpus succumbit, mille curis abrodentibus, affligantibus, absumentibus? & cum hæc vera sint, atque quotidianis probata experimentis, vt sauior & tranquillior Aulici vita sit, eò obtutum intendere debet, vt etiam in aula virtuti potius, & honestati inseruiat, quam aulæ, vbi sine virtutis directione fortunæ famæ & honoris naufragia iugiter sunt metuenda; isque tantum ab Aulico scopus sibi statuendus est, quo honestè viuat, suoque principi debita præstet obsequia absque honestatis, fidei, atque Iustitiæ læsione; Qualemcumque enim alium finem, quem sibi deligat Aulicus in aula, non modo incertus, periculisque obsitus dignoscitur, verum etiam mille curis ac molestijs circumseptus. Facilis sola, & innocens naturæ & iustitiæ via est, atq; omne susceptum, quod à regulis rationis exorbitat, errorem sibi ducem, miseriam, & pœnitentiam comitem habet.

Non est tamen ea Aulæ natura & conditio, vt omnia prænumerata infortunia secum trahat, ea in Aulicos quodam ipsius Aulæ ingerente fato, cum potiùs ea omnia eorum crimini ac culpæ adscribenda sint, qui per-

uer-

uersè Aulam colunt; Si enim exiguus recti iudicij vsus, seu rectæ rationis radius Aulicos ità ducat, vt bona principis quærant, non propria, vt Iustitiam ac pietatem in aula profiteantur, optimè partes muneris sui dicuntur implere, atque inde summam sibi ipsis, etiam in eiusmodi vitæ genere, commendationem adsciscere; Aulicus si quidem qui singulis animi, & corporis dotibus ad rectè seruiendum Principi idoneis prædicus esset, tantam sibi famæ æstimationem compararet, vt pars Principis ac Principatus dici posset, quemadmodum ad quemdam Cyri ministrum testatus est Xenophon., atque Aulicorum animi, qui eiusmodi gloriæ stimulis concitantur, sibi ipsis salubertimo nutriuntur honore, nullaque vnquam insidiatum machinatione queunt labefactari.

Super omnia erga Principem sincerè semper Aulico agendum est, idque debent Aulici sibi facilè persuadere, quod dixit Euripides, nullum mendacium in aula senescere, Amphiarium Aulicum & Augurem imitantes, qui ex eo laudatur ab Æschylo, quod statuisset, vt in aula non videretur, sed esset optimus. Læditur nimiùm Principis maiestas Aulicorum impietate, sed præsertim simulatione, atque assentatione; ac propterea Homericus Princeps dicebat optimè


Hostis ille mihi perinde, ac inferorum portæ
Qui aliud quidem celat in præcordijs, aliud verò dicit.

nec alia ratione Pisonem laudat Paterculus, nisi quod, agenda semper egerit absque vlla assentatione.

Sic etiam Aulici prudentis munus est in Principis arcana numquam inquirere, neque de illis vllo modo loqui, cum dicat Cassiodorus eos Aulicos iugi necis periculo esse subiectos, qui arcana quoquo modo nouere; qua ratione Callisthenem discipulum ad Alexandri aulam profecturum monebat Aristoteles, vt quam rarò loqueretur, & quæ sciret, se nescire putaret; ex quo monitum illud ortum est

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vmquam
Commissumque teges & vino tortus, & ira.

Hinc etiam pro Aulicis ea vniuersè instituta sunt præcepta nimirum cum obsequium deferendum est Principi, sint promptissimi; Numquam propter merita sua plus sibi, quam alijs licere putent, cum meriti gratia amittatur, vbi insolentiùs ex merito aliquid geritur; Quod suæ virtutis, animi, & indolis excellentiam cum Principis præstantia numquam conferant, aut vllius gestæ rei laudem ad se trahant; nihilque vehementiùs quam Principem suum offendere timeant. Quod denique semper opportunè occasiones captent, si quid agendum, aut petendum sit, sciantque non semper secundos in Aula ventos spirare, cum de Aula id vetus ac vulgatissimum sit



Aula,

Aula, locus, fortuna suos vbi lubrica ludos,
Ludit & eludit, nunc hos nunc deijcit illos.

Quin illud quoque Aulico præceptum seruandum est, quod excelsa nimis numquam appetat, aut impensè nimis prosequatur, nam vt inquit Quintilianus, nesciunt diù stare successus, & quotidie prodire vltrà felicitas non potest, redit. Segetem quoque nimia sternit vbertas, & nimio onere franguntur rami, neque ad maturitatem peruenit nimia fæcunditas; Ideo non mirandum si immoderata felicitas animum sæpè tumpat, atque in propriam vt plurimum perniciem conuertatur; Et hac sola ratione Aurelianus Imperator modicè tantum Aulicos suos ditabat, vt scilicet tantum miserias paupertatis effugerent, & diuitiarum inuidiam patrimonij moderatione vitarent, quod tradit Vopiscus in eius vita; ad hæc opportunè satis canente etiam Ouidio in 3. de Tristib.

Tu quoque formida nimium sublimia semper
Propositique memor contrahe vela tui.

Ea denique quæ oportet Aulicum in Aula nedum seruare, aut cauere, sed etiam scire plura sunt ad eius officij honestatem optimè concinnata; stultum enim esset ad Principum Aulas aliquem accedere velle, si ea prorsus ignoraret, quæ spectant ad ipsius Aulæ tuendam dignitatem atque maiestatem; Intuentur enim cœteri homines Aulicos viros tamquam supra genus humanum quodam elegantiæ nitore euectos, atque adeo putant neminem ipsis aut ornatiùs loqui; aut prudentiùs agere posse, quapropter artibus liberalibus ferè omnibus debent esse instructi, sed oratoria præsertim, Historica, Politica, & Mathematica, ea si quidem est in Italicis harum artium necessitas, vt Principum negotia, de bello, pace, fœderibus, alijsque magni momenti rebus tractare possint; studium verò historiæ Aulico potissimum esse debet, vnde omnes cottiuant ciuilis prudentiæ fontes; ait enim Quintilianus prudentissimum illum fore, qui non ætatis suæ modo, sed præteritorum quoque gesta cognouerit, sicque Claudianus volens Honorium in Aula studio ac virtute celebetrimum reddere, ipsi potissimum commendat historiam

———— nec desinat vnquam
Tecum Gratia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos euolue Duces, assuesce futuræ
Militiæ; latum retrò te confer in æuum
Libertas quæsita placet? Mirabere Brutum:
Perfidiam damnas? Metij satiabere pœnis:
Triste rigor nimium? Torquati despice mores:
Mors impensa bonum? Decios &c.

Sed ante hæc omnia sciat Aulicus peregrinationem valdè profuturam ad exercendam in aula Prudentiam, cum ex ipsa externos mores, varia Rerum-

pub. instituta, diuersas linguas, & multiformia administrationum genera, facilè detur addiscere; ad quam rem illustre adhuc memoratur à Cicerone exemplum in Lucullo, qui cum Roma omnino rudis profectus esset, rediit postmodum egregius Imperator, quem iure merito postquam in Asiam venit testatus est Mithridates Rex post Alexandrum Maximus, fuisse ijs omnibus Ducem longè maiorem, quos ipse cognouisset, aut legisset.



LEX



LEX LXXXVIII

AD

HOMINEM IVDICEM.

Frustrà in Rep. constituerentur leges, nisi qui ex earum præscripto iudicarent, iudices quidam essent; cum enim Principes ac Reges publici iuris custodes sint, & patroni, ipsis præsertim incumbit onus, vt ius ipsum per iudices administretur, ex eo quod ipsi grauiorib. curis intenti, singulis iudicijs, quæ in regno atque in Repub. contingere possunt, interesse hand facilè permittatur. Ad id vero ius dicendum atque exercendum viri eligendi sunt summa integritate conspicui, qui legitima cum potestate inuiolata semper æquitate subditorum controuersias dirimant, quorum virtutes in exercendis iudicijs illæ potissimum sint quibus reddantur homines omni exceptione maiores, præsertim verò incorrupta æquitate præfulgeant, fide erga Principem suum, Prudentia, atq; experientia; Sicut enim inquit Isidorus in li. 3. Populi delictum est, quando Principes mali sunt, ità Principis peccatum est, quando iudices eliguntur iniqui; iuxta id, de quo monebatur Iustinianus Imperator ab Agapito Diacono, & etiam Diocletianus à quodam iudice æquitatis amatore.

At quatuor potissimùm illa sunt, quæ debet cauere iudex integer atq; incorruptus qualem hic delineamus, nimirum Timor, Cupiditas, Amor, & odium; & sanè Timor ita iudicis animum quandoque concutit, vt condemnare sua sententia eum non audeat, qui in Rep. aut opibus affluit, aut præpotentia cœteris præstat: nisi igitur iudex inuicto animo sit, ac minimè trepidante, munus suum aduersus præpotentes rectè obire non valebit; quapropter Diotes vir quidam integerrimus, quem summa cum laude commemorat Herodot. lib. 1. cum esset à Medis vocatus ad quoddam graue ferendum iudicium, primùm arcem tutam sibi construi voluit, addique milites ad custodiam, vt tutus ac sine metu posset iudicare. Aliud quoque illustre incorrupti iudicis exemplum referunt Annales Angliæ in vita Henrici Quinti; Cuius filius, cum videret seruum raptum ad Tribunal ob indignum aliquod facinus, summo in satellites irruens furore, illum eripere contendit, cumque

omnes adstantes filium Regis metuerent, solus iudex qui eum damnauerat impauide surrexit, filiumque Regis summa seueritate compescuit, ne iustit prępotentia fugaretur, aut iudicis metu mutaret. Atque timori par debet esse in iudice cupiditas, qua scilicet omni auaritia cateat, & munera in iudicij numquam accipiat; turpissimum namque esset castissimus iudicis manus auro vel muneribus deflorari; quod cum Veteres non ignorarent, Isidoro teste in lib. de summo bono, iustitiæ effigiem sine manibus pingebant, cum eas muneribus accipiendis non esse porrigendas significarent: quin Plato ipse in suis Legibus morti addicendum censet iudicem, qui munus aliquod accepit, non solum vt ius corrumpat, sed etiam vt illud administret & reddat; facitque idem Plato corruptos iudices similes arundini, quæ pisciculis non flectitur paruulis, magnis verò contorquetur & rumpitur; ac propterea dicebat etiam Horat. lib. 2. ser.

——— malè verum examinat omnis
Corruptus Iudex.

Nec odio denique neque amore debent ferri iudices ad integritatem in iudicijs seruandam, non enim debent aduertere, an quis amicus, aut hostis si consanguineus, aut alienus, sed omnem personarum acceptionem excludere fas est: vnde vetus illud iuramentum in iudicibus semper commendatum est, quod refert Demosthenes in Orat. ad Timocratem, vsitatum ab Heliastis, qui antequam ad iudicia properabant, iurabant se æquo animo reos, & accusatores esse examinaturos, atque iudicaturos, deposito scilicet omni amoris & odij affectu; Sicut etiam adhuc celebre est Othonis Tertij Imperatoris iudicium teste Cranzio, qui vxorem suam Aragoniæ Regis filiam publicè cremandam iudicauit, quod rea esset necis cuiusdam innocentissimi comitis, à quo repulsam passa erat mulier impudica.

In sententijs itidem à Iudicibus ferendis vna ipsis certa, ac constans regula sit lex in omni iudicio proposita, quam Iudices semper interpretari tenentur, vt ex eius præscripto innocentes seruent, nocentes verò è Repub. expellant; in qua re longè aberrant Iudices illi, qui vt propriam sequantur opinionem, à legibus discedunt; stare quippe legum decreto, quam hominum arbitrio melius ac tutius est, non enim mutantur leges velut homines, neu sunt affectibus subiectæ; easque curent etiam Iudices supremi ab inferioribus seruari; quemadmodum agebat Tiberius Imperator, qui vbicumque sedebat, Iudices sui offici commonefaciebat, vt leges tuerentur, atque litigantium actiones accuratè perpenderent, quod præ cæteris gloriosius factum est à Traiano Imperator Imperij Prouincias inuisente; ac propterea etiam Augustus Cæsar collectas è varijs authoribus sententias de Repub. aut de Iustitia ad Iudices & Præfectos transmittebat, prout quemque indigere instructione cognoscebat; sicut etiam Iudices omnes iniquè iudicantes puniebat; aiebat enim vnius iniusti Iudicis pœnam cæteros officij sui admonere; qua regula ductus Cambyses Persarum Rex Sisamni, qui pecunia corruptus iniustam

ductus

tulerat sententiam, cutem detrahi, eamque Tribunali iussit insterni; postmodum eius filio Othani in eadem sede collocato mandauit, vt patris exuuias intuens, semper rectè iudicaret.

Neque infimum esse debet Iudicum opus, lites quantum fieri potest, dirimere, aut citò sententijs ex æquitate indictis expedire; graue siquidem, perniciosum, imo prorsus nefas est lites ex litibus quotidie gigni, nec finem vllum Iudicum incuria sperari posse; Idque cogitandum iudicibus est se Principis gratia in solius iustitiæ fauorem ac Reip. commodum in eo iudicaturæ fastigio esse constitutos, ac propterea stricto compelli sui muneris vinculo nimijs litigantium laboribus ac sumptibus finem imponere; propterea optimum censendum est illius Reip. institutum, in qua litium agitatores non priùs ad Tribunal admittuntur, quam rem omnem controuersiam inter se componere probo alicuius boni viri iudicio pertenrent; quo fit vt nulli sint litium protrahendarum sumptus, nulla temporis iactura, nullæ molestiæ, insidiæ, calumniæ, dissidia & id genus alia ciuium & Reip. quietem perturbantia; quapropter sapientissimè Agahcelus Secundus Sueonum & Gothorum Rex statuit, vt omnes controuersiæ priùs ad arbitrium virorum bonorum, qui à dissidentibus eligerentur, ad compositionem redigerentur, quam ad aliquod iudicium deueniretur: existimabat enim vt plurimum summum ius summam iniuriam esse; Sic etiam in Statutis Romanis olim repertum est ad lites componendas duos iudices deligendos esse, quos vocabant arbitros seu Pacerios, qui etiam tertium poterant eligere, si res duobus haud facilè componeretur.

Sic cum multarum litium origo, quorundam litigantium malitia sit, hæc maximè, si dignoscatur, à Iudicibus pœnis est coercenda, præsertim pecuniarijs; ad quam etiam malitiam tollendam in iure inuenta sunt Iuramenta Actori proponenda, quæ debent esse de veritate dicenda iuxta illos satis vulgatos versus

Iuro meam litem mihi fultam iure videri
Nec delaturum, si qua rogatus ero
Nec promissurum, neque causę falsa leuanda
Dicere, nec litem ducere velle meam


atque præter Iuramentum laudabile fuit illud apud Athenienses & Romanos institutum, vt litigantes magnam pecuniæ vim in iudicijs deponerent; quod etiam in quibusdam Prouincijs vsu habitum est ad cohibendos Aduocatos, & Procuratores, ne lites susciperent iniustè agitandas; debent enim & ipsi quoque Aduocati & Procuratores, vbi primùm iniquam esse litem animaduerterint, statim eam deserere, & clientem de iniquitate admouere, quod tamen nostrorum temporum corruptela numquam videre licet, ac propterea hoc hominum genus semper malè audiuit; à Platone enim dicti sunt homines isti litium imitatores pecuniæ accipitres, & mures aliena semper arrodentes; à Bartholo canes Curiarum, & deuoratores; à Seneca venale

genus clamosi rabiosa fori iurgia vendens; ab Apuleio Vultures togati, & forensia pecora; à Lipsio denique Corui fori necem diuitiarum prænunciantes; ad quod hominum genus detestandum benè cecinit etiam Ouidius

Turpe reos empta miseros defendere lingua
Quod faciat magnas turpe Tribunal opes.

quæ tamen omnia dicta volumus tantum de impijs Aduocatis, & Procuratoribus, non de rectis, probis, lege & æquitate semper ornatis; eo modo quo idem intelligimus etiam de Iudicibus.

).(



LEX



LEX LXXXIX AD HOMINEM NOBILITATE CONSPICVVM.



NTER illa bona, quæ à natura, aut etiam à fortuna prouenire dicuntur, quibus hominis felicitas sit numeris omnibus absoluta Principem videtur occupare locum sanguinis nitor seù Nobilitas, quæ etiam cum ancilletur virtuti, facem splẽdoris præferens, ex eo dicitur potius humanæ felicitatis præsidium, ij etenim qui verè Nobiles sunt, virtutum omnium fulgoribus diradiate solent, ac propterea non semper Nobilis est, qui præclatis parentibus & cognatis fatus inspicitur, sed qui vitam ex virtute traducit

Nam genus & prauos & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco

Ora Vatis obloquuntur vera Nobilitate fulgentes, & qui tantummodo gloriantur quod septem auos claros habuerint, (inquit Socrates in Theęteto) veris philosophis ridiculi efficiuntur, qui non ex auis & atauis solent nobilitatem pensitare, quam ipsi rem confictam arbitrantur commentumque Ciuium præpotentum, sed ex virtute, ex qua Romulus licet Martiam præse ferrens sanguinis celsitudinem inter Romanos primus excepit nobilitatis insigne; Natura siquidem ipsa omnibus æqua parens est, nulli nouerca, atque adeò nemine à nobilitate facit extorrem (Nemo altero nobilior est, nisi cuius ingenium virtute præstantius; cum vnus omnium parens mundus sit) aiebat Seneca de benef. iuxta farum Euripidis aientis ignobilem esse, qui iustus nõ est, quamuis à Ioue genus ducat, omneq; nobilitatis genus quod immerita ostentatione iactatur sine virtute potiùs abiectionis argumentum est, cum siue primordia Nobilitatis exquirentes, siue augumenta spectantes, hæc vel nefaria perfidia, & crudelitate parta deprehendamus, vel mercenaria industria comparata dignoscamus, occurrentibus ex parentum annalibus vel impijs consanguineorum parricidijs, vel funestis cõiugijs, vel trucidatis principibus, vel alijs eiusmodi supremæ improbitatis facinoribus execrandis.

——*Stemmata quid faciunt?*

Tota

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria; Nobilitas sola est, atque vnica virtus

rem claudit sapientissimè Iuuenalis

Non tamen improbanda ea generis claritas, quam natura nascentibus impertitur, si fiat cognata virtuti; ait namque Cicero in oration. pro Sextio Nobilitatem Virtuti consociatam validam esse animorum ad grandia extimulatricem; eaque ratione subdit ipse apud Romanos in vsu fuisse in demandandis imperijs etiam generis fulgorem respicere, vbi tamen virtus quoque diradiaret; viro etenim nobili atque ingenuo sicut naturæ ductu popularis subijcitur cœtus, ità arcto necessitudinis vinculo ipsius animi magnitudo vt plurimùm fœderata dispicitur, qua non nisi honesta patramus, resq; turpes & indecoras auuersamur; idque videtur etiam natura comparatum vt ex melioribus meliores nascantur

Fortes creantur fortibus & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam

canebat Horatius; eoque prorsus modo, quo sæpius in natis parentum, auorum, & atauorum signa seruantur, ità in animis cum corpore complicatis similes quoque maiorum propensiones quasi igniculi à natura assurgentes creduntur propagari, & valdè rarò contingit, quod è Scythicis parentibus malè moratis nascantur Anacharses. Non est itaque generis contemnenda nobilitas, vbi nobilitas ipsa famulitium præstat virtuti, Beatus est (inquit Tullius lib. 2. de off.) cuius ad aggerandam virtutem accedit sanguinis decor.

At contrà tum apud Veteres tum apud recentiores omnes semper damnata est ea nobilium gloria, quam sibi ipsis sine virtute peperere, quorum præsertim in eo sita felicitas est, quo omni potentia præter fas & æquum, omni voluptate præter temperantię præscriptum, omni denique libertate præter limites legum solent insolescere, omnia etiam pro libito agentes, omni scelere omnia iniqua pertentantes; hi etenim cum omnium hominum nocentissimi sint, id tantùm agunt vt decus omne Nobilitatis deturpent, ac prorsus aboleant, quæ à natura in sublimioribus in infimorum leuamen est impertita; Non enascuntur nobiles vt sint virtutum hostes & euersores, neque vt obliuiscantur quod homines sunt, neque potestas est, cuncta per violentiam posse, cœterisque tantum vitijs atque torsionibus præesse, aut præminere. Non est Nobilitatis insigne, fastu & ambitione super alios extumescere, improborum hominum satellitio stipari, potestatis vires tyrannide exercere, omni luxu propria & aliena profundere; hæc potiùs claritatis tenebræ sunt, atque ignobilitatis notæ, quam generis ornamenta; & licet plerumque nobiles eiusmodi prudentia, pietate,

tate, & Iustitia insignes apparere satagant ; vt famam in ciuitatibus, aut principum concilijs sibi aucupentur, tamen vt plurimum ipsa virtutum hypocrisi ità sordescunt, vt ad nihil altum, aut nobilitate dignum assurgant, sæpe etiam liberalitatis famam sibi auaritia vsurpantes, dum quod dono dant vni, auferant alteri potius prædones munifici, quàm splendidi bonorum errogatores ; Non sunt verè Nobiles eiusmodi viri, qui semper à meta virtutis aberrant, nullumque sanè exitiosius est genus ciuitatibus, regnis, Rebusque publicis quam isti præpotentes viri qui in aliorum perniciem superbo spiritu iugiter turgescunt, de quibus idcircò non malè consulit Aristophanes; non expedire in vrbibus leones enutrire, qui cęteros fastu viriumque robore deterreant atque prosternant.

Si qui tamen nobiles sint generis & sanguinis claritatem cum virtutis splendore iungentes, ij sanè præ cœteris ad superiora dignitatum fastigia sunt euehendi, primisque in Republ. honoribus cumulandi, ac maximè colendi, consonum enim valdè rationi est, vt in benè constituta repub. etiam naturæ discrimen elucescat, quo amplior ab ipsa natura euocetur virtus; neque enim æquale lumen Soli & Lunæ impertitum est, neque æquam honoris portionem domino & seruo natura distribuit, præsertim cum non adcò frequentes sint Romuli, Amases, & Cyri qui inter pastores educati sola ducente virtute ad regnum emergant; vulgatum enim est illud dictum quod erat Athenarum inscriptum foro (non semper pauperi & ignobili adsunt Musæ) debet namque eorum sedes altiùs collocari, quibus in puppi sedere, clauumque tenere primum incumbit; Idque quod fortasse ironicè de Cæsaris filio dictum est, & de Furio ignobili viro, potest iuste nobilibus virtute præstantibus adaptari, nimirum, solus Cæsaris filius debet esse delicatè enutritus, vt diutius naturæ viuat, Castè institutus vt ciuitati prosit, purpura vestitus vt honoretur à Ciue, in palestra exercitatus vt formidetur ab hoste Ignobilis & abiectus Furius desudet, laboret, torqueatur vt victitet indies. At quia valdè rara cum virtute nobilitati sociatio est, vt raro etiam nobilitas cum eruditione coniungitur, cum naturæ mos sit, ita sua dona dispertire vt nobilitatem vni, virtutem & eruditionem alteri largiatur, supra humanam felicitatem is dicitur esse, qui vtraque beatur; ideò vbi deficit natalium splendor, saltem virtutis radij debent præmicare ad operum splendorem, quibus omnes illustramur (Animus) aiebat Stoicus) nobilem facit, cui ex quacumque conditione surgere licet. Patricius Socrates non fuit, sed marmorario genitus; Cleanthes rigando hortulo locauit manum, Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit; Euripidis & Demosthenis parentes ipsa illorum ætas ignoraui; Incunabula Tulli Hostilij agreste tugurium accepit; Tarquinium Priscum mercator genuit, Seruius Tullius à seruo imperium tenuit, protulitque in imperio suæ conditionis nomen; ex taberna Macellaria Varro ad Consulatum conscendit, Porcius Cato ignobile Tusculi nomen nobilissimum Romæ dedit; Plebeiæ fuerunt

Decio

Deciorum animæ; Septies ab aratro Marium vidit Consulem Roma; excresceret excursus in volumen, si omnes è plebe susceptos atque ad alta sustollente virture vocatos vellem ennumerare.


At licet viro Nobili vetus nobilitas cum virtute concedatur, ipsi tamen parentum nobilitati noua nobilitas addenda est, vt non tam se ab illis lumen accepisse, quam illos à se lucem mutuatos libenter aspiciat; hoc est vere nobilem esse, maiores virtutibus superare,

—— Miserum est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas
Quam te Thersite similem producat Achilles

Iusit optime ad rem more suo Satyricus. Quis non meritò rideat illum, qui alieno tamquam suo se iactat, alienisque factis vt à se natis gloriatur? sane vacuus est ab omni merito, ab omni laude, cui tota gloria, tota laus ab alio est vt vacuus etiam eruditione dicitur, cuius omnis doctrina in alieno calamo sudat, licet enim ea nobilibus omnibus imposita lex sit, vt præclaris maiorum suorum vestigijs insistant, perque arduam prærupramq; virtutis semitam contendant, id tamen proprio opere & conatu præstandum est, ne omne quod nobili inest, alienum potiùs sit quam proprium; Nobilitas namque cum sit virtutis decus, simul & præmium, desidiosa aut torpore detenta esse non potest.

An verò vere Nobilis sit ille dicendus, qui aliquod mercaturæ genus exercer, adhuc est sub lite. Aristoteles Mercaturam omnem sordidam esse tradit. Tullius quoque 1. Offic. mercaturam appellat seruitutis auctoramentum. Darius teste Herodoto libr. 3. contumeliose mercator dictus est, quod instar Institoris omnia quæstui haberet. Iulius Capitolinus inter sordes Imperatoris Pertinacis ponit, quod Mercaturæ operam dederit. Contemptus est Romæ Tarquinius, quod Demarato patre mercatore natus esset. Suetonius vituperat Vespasianum quod negotiationes pudendas propalam coemendo quædam, vt pluris postea distraheret. Eamdem ob causam omnis quæstus Romæ patribus indecorus visus est vt ait Liuius lib. 21. ipso iure ciuili Nobiles mercimonium exercere prohibentur leg. 3. Cod. de commer. & mercat. Legibus quoque Imperialibus mercaturæ & negotiationi omnis aditus ad honores & Magistratus præcluditur leg. 6. Cod. de dignit. Thebani denique neminem ad Reip. administrationem admittebant, nisi saltem per decennium mercatura abstinuisset; sicut etiam recentibus Germanorum ac Gallorum statutis prohibetur, ne Nobiles mercaturæ & negotiationibus implicentur. At quidquid senserint Vetustiores in hac re, nobis fatendum esse Nobilem virum absque Nobilitatis detrimento mercaturam exercere posse, si con-

ſi conſuetudo atque regionis conditio ità obtineat, vt optime aduertit Alciatus in leg. mercis ff. de verbor. ſignificat. Hincque apud Luſitanos, Italos, Venetos, Genuenſes, Florentinos, Lucenſes, Anglos, alioſque nonnullos mercaturæ Nobiles atque ignobiles æque vacant; ſicut etiam apud Veteres M. Æmilio Scauro nihil obfuit, quod pater ipſius ex pauperta- te Carbonariam exercuerit; probanda autem ſunt in hac re noſtrorum temporum exem- pla, potiùs quam anti- quorum.





LEX LXXXVII

AD

HOMINEM AVLICVM.

NAturalis quædam cupiditas, qua in captandis honoribus, atque in exoptanda meliori ſtatus conditione omnes ferè iugiter homines feruntur, eos ſæpè ſæpius tanta mentis cæcitate confundit, vt perpauci inueniantur, qui morboſa hac vertigine circumacti, miſeriarum tandem pondere non opprimantur, ibiq; inter profunda volutentur, vbi altius dignitatis faſtigium meditabantur; cum enim ferè ex omni parte Principum Aulas conſtituat Ambitio, hæcque illa ſit, quæ dum altiora petit, ſepelitur in imo, inde ſequitur Aulicos omnes ea perturbatione intumeſcentes atque commotos vt plurimum in præceps tenebrarum abire, abſque eo quod permanens vnquam appareat ſperatæ magnitudinis nitor. Verum cum inter tot hominum ſtatus etiam Aulæ ſectatores ſint connumerandi, & licet ratione ſui ſtatus numquam extra rotantis fortunæ aleam id hominum genus conſtitui poſſit, operæ tamen prætium eſt quædam hoc loco proferre, quibus veluti manuductionibus ſecurior atque honeſtior in aula ipſis ſit vita traducenda.

Atque cum in Aulæ profeſſore tum animi, tum corporis dotes quærendæ ſint, licet Aulico ſola virtute fulgenti ad Aulam non denegetur ingreſſus, ſi tamen cum ipſa virtute iungi nobilitas ac genus poſſit, hoc ſanè maximum eſt in Aulico magnarum rerum initium; cum enim certa quædam boni malique ſemina vnà cum ſanguine in vnoquoque fundantur, quæ temporum progreſſu perueniunt ad frugem, qualitates ſecum trahentes, quibus aut amabiles, aut inuiſi homines redduntur; ij qui præter virtutem generis fulgore diradiant, faciliores in aula ſibi parant gradus, quam cœteri ea face deſtituti; & ſicut illi qui per obſcuros in lucem emittuntur natales, ipſa extimulante natura non vlteriùs progrediuntur, quam quò maiores euecti ſunt, ſic qui excelſum ac perilluſtre oſtentant ſanguinis genus, ſemper ad aliquem apicem peruenire ſatagunt, vbi clariores eniteant; certum ſi quidem eſt generis claritati ad præclara facinora potentiora circumſtare calcaria, quam plebeiæ nati-

natiuitati; & licet hominum æstimatio virtute concilietur, virtutemque sola probitas, & honestas agendi progignat, nulli tamen dubium esse potest, splendorem quoque ortus Aulicos exornare; præsertim cum habeamus ex Seneca magnos animos facilius patientiam, & fortitudinem comitari, quæ sunt illæ duæ virtutes, sine quibus rectè aulicam duci vitam Plutarchus negat; & veteranus Aulicus apud Senecam in lib. 2. de ira cap. 33. interrogatus quomodo rem rarissimam in aula consequutus esset, nempè senectutem; respondit, Iniurias ferendo, & gratias agendo iuxta illud

Nobile vincendi genus est patientia, vincit
Qui patitur, si vis vincere, disce pati.

si quidem per patientiam Aulici cum nobilitate indolis etiam magnum animum ostendunt, difficultates omnes, & ardua iugiter in aulas irrepentia inuictè superantes.

Verum cum innumeræ prorsus sint viuendi rationes, quibus homo se exercere debet in aula, quicunque eas ad vitæ beatitatem callere satagit, hæc omnia prorsus versare animo debet, vt quod verè sit aulæ iugum, scitè dignoscat; Quid namque à conditione sapientis magis alienum censendum est, quam onera aulæ ferè importabilia minimè cogitare? Quid libero homine indignius reputandum est, quam propriæ rationis atque arbitratus imperio, alieno imperio, & rationi sine ratione subijcere? vbi exardescit ambitio, atque inexplebilis honorum & facultatum cupiditas, quid boni aut refrigerij sibi nimis exæstuans animus potest spe designare, aut ex egestate concipere? Quid quietis apparari vbi iugi affectuum commotione interturbatur tranquillitas? vbi numquam parcitur laboribus, ac tandem fatigatione deuictum cum ipsius animo dispendio corpus succumbit, mille curis abrodentibus, affligantibus, absumentibus? & cum hæc vera sint, atque quotidianis probata experimentis, vt sauior & tranquillior Aulici vita sit, eò obtutum intendere debet, vt etiam in aula virtuti potius, & honestati inseruiat, quam aulæ, vbi sine virtutis directione fortunæ famæ & honoris naufragia iugiter sunt metuenda; isque tantum ab Aulico scopus sibi statuendus est, quo honestè viuat, suoque principi debita præster obsequia absque honestatis, fidei, atque iustitiæ læsione; Qualemcumque enim alium finem, quem sibi deligat Aulicus in aula, non modo incertus, periculisque obsitus dignoscitur, verum etiam mille curis ac molestijs circumseptus. Facilis sola, & innocens naturæ & iustitiæ via est, atq; omne susceptum, quod à regulis rationis exorbirat, errorem sibi ducem, miseriam, & pœnitentiam comitem habet.

Non est tamen ea Aulæ natura & conditio, vt omnia prænumerata infortunia secum trahat, ea in Aulicos quodam ipsius Aulæ ingerente fato, cum potiùs ea omnia eorum crimini ac culpæ adscribenda sint, qui peruer-

uersè Aulam colunt; Si enim exiguus recti iudicij vsus, seu rectæ rationis radius Aulicos ità ducat, vt bona principis quærant, non propria, vt Iustitiam ac pietatem in aula profiteantur, optimè partes muneris sui dicuntur implere, atque inde summam sibi ipsis, etiam in eiusmodi vitæ genere, commendationem adsciscere; Aulicus si quidem qui singulis animi, & corporis doribus ad rectè seruiendum Principi idoneis præditus esset, tantam sibi famæ æstimationem compararet, vt pars Principis ac Principatus dici posset, quemadmodum ad quemdam Cyri ministrum testatus est Xenophon., atque Aulicorum animi, qui eiusmodi gloriæ stimulis concitantur, sibi ipsis saluberrimo nutriuntur honore, nullaque vnquam insidiarum machinatione queunt labefactari.

Super omnia erga Principem sincerè semper Aulico agendum est, idque debent Aulici sibi facilè persuadere, quod dixit Euripides, nullum mendacium in aula senescere, Amphiarium Aulicum & Augurem imitantes, qui ex eo laudatur ab Æschylo, quod statuisset, vt in aula non videretur, sed esset optimus. Læditur nimiùm Principis maiestas Aulicorum impietate, sed præsertim simulatione, atque assentatione; ac propterea Homericus Princeps dicebat optimè

Hostis ille mihi perinde, ac inferorum portæ
Qui aliud quidem celat in præcordijs, aliud verò dicit.

nec alia ratione Pisonem laudat Paterculus, nisi quod, agenda semper egerit absque vlla assentatione.

Sic etiam Aulici prudentis munus est in Principis arcana numquam inquirere, neque de illis vllo modo loqui, cum dicat Cassiodorus eos Aulicos iugi necis periculo esse subiectos, qui arcana quoquo modo nouere; qua ratione Callisthenem discipulum ad Alexandri aulam profecturum monebat Aristoteles, vt quam rarò loqueretur, & quæ sciret, se nescire putaret; ex quo monitum illud ortum est

Arcanum neque tu scrutaberis vllius vmquam
Commissumque teges & vino tortus, & ira.

Hinc etiam pro Aulicis ea vniuersè instituta sunt præcepta nimirum cum obsequium deferendum est Principi, sint promptissimi; Numquam propter merita sua plus sibi, quam alijs licere putent, cum meriti gratia amittatur, vbi insolentiùs ex merito aliquid geritur; Quod suæ virtutis, animi, & indolis excellentiam cum Principis præstantia numquam conferant, aut vllius gestæ rei laudem ad se trahant; nihilque vehementiùs quam Principem suum offendere timeant. Quod denique semper opportunè occasiones captent, si quid agendum, aut petendum sit, sciantque non semper secundos in Aula ventos spirare, cum de Aula id vetus ac vulgatissimum sit



Aula,

Aula, locus, fortuna suos vbi lubrica ludos,
Ludit & eludit, nunc hos nunc deijcit illos.

Quin illud quoque Aulico præceptum seruandum est, quod excelsa nimis numquam appetat, aut impensè nimis prosequatur, nam vt inquit Quintilianus, nesciunt diù stare successus, & quotidie prodire vltrà felicitas non potest, redit. Segetem quoque nimia sternit vbertas, & nimio onere franguntur rami, neque ad maturitatem peruenit nimia fœcunditas; Ideo non mirandum si immoderata felicitas animum sæpè rumpat, atque in propriam vt plurimum perniciem conuertatur; Et hac sola ratione Aurelianus Imperator modicè tantum Aulicos suos ditabat, vt scilicet tantum miserias paupertatis effugerent, & diuitiarum inuidiam patrimonij moderatione vitarent, quod tradit Vopiscus in eius vita; ad hæc opportunè satis canente etiam Ouidio in 3. de Tristib.


Tu quoque formida nimium sublimia semper
Propositique memor contrahe vela tui.

Ea denique quæ oportet Aulicum in Aula nedum seruare, aut cauere, sed etiam scire plura sunt ad eius officij honestatem optimè concinnata; stultum enim esset ad Principum Aulas aliquem accedere velle, si ea prorsus ignoraret, quæ spectant ad ipsius Aulæ tuendam dignitatem atque maiestatem; Intuentur enim cœteri homines Aulicos viros tamquam supra genus humanum quodam elegantiæ nitore euectos, atque adeo putant neminem ipsis aut ornatiùs loqui, aut prudentiùs agere posse, quapropter artibus liberalibus ferè omnibus debent esse instructi, sed oratoria præsertim, Historica, Politica, & Mathematica, ea si quidem est in Italicis harum artium necessitas, vt Principum negotia, de bello, pace, fœderibus, alijsque magni momenti rebus tractare possint; studium verò historiæ Aulico potissimum esse debet, vnde omnes corriuant ciuilis prudentiæ fontes; ait enim Quintilianus prudentissimum illum fore, qui non ætatis suæ modo, sed præteritorum quoque gesta cognouerit, sicque Claudianus volens Honorium in Aula studio ac virtute celeberrimum reddere, ipsi potissimum commendat historiam

——— nec desinat vnquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos euolue Duces, assuesce futuræ
Militiæ; latum retrò te confer in æuum
Libertas quæsita placet? Mirabere Brutum:
Perfidiam damnas? Metij satiabere pœnis:
Triste rigor nimium? Torquati despice mores:
Mors impensa bonum? Decios &c.

Sed ante hæc omnia sciat Aulicus peregrinationem valdè profuturam ad exercendam in aula Prudentiam, cum ex ipsa externos mores, varia Rerum-

pub. instituta, diuersas linguas, & multiformia administrationum genera facilè detur addiscere ; ad quam rem illustre adhuc memoratur à Cicerone exemplum in Lucullo, qui cum Roma omnino rudis profectus esset, redijt postmodum egregius Imperator, quem iure merito postquam in Asiam venit testatus est Mithridates Rex post Alexandrum Maximus, fuisse ijs omnibus Ducem longè maiorem, quos ipse cognouisset, aut legisset.





LEX LXXXVIII

AD

HOMINEM IVDICEM.

FRustrà in Rep. constiruerentur leges, nisi qui ex earum præscripto iudicarent, iudices quidam essent; cum enim Principes ac Reges publici iuris custodes sint, & patroni, ipsis præserrim incumbit onus, vt ius ipsum per iudices administretur, ex eo quod ipsi grauiorib. curis intenti, singulis iudicijs, quæ in regno atque in Repub. contingere possunt, interesse haud facilè permittatur. Ad id vero ius dicendum atque exercendum viri eligendi sunt summa integritate conspicui, qui legitima cum potestate inuiolata semper æquitate subditorum controuersias dirimant, quorum virtutes in exercendis iudicijs illæ potissimum sint quibus reddantur homines omni exceptione maiores, præsertim verò incorrupta æquitate præfulgeant, fide erga Principem suum, Prudentia, atq; experientia; Sicut enim inquit Isidorus in li. 5. Populi delictum est, quando Principes mali sunt, ità Principis peccatum est, quando iudices eliguntur iniqui; iuxta id, de quo monebatur Iustinianus Imperator ab Agapito Diacono, & etiam Diocletianus à quodam iudice æquitatis amatore.

At quatuor potissimùm illa sunt, quæ debet cauere iudex integer atq; incorruptus qualem hic delineamus, nimirum Timor, Cupiditas, Amor, & odium; & sanè Timor ita iudicis animum quandoque concutit, vt condemnare sua sententia eum non audeat, qui in Rep. aut opibus affluit, aut præpotentia cœteris præstat: nisi igitur iudex inuicto animo sit, ac minimè trepidante, munus suum aduersus præpotentes rectè obire non valebit; quapropter Diotes vir quidam integerrimus, quem summa cum laude commemorat Herodot. lib. 1. cum esset à Medis vocatus ad quoddam graue ferendum iudicium, primùm arcem tutam sibi construi voluit, addique milites ad custodiam, vt tutus ac sine metu posset iudicare. Aliud quoque illustre incorrupti iudicis exemplum referunt Annales Angliæ in vita Henrici Quinti; Cuius filius, cum videret seruum raptum ad Tribunal ob indignum aliquod facinus, summo in satellites irruens furore, illum eripere contendit, cumque

Pp 2 om-

tulerat sententiam, cutem detrahi, eamque Tribunali iussit insterni; postmodum eius filio Othani in eadem sede collocato mandauit, vt patris exuuias intuens, semper rectè iudicaret.

Neque infimum esse debet Iudicum opus, lites quantum fieri potest, dirimere, aut citò sententijs ex æquitate indictis expedire; graue siquidem, perniciosum, imo prorsus nefas est lites ex litibus quotidie gigni, nec finem vllum Iudicum incuria sperari posse; Idque cogitandum iudicibus est se Principis gratia in solius iustitiæ fauorem ac Reip. commodum in eo iudicaturæ fastigio esse constitutos, ac propterea stricto compelli sui muneris vinculo nimijs litigantium laboribus ac sumptibus finem imponere; propterea optimum censendum est illius Reip. institutum, in qua litium agitatores non priùs ad Tribunal admittuntur, quam rem omnem controuersam inter se componere probo alicuiusboni viri iudicio pertentent; quo fit vt nulli sint litium protrahendarum sumptus, nulla temporis iactura, nullæ molestię, insidiæ, calumniæ, diffidia & id genus alia ciuium & Reip. quietem perturbantia; quapropter sapientissimè Agathcelus Secundus Sueonum & Gothorum Rex statuit, vt omnes controuersiæ priùs ad arbitrium virorum bonorum, qui à diffidentibus eligerentur, ad compositionem redigerentur, quam ad aliquod iudicium deueniretur: existimabat enim vt plurimum summum ius summam iniuriam esse, Sic etiam in Statutis Romanis olim repertum est ad lites componendas duos iudices deligendos esse, quos vocabant arbitros seù Pacerios, qui etiam tertium poterant eligere, si res duobus haud facilè componeretur.

Sic cum multarum litium origo, quorundam litigantium malitia sit, hæc maximè, si dignoscatur, à Iudicibus pœnis est coercenda, præsertim pecuniarijs; ad quam etiam malitiam tollendam in iure inuenta sunt Iuramenta Actori proponenda, quæ debent esse de veritate dicenda iuxta illos satis vulgatos versus

Iuro meam litem mihi fultam iure videri
Nec delaturum, si qua rogatus ero
Nec promissurum, neque causę falsa leuandæ
Dicere, nec litem ducere velle meam


atque præter Iuramentum laudabile fuit illud apud Athenienses & Romanos institutum, vt litigantes magnam pecuniæ vim in iudicijs deponerent; quod etiam in quibusdam Prouincijs vsu habitum est ad cohibendos Aduocatos, & Procuratores, ne lites susciperent iniustè agitandas; debent enim & ipsi quoque Aduocati & Procuratores, vbi primùm iniquam esse litem animaduerterint, statim eam deserere, & clientem de iniquitate admouere, quod tamen nostrorum temporum corruptela numquam videre licet, ac propterea hoc hominum genus semper malè audiuit; à Platone enim dicti sunt homines isti litium imitatores pecuniæ accipitres, & mures aliena semper arrodentes; à Bartholo canes Curiarum, & deuoratores; à Seneca venale

genus clamosi rabiosa fori iurgia vendens; ab Apuleio Vultures togati, & forensia pecora; à Lipsio denique Corui fori necem diuitiarum prænunciantes; ad quod hominum genus detestandum benè cecinit etiam Ouidius

Turpe reos empta miseros defendere lingua
Quod faciat magnas turpe Tribunal opes.

quæ tamen omnia dicta volumus tantum de impijs Aduocatis, & Procuratoribus, non de rectis, probis, lege & æquitate semper ornatis; eo modo quo idem intelligimus etiam de Iudicibus.

.).(.





LEX LXXXIX
AD
HOMINEM NOBILITATE CONSPICVVM:

INTER illa bona, quæ à natura, aut etiam à fortuna prouenite dicuntur, quibus hominis felicitas sit numeris omnibus absoluta Principem videtur occupare locum sanguinis nitor seù Nobilitas, quæ etiam cum ancilletur virtuti, facem splẽdotis præferens, ex eo dicitur potius humanæ felicitatis præsidium, ij etenim qui verè Nobiles sunt, virtutum omnium fulgoribus diradiate solent, ac propterea non semper Nobilis est, qui præclatis parentibus & cognatis satus inspicitur, sed qui vitam ex virtute traducit

Nam genus & prauos & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco

Ora Vatis obloquuntur vera Nobilitate fulgentes, & qui tantummodo gloriantur quod septem auos claros habuerint, (inquit Socrates in Theęteto) veris philosophis ridiculi efficiuntur, qui non ex auis & atauis solent nobilitatem pensitare, quam ipsi rem confictam arbitrantur commentumque Ciuium præpotentum, sed ex virtute, ex qua Romulus licet Martiam præse ferrens sanguinis celsitudinem inter Romanos primus excepit nobilitatis insigne; Natura siquidem ipsa omnibus æqua patens est, nulli nouerca, atque adeò nemine à nobilitate facit extorrem (Nemo altero nobilior est, nisi cuius ingenium virtute præstantius; cum vnus omnium parens mundus sit) aiebat Seneca de benef. iuxta fatum Euripidis aientis ignobilem esse, qui iustus nõ est, quamuis à Ioue genus ducat, omneq; nobilitatis genus quod immerita ostentatione iactatur sine virtute potiùs abiectionis argumentum est, cum siue primordia Nobilitatis exquirentes, siue augumenta spectantes, hæc vel nefaria perfidia, & crudelitate parta deprehendamus, vel mercenaria industria comparata dignoscamus, occurrentibus ex parentum annalibus vel impijs consanguineorum parricidijs, vel funestis cõiugijs, vel trucidatis principibus, vel alijs eiusmodi supremæ improbitatis facinoribus execrandis.

—— Stemmata quid faciunt?

Tota

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria; Nobilitas sola est, atque vnica virtus

rem claudit sapientissimè Iuuenalis

Non tamen improbanda ea generis claritas, quam natura nascentibus impertitur, si fiat cognata virtuti; ait namque Cicero in oration. pro Sextio Nobilitatem Virtuti consociatam validam esse animorum ad grandia extimulatricem; eaque ratione subdit ipse apud Romanos in vsu fuisse in demandandis imperijs etiam generis fulgorem respicere, vbi tamen virtus quoque diradiaret; viro etenim nobili atque ingenuo sicut naturæ ductu popularis subijcitur cœtus, ità arcto necessitudinis vinculo ipsius animi magnitudo vt plurimùm fœderata dispicitur, qua non nisi honesta patramus, resq; turpes & indecoras auuersamur; idque videtur etiam natura comparatum vt ex melioribus meliores nascantur

Fortes creantur fortibus & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam

canebat Horatius; eoque prorsus modo, quo sæpius in natis parentum, auorum, & atauorum signa seruantur, ità in animis cum corpore complicatis similes quoque maiorum propensiones quasi igniculi à natura assurgentes creduntur propagari, & valdè raro contingit, quod è Scythicis parentibus malè moratis nascantur Anacharses. Non est itaque generis contemnenda nobilitas, vbi nobilitas ipsa famulitium præstat virtuti, Beatus est (inquit Tullius lib. 2. de off.) cuius ad aggerandam virtutem accedit sanguinis decor.

At contrà tum apud Veteres tum apud recentiores omnes semper damnata est ea nobilium gloria, quam sibi ipsis sine virtute peperere, quorum præsertim in eo sita felicitas est, quo omni potentia præter fas & æquum, omni voluptate præter temperantię præscriptum, omni denique libertate præter limites legum solent insolescere, omnia etiam pro libito agentes, omni scelere omnia iniqua pertentantes; hi etenim cum omnium hominum nocentissimi sint, id tantùm agunt vt decus omne Nobilitatis deturpent, ac prorsus aboleant, quæ à natura in sublimioribus in infimorum leuamen est impertita; Non enascuntur nobiles vt sint virtutum hostes & euersores, neque vt obliuiscantur quod homines sunt, neque potestas est, cuncta per violentiam posse, cœterisque tantum vitijs atque torsionibus præesse, aut præminere. Non est Nobilitatis insigne, fastu & ambitione super alios extumescere, improborum hominum satellitio stipari, potestatis vires tyrannide exercere, omni luxu propria & aliena profundere; hæc potiùs claritatis tenebræ sunt, atque ignobilitatis notæ, quam generis ornamenta; & licet plerumque nobiles eiusmodi prudentia, pietate,

tate, & Iustitia insignes apparere satagant; vt famam in ciuitatibus, aut principum concilijs sibi aucupentur, tamen vt plurimum ipsa virtutum hypocrisi ità sordescunt, vt ad nihil altum, aut nobilitate dignum assurgant, sæpe etiam liberalitatis famam sibi auaritia vsurpantes, dum quod dono dant vni, auferant alteri potiùs prædones munifici, quàm splendidi bonorum errogatores; Non sunt verè Nobiles eiusmodi viri, qui semper à meta virtutis aberrant, nullumque sanè exitiosius est genus ciuitatibus, regnis, Rebusque publicis quam isti præpotentes viri qui in aliorum perniciem superbo spiritu iugiter turgescunt, de quibus idcircò non malè consulit Aristophanes; non expedire in vrbibus leones enutrire, qui cęteros fastu viriumque robore deterreant atque prosternant.

Si qui tamen nobiles sint generis & sanguinis claritatem cum virtutis splendore iungentes, ij sanè præ cœteris ad superiora dignitatum fastigia sunt euehendi, primisque in Republ. honoribus cumulandi, ac maximè colendi, consonum enim valdè rationi est, vt in benè constituta repub. etiam naturæ discrimen elucescat, quo amplior ab ipsa natura euocetur virtus; neque enim æquale lumen Soli & Lunæ impertitum est, neque æquam honoris portionem domino & seruo natura distribuit, præsertim cum non adcò frequentes sint Romuli, Amases, & Cyri qui inter pastores educati sola ducente virtute ad regnum emergant; vulgatum enim est illud dictum quod erat Athenarum inscriptum foro (non semper pauperi & ignobili adsunt Musæ) debet namque eorum sedes altius collocari, quibus in puppi sedere, clauumque tenere primum incumbit; Idque quod fortasse ironicè de Cæsaris filio dictum est, & de Furio ignobili viro, potest iuste nobilibus virtute præstantibus adaptari, nimirum, solus Cæsaris filius debet esse delicatè enutritus, vt diutius naturæ viuat, Castè institutus vt ciuitati prosit, purpura vestitus vt honoretur à Ciue, in palestra exercitatus vt formidetur ab hoste Ignobilis & abiectus Furius desudet, laboret, torqueatur vt victitet in dies. At quia valdè rara cum virtute nobilitati sociatio est, vt raro etiam nobilitas cum eruditione coniungitur, cum naturæ mos sit, ita sua dona dispertire vt nobilitatem vni, virtutem & eruditionem alteri largiatur, supra humanam felicitatem is dicitur esse, qui vtraque beatur; ideò vbi deficit natalium splendor, saltem virtutis radij debent præmicare ad operum splendorem, quibus omnes illustramur (Animus) aiebat Stoicus) nobilem facit, cui ex quacumque conditione surgere licet: Patricius Socrates non fuit, sed marmorario genitus; Cleanthes rigando hortulo locauit manum, Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit; Euripidis & Demosthenis parentes ipsa illorum ætas ignorauit; Incunabula Tulli Hostilij agreste tugurium accepit; Tarquinium Priscum mercator genuit, Seruius Tullus à seruo imperium tenuit, protulitque in imperio suæ conditionis nomen; ex taberna Macellaria Varro ad Consulatum conscendit; Porcius Cato ignobile Tusculi nomen nobilissimum Romæ dedit; Plebeiæ fuerunt

Decio-

Deciorum animæ; Septies ab aratro Marium vidit Consulem Roma; excresceret excursus in volumen, si omnes è plebe susceptos atque ad alta sustollente virtute vocatos vellem ennumerare.


At licet viro Nobili vetus nobilitas cum virtute concedatur, ipsi tamen parentum nobilitati noua nobilitas addenda est, vt non tam se ab illis lumen accepisse, quam illos à se lucem mutuatos libenter aspiciat; hoc est vere nobilem esse, maiores virtutibus superare,

—— Miserum est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capescas
Quam te Thersite similem producat Achilles

Lusit optime ad rem more suo Satyricus. Quis non meritò rideat illum, qui alieno tamquam suo se iactat, alienisque factis vt à se natis gloriatur? sane vacuus est ab omni merito, ab omni laude, cui tota gloria, tota laus ab alio est vt vacuus etiam eruditione dicitur, cuius omnis doctrina in alieno calamo sudat, licet enim ea nobilibus omnibus imposita lex sit, vt præclaris maiorum suorum vestigijs insistant, perque arduam præruptamq; virtutis semitam contendant, id tamen proprio opere & conatu præstandum est, ne omne quod nobili inest, alienum potiùs sit quam proprium; Nobilitas namque cum sit virtutis decus, simul & præmium, desidiosa aut torpore detenta esse non potest.

An verò vere Nobilis sit ille dicendus, qui aliquod mercaturæ genus exercet, adhuc est sub lite. Aristoteles. Mercaturam omnem sordidam esse tradit. Tullius quoque 1. Offic. mercaturam appellat seruituris auctoramentum. Darius teste Herodoto libr. 3. contumeliose mercator dictus est, quod instar Institoris omnia quæstui haberet. Iulius Capitolinus inter sordes Imperatoris Pertinacis ponit, quod Mercaturæ operam dederit. Contemptus est Romæ Tarquinius, quod Demarato patre mercatore natus esset. Suetonius vitupetat Vespasianum quod negotiationes pudendas propalam coemendo quædam, vt pluris postea distraheret. Famdem ob causam omnis quæstus Romæ patribus indecorus visus est vt ait Liuius lib. 21. ipso iure ciuili Nobiles mercimonium exercere prohibentur leg. 3. Cod. de commer. & mercat. Legibus quoque Imperialibus mercaturæ & negotiationi omnis aditus ad honores & Magistratus præcluditur leg. 6. Cod. de dignit. Thebani denique neminem ad Reip. administrationem admittebant, nisi saltem per decennium mercatura abstinuisset; sicut etiam recentibus Germanorum ac Gallorum statutis prohibetur, ne Nobiles mercaturæ & negotiationibus implicentur. At quidquid senserint Vetustiores in hac re, nobis fatendum esse Nobilem virum absque Nobilitatis detrimento mercaturam exercere posse, si con-

si consuetudo atque regionis conditio ità obtineat, vt optime aduertit Alciatus in leg. mercis ff. de verbor. significat. Hincque apud Lusitanos, Italos, Venetos, Genuenses, Florentinos, Lucenses, Anglos, aliosque nonnullos mercaturæ Nobiles atque ignobiles æque vacant; sicut etiam apud Veteres M. Æmilio Scauro nihil obfuit, quod pater ipsius ex paupertate Carbonariam exercuerit; probanda autem sunt in hac re nostrorum temporum exempla, potiùs quam antiquorum.



LEX



LEX XC

AD HOMINEM HONORES CAPTANTEM.



QVO maiori capessendæ virtutis desiderio exæstuemus, ex ipsa virtute, velut ex honorum fonte, honorem omnem scatere inconcusso dogmate nobis proponunt sapientissimi viri Plato in Timço, & Aristoteles in lib. 1. Eth. cap. 10. eorum siquidem doctrina est virtutem de genere optimorum, ac diuinorum esse ac propterea ab ipsa solummodo verum honorem pullulasse, vir etenim optimus, qualis est prçditus virtute, optima quædam sibi addicta reposcit, inter quæ à sapientibus memoratur honor; atq; eiuscemodi honorem semper virtuti dicatum, vtpotè à virtute fluentem Athenis præsertim deprehensum esse sæpè testatus est Cato in originibus & etiam Tullius in Tuscul. vbi quæ Deorum immortalitati sacrata dispiciebantur, etiam diuinis ex virtute viris oblata, publicisq; decretis constituta cernebantur, vbi etiam quæ obseruantiæ, cultus remunerationis summis rerum excellentijs impendebatur, hçc eadem excellenti virtuti erant impertita; quemadmodum etiam apud Romanos illi, quæ strenuè egissent ex virtute, scuto quodam honoribus atq; Numinibus aptato coronabantur, Deo ipso Athletas suos ex virtute triumphum agentes scuto bonæ voluntatis suæ redimitos ostentante; quo fortasse factum est (inquit Magn. Albert. in Eth.) in templis Deorum, & Sanctorum capita in circulari figura depingi per modum scuti occipiti aptati; & de Augusto præsertim virtute præstantissimo viro illud velut de Numine decantatur

Præsenti tibi maturos largimur honores
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

veterrimus namq; semper obtinuit vsus vt diuini honoris portenta essent in viris virtute præclaris vel fortitudinis, vel Iustitiæ, vel prudentiæ, vel aliarum virtutum argumenta; nullumque vmquam antiquitùs magnum fuisse impertitum honorem, vbi virtutis emeritæ non præluxissent specimina, Id Plutarcho adprobante in Tito Flaminio cui velut Numini in Græcia libatum est ob egregiam atq; superexcellentem virtutem.

Idcit-

Idcircò qui propendulum honoris culmen affectant sine virtute, stationes valdè nutantes quærunt, & summopere infidas, in quibus iugi mobilitate circumagantur vbi nullam quietem obtineant, vnde facilè præcipites ruant, vt de Seiano egregiè dictum est à Iuuenali

—— Qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes, numerosa putabat
Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset
Casus & impulsæ præceps immane ruinæ.

immotus si quidem honoris apex, constansq; ac solidum gloriæ fastigium extra regnum virtutis non inuenitur, isq; tantum est honor verus, qui eius hominis proprius euadit, quem affici honore contingit, & alius qui à virtute diuiduus est, potiùs honorâris pretium dicitur, quam honoré recipiétis, hacq; sola ratione ædes Romani Sacras constitnere gemellas honori & virtuti.

At ille dumtaxat est ab homine æstimandus honor, qui vel à viris eximia virtute præditis proficiscitur, vel eximiam ipsius accipientis virtutem redolet; qua de causa solebat dicere Plato se pluris facere honorem, quem à minimo Areopagitarum reciperet, quá sub Dionysio, & maximis regum aurigari; ea etenim honoris signa, quæ à Psaphone è Picarũ, vel Psithacorum nostris emuntur, flocci prorsus pendenda sunt, eoque solum felicem putabat Achillẽ Magnus Alexander, quod eius eousque virtus pertingeret, vbi præconem inuenisset Homerum; quo etiam modo felix dictus est Agesilaus cuius laudes Xenophõ perpetuo quodam libro est prosequutus, felix Enagoras rex Cypri, quẽ Socrates amplissimo exornauit elogio; felix Pompeius qui à Cicerone, Augustus Cęsar qui à Virgilio ad sydera euectus est; iisdemq; de causis opinati sunt quidá non omne honoris genus in honorantib. esse, sed quoddam etiam in affectis honore rutilare, laudari etenim à probatissimis atq; laudatissimis viris, honor est qui illã virtutem sequitur, cui laudes persoluuntur, & vbi virtus est, cui tribuitur honor, dicitur honor ipse cum virtute commorari; eiusq; generis honor fuit ille qui Delphis Aristoteli decretus in supremæ sapientiæ decus; qualis item fuit honor quem Romani Duillio impertiuere; qualis etiá ille quem Athenienses Harmodio & Aristogitoni in statuis primò conditis excitarunt.

At firmissimi honorũ cardines ij sunt, qui præsertim in quattuor principib. virtutibus solidantur Iustitia nimirum, fortitudine, prudétia, & Temperátia; ferè enim inuenire est aliquod honoris genus, quod in gratiam earum virtutũ non fuerit homini collatũ, cũ in Prudentia velut in prima rationis regula, in iustitia velut in trutina ęquitatis, in fortitudine, vt in colũna ciuitatis & Reip. in Tẽperantia deniq; vt in versatili morum habena virtutes cęterę ferantur in orbem, numquam ab honesto recedétes; ex quo quattuor virtutes huiusmodi quodammodo inter reliquas principes, iure meritò cardinalirium sibi sumpsere nomen, & cum nomine supremum eminentiæ fastigiũ; sunt enim (inquit Olympiodorus) velut quattuor illæ stellæ in singulis mundi cardinibus consti-

ftitutæ, quibus tota hominis regitur vita, ac tandem felici ductu in tranquillam prouehitur requiem; vnde etiam vorata iugiter cęlestium motuum vertigine dicuntur à Mathematicis omnia hominũ euenta siue honorifica, & vtilia siue noxia & deijcientia prouenire; dicitur nãq; primus ex his cardinib. vtpotè summum tenens cęli culmen, gloriam, honores, rerũq; fastigia portendere; sicut alter, qui primo proximus est demissiorem stationem occupãs diuitias & opes, tertius vitæ arbitrium, motũq; moderamen; quartus deniq; rerũ summas, laborumque metam, quæ beatitas est, dicitur indicare, atque eorum cardinum situm & ordinem sic optime describit Manilius in Astronom.

Vnus ab exortu cęli nascentis in orbem
Qua primum terras æquali lumine cernit
Alter ab aduersa respondens ætheris ora
Tertius excelsi signat vestigia cęli
Quo defessus equis phœbus subsistit habenis
Declinatque diem, mediusque examinat vmbras
Iura tenet quartus fundato nobilis orbe
In quo principium est, reditus, finisque cadendi
Syderibus.

qua descriptione quattuor potissimis aptata virtutibus facilè innotescit ima & summa, si bona sint, à sola virtute in orbem humanarum actionum perducta promanare,

Quo fortasse consilio etiam D. August. lib. de baptis. cõtra Donatistas primarios quosdã viros cęteris iura dicentes, honoribus ac dignitatibus præfulgentes Cardinaliũ nomine insigniuit, sicut etiam D. Ambrosius in lib. de off. Asiæ & Africæ præfectos vocat Cardinales; quod fatiùs indicant nobis supremæ ipsius Ecclesiæ potestates in apice honoris ex solo virtutis merito collocatæ, nunc præsertim temporis virtutem ipsam illustrante, summo, optimo, sanctissimo Antistite nostro Alex. VII. quas eminentissima quadam dignitate præmicantes iure ac merito inter cęteros principatus velut orbis cardines veneramur; longo etenim vsu firmatum est in Ecclesia illustriores merito, ac virtute viros Cardinalitium nomen obtinuisse, quibus erat onus impositum cęteros in virtute dirigere, quemadmodum testata sunt tẽpora Euaristi summi Pontif. qui primus in Ecclesia titulos diuisit; Nec aliò respexit Innoc. IV. initium purpuræ concedens, nisi argumentum præbere, oportere huius ordinis purpuratos semper paratos esse pro religionis tutamine sanguinem fundere, quo veræ pietatis meritum apud Deum purpurascit.

Ij verò qui præsertim honore digni habendi sunt, optimi sunt literarum professores, virtute nimirum & scientiarum fulgore rutilantes; ipsa namque etiam Oracula sacra suadent eruditissimos viros anxiè quærendos esse, summè colendos, vt cęteris præstantiores cœteros quoque erudiant ad virtutem, hacque de causa Platonem è longinquo aduocabant certatim sapientissimi principes, vt velut scientiarum numini honores impertirent, atque præ alijs

Tyran-

Tyrannus Siciliæ Dionysius ipsum vitata naui vocauit, aureisq;quadrigis venientem in littore excepit; quemadmodum etiam memorat Laertius literas Darij ad Heraclitum his verbis expressas (Rex Darius auditor tuus esse cupit,tuæque eruditionis particeps fieri; venias igitur statim ad regiam domũ, vbi sibi summus aderit honor) eaque potissimum ratione literarum professoribus in quacumque rep. deferendus est honos, quod non solum sapientiæ decus fulgidius omni potestate coruscat,sed etiam rectus administrationis vsus per sapientiam & per Doctores paratur iuxta illud Iuuenalis

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus vt dubitet Senecam præferre Neroni?

ac propterea Theodosius Imperator filios suos imperatorijs nudauit insignibus coram Arsenio,quem ipsis instituendis doctorem decreuerat; atq; Pompeius Magnus rediens ex Asia Rhodumq; pertransiens Possidonio philosopho laureatos fasces & insignia victricia submisit, nec ianuam viri eruditi quasi Regia sua atque imperio sacratiorem à Lictore pulsari permisit. quin id ex priscis annalibus satis notum constat, tamdiu floruisse Persas, Ægyptios, Athenienses,ac Thebanos,quamdiu sapientes viros Reip. gerendæ præfecere, vt inde habeamus non esse pestem Reip. literas, vt ineptus dictitabat Imperator Licinius,sed ornamenta, quibus ipsa illustrantur diademata,& ideo honores & dignitates primo loco viris doctis esse conferendas aiebat Tullius ea indita naturæ lege melioribus esse deteriora submittenda, præsertim vbi qui regit docere debet, & licet sumat virtus à natura imperus quosdam, si tamen doctrina in homine desit, opus suum non perficit.





LEX XCI.
AD
HOMINEM HEROEM.



Rimum Heroum genus poeticum est, iisque fabulosum virtutis heroicę adscribitur nomen; quos duplici permistos semine humano scilicet & diuino generatos veterum monumenta protulere, ab iisdem id Heroes etiam Semidei appellati; atque inter cęteros Iamblichus lib. de Myst. Ægyptiorum sect. 2. videtur Heroes ab hominum albo omnino dispungere, eos prorsus faciens Deos, populari saltem diuinitate donatos. Hesiodus quoque antiquissimus author maximè commemorat, & laudat Heroes, dimidia parte Deos, dimidia verò homines canens, aitque quarta mortalium ætate à Saturno fuisse procreatos ad sæculi nequioris emendationem, cum fuerint homines cœteris iustiores & meliores, qui populos multos varijs peragratis regionibus, varijsq; exantlatis laboribus ope & præsidio iuuantes vbiq; tandem in Oceani beatis Insulis collocabantur, vbi summa cum animi securitate, ac requiete inter delirias; ac voluptates æuo perfruebantur æterno. Commemorat has easdem Insulas Heroum etiam Plutarchus, atque ex Demetrij sententia eas collocat circa Britanniam, nec alias esse putat, quam quæ Sporades appellantur à Græcis. Tradunt alij eosdem Heroes diuinitate iam & immortalitate recepta à Saturno rebus humanis meliùs solertiùsq; consulente præfectos vrbium curæ ac tutelæ fuisse, quorum Præsido vrbes ipsæ insidias aduersosque casus facilè possent declinare.

Quid senserit Plato de hisce Semideis nondum satis perspicuum est, dicũt namq; aliqui existimasse Platonem Heroes haud alios esse quam Dęmones, nam in Epinomide, siue in legum appendice quinque numerat animalium gradus ac genera, nimirum igneum, hoc est cęleste, Æthereum, aereum aqueum, terrestre, è quibus aqueum Semideum nominat; licet etiam alibi tres illos medios gradus æthereum, aereum, aqueum communi nomine Dœmones appellet; cui tamen doctrinæ non esse subscribendum censet Piccolomineus, cum Plato in Cratylo Heroes oriri faciat, vel ex amore Deorum erga humanas fœminas, vel ex amore

Dearum

Dearum aduersus homines Dæmonum longè aliam procreationem tradit in Timæo, nisi intelligendus sit in hac re Plato de Dæmonibus quibusdam, quos ipse vocat. Dæmones peregrinos, idest illustrium quorundam animas virorum vita eam functas & à corporis concretione solutas ex aureo hominũ genere procreatas; atque ad extremum post corporis obitum tutelæ mortalium deputatas. Eustathius ad primum Iliadis hanc generis humani, diuinique permistionem fuisse à sapientibus viris excogitatam atque fabulis inuulgatam ad exprimendos in hominibus mascularum virtutum hoc est Principũ nexus cum virtutibus fœmininis scilicet leuioribus ac non ità præcipuis; illi ergo homines qui participes erant, alicuius virilis virtutis dicebantur ex parente Deo; qui verò fœmineæ; ij ex matre Dea geniti appellabantur, cùm ea quidem historica, & non fabulosa veritas sit, antiquos Heroes illos fecisse, in quibus magnoperè cum nobilitate ceterisque dignitatibus fulgebat virtus excellenti aliquo gradu conspicienda; ac propterea Herculis velut Herois præclarissimi labores adhuc per omnium ora diuagantur; notissima quoque expeditio Iasonis aduersus Draconem peruigilem; Bellerophontis aduersus Chimæram, Persei contra Gorgones, & cetum immanem iam hiantem in Andromedam; quæ omnia tamen magis poetici carminis nobilia sunt argumenta, quam historicæ orationis, cum heroica virtus in eiusmodi hominum figmentis numquam sibi constaret; fecerunt etenim Veteres Heroes suos, modo ex ira impotentissimos, quod in Homerico Achille deprehenditur, modo amore ità percitos & æstuantes, vt etiam in mollitiem diffluerent; quod spectatur in Hercule, qui pallam induere muliebrem, colum ac fusum tractare, lanam carpere, ac filum ducere non erubuit in gratiam Omphales, quam deperibat.

Alios etiam alij Heroibus adscripsere mores, quibus omninò à communi hominum conditione secernerentur; ac propterea etiam legitur apud Platonem ex Homero Heroum mensis non pisces, nõ elixas carnes parari, aut imponi, sed assas tantum, quæ scilicet faciliùs pararentur, & artificium coquinæ non postularent, quin Homerus ipse Heroes suos omnis rei coquinariæ sic negligentes fecit, vt eos sibi ipsis modica ad victum recoquentes inducat nullo prorsus adhibito coquorum ministerio; apud ipsum enim Vlysses ignẽ parat, coquit, & ipse per se frugalem diuidit cibum; & inter supplicationes Patroclus & Achilles carnes & ipsi coquunt, & aris imponunt. Denique cum Vlysses, & Aiax, & Phœnix ad Achillem venissent de reconciliatione cum Agamemnone tractaturi, Achilles ipse paratis mensis præcinctus coquinã ac cibos curauit, quibus egregios illos, sibique carissimos principes exciperet & honoraret. Staturam præterea, & magnitudinem corporis ingentem, communemq; longè superantem Heroibus fuisse adscriptam inuenimus apud Philostratum affirmantem Heroes omnes fuisse maximè proceros, vno excepto Tydeo, qui propterea in Tragædijs vti solitus est Cothurno, vt ea saltem accessione iustam Heroum magnitudinem exæquaret. Fuerunt Heroibus de-

nique arma propria, propriusque pugnandi modus adscriptus; & arma quidem ex ære solidissimo, quemadmodum nos docet Homerus, cũ Pisandri bipennem & sagittas describit Merionis; sicut etiam Pausanias in Laconicis tradit Achillis hastam in templo Mineruæ positam ex ære fuisse.

Alterum Heroum genus philosophicum est, eaque dicitur per excellentiam Heroica virtus, quæ homines summe conspicuos, & Dijs ipsis propè similes reddit, qui etiam ex hoc dicebantur genus & ortum à Dijs ducere, atq; ex amore diuino progigni, quia sine diuino quodam afflatu magna hominũ facinora, virtutes egregiæ exerceri minimè posse creduntur; & si altiùs heroicæ virtutis natalia repetenda sunt, ea ipsa, vt potè hominem supra humanam conditionem euehentia atque extollentia ex Diuinitatis fonte prodijsse facilè deprehendemus, siue pro heroica virtute intelligamus fastigiũ quoddam, apicemq; virtutis moralis, siue intelligentiæ atque sapientiæ eminentiã ac celsitudinem; hacque ratione ij omnes qui Herois nomen promeruere, eximia quadam vel sapientia, vel fortitudine vel liberalitate, vel magnanimitate, vel iustitia vel alijs eiusmodi virtutibus præfulsérunt, indeque Deorum nomen & genus traxere non enim ab Homero Nestoris sapientia, Hectoris fortitudo heroicum attigisse gradum diceretur, nisi simul quoq; diuinũ quid præse tulisset; quapropter excusandũ plerịq; cẽsent Tullium ex eo, quod Cesarẽ aut Deũ aut similem Deo ex heroica virtute protulisset in orat. pro Marcello.

At quoniam inter ipsas morales virtutes aliquæ sunt, in quibus eiusmodi præstantia fulgoris clariùs rutilat, altiusq; eminet, propterea fatendum est eos duntaxat verè Heroes esse nuncupandos, qui virtutis apicem supremum tetigere; quamuis enim splendor quidã etiam in minoribus virtutibus eniteat, cum tamen summa virtutis præstantia in summis tantum virtutibus inueniri possit, fit inde heroicę virtutis splendorem non nisi in altioribus virtutibus esse collocandum; ita tamen vt eorum doctrina non sit hoc loco excipienda neminem Herois nomẽ obtinere, aut promereri posse, nisi omnes omnino ab animo perturbationum radices euellat; non est enim necesse vt homo supra humanam conditionem per virtutem euehẽdus, omnes penitus exuat humanitatis affectiones, sed satis est, si illas perfectò moderetur rationis imperio; eã potius docuerit Aristoteles in Ethicis eam absolutam cõmotionum depulsionẽ potiùs in vitio esse, atq; soliditatem redolere; sicut etiã inter sapientes illi Heroes sunt reputandi, nõ qui omne omninò scientiarum & artiũ genus calluere, sed qui in aliqua fuere præstantissimi; & licet contendant quidã, sapiẽtes nullo modo Heroes dici debere, sed oportere potius appellari Deos, cũ sapiẽtis nomẽ altissimũ sit, ac soli Deo cõueniat, vt docet Plat. nec sapiẽtia in re fluxa & caduca, sed in permanente ac diuina versetur, adeoq; sapientis cõditio præstet Herois, cuius prorsus diuina conditio non est; Quæ causa videtur esse, cur sapientes haud in aere dicantur habitare, sicut Heroes, vbi eos collocat Plato; nec in Insulis Oceani Britãnici, quas eosdem incolere Plut. affirmat; sed supra cœlum perhibentur euehi, vt in Phædro idem Plato scriptus reliquit.

Postre-

Postremum deniq; Heroum genus illud est, quod licet Poetis atq; Philosophis veteribus incognitū dicatur, est tamen Christianę religionis ornamentum; si quidem etiam apud Theologos quædā inueniuntur virtutes eximiæ, quæ verè heroicum sortiuntur nomen, cum ciuilem non solum atq; humanā, sed diuinam quoque quodammodo pariant homini felicitatem, eūdem hominem non tantum terrestrium ciuium numero, & albo adscribentes, sed cælitibus propè adiungentes; Hincq; adeò fit, vt quædam virtutes, quib. Antiqui appellationem heroicam non imperti fuerunt, heroicæ tamen à nobis habeantur; homines enim eximiè temperati, aut casti, aut opum, honoris, & famæ cōtemptores, quos neq; Græci, neq; alij vmquam Heroes appellarūt, in Heroum numero reponuntur à nobis, quibus est compertum eas illorum virtutes ad sublimiorem ordinem & gradum superiorem fuisse à diuina fide, à spe, atq; à charitate prouectas, sicque Martyrum fortitudinem semper inuictam, ac cęteras aliorum virtutes euectas ad apicem absque reprehensione appellamus heroicas; non enim solum martyres diuina fortitudine nobiles Heroes dicimus, verum etiam alios, qui minoribus floruere virtutibus, nimirum temperantia, castitate, virginitate, rerumque omnium admirabili contemptu eadē appellatione dignos existimamus, modo virtutum illarum culmen attigerint, & earum splendore cæteros antecesserint; quatuor quippe gradus virtutis sunt, per quos iter habemus, & ascendimus illique similes, quantum licet efficimur; naturalis, moralis, rationalis, Heroicus, ex quibus id hominibus præstat primus, vt ad probitatem moris excipiendam facilè sint expediti, secundus ipsam probitatem affert, tertius sapientes efficit, quartus Heroicos ac semidiuinos.

Quod si quandoque virtus Heroica dicitur supra hominem esse, perinde ac si supra hominem omnem ipsa euehatur, atque humanæ conditionis fines & limites prætergrediatur, id eo tantum sensu excipiendum est, ut intelligamus virtutem heroicam quidem supra vulgares & communes homines esse, non supra omnes, maior quippe pars hominum virtutis heroicæ est expers, vel quod naturali facultate, uel quod eruditione atque institutione careant idonea ad gradum illum eximium attingendum; Quamquam enim Stoicorum Placitum est, vnumquemque hominem cuiuscumque virtutis quantumuis eximiæ participem esse posse, cum externa præsidia ad comparandam virtutem ex eorum doctrina sint minimè necessaria, ex Aristotelis tamen opinione id aliter euenit, qui censuit multas esse virtutes, quæ adminiculum ab externis bonis exposcant, quod præsertim liberalitatis, ac magnanimitatis exemplo apertissimè docuit; Cum ergo virtus Heroica splendor quidam moralis, ciuilisque virtutis sit, qui plura postulat adiumenta naturæ, & fortunæ, dicendum est præsertim in hominibus splendidè natis, ac ingenuè educatis virtutem Heroicam locum facilius inuenire.

LEX



LEX XCII

AD HOMINEM GLORIÆ MILITARIS CVPIDVM.

VT tutiùs collimet, qui Martialem in campo mercatur gloriam, vulneribus, ſanguine, atque ipſa morte venalem, eam amplexari debet collineandi regulam, qua ſingulæ bellicæ fortitudinis dotes cum laude aſſolent exerceri, & quibus ſine nec bellum virtute aut honeſtate gereretur, neque ipſa bellica fortitudo, aut militare robur virtutis nomen obtineret; bellum namque quod iam vbiuis gentium, & vbique terrarum debacchatur, ſemper in deterius erruptura tempeſtas, ſæuiente nimis fatorum licentia, nullatenus eſſet exercendæ, aut aquirendæ virtutis inſtrumentum, niſi ſuis velut arctatum legibus, limitibuſque concluſum æquitate, conſilio, atque diſciplina tractaretur. Neque terrarum orbem luctuoſum perpetui belli theatrum ità facilè intueremur, atque ingemiſceremus, ſi irrequieta hominum ambitio, qua ſine iure faſces, & diademata quærit, publicam humani generis tranquillitatem data ſeditionis opera, ac tumultu infeliciter perturbaret; niſi inſolens præpotentum perfidia, qua Iuſtitiæ ſpernuntur leges, & iura proſtituuntur, alienas ditiones & imperia in dubiam ac funeſtam arenam pro libito prouocaret; niſi tandem impatiens Regnatorum inuidia, quæ alienæ felicitatis incrementa non patitur iugi armorum commotione, crudeli cupiditate graſſante ſe ipſos, & alios in ſpontaneum exitium miſerrimè detruderet. Vſque adeo mortalium mentem regnandi libido præuertit, vt ſolo furore, ſola regnandi cupiditate in acies & arma ruat, & auſpicatis ſæpè ſæpius ab inſania bellorum initijs, miſeranda populis, vrbibus, & regnis fata ſimul & excidia ſumma diritate diſpenſet. Quòd cum plorabili quodam experimento ſpectaſſet Theodoſius Cæſar, confeſſus eſt, ſuſceptum bellum, vbi iuſta vaneſcit cauſa, vbi militarem licentiam non coercet diſciplina, vbi ſanum non adeſt conſilium in vitium bellantium conuerti, extremamque perniciem; neque eſſe triumphatorem egregium, qui alie-

nis sine causa inuadit Prouincias, licet ductore gloriæ lenocinio, sed prædonem, & publicum grassatorem, licet foret Alexander, Seneca ipso annuente, nullum esse bellantibus gloriæ genus immensas instruere acies ad necem, plurimasque numeroso milite implere regiones, sed longè gloriosius parua manu bona causa triumphare.

Erit itaque dicendus dux ille, vel miles bellicæ fortitudinis exemplar, qui non solo irritante armorum aut triumphorum splendore in bella præceps abit ac corruit, etiam ciuium vita ac securitate periclitante; quin execrabilis semper fuit & semper erit illa cupiditas, quæ purpuram alieno sanguine purpuratam affectat, pace à populorum finibus penitùs exturbata, accersita dumtaxat bellicæ interneeionis inexorabili falce, quæ solet etiam illa demetere, quæ non æquo pulsat pede, triumphali quodam fastu semper auidius furente; quapropter nullum grauius apud integerrimos viros censetur scelus, nullumque detestabilius in orbe malum, quam bellum iniusta causa monere vel pertractare, atque in aliorum damna armata tantum manu, feriante ratione & æquitate grassari; debent siquidem animaduertere omnes qui bella gerunt vel tamquam duces, vel tanquam gregarij milites quale quantum crimen sit tot hominum millia iniusto bello trucidare, non domum vnam, sed ciuitates, regna, & regiones integras truculenter deuastare, vt eas soli regnandi, aut imperij protendendi libidini mactent; aduersum quod hominum genus iure clamat Seneca epist. 96. esse sceleſtissimum hominum genus, in quib. non auaritia, non crudelitas, non libido modum nouit, cum sint homines ex insania quadam semper furentes atque ruentes in peius, quorum leges scelera sunt, quib. in agros solitudinem, in vrbes lanienam, in Deorum templa impietatem inducunt, violata supremi Numinis maiestate, atque expugnata rerum omnium diuinarum obseruantia, & veneratione.

Ob id ex consilio Coriolani magni nominis Herois scire tenentur, aut saltem discere debent duces ac milites omnes, quod nisi iusta sint suscipienda atque gerenda bella; eamq; laudem à Rhodiorum Legatis in curia perorantib. summa commendatione recepere Romani bellicæ fortitudinis simulachra, quod in prælia tum solummodo excitarentur, cum iusta esset bellandi causa, quæ solet etiam vires & robur addere iuxta illud

Frangit & attollit vires in milite causa
Quę nisi iusta subest, excutit arma furor

cum è contrà illud notissimum sit militari vulgo iactatum

Non vis, aut numerus, tandem bona causa triumphat

eaque, & fuit quæ Gedeonem trecentis tantum militibus stiparum cæsis centum viginti Madianitarum millibus victorem effecit; quæ exiguis ac paruis Machabæorum copijs contra validissimos exercitus memorandas posteritati victorias comparauit; quæ Betuliensibus fugato Assyriorum exercitu Holoferne manu fœminea obtruncato attulit triumphum; quæ denique

Impe-

Imperatores cœteros, Duces, ac Principes licet parua & imbelli manu pugnantes fecit esse victores.

At cum nulla res grauia appareat in bello, quam ipsius belli æquitatem, & iustam causam dijudicare optima mente, atque optimo consilio, ne vt monet Horatius

Vis consilij expers mole ruat sua.
Vim temperatam Dij quoque prouehunt
In maius.

bellicæ fortitudinis ostentatores id præsertim cauere debent, vt antequã bella subeant, quid gerendum sit, prius accurate discutiant; quò spectare solebat frequens illud Iulij Cæsaris monitum, esse consilio prius, quam gladio Imperatori vincendum; Consiliumque in reb. bellicis tanti fecere etiam Carthaginenses, vt eos belli duces in crucem tolli iuberent, qui rem bellicam sine mente, licet prospero euentu peregissent; & ipsa quoque terrarum victrix ac domitrix Roma, circumlato per regiones omnes suorum armorum terrore, ex eo tantum dicebatur in optima messe lauros & palmas colligere, quod sedendo priùs vincere soleret, quam se mouendo pugnare; qua de causa in formidando quodam Romanæ Reip. discrimine legimus ædem menti velut Numini fuisse consecratam, vt tantæ rei exemplo in grauioribus bellorum periculis bonam mentem induerent milites, opportunumque consilium, quod de priscis Quiritibus videtur tangere fastorum concinnator Ouidius vbi canit

Mens quoque Numen habet, menti delubra videmus
Vota, metu belli, perfide pœne, sui.
Spem metus expulerat, cum menti vota Senatus
Suscipit, & melior protinùs illa venit.

Eadem prorsus de causa in eadem vrbe templum quoddam Herculi simul & Musis consecratum aspeximus, vt argumentum inde peterent bellatores, animum belli tumultibus abiectè perculsum sola consilij sapientia in spem fortunæ melioris esse erigendum; non enim alio pertinere potest monstrosa illa Musarum, & Herculis societas, qua vno eodemque coluntur templo, atisque communib. adorantur, nisi vt ferox monstrorum domitor vt plurimum insania sapientissimarum puellarum consuetudine sapienter agere addiscat; eò si quidẽ tam admirabilis coniunctionis causa referenda est, vt quæcumque bellatrix virtus prudentia præsertim & sapientia cohibeatur, tunc potissimum cum inter bella & bellatores mutua profundendi sanguinis sitis ferociter æstuat. Quod si in reb. alijs ac negotijs diligens animi studium, consiliumque summam vim habet, vt quæ agenda sunt, rationis ductu & virtute gerantur, id maximè in bello à bellatoribus spectandum est, vbi paruis sæpe momentis grauiores regnorum vertuntur casus, rerumque publicarum agitantur interitus; cum innumeris experimentis notum habeamus, eos, qui in

solo

ſolo lacertorum robore fortunam militarem conſtituunt, ab audacia potius, quam à conſilio, & prudentia aucupantes victorias, inconſultæ fiduciæ vt plurimum commiſerandis exitijs pœnas luere, eo quod non ſit ſatis in bello dexteras armare ferro, latè fulgentem ſub ſignis exercitum ducere, ſub aurato tholo, & inter periſtromata vires oſtentare, niſi propitium ad ſit bonæ mentis & conſilij Numen, quo omnia in felicem diriguntur euentum.

Nec tamen id ſatis vt homo ſit bellicæ fortitudinis atque prudentiæ militaris exemplar; ea etenim præter dicta lex bellantibus velut potior indicitur, vt quoddam diſciplinæ genus in bellis gerendis obſeruent, in cuius ſinu ac tutela victoriæ & triumphi, quæ à bellica virtute expectantur, facili negotio conquieſcunt; nemo ſiquidem fortem appellabit illum bellatorem, qui vbi fortiter dimicandum eſt, virtute animum roborante; omnia libidine implet, rapina, iniurijs, torſionibus; cuius fœditate venuſtiores defloreſcunt puellæ, & matronæ ſpecioſioris violatur honeſtas; qui velut impius graſſator in omnes æque ferrum ac necem intentat, domicilia incendit, horrea ſubuertit, & omnia manu & pede pluſquam ferreo ferociter conculcat; cum ſanè non ſit ibi militaris fortitudinis laus, aut decus, vbi exercitu velut turbine erumpente deuaſtantur arua, vbi immaturæ demetuntur ſegetes, vbi pauperum diripitur ſuppellex, vbi fugatis cuſtodibus diſpelluntur armenta, vbi deniq; quidquid ad vitam tranſigendam ægrè paratum eſt, ferina ſæuitia ociſſimè diſſipatur, & bellica tantum virtus illa dicenda ſit, quæ fines honeſti non excedit, quæ metam & limites rationis non prætergreditur; id ad rem benè conteſtantibus militibus Metelli, quorum diſciplina Iugurtha tôties victore ſubacto, dux ipſe Metellus fortiſſimi nomen accepit; ex quo optimè iure profari potuit Vegetius, ibi ſolum ſemper ſtetiſſe victoriam vbi bellantum diſciplina ſtetit, nec tam à robore ac militum numero corriuaſſe triumphos, quam ab ordine ac lege caſtrorum; Sicut contra vbi ipſa diſciplina defecerit, poſſe quidem eſſe validas & iactabundas pugnantium linguas, ſed erunt manus ignauæ; ſtringent quidem in agreſtem turbam dimicantes ferrum, at nec hoſtis frontem nec vocem ſuſtinebunt, eoque deſidiæ, torporis, atque imbecillitatis bellatores deuenient, ut ſolummodo delitias in caſtris quærant, non pugnas; ueſtes ſplendidas, non loricas; ſcorta non arma; quietem, non laborem; denique flagitia quæcumque non trophæa; cum tamen omnium temporum curſu ſatis comparatum ſit (Polybio affirmante) exercitum quamquã exiguum bona diſciplina firmatum longè fortiorem eſſe, quam maximum militari licentia proſtitutum, id etiam euincente exemplo ſuo Magno Macedone parua manu totius orbis domitore aduerſus innumeros Perſarum, aliorumque populorum exercitus prodeunte: Neque alia ratione Agamemnonem ridiculum ducem, ptotſuſq; imbecillem Palamedes appellat apud Homerum, quod nimirus ordines exercitus ſui diſponere, aciemque diſciplina inſtituere ignotaret.


At unum præ cœteris ſapienti atq; prudenti bellatori agendum eſt, ut

cum

cum fieri poteſt, bellorum tempeſtates deuitet, ex quibus ſæpè ſæpiùs agris vaſtitas, ciuitatibus ſolitudo, familijs orbitas, omnibus mæror, ſingulis dolor ſolet imminere, cum longe glorioſius ſit ædem Concordiæ ad pacem petendam ingredi, quam Iani clauſtra penetrare ad bella gerenda; pacemque ipſam in vota vocantibus ea pro precibus data ſunt Lucretij verba ad martis domitricem effuſa

Effice vt interea fera munera militia
Per mare ac terras omnes ſopita quieſcant
Nam tu ſola potes tranquilla pace iuuare
Mortales &c,

ſi quid enim potiſſimum hoc tempore petendum, aut optandum illud ſanè eſt ut ad pacem à ſupremo Numine redimendam properemus, vel ſaltem bella noſtra æquitate, conſilio, atque diſciplina pertractemus, quibus ſi deſtituatur bellica virtus, erubeſcit ad caſtra procedere.



LEX



LEX XCIII.

AD HOMINEM BELLATOREM.



RTIS bellicæ atque militiæ cultores summa reddunt commendatione dignos illa pericula quæ suscipiuntur in bello pro patriæ seu pro Reip. incolumitate, idque satis fatetur testis temporum ac nuntia vetustatis historia in Decijs illis patre scilicet & filio, qui pro patria se armis & neci deuouentes, adhuc famæ immortalitate lætantur; neq; tantoperè commendaretur adhuc Codrus Atheniensium Rex, nisi vt suis victoriam pareret, fortiter in bello occumbere non dubitasset; ob id docebat Aristoteles in polit. commune bonum in bello procurare diuinum quoddam esse, atque diuinos honores postulare; ex qua doctrina dixere quidam militarem fortitudinem cœteris præstare virtutib. cum vna plurimas in se ipsa contineat; non enim bellatoris munus illud est, quo omne per fas & nefas audetur, sed quo pugnantium decus per egregia facinora in commodum commune perpetrata solet augeri; & quamuis hac nostra tempestate militaris disciplina in fraudes, torsiones, prædas, & latrocinia vt plurimum degeneret, neque eulgescat amplius illud Martiale robur, quod tot Heroes fecit gloriosè occumbentes, intaminatum tamen adhuc seruandum est illud militiæ nomen, quod fortes quosque æternis fulgoribus illustrauit quapropter quærens Aristot. 7. polit. cap. 2. cur ciuitates, regna, & Respub. militarem fortitudinem maximè honorent, cum tamen ipsa non censeatur virtutum præstantissima, inquit, id eo potissimum apud gentes omnes inualuisse, quia ex militari fortitudine cætera quodammodò deriuant Reipub. commoda, cum ea sit, quæ regna firmat, & constituit imperia, quæ ius & æquitatem tuetur, quæ denique pacem conciliat & flagitia compescit.

Hinc licet bellatorem cum esse dedeceat, qui voluptatibus marceat, qui soluatur otio, & libidine, qui tractari mollitie, corporisque incommoda defugere fatagat; qua ratione ablatam à superis Annibali fortitudinem inter illecebras torpenti recenset historicus vates; tamen si bellator inter milita-

 res

res exercitationes voluptatum impedimenta depulerit, nemini dubium est, inquit D Ambrof. 1. de offic. quin plurimis, maximisque virtutibus possit exornari temperantia præsertim, Iustitia, & pietate, quod latè confirmat etiam Vegetius in re militari, & Quintilianus in milite Mariano; eademque de causa aiebat etiam Cassiodor. lib. 8. cap. .o. virtutes ipsas quæ fortitudini bellicæ consociantur, ipsi bellatori triumphum, & gloriam occinere, virentemque famam, semperque floridam circumferre, quemadmodum de Aiace fortissimo bellatore dictum est, multiformi virtute à superis promeruisse, vt cruor in hostili effusus conflictu post obitum mutaretur in florem

Expulit ipse cruor, rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem

de ipso Aiace canit Ouid. 13. Metam., & inde etiam (ait Clemens Alex.) ad plura virtutum merita redimienda in bellatoribus tot coronarum genera inuenta esse, tot militaria dona, armillas, phaleras, anulos, statuas, Imagines fuisse constituta, quib. supremæ gloriæ metam auspicarentur.

Mala verò terrifica, ad quorum occursum pauere, esset bellatori nefas ea sunt, quæ nequaquam præsentia sunt, aut imminentia, sed vel præterita, vel saltem longè remota; tantum enim abest vt debeat bellator de malis præteritis metum concipere, vt potiùs inde iucunditatem periculis iam elapsis teneatur accipere; cum non ratò (vt inquit Seneca) quod fuit durum pati, meminisse dulce sit, Virgilianum illud intuitus

—— Forsan & hæc olim meminisse iuuabit

Sicut enim mala & pericula quæ valdè longinqua sunt & remota, nulla ratione sunt bellatori metuenda; non enim expediret in bello de rebus remotissimis ab agendo absterreri; ac propterea prudenter Sinon apud Virgil. vt Troianis adimeret metum periculorum, quæ adhuc non adeiant, ait Græcos in patriam redijsse ad nouam parandam classem, quæ tamen diù erat expectanda

Et nunc quod patrias vento petiere mycenas
Arma Deosque parant comites pelagoque remerso
Improuisi aderunt.

hinc Socrates in Protagora, & etiam in Lachete militarem fortitudinem peritiam quamdam dicebat esse, scientiamue rerum metuendarum, & non metuendarum cum sæpè contingant in bello quædam inania pericula, quibus solent etiam bellatores fortes quandoque exanimari, vt ea fuere, de quibus scribit Cæsar in lib. 1. de belli ciuil. & Curt. in lib. 7. barbaros quosdam, Macedones, & etiam Pannonicas quasdam Legiones perterrefecisse, quæ inania terriculamenta sine causa in bellis contingentia Græci Panica πανικα vocant à Pane Deo, qui pro Ioue decertans

primus

ptimus dicitur Titanib. eiusmodi panicos terrores, metusque lymphaticos iniecisse concha illa tortili, & turbinata personans, quam in eam gratiam tum inuenit vt est apud Pausan. in Phocaicis; hæcque inania pericula, licet, testante Hectore in Rheso apud Euripidem, & etiam Pindaro in Nemæis, maxima interdum vi polleant ad deterrendos bellatores, ipsis tamen semper contemnenda sunt, ne animi robore destituti videantur esse: namque à veræ fortitudinis finib. discedere, si bellator inani terrore horreptus fugam arriperet aut terga verteret, vbi potiùs esset constantissimè etiam in veris & germanis periculis perferendis dimicandum.

At non ità semper bellatori stante vultu excipienda sunt pericula, vt quandoque etiam non possit saluti vitæque suæ consulere beneficio fugæ; amplissima siquidem à peritissimis artis militaris conceditur etiam fortib. fugiendi venia, vbi spes sit euadendi cum exercitus, aut Reipub. commodo, & vtilitate, id confirmantib. magnorum Imperatorum exemplis, qui sepè etiam prouocati pugnam detrectarunt, vt à certissimo exitio se proriperent; & notum est præ cæteris illud Demosthenis in pugna illa propè Cheronæam, vbi grauissima clade à Philippo fuerunt Athenienses affecti, vbi cum Demosthenes profugisset ex acie, atque ideò probris dictisque acerbissimis ab omnib. impeteretur, illud repetebat, fortis est, qui fugiens potest prælium redintegrare, quod est apud Plutarch. in vita Demosthenis; Si enim intelligat bellator se per declinationem à periculis & fugam posse plurimum populo exercitui, vel suæ Reipub. prodesse, non modo nihil aduersus fortitudinem pellat, periculum illud effugiens, verum etiam facit, quod fortitudini maximè consentaneum est; cum sint tantummodo bellatorib. subeunda vel non subeunda pericula in gratiam honestatis; Atq; ob istius regulæ defectum milites nostri temporis aut nimium audaces, aut timidos nimium & meticulosos dispicimus, sicut etiam bella hac nostra tempestate suscepta eã esse videtur de quib. dictum est

Bella docent homines peccare, metumque Deorum
Excutiunt, pœnas, infernaque tartara rident.

idque est plorabile illud facinus quod lugebat Ammianus lib. 22. dum vetus militare robur tantum in vitia profusum spectaret, nimirum in eluuiem, in præruptos conuiuiorum gurgites, in epulares tantum triumphos, vt enim cæpit ire bellator in omne disciplinæ castrensis flagitium, vt cæpit non amplius aperto in saxo morari pro cubili, sed ædes quærere marmoreas, plummas, flexiles lectulos, & grauiora gladijs pocula, occidit statim egregium illud robur, æuo Spartanus miles quo sno toties fuerat inuictus; quib. etiam ea consentiunt, quæ ad eamdem rem protulit Tacitus de militib. Romanis, tunc feroces in suos euasisse, in aliena rapaces, in hostes ignauos & fractos, cum luxum & ocium quærere cæperunt, disciplinam & laborem aspernari, de quibus etiam merito Iuuenalis

Nullum crimen abest, facinusque libidinis ex quo
Paupertas Romana perit.

quod fortasses monere volens etiam Agesilaus apud Athenæum, cum in Hellespontum barbaros bello premeret, & Asiaticos homines sumptuosis stolis excultos, sed imbelles & inutiles esse intueretur, captiuos omnes iussit vestibus exutos ad præconem duci, qui venales prædicaret, atq; ad pugnandum prorsus ineptos; eademque de causa apud Spartianum legimus strenuos tantum eos bellatores euasisse, qui potius animi virtutibus, quam zonis aureis vel argenteis, gladijsque hostium cruore potius quam æris nitore fulgurantib. bella gessere; hæcque magis in bellatore quærenda esse quam corporis proceritatem & robur brachiorum.

Non ideò tamen in bellatore robustum procerumq; corpus omninò spernendum est, nam & Veteres in militib. conscribendis atque ad bellum eligendis ea spectare solebant, Vegetio testante, quæ bellatores redderent ad bella gerenda maximè oppostunos, quorum nimirum ætas neque longiùs esset annis prouecta, nec nimis vergens in adolescentiam, quib. etiam essent corpora dura, stricti artus, minaces vultus, erectæ ceruices, lata pectora, robusta brachia & membra reliqua optimè militiæ conformata; & inde Seruius Tullius Romanorum Rex eos milites adhuc pueros esse dicebat, in quib. perfectè non consisterent corpora; Iuliusque Cæsar vt scribit Suetonius milites suos potius à corporis virib. quam à moribus & fortuna probare solebat, ità tamen vt non deesset animus, in quo totius rei vertitur salus, ijsque prorsus militib. persimiles esse volebat quos commendat Lucanus in lib. 1.

——— *quibus ille timorum*
Maximus haud vrget lethi metus, inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis &c.

in cassum enim à bellatore adhiberetur corporis robur, si animus ipse in subeundis atque sustinendis periculis non suppeditaret vires, cum animus sit (inquit Cicero in 2. de orat.) qui præstat viros bellis & periculis semper inuictos.

Quænam verò intelligantur esse corpora optima in bellatorib. ad inuictè pugnandum apeata, nondum satis exploratum est apud Scriptores rei militaris; Vegetius enim in lib. 1. cap. 5. refert Caium Marium, qui apud Romanos fuit bellator egregius grande & prælongum corpus probasse; atque in eamdem abijsse sententiam etiam Pyrrhus Epirotarum Rex testatur Frontini lib. 4. cap. 1. qui delectori suo solebat dicere, milites mihi grandes elige, & ego eos fortes reddam. Lipsio tamen videtur semper media placuisse statura, quæ tamen esset sub dio laborans, solis patiens, vmbræ negligens, balneorum nescia, deliciarum ignara, paruo contenta, duratis ad omnem toleran-

tiam


tiam membris. Kirchnerus tamen disp. 11. de repub. etiam paruam probauit staturam, dummodo neruosa esset, & militarib. non inepta muneribus; In quo sententiatum discrimine id vel vt certius habendum est plurimisque experimentis comprobatum aptius bellis pertractandis corpus procerum, granda; ac neruosum, dummodo tali corpori suppar deputetur animus; Atque ob id fortasse apud Veteres illustriores, qui decantantur in prælijs & conflictib. Heroes, molis gyganteæ quodammodo fuisse describuntur, & poetæ omnes Cyclopes inducentes viros valdè pugnaces, eos faciunt proceritatis eximiæ, quemadmodum etiam erant Gygantes illi, qui ad Phlegram ob bellum superis illatum fulminib. periere, sicut etiam in sacris literis memorantur Gygantes viri famosi bellorum periti; certius namque est, pluribusque firmatum experimentis grande corpus ac neruosum pari animo communitum id esse optimum corpus militia, & bello coercendum, quemadmodum testantur exempla in Caio Mario, qui ex fabro ferrario ac gregario milite ad imperium exercitus euectus est; de hoc enim bellatore scribit Trebellius Pollio in historia triginta Tyrannorum tanto corporis robore, ac tanta virium immanitate præstitisse, vt nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuerint, nam & in digitis neruos videbatur habere non venas, quib. fortissimos quosque ita affligere dictus est, vt quasi ferri obtusioris ictu percussi dolerent; quod etiam perhibetur de Maximino Alexandri Seueri Imperatoris optimi successore apud Iulium Capitolinum, qui illum describit ob immanè corporis staturam, ob militare robur, ac pugnandi peritiam ad imperium feliciter assumptum esse, ea etiam æstimationis fama, vt à plerisque Milo Crotoniates, ab alijs Hercules, à nonnullis Antæus vocaretur. Et si liceret cum Solino ac Flauio Vopisco ad antiquiorum militum exempla diuertere, quib. eximiæ proceritatis atque immanium corporis virium argumenta produntur, eos ferè omnes deprehenderemus corporis magnitudinem simul cum animo, & robore in bellis adhibuisse.

Alienam tamen esse à bellatore decet eam cum corporis granditate ostentationem, qua cætera Gigantum facinora perpetrare in bello non erubescant, quemadmodum enim eximiè condecorat bellicam fortitudinem exacto naturæ ingenio bene exculta magni corporis ac benè elaborata compago, sic eamdem summè fœdat ac deturpat in crimina malè vsurpata proceritas, quæ vt ait August. 15. de ciuit. Dei feras potiùs impiè dilacerantes constituit, quam milites probè pugnantes iuxta ea quæ de Titanibus dicta sunt.

——— Titanibus illa
Terga dabant vestes, cruor haustus, pocula trunci
Præda cibos, raptus venerem, spectacula cædes
Imperium vires, animus furor, impetus arma
Mortem pugna &c.

& ideò rectè Demaratus apud Herodotum in expeditione contra Græcos solebat

lebat dicere, optimum quidem esse in milite quærere robustum corpus, at nõ criminibus onustum & immane; quod etiam summæ curæ fuisse dicitur Carolo Magno in militum electione postquam Cæs r & Augustus fuit appellatus vt apparet ex oratione quam habuit ad milites suos, quo tempore debellatis saxonibus, & Longobardis exercitum victorem dimittebat; neque enim debent bellatores fortes vt emeritæ virtutis albo adscribantur gloriæ rei militaris aut hostilem præferre prædam, aut ex auaritia dimicare, aut ex odio hostem insectari, aut stupris ac cœteris criminibus onusti ad bella procedere; sic enim potius militiæ cadauera, vt inquit Themistocles, omni sorde ac labe fœtentia, quam viuentia bellicæ virtutis exempla essent appellanda.



LEX



LEX XCIV.

AD HOMINEM MONOMACHVM.



INsanum illud atque ferinum propè dimicādi genus execramus hic, quod duelli nomine, seù Monomachiæ, eodem vtroque recidente vocabulo, vniuersè circumfertur; tanta siquidem est istius sceleris vbertas duelli appellatione conclusa, vt sola potens sit ex orbe pacem, Iustitiam, pietatem, charitatem, honestatem, cęterasque virtutes eiusmodi eliminare; neque fortitudinis, aut animi magnitudinis titulo illustrari potest rabies ista ferina, quæ pectora solummodo corripit ignobilia, furoribusq; ad orcum relegandis implet & exagitat; & si quando virtutis nomen visumest duellum promereri, ea prorsus virtus erit, quam in sui homicida nouit Philon

Ah miser. Virtus te perdet tua.

Non est tamen hoc loco Duelli nomine intelligendum bellum quodlibet cum hostibus initum, vt olim accipiebatur apud Veteres Latinos, qui in Legibus duodecim tabularum, quidquid hostiliter aduersus Rempublicam, eiusque securitatem, & pacem ageretur, inde perduellionis crimen appellabant; quem Horatius sequutus loquendi morem bellum ipsum Troianum appellare Duellum non dubitauit

Græcia barbariæ lento collisa duello.

neque duelli appellatione induuntur illa singularia certamina, quæ fieri solent sicuti inter plures, quam inter vnum & vnum ex vtraq; parte pugnantes, velut inter duos & duos, septem & septem, decem, & decem, licet numerus is tantus non sit, vt certam publici atq; communis belli formam præseferre videatur; cuiusmodi fuit antiquissimum illud inter Horatios tres, & tres item Curiatios in agro Albano certamen ad pacem publicam componendam; vel qualis fuit patrum nostrorum memoria tredecim inter Italos, totidemq; Gallos in bello Neapolitano sub Magno Consaluo dimicatio, aut in Florentiæ obsidione inter duo militum paria ex vtraque pugnantium parte delecta, aut denique in Patauino solo inter tres hispanos, totidemque Italos, & id genus alia singularia certamina, quæ memorantur apud Italorum historicos, cum enim eiusmodi certamina vel inita sint, vel saltem iniri potuerint ad alicuius iustæ

iustæ causæ tutamen, potuere fortaßè ex rationibus aut conditionibus certaminis honestatem patrocinantibus tam impium scelus suo crimine expiare. Nec denique accipiendum est hoc loco Duellum pro quocumque bello, vel certamine, quod sit initum inter duos; licet enim duellum dicatur apud Glos. in cap. de glad. quasi duorum bellum; cum tamen hoc etiam duorum certamē possit interdum vel publica authoritate suscipi, vel ex animo Diuinæ gloriæ illustrandę, vel ex publici boni cōparandi cupidine, potest etiam honestatem induere, & veræ fortitudinis laudem promereri; Cuiusmodi recensetur in sacris literis certamen illud singulare, quo ad communem vlciscendam iniuriam descendit Dauid aduersus Gigantem è pastoritio digressus munere; vel illud inter Etheoclem & Polynicem duos fratres de Thebanorum regno dimicantes, cum submotis militibus vtriusque partis singulari certamini se ipsos, & totam causam permisere; vel illud, quo ex ortum inter Vvandalos & Alemannos dissidium, duobus pueris duello commissis legitur compositum, ne multitudini clades horrenda inferretur; Vel illud quos ad innumeram prohibendam cędem Carolus Andegauensis, & Petrus Aragonius annuente ipso Summo Pontifice, cum aliter maiora mala impediri nequirent, pro Regno Siciliæ dimicare decreuerunt, quod fuit illi persimile, cum Lusitaniæ Rex ad Monomachiam prouocauit Ferdinandum Regem, vt de Regno Castellę, quę inter ipsos erat controuersia, ferro dirimeretur; & illud Caroli V. quod Paulo III. Pontifice Cardinalibus quoque audientibus propositum est aduersùs Galliæ Regem Franciscum Primum. Vel denique cętera eiusmodi singularia certamina, quæ apud Antiquos scriptores memorantur inter Hectorem & Aiacem, Paridem & Menelaum, Turnum & Æneam, Valerium Coruinum, & Torquatum qui omnes dicuntur non iniustè pugnasse, vt affirmat etiam D. Augusto 3. de Ciuit. cap. 14. eo quod publica interueniente authoritate communis boni causa ad commune vitandum malum dimicarunt.

Sic igitur restricto sermone ad Duellum priuata authoritate ex condicto susceptum aut iniuriæ vlciscendæ causa, aut virium & roboris ostentandi cupiditate, qui sunt consueti duellantibus propositi fines, aduersùs hanc insanam rabiem, rabidumq; furorem in cędes & Rerump. excidia conspirantem illa in primis ratione pugnandum est, quam Aristoteles affert in 3. Eth. cap. 8. ductam ex ipsius fortitudinis, quæ virtus est, natura; cum enim eiusdem doctrina sit, neminem viri fortis ac strenui nomen promereri, qui audacter tantum & absque honestatis ratione se in mortis pericula conijcit; inde valida sic conficitur argumentatio. In quocumque duello priuata authoritate suscepto siuè ad sumendam iniuriæ vindictam, siue ad fortitudinis captandū nomen nulla est prudentia, nulla æquitas, nulla bonestas, sed iniquitas summa tum ex parte prouocantis, tum ex parte prouocati, igitur nulla in vtroque singulari dimicante certamine potest esse veræ fortitudinis laus sed erit barbaræ dumtaxat atrocitatis atque immanitatis luculentum opus; quapropter optimo iure Consilium Valentinum sub Lothario Imperatore cap. 12. statuit

Duel-

Duellum esse spectaculum crudelissimum, quo belli cruor in pace profunditur, & etiam Concilium Trid. sess. 25. cap. 19. de ref. Duellum damnat tamquam pestem summa cum hominum pernicie in Regna & Resp. crudelitate grassantem; quibus adduntur summorum Pontificum decreta, Constitutiones & rescripta præsertim Iulij II. Leonis X. Clementis VII. Pij IV. Gregorij XIII. & Clementis VIII. eò collimantia vt hoc ferale pugnandi genus ab hominibus exterminent omninò.

Quod verò à priuato duello absit omnis honestatis laus, eo satis innotescit, quod eiusmodi ferinæ potiùs, quam humanæ dimicandi consuetudini omnia videntur crimina consociari. Primum scilicet iniuria Dei, qui solus vitæ & hominũ necis princeps est & dominator; vnde nec licet magistratui vel principi, quantauis authoritate pollenti in homines supplicijs furere, vel nece sæuire, nisi sint mortem ipsam vel pœnas quoquo modo ex iustitia commeriti. Secundum est iniuria Magistratus, Principis, vel Reip. quorum supremam ad duellum prouocator spernit potestatem, dum in sua causa iudex temeritate suffectus eum concentum euertit, qui ex ordinato partium totius Reip. vni capiti subiacentium consensu concinnatur; ad quam rem optimè Cassiodorus scribens ad quosdam Monomachiæ professores in lib. 4. Epist. 10. ait, valdè fœdum esse inter iura publica priuatis odijs licentiam dare, neque ad arbitrium iudicandum esse inconsultum animorum feruorem. Tertium est odiũ proximi, & charitatis ei debitæ violatio, quæ quidem tanta est, vt vix possit cogitari atrocior; omnibus enim simul bonis hominem denudat corporis nimirum, & animæ, quorum semper lugenda fit in duello iactura anima peccante Tartari regionem illicò petente, Quotus enim quisque erit, qui sibi persuaderi patiatur hominem, qui ad extrema pertingat inito duello, adhuc in hostem frendentem odio, eiusque sanguinis & vitæ sibi exæstuante, sub æstu illius ac rabiei ardore ictu oculi adeò mitescere, vt ira odioq; deposito, sincerè antequam oppetat mortem, aduersarium diligat, atque iniuriam, & læsionẽ benignè condonet; Additur huic altera charitatis plaga, quod parentibus ac cognatis, vxori, si coniugium iniuit; liberis, si eos suscepit, cæterisq; eiusmodi necessitudine coniunctis, quos omnes diligere tenetur, summa pernicies, æternus luctus cũ fortunarum dispendio & infamia per hanc lanienam aduocatur, quæ omnia in tam vberi argumento signare vix potest animus; Quinimo Duellantes etiam se ipsos odio habere dicuntur, dum desperatione quadam viuendi subacti in certum mortis periculum temerè se conijciunt, qua de causa optimè C. Marius in Cimbrico bello Teutoni cuidam ad Duellum prouocanti responsum dedit, si adeò vitam odisti vt neces desperationis peroptes, laqueo tibi vitam abrumpe; & Augustus quoq; vt in Antonio scribit Plutarc. ipsi Antonio ad duellum prouocanti respondit, alias plures ad interitum patere vias; quasi contestaretur, nemini, nisi vitæ amarem præ desperatione abijcienti constitutum fore descendere in duellum; quod etiam Statio visum est, cum cecinit

Sunt

Sunt & qui nudo subeant concurrere ferro
O Iuuenes seruate animos, auidumque furorem
Sanguinis aduersi &c.

quartum denique in ipso duello crimen est summa quæ animi magnitudini atque fortitudini veræ irrogatur iniuria; cum .n. excelsus ac fortis animus nō solum propter honorem, sed etiam propter honestatem iugiter pugnet; huiusque solius contingendæ cupiditate incensus numquam detrectet pericula, numquam fuga dilabatur, fit inde hominem ad duella præcipiti temeritate ruentem nullum excelsi animi decus aut fortitudinis assequi; sed potiùs rectæ rationis exhorrescens imperium, leges contemnens publicas, Magistratus ac Principes ludibrio habens summam indipiscatur ignominiam; Atque iure in eiusmodi audaculos facilè ad duella prouocantes illud dicterium intorquebat Diogenes Cynicus, esse nimirum prçliatores insanos quippe qui in prælijs cum morte ignominiam quærunt; quo etiam probro ab ipso Cicermus quidam damnatus est, cui cum è duelli victoria rediret, dixit (Age victor potens, qui imbecilliorem vicisti, ex imbecillitate triumphum assequutus; ex quo deprehenditur satis nullam veræ fortitudinis famam eos sibi comparare qui ad eiusmodi singularia certamina proficiscuntur, eosque qui velut belluę terertimę carnificinę, se ipsos ad humanitatis excidium feraliter litant (aiunt Cyprianus, Lactantius, & Tertullianus,) longè peiores esse gladiatoribus illis, qui quotidie se immanitati atque feritati mactabant; illi namque gladiatores ad animas defunctorum humano sanguine propitiandas edicto inferiarū die dimicabant quadam ducti insanæ pietatis specie; duellantes verò ad feritatē dumtaxat odio & vindicta pascendam decertare dicuntur; non enim illud animi robur, quod omni honestatis lege destituitur, virtutis speciem potest induere; siue subeantur pericula ad res dubias & obscuras comprobandas atq; ad eruendam veritatem vt agebant Longobardi teste Cassiodoro; siue ad tuendum honorem, vt Veteres Romani, siue ad ostentandas vires & comparandam fortitudinis gloriam, quemadmodum decertare solebat Suerus ille geminum vanitatis, atque inhumanitatis exemplum apud Genesium libr. 2. qui quo anno erat celebrandum Compostellæ Iubilæum, Pontem Vrbici amnis ad Asturiam, qua via est peregrinis Compostellam, custodiendum suscipiebat, ea viatoribus indicta lege, vt quisquis vellet pontem pertransire, vel dato munusculo inferiorem se custode profiteretur, vel si hoc à dignitate sua alienum duceret, in singulare certamen cum custode descenderet, & id tantum ad aucupandum fortitudinis nomen vt fatetur Genesius, qui alios plures eiusdem facinoris viros commemorat.

At quia plęraq; à duellantibus in duelli patrocinium solent proferri, quibus quoquo modo illius innotescat dignitas & honestas, operę pretium est, quædam hoc loco recensere, quæ licet singulari videantur fauere certamini, potiùs tamen improbitati, ac nequitiæ dicuntur suffragari, licet enim constet olim hunc duellandi morem fortissimis Græciæ populis fuisse receptum ad præ-

ad præcipuas animi exercendas atq; exerendas virtutes, itâ etiam vt putarent ex summa singularis honestate certaminis Deum ipsum duellantib. adstare certantium præsidem, eique victoriam adiudicare, à cuius partibus Iustitia staret licet Iurisconsulti quam plures, quos refert & laudat Alc. lib. de sing. certam.c.3. decernant quædam tempora occurrere posse quibus ad tuendum priuatum honorem, aut ad veritatem exprimendam probè ac laudabiliter potest duellum suscipi; licet multorum Principum, Regum atq; Imperatorum exempla apud Italos, Germanos & Gallos duelli honestatem declarent; hæc omnia tamen vel intelliguntur iuxta vulgi nobilium captum, qui ad contegendam furendi insaniam plura excogitarunt; vel eo tantum sensu accipiēda sunt, quo quandoque leges ipsę præscribunt posse iniri duellum iuxta prędicta; Nec veterum vsus vllo habendus est in pretio, qui non minus à virtute, quam à recta ratione vt plurimum aberrarunt; quos meritò redarguit edicto suo Henricus quartus Galliarum Rex bellatorum fortissimus atque peritissimus, dum lege in vniuersum regnum lata eos omnes infamia notauit, qui auderent controuersias, & contentiones dirimere de honore armis & duello; cumque eos omnes ennumerasset, qui se Rege singulari occubuissent certamine; ingentem eorum numerum admiratus, ingemuit, quod totidem amisisset ductores exercitus, quot in illa perijssent arena; non enim gregales eos in agmine futuros esse milites, autumabat, qui strenuè summoque animi robore ad monomachiam descendissent.



LEX



LEX XCV.

AD

HOMINEM PEREGRINATOREM.



IGnem quem furto à Superis abſtulerat Prometheus, non vni homini conceſſum, ſed per totum orbem diuiſum, nobis prudentiam non ab vno, ſed per pluribus comparandam denotare ſatis perſpicuum eſt; cum enim non vnus homo intelligat, agat, omnia poſſideat, idq; omne quod intelligit, agit ac poſſidet, ex prudentia fit; ideò multorum domicilia permeare, varias orbis & vrbium incolas inuiſere homini non conſentaneum modo, ſed etiam per neceſſarium eſt, quemadmodum de Vlyſſe dictum eſt ab Homero

Dic mihi Muſa virum, mores qui vidit & vrbes
Multorum.

& licet peregrè viuendi artem maximis difficultatibus, periculiſq; implicatam omniumq; artium operoſiſſimam eſſe ſatis exploratum ſit; permagnis etiam commodis laudumque ornamentis quampluribus vbique locorum occurrẽtibus peregrinatori bonis exuberanter ditari, nemo eſt, qui ignoret; ex ijs ſiquidem qui peregrè profecti ſunt quoſdam præclaris animi dotibus auctos, moribuſque imbutos melioribus in patriam redire conſpicimus, licet quoſdã etiam animaduertere ſit, qui peregrinandi inſtituto labefactati nullum ſibi decus inde pararunt Circęo veluti poculo in deterius mutati; cuius tamen rei culpam potiùs in hominis abutentis vitium, quam in rem ipſam reijciẽda eſt, cum ex ijſdem herbis diuerſos apes & araneæ ſuccos exugant, illæ mella, hæ venena conficientes. Neque eos hic peregrinatores in mediam proferimus lucem, qui aut pauperiem fugientes, terras & maria mercaturæ gratia excurrunt, vel eos quos bellicis expeditionibus implicatos, maleſuada fames aut ambitio ad exteros rapit, neque eos qui per totam vitam ſola mentis inconſtantia atque temeritate vagantur, nullam itineribus aut inuiſendis regionibus præſcribentes metam, neque eorum itinera, fineſque perpendimus, qui ſolius religionis ergo peregrinationes ad ſacra loca ſuſcipiunt. Sed eius dumtaxat intelligimus peregrinatoris officia recenſere, qui procul à parentibus & conſanguineis conſtituto quodam tempore alienis commoratur in oris, inſtituta, moreſque gentium luſtraturus vt optimis ad extremum

mum exornatus disciplinis domum summa cum laude reuertatur,

Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginensis

erat Annibalis vox apud Ennium; sic nobis quemcumque honoris calcar extimulat, quemcumque scientiarum, & veritatis fulgor illectat, vitæq. melioris desiderium trahit, hic idem esto, quem peregrinatorem conamur expingere.

At in ipso dissertationis limine nodus quidam quasi Gordianus occurrit, soluendus tamen, non incidendus, isq. est num homini cuicumque suscipere peregrinationes expediat; Videtur namque legumlator Lycurgus Ciues suos vagari lege prohibuisse non modo, verum etiam aduenas & peregrinos in vrbem irrepentes abegisse, illos, ne diuersos inueherent mores, hos ne alicuius noxæ doctores forent; vtque legis abrogandę omnis tolleretur occasio, argenteam, aureamque monetam antiquauit, ferreæ tantum, licet magni ponderis exiguo pretio assignato; quæ licet ferrea, nimisque dura lex, viguit tamen, atque ita obseruabatur, vt Lacones, teste Plutarcho, adolescentulum ex eorũ numero, qui exercebantur, increpuerint, quod viam nossent, quæ ducebat in Pileam, erat autem Pilea vicus in Arcadia in eodem Peloponneso paululum distans in angulo Græcię; adeò sordebant à peregrinationibus, rerumque exoticarum cognitione alienos seruare, ne per occasionem à patrijs institutis degenerarent; sed quia rebus cunctis manet quidam velut orbis, vt quemadmodum temporum vices, ita morum vertatur, paulò post ijdem arma per orbem circumferrentes, visi sunt ceteris impensiùs peregrinationem suscepisse; Quin Lycurgus ipse vt solus saperet, & gloriam aucuparetur, peregrinationem, quã mox pro cæteris detestaturus erat, auidè instituit in Cretã, in Asiam, in Aegyptũ, in Africam, in Hispaniã, in Indiam; quas regiones simulatq. peragrasset, leges tanquã ab Apolline Delphico sibi traditas, vt alter Minos è Iouis antro, rudibus Spartanis dedit; Vtcũq. res fuerit, Lycurgus peregrinationẽ inhibens, ne si aquirẽdæ prudentiæ & sapiẽtiæ viã interdicere voluisset, ab Aristotele 7. polit. alijsq. sapiẽtioribus redarguitur; eaq. lex quę ad exterminãdos peregrinos aut vetandã peregrinationẽ indicta fuerãt, prorsus tyrannica dicta est, vtpote quę solo timore, atq. inuidia edictata censetur, ne s. subiecti populi peregrinatione solertiores euadãt; quod imperij tyrãnia arcanũ etiã in Augusto Cęsare damnatũ est, cùm Senatoribus, Senatorũq. filijs præter quã in Siciliã, & Narbonẽsem Galliã quasi in suburbanas prouincias extrà Italiã vetuit proficisci.

Plato hæc perspiciens incõmoda Ciuibus suis lib. de leg. 12. consultiùs fore arbitratus est, si nemo ante quinquasimũ annum peregrinationem instituisset, ea etiam conditione, quod cum redijssent, in cætum aliorum minimè admitterentur, nisi probati essent innoxij, atque incorrupti; nos verò in quem vsum valere possit peregrinatio intimiùs meditantes, nullũ inde rectè vtenti damnum fore metuimus; quandoquidem vt ignis vrit, nocetq. si attingatur, sed lucem & calorem ministrat, omniumque artium instrumentum est, si quis vti nouerit; sic peregrinator (nisi Satyro, qui primo conspectum ignem amplexus, & osculatus est, assimilari velit) ex recto peregrinationis vsu incredi-

bile cōmodum nancisceretur; quamquā autē apud M. Tullium tanti est Plato, vt Iouē, si loqui vellet, ità dicturū putet, & ab illo quicūq. dissentiret, plebeios appellet Philosophos; nos tamen ab hoc Ioue deficere, & ùt philosophatiū Plebe cogimur esse, dū peregrinationē quinquagenaria dūtaxat ętate susceptam aut suscipiendā damnare ipsius Platonis doctrina inhibemur, qui in libris de Rep. pronūciat prouectiorē ætatē ineptā esse ad discendū, subditq. non esse Soloni credendū, qui dixit hominem senescentē adhuc discere posse; neq. enim facile intelligitur, quo pactō ab homine iam senectute fractō, aut ipsā cominus prospiciēte, addisci leges, memoriter audita retineri, obseruari mores, itinera metiri, labores tolerari queat? cū & ipse Plato etiā inferiores ętate otio tamē abūdantes peregrinari permittens, quinquagenarias ex eo laudet peregrinatores, quod per ætatē maturè possint referre Senatui quæ viderint, quæq. explorauerint, quod præsertim Legati præstare soleant. Cæterū sicut Censorius Cato Isocratis discipulos deridebat ea propter quod apud illū consenescerent apud inferos causas acturi; Sic Platonici peregrini si paulò longiùs progrediantur ætate, quæ viderint, quæque didicerint, priùs Rhadamanto, Minoi, Æaco in inferis commorantibus Iudicibus significent, quam in Reip. suę vsum ea ipsa conferant; hincque etiam ad vitæ occasum vrgentibus atque vergentibus annis inutile prorsus ductum est peregrinari, quod tunc nulla peregrinantibus suppetit memoria, quæ tum ad singularia colligenda, vnde oritur prudentia, tum ad varia idiomatum atque disciplinarum genera perdiscenda requiritur, quippe ea Musarum mater etiam à Platone in Theteto dicta est, sine qua subdit Afranius nihil sapientiæ, nihil prudentiæ in homine gigni potest

Vsus me genuit Mater peperit memoria

Graij quam Sophiam, nostri vocant sapientiam.

& quidem præcipitem ad occasum ætatem ad peregrinandum ineptam esse Traiani Imperatoris peregrinandi cupientissimi egregio dicto cōprobatur; rediens. n. à Bello Parthico, cum Babyloniā perrexisset, oceanumq. attigisset; Vtinā, dixisse fertur, Iunior essem, profectò etiam in fines Indorum penetrarē.

At quātū necessaria putetur homini, eiusq. naturę cōsentanea peregrinatio vt plenè beatus existat, inde coniectare licet, quod studiosi quilibet peregrinantes naturali quadam suæ perfectionis augendę appetitione trahuntur; etenim Sapientibus exploratissimū est, Deum quæcumq. edidit operā, ad perfectum omnia direxisse eiusdem administrari naturam cunctis rebus quādam, quoad eius fieri potest, maioris perfectionis cupiditatē indidisse; ideoq. materiā, quo propię imperfectioni mederetur nouarū habitū formarū semper appetere docuere; eāq. Plato sub Penię nomine in cōuiuio designauit; quę ignobilis, paupercula, pānosa famelica Poro Affluētię filio furtim iuncta est, filiūque ex eo concubitu concepit amorē; proinde eadem excitāte natura etiā cæteris perfectius animal homo, mentisq. capacius altę, perfectiorem vt par est gradū semper anhelans, cōquirit ab altero, quidquid in se boni nō agnoscit, & inde peregrinādi pręcipuū resultat officiū ad eas pręsertim prouincias & ciuitates,

vnde

vnde ornatiores, melioresque reuertamur, ne alia de causa prisci philosophaturi Athenas, alij Ægyptum, Indiam alij, & quocumque rerum cognitione se se absolutiores euasuros sperarent, adibant; eòque solum excellens aliquis homo in arte dictus est, qui peregrinator industrius velut apis ornamenta hinc & inde collegit, multiplicisque laudis sibi coronam attexuit. Neque ad cultiores tantummodo gentes & nationes debet peregrinator profectionem instituere, sed etiam ad rudiores & incultiores, atque ad vltima vsque terrarum loca (si fas est;) nulla enim regio æthereo illo igne per totum orbem distributo dicitur carere, cum vbique locorum viri virtutibus insignes refulgeant; vtq; iudicio Annibalis etiam Romani suos Annibales habebant, sic omnis notę viros, licet rariores, omnis tellus habere potest, siue peregrinator pergat ad Indos & Garamantas, siue ad Ethiopas & Scythas, quin etiam

Extrà anni solisque vias

vt ait poeta; Atque multiplicem ex omni ora posse hominem sibi comparare prudentiam ex eo planum est, quod vbique terrarum quædam priuatæ res, quædam etiam publicæ tractantur, quæ à peregrinatoribus ad eruditionem obseruari possunt; valdè enim vtile est, & etiam rationi consentaneum, per aliena experimenta & pericula doceri & sapere; & nemo sanè siuè in domo, siuè in bello, siuè in curia melius iudicabit atq; deliberabit, quam is qui multorum vrbes & regiones inspexerit, vnde etiam in apicem omnis prudentiæ prouehitur. Idcircò Veneti sapientissimè semper vt eorum moris est, inter cætera quæ sibi instituta addixere, quæq; in miraculum vsq; ordinatissima putantur, hoc salubriter additum videtur, quod Adolescentes non paucos & patritios non modo suis ad vniuersæ terræ Reges missis orationib. cõmendat, sed etiam apud summos nauarchos publico sumptu sustentat, quo terra mariq; peregrinantes, alij nauticam disciplinam, alij idiomata, legesq; externas condiscant; lateri que primorum Reip. ciuium adhærentes, prudentium consiliorum auditores, rerumque gestarum spectatores æmulatione virtutis accendantur; qualem fieri Pallantem filium apud Æneam Euander cupiebat

——— sub te tolerare magistro
Militiam & graue Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis

Neq; ex eo quod magno iudice Socrate in Critone peregrinatio, damnetur, eadem prorsus improbanda est; licet enim tradat Plato Socratem nũquam peregrinatum; præterquam ad Isthmum cum se contulit, & tamen idem Socrates in supremæ sapientiæ proferatur exemplar; non proinde videtur Socrates peregrinationem omnimodè detestari, cum in Symposio Alcibiadem efferat in cęlum, quod labores, pericula, inediam tolerauerit in bello, atq; in itineribus, varijsque orbis plagis; at esto, Socrates variæ regionis accola non fuerit, sed ostreorum more situm, vbi ortus fuerat, numquam deseruerit, aut pedem ex portis ciuitatis extulerit; quot, quæso, mala inde Socrati nata censenda sunt? quibus calumnijs à Zenone, ab Aristophane alijsque multis

non fuit imperitus? quæ omnia sanè viraſſet, ſi aliquanto magis ad mores alienos peregrinando ſe adaptaſſet; eamque quam è cœlo primus deuocauerat philoſophiam, ad rerum ſuarum ciuiliter,& cautius agendarum vſum deduxiſſet,atque vrbanitatem grauitate temperaſſet; Idemq; meo iudicio ſemper eueniet, cuicumque peregrinationis vſus deſpicatui fuerit; quam non eodem modo Pythagoras, Anaxagoras, Plato, Gorgias, Appollonius, alijque innumeri philoſophi neglexerunt, quorum pleroſque legere eſt, vt ſtudia bonarum artium, verique cognitionem vndique emendicarent, nihil inexpertum, intentatumque reliquiſſe, diuerſi orbis vltimas oras omnes denique terrarum fibras rimatos eſſe,& in eo ſtudio totas ætates contriuiſſe; Et ſi vlla hominibus ætatis cuiuſcumque ſupereſt via prudentiæ comparandæ, ea ſola peregrinatio eſt, dum rerumpub. inſtituta, diuerſos nationum mores circumſpectantes & perluſtrantes, ex collectis, multiplicatiſque ſingularibus, & experimentis velut ex ſeminibus celeriter prudentiæ fructus accipiunt, & prouentus; dum enim ſiuè maritimam, ſiuè terreſtrem peregrinationem inſtituunt, ad omnem rem geographicam faciliùs percipiendam diſponuntur, ſituſque Mundi, Inſulas, Iſthmos, Cherſoneſos, Euripos, Boſphoros, Scopulos, Syrtes, Camporum æquora, Montium amplitudines, metallorum ſaliſque fodinas, fluminum fontes, terrarum alluuiones, thermas, oceanum, piſces, mõſtra, & omnis generis animantia certiùs intelligere valent, atque diſtinguere; & quidem itinera peragenti nihil faciliùs eſt, quam multiformes terrarum facies obſeruare, & perennem elementorum tranſmutationem intueri; indeq; ſibi & ſcientiam & ſapientiam, & prudentiam adſciſcere.


Illud vnum denique maria terraſque luſtrantibus non ignorandum eſt, nuſquam meliora quam in peregrinatione inueniri virtutis ac voluptatis mercimonia, quo faciliùs ad peregrinandum incitentur; at etiam animo voluant, radices virtutis amaras eſſe, ſed etiam ſuaues ac dulces progerminat fructus; indeque perdiſcant nihil arduum nihil difficile in peregrinatione exhorrere, vt metam lucri ſibi ſtatutam pertingant

——— Serpens, ſitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris
Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtum.

ſciantque maximè vbique locorum illecebroſæ voluptatis fugienda eſſe mellita venena, ne alicubi hæreat aut inficiatur animus; ſemperque à peregrino conſiderandas eſſe voluptates vt abeuntes, non verò vt venientes, dolorem ſemper & pœnitentiã relinquentes; nullibi quoque fas eſſe amplectere otium, deſidia inter peregrinandum irripentre, illud apud Lucianum iugiter in memoriam reuocantes quo cum matre ſe excuſabat Cupido, non poſſe ſe Mineruam, Muſas, Dianam vulnerare, quæ ſemper mobiles, ſemperq; occupatæ numquam otiabantur omnes igitur Pythagorę inuiſas hirundines, palpatores ſcilicet ſcortatores, abeatores, Therſitas, Philoxenos, Apicios, Gnathones, & eiuſmodi reliquos nigandi artifices, qui gregarim in omni loco ſolẽt inueniri,

qui

quos rectè fures temporis dixerimus, procul ò procul fugiant peregrinantes; etenim eiusmodi viri colloquijs malis, quorum mox pudet, quæque consciẽtiam pænitudine discruciant, virilem animum effeminant, excæcant atque peruertunt, ea ratione cum probis solummodo viris in ciuitatibus degentibus debet peregrini versari, hominibus siquidem insitum est à natura eos imitari, quos frequentius pertractamus, quare maturum ex optima electione remedium mutuantes improbos numquam debent probis præferre, quemadmodum neque vtili aut iucundo vmquam honestum præferendum est.





LEX XCVI.

AD HOMINEM PATREM FAMILIAS.



Amiliæ Administrarorem, quem Patrem, seù Oeconomũ appellamus, non solum virum bonum, singularique prędirum virrute esse, sed quandam etiam gubernandi arrem renere necesse est; vt nimirum familiam, seu domum rectè gubernare, prudenterq; regere possit; is namq; qui ad familiaria gubernacula admotus est, non solum rerum omnium copiam quæ exiguntur ad vitam, procurare tenetur, verum eriam per certas quasdam Domesticę doctrinæ rationes, & familiæ regendæ dogmata, omnes curæ suæ commissos, subditosq; ad Reip. felicitatem componere; cumque familia pars Reip. sit, illud idem diligens familiæ gubernator præstare debet, quod præstaret bonus ac prudens Reip. seù ciuitatis administrator; hæc siquidem priuatè regendi ars à recta ratione proficiscitur, ijsdem ferè virtutis innititur legibus, quemadmodum politica, quæ ars est in regendo magis vniuersa; atque vtraque in ciuium seù subditorum felicitarem conspirant, quæ sola paritur virtute; hucque tantùm sapientia ac prouidentia patrisfamilias collimare fas est, qua propter ab hoc nomine longè aberrare dignoscunrur illi, qui lucrũ vndiq, aucupátes, tunc leges perfectę Oeconomię impleuisse se putant, rẽque familiarem pręclarè tractasse arbitrantur, cũ diuirias tanrum & opes præter hominũ admirationem ad cumulum redegere, reliquis virtutis ac boni regiminis officijs omninò posthabitis, non animaduertentes, quod dum diuitiæ crescunr, minuirur in familia virtus, vnde & parum morata vxor, & liberi non liberaliter educati, & serui effręnes & vitiosi solent euadere. Ac propter eà aiebar Plato in lib. de repub. neque Domum, neque Remp. diù stare posse sine certis virruris legibus, è quibus in ciuium societare emergat vira beara, cum parua quædam resp familia sit, in qua velut Rex ipse paterfamilias, velut Regina vxor, filij ciues, serui arrifices, & quasi molites & bellatores; & quæcumque in rep. morum regula est ad capiendam feliciratem, eadẽ prorsus est in familia. Ad excolendum igitur eriam Patris familiæ starum

quædam

quædam hic proferenda censemus, ex quibus omnibus coniectare facile sit, non posse quemquam benè Rempub. regere, qui nescit familiam administrare; hocque plorandum est nostrorum temporum vitium quod cruda adhuc ingenia in forum, in regimina, in publica subsellia protrudantur, vt iura alijs dicant, qui sibi leges, aut familiæ suæ nondum posuerunt, cum tamen perspectum sit satis, non benè Imperatorem agere posse, qui priùs militem non egit,

At quid Patri familias agendum sit, cum haud facilè percipi possit, nisi quid sit ipsa Familia seu domus innotescat, hanc primo loco delineare fuit etiam Aristotelis intentum, quem nos hic sequimur in Æconomicis; ex eo enim quod familia quædam naturalis societas hominum sit sub eiusdem Patris familias imperio viuentium ad vsum vitæ quotidianum instituta, cuius partes personæ sint ad talem vitæ vsum necessariæ, nimirum, pater, filius, vir, vxor, Dominus, seruus, quæ à natura sunt, sicut reliquæ possessiones in familia à fortuna, fit ex his, quod nequeat homo Patris familias officium ac munus perfectè callere aut exercere, nisi rectam in omnes illas partes administrationem exerceat, seruato in omnibus optimo imperandi ordine, ac modo; hacque ratione dicebat Vlpianus familiam plures esse personas, quæ sunt sub vnius potestate, aut natura, aut iure subiectæ; & licet vt plurimum Familiæ & Domus nomen pro eodem vsurpentur; quidam tamen inter hæc vocabula distinguentes, affirmant Domum dici etiam ferarum latibulum iuxta illud Georg. 1.

——— sæpè exiguus mus

Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit

vel illud Lucretij 1.

Frondiferasque domus volucrum, camposque loquentes.

cum tamen è contra Familia tantum ea proprio vocetur nomine, quæ societatem hominum claudit intra eosdem parietes degentium, licet etiam dicantur ab Horatio lib. 3. od. 24. quodammodo suas familias habuisse, etsi non tecta, aut sedes, sed plaustra

——— campestres melius Scythæ

Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos

quod etiam legimus apud Ammianum de Saracenis lib. 14. qui sine lare, sine sedibus fixis, aut legibus per spatia longè, latèque distantia errabant; quemadmodum fecisse etiam Nomades scribit Pompon. Mela, qui cum filijs, vxoribus, ac seruis pecorum pabula sequebantur, atque vt illa pecori durabant, ità diu statam sedem habebant.

Cum igitur Familiæ constitutio à Deo sit & natura; atque ad hoc viro, & fœminæ inditus sit amor, vt simul viuant, vitæque societatem ineant indiuiduam, inde factum est, quod omnia familiæ onera ad hoc tantum viro, seu Patrifamilias, imposita sint, vt optima viuendi consuetudo à domesticis & familiaribus suscipiatur; ac propterea eum Pater familias dicatur summum fami-

familiæ caput, ipsius dumtaxat regimini atque administrationi cuncta, quæ in domo contingere possunt, ipso iure committuntur, cui vxor opem, liberi amorem & obseruantiam, serui verò fidelitatem & obsequium præstare debent; Cuius etiam idcircò triplex imperium dicitur in familiares; ciuile; quod in vxorem exercere debet, vt eam velut liberam, sociam, ac ciuem, non vt seruam, vel vt mancipium regat; Regale seù quodammodo regium, quod in filios adhibendum, quibus Paterfamilias pro arbitrio præesse debet salua sola naturæ & æquitatis lege; sterile denique seu dispoticum, quod ad seruos solummodo & ancillas dirigendum est, quibus vt instrumentis potest Pater familias pro libito vti seruata tamen iugiter honestate. Quæ omnia velut partes in officio Patris familias constitutas expressit optimè Xenophon in 3. memorab. afferens Ducis apum exemplum ad Æconomiam satis aptatum.

Præcepta verò Patrifamilias potissimum seruanda ea sunt, quæ vniuersè apud Æconomiæ Institutores commendata inueniuntur; nimirum quod omnium actionum in familia patrandarum à Deo Pater familias initium ducat, idque præ oculis semper habeat, quod agebat Cyrus apud Xenophontem lib. 1. qui nihil aggrediebatur Deorum cultu neglecto, sciens à Dijs esse auspicanda omnium rerum initia optimosque exitus rerum expectandos. Quod ità prouidus sit, vt opportuno tempore agenda numquam in aliud differat iuxta Pythagoræ symbolum (In Chænice non esse sedendum) Chænicem verò Clearchus interpretatur hemerotrophum, hoc est diurnum cibum, qui impenditur pro temporis opportunitate. Quod accepti & expensi constantes iugiter rationes teneat, qua de causa apud Romanos ineptus ille habebatur, Paterfamilias, qui tabulas negligeret, ex quibus non rarò in familia scelera deprehenduntur, vt videre est apud Tullium in orat. pro Cluentio. Hinc Seneca ait, luxurioso diligenti constare omnes rationes impensæ, & Iulius Cæsar Suetonio teste ita domesticam disciplinam tum in paruis, tum in magnis seruabat, vt Pistores ipsos, si furarentur, supplicijs & compedibus subijceret. Quod singulis domesticis, quæ agenda sunt ex officio, prudenter præcipiat, atque præscribat; & vt omnia feliciùs sub manu succedant, ipse quoque nonnumquam operi intersit, opusque sua opera promoueat, ad hoc annuente Homero

Sedula ni famulos vrget præsentia Regis
Nil quod opus factu est, ignaua hac turba sequetur.

adestque etiam apud Romanos Vespasiani exemplum allatum à Suetonio, qui cum Capitolium restauraretur, purgandis ruderibus ipse primus manus admouebat, ac suo collo quædam etiam pondera efferebat; ex quo infertur Patris familias in hac parte officium esse adesse laborantibus, atque operarijs etiam collaborare, nam ait Claudianus

——— tunc promptius ibunt
Te socio, tum conspicuus, gratusque feretur
Sub te teste labor.

Quod

Quod denique Pater familias talem se domi præstet, qualem esse eum foris leges volunt, suscepto in hac re Biantis præcepto, qui in illo sapientum conuiuio fortunatam eam familiam asseruit, in qua talem se domi Dominus præstat, qualis foris vellet agnosci; debet enim credere Dominum non ex domo, sed ex Domino domum esse æstimandam; ne velut alter Archelaus derideatur à Socrate, quod cum magnificentissimam innumeris sumptibus domum exædificasset, ac propterea in Macedoniam illius domus visendæ gratia multi proficiscerentur, ipsum tamen Archelaum nemo videre peroptaret. Si quæ alia sunt Patris familias præcepta ad bene agendam familiam præstituta, obuia legentibus erunt apud Æconomiæ professores; potiùs inter cætera illud censendum est, quod pertinet ad filiorum institutionem, quo nihil tum in familia, tum in Rep. esse potest.

Formandorum itaque morum cura prima sit in Patre familias circa filios, quæ duobus præsertim arctatur limitibus, nimirum, vt nascentes, vel exurgentes in filijs prauæ inclinationes eradicentur, deinde vt certa honestatis disciplina ab initio inseratur; parum enim esset Patrifamilias filios procreasse, nisi bene instruerentur, neque vita beneficium esset, nisi esset bona; quò respexit sapienter Plutarchus, cum dixit, præstare magis non nasci filium, quam fieri malum curatoris, aut custodis incuria, tantaque vis est institutionis bonæ, vt totam penè naturam etiam malè proclinantem immutet, iuxta id quod in catulis ostendit Lycurgus; in qua tamen institutione Pater ipse familias exemplo præire debet, ne filijs nimis longum sit illud iter, quod, ait Seneca, esse per præcepta; sicut contrà breue & efficax est iter per exempla, cum semper facta dictis potentiora sint, atque in imitationem faciliùs veniant

——— velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeunt animo authoribus.

ac propterea apud Persas illud erat constitutum, ne coram filijs atque adolescentibus dicere liceret, quod facere erat vetitum

Nil dictu, fœdumque visu hæc limina tangat
Intra quæ puer est.

præcipiebat Iuuenalis in Sat. 14. quapropter summum quoque Patri familias studium impendendum est, vt filij ab improborum consuetudine reuocentur, nam vidisse aliquod scelus factum, illud est tamquam factibile agnoscere, ac per sæpè agendum etiam credere; qua ratione præcepit Plato in lib. de leg. ne filij in seruorum, ancillarum, aut vilium hominum consortia admitterentur, ne scilicet ex ijs turpes iocos, fœdas nugas, nocentes fabulas addiscerent,

Neque postrema Patris familias cura debet esse in filijs bonis artibus, quæ præsertim liberales sint, instruendis; si enim filij per artium exercitationes ab otio ac torpore arceantur, spes inde capescendæ virtutis in ijsdem ali potest; ac propterea sanctissima lex illa Solonis apud Veteres iudicata est, qua sancie-

batur,


batur, vt filius necessaria vitæ subsidia Patri non deberet, à quo nullam artem accepisset; sicut etiam ex Dione relatum est eos filios maiorum suorum sepulchris prohibitos esse, qui nec doctrinam didicissent, neq; artem aliquam exercuissent. In hac re autem Patri familias sensim procedendum est, & gradatim, ne filij rerum discendarum copia obruantur, aut supra vires onerentur; si enim, vt inquit Plutarch., pueris plus imponitur oneris, quam ferre queant, illico lassitudinem contrahunt, & odium eorum quæ discenda obijciuntur, quasi deficientes animis; vbi maximè locum habet illud Hesiodi

Adde parum, paruo superandæ pusillum
Sæpius hoc faciens magnum cumulabis aceruum

quippe sicut ita viuendum vt diu viuere, & ita laborandum, vt diù laborare possimus, ita quoque discendum, vt diù discere valeamus.

Cæterum ità grauis debet esse Patri familias filiorum cura, diligentia tam assidua, vt se non agnoscat patrem, nisi à filijs omni conatu, vitia, errores, nequitiam, & reliqua malorum irritamenta auuertat; hancque tam exactam curam plerique sapientes adeò reformidarunt, vt pauci admodum ex ipsis filios suscipere voluerint; vnus fermè Socrates & Aristoteles ex nobilioribus. operam filiis dedere, qua felicitate, aut quo fortunæ euentu, satis notum est. Plato, Zeno, Diogenes, Epicurus, Theophrastus alijque plures ex insignioribus. Philosophis filiorum procreationem neglexere, ne vitæ miseriam ante obitum experirentur; quo verò maius est Patri familias impositum onus in recta filiorum institutione, eo etiam fortius esse debet in filii erga patres amoris & obsequii vinculum, vt optimas naturæ leges impleant; debent enim filii putare (vt monet Plato in 4. de legib. omnia, quæ possident, eorum esse, qui ipsos genuerunt, & educarunt, optimo ad hanc rem nobis à Virgilio proposito exemplo in Ænea, qui ita patrem senio confectum, & vel igni alias cremandum, vel ab hoste trucidandum alloquitur

Eia age chare pater ceruici impenere nostræ
Ipse subitò humeris; nec me labor iste grauabit
Quo res cumque cadent, vnum & commune periclum
Vna salus ambobus erit.



LEX



LEX XCVII.

AD HOMINEM SOLITARIVM.

Amnatur à Seneca epist. 68. illud hominum genus, qui non quietum in otio negotium, sed inanem ex otio desidioso laudem quærunt; idque etiam solitudinis genus haudquaquam apud reliquos sapientes probatur, quo solitarius homo neque sibi met ipsi viuit, neque aliis; at nemo, licet Stoicus austerus otiosos illos atque solitarios homines reprehendet iure, qui statis quibusdam temporibus, certisque locis ita secedunt vt misceant otia rebus, seq; sibi ipsis asserentes solitariam quamdã ineunt vitam, vt pleniùs liberi sint, ac soli viuant; quin potiùs ex eo maximè à Tullio commendatus est Africanus Scipio, quod duab illis rebus, quæ torporem afferre solent, animum suum ad illagna acuere consuesceret, otio nimirum & solitudine, cum requiescens plerumque à publicis Reip. muneribus à cætu hominum, & frequentia se in solitudinem tamquam in portum recipiebat, dicere etiam solitus, nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset; nimis namque miseri reputantur illi, qui ex toto vitæ tempore nihil vnquam delibant, quo durissimam occupationum seruitutem effugiant, qui nunquam sibi viuunt, atque cum Crasso exclamare coguntur, mihi viuere non licet; non enim minor est ingenii lassitudo quam corporis, cui reficiendæ aliqua sit necessaria ex interuallo quies; eo modo quo etiam corpori vacandum est, vt eius fulturis animus sustineatur.

Non est tamen solitario viro dilabendum hic ad illas Epicureas voces, quibus otiũ iners, turpisque solitudo commendatur; neque excipienda sunt ad hanc rem ea Iunij Syllani Asiæ Proconsulis probra, quibus ob desidiam ac torporem pecus aurea vocabatur à Cæsare; nolo enim solitarium hominem esse velut auem altilem angusto inclusum loco, qui semper immotus saginando corpori operam & laborem impendat, nolo esse alterum Attalum Eumenis fratrem otio marcidum, ac nimia solitudinis tranquillitate resolutum, qui omnes agendi sibi vias præcludat; cum enim ad agendum natus sit

homo

homo, longè satiùs esset homini non viuere, quam in otio ac solitudine semper torpere; odio siquidem habendus est iugis torpentis animi situs; non tamen odio habendi otiosi illi, qui soli (vt ait Seneca de breuit. Vitæ) sapientiæ vacant, qui soli viuunt, atque ita suam tuentur ætatem, vt omne æuum suo adijciant; id otio ac solitudini literariæ referri par est, quo homo bene feriatus inter sapientiæ ferias dicitur se ipso frui. Etiam in seductu excellentium virorum nobilissimæ actiones fuere, qui in priuato lare non tantum priuatum, verum etiam publicum egere negotium, numquam ignauiter feriantes in studiosæ solitudinis diuersorio. Non est deses gubernator sedens in puppi, & quiete clauum tenens, licet solus sit; pluris æstimandus est, quam plures anhelantes in remis, cursitantes per nauim, sentinam exhaurientes; Non sunt laude indigni, qui quieta statione pernoctant, vt armamentaria custodiant, licet alij militari labore pericula subeant, manus conserant, sudent in campo, in propugnaculis, murorum reparent ruinas. Ad hoc solitudinis atque otij genus hortabatur Minutium suum Plinius Iunior epist. 17. & ad hoc etiam lata est illa Ausonii adhortatio ad Paulum

Dulcia securi repetantur vt otia ruris

Nugis amæna serijs.

Tempora disponas, vbi tu, tua, iusque tuum sit

Vt nil agas, vel quod voles.

Tantum igitur est studiosæ solitudinis decus, vt sine ipsa benè formari nō posse hominis vitam opinatus sit Plutarchus; homo namq; qui ab hominum cætu se subducit, melius in se ipsum introspicit, vt quæ mala sunt, potentius ac validiùs excutiat; neque possunt sapientes viri benè de homine illo existimare, qui non cupidè interdum à procellis curarum in solitudinem velut in portum fugiat; ex quo apud Sinas illi sapienciores ac proliores habebantur, qui in secessu studium sapientiæ profitebantur; atque ad id testante Tullio Tusc. I. Crassus ludorum Romanorum diebus, quasi colligendi sui causa se in Tusculanum conferebat; Quin Agrippina ipsa sapientissima fœmina Augusti neptis rediens ex oriente in Italiam cum cineribus extincti Germanici rata est non prius prodeundum sibi in Tiberij Imperatoris conspectum, quin componendo animo (vt ait Tacitus) paucu los dies insumeret in Corcicæ insulæ seductu: Idque denique causæ fuit, cur dixerit de ipso Tullius, se esse grandiora per otium ac solitudinem meditatum, quam publicis Respub. negotijs ac laboribus.

Atque ad hanc causam suburbana loca, & lati fundiorum laxitatem procul ab vrbium septis delegere sibi plures sapientes viri apud Veteres, vt liberiùs se studio literarum traderent, ibique animum solitudine recrearent; cum enim Sapientia (vt inquit Seneca) magna & spatiosa res sit, vacuo illi loco opus est; atque cum capacitas animi vacui, & soluti in vrbibus vix haberi possit, vbi occupationum turba vndique perstrepit, idem consultum putarunt, quotquot fuerunt animi libertatis & literarū studiosi recedere ab hominum

minum

minum frequentia, & negotiorum tumultib. verus illud sibi dictū arbitrantes

Vindica te tibi &c.

Rure tibi viuas, reliquis dum vixeris vrbi.

qua de causa de Claudio Cæsare narratur à Suetonio, cum denique abiecta spe dignitatis in otium concessisse, vt plurimum in hortis & suburbanis secessibus delitescentem, quod etiam perhibetur de Pompeio, de Cicerone, alijsque pluribus sapientib. viris. Sic etiam Hebræis fuerunt quædam loca remota à turbis & hominum aspectu, in quæ se interdum recipiebant sibi & studijs operam daturi; & præ cæteris talem fuisse Naioth in agro vrbis Rhamatā affirmat Caietanus, quem agrum Chaldæus interpretatur domum doctrinæ, vbi Samuel ab aulæ strepitu semotus instituebat Mystas suos ad omne officij genus & intelligentiam diuinæ legis; est namque locus solitarius tam aptus ad discendam sapientiam, ut licet Ægyptiæ Academiæ essent excultissimæ, omni nimirum disciplinarum genere exornatissimæ, tamen Deus ipse solitariam elegerit scholam vt Synagogam erudiret iuxta illud (Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius) nec asseuerare dubitat D. Bernardus multò vberiorem doctrinam ex solitaria palæstra quam ex amplissima Bibliotecha detiniari; quæ etiam fuit Horatij sententia

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes.

& Ouidij votum, cum ingenuæ rusticitatis desiderio incensus, atque vrbis & vrbanitatis amore deposito sic exclamabat

O rus quando ego te aspiciam; quando licebit
Nunc veterum libris, nunc somno & inertibus horis
Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ.

Non debet denique solitario viro ea esse secedendi caussa, qua multi olim impellebantur ad secessus, nimirum augendæ æstimationis atque authoritatis ambitio, sic enim solitaria vita extra fines honestatis euagaretur, & tumorem Stoicum redoleret, quo solebant Stoici rebus in longinquo positis maiorem honorem captare; ait namque ad hanc rem etiam Tacitus, quod maior est rebus ex longinquo honor, & quemadmodum pictura si procul aspiciatur, oblectat magis, quam si contrectetur propius, ita ex secessu maior oritur apud omnes reuerentia, cum sæpe minuat præsentia famam.

Ex quo Orpheus, Zoroastes, multique alij solitudinem incoluerunt, nimirum, non tantum vt cœlum ac cælestia facilius contemplarentur quam vt suis dictis scriptisue maiorem authoritatem conciliarent, atque de ipsis vsurparetur quod de Tiresia cecinit Homerus

Hic solus sapit, asi illi volitant, velut vmbræ.

quodque etiam in Catone videtur redarguere Cicero in lib. de finib. de quo legitur sæpe ad captandam authoritatem apud Romanos & exteros ab vrbe secessisse; esset namque eius secessus crimen quoddam ipsam solitudinem deturpans, imo delens, ex quo quod hominem ipsum solitarium ad conuictus politicos iugi cogitatione transferat, ibi detentū studio peculiari alliget.



LEX XCVIII

AD
HOMINEM SOCIETATIS AMATOREM.



Societatis amatore optimi quique deligendi sunt, quorum consuetudine semper aliquid virtutis accedat, semper aliquid vitij decedat; nulla enim res magis animos in bonum prauumque impellit, nihil etiam magis reuocat, quam proborum, improborumque consuetudo ac societas: potior autem cura huic sanè adhibenda est, vt malorum consuetudo reprobetur, atque euitetur, cum magna probitatis pars sit à noxio cætu recessisse; non quod virtutis magistra sola solitudo sit, sed quod vbi ad mala sit ductor, non modo pronum iter sit, sed etiam præceps; & vbi prauum & malignum contubernium adiungitur, ibi atque inde virus & malignitas contrahitur; vetus siquidem illud est (bonos corrumpunt mores congressus mali.) Delectus verò potissimus ad perfectam ineundam societatem, amicorum esse debet, cum quibus faciliùs atque libentiùs versamur; nihil enim periculosius hoc amorum, hoc amicorum oceano, vbi vt plurimum varius inter fluctus ludit error, vbi ementita tranquillitate quies ipsa in tempestatem exsurgit. Certè vt nihil societate bona, atque amicitia nobilius, si vera est, ita nocentius nihil, si sub honesto nomine hostem tegat, & inimicum intùs alat, qui amicum & socium foris profitetur; hinc illud verum nimis apud Leonem Magnum (plus periculi in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto.) Ideo Cicerone monente in sociorum atque amicorum delectu æqua ratio habenda est, æqualis cautio adhibenda, ne eos diligamus amicos aut socios, in quibus nulla causa sit, cur diligantur; cum virtus ea sola sit, qua nihil amabilius, qua potentius nihil ad homines alliciendos; estque hinc illud Platonis & Sallustij (inter bonos bona societas & amicitia, inter malos vitium & factio est.) dispares namque mores disparia sequuntur studia; & si quandoque bonus malo assuescat, inde periculum assurgit, vt boni probitas in malitiam conuertatur, & vitij imitationem, & sequelam statim sortiatur iuxta illud

Vnaque conspecta liuorem ducit ab vna.

Aduertat societatis amator Zizania semper fæcundiùs crescere, citiùsque adolescere quam semina bona, atque etiam talem se semper fore, qualis erit consuetudo qua vtetur, nimirum (vt ait Plutarchus) cum literarum studiosis se esse libros euoluturum, cum Palæstritis colluctaturum, cum venandi cupidis feras persequuturum, cum potatoribus inebriaturum, cum ambitiosis denique captaturum magistratus & honores; Serpunt si quidem vitia (subdit Seneca) & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent huiusque rei dantur exempla satis conspicua in Roboamo, qui suorum societate mala perijt, in Commodo Imperatore, qui domesticorum improbitate sublatus est.

Contrà verò quam dulcis sit, quam felix vita bono amico sociata, ex bonis quæ talem societatem & amicitiam comitantur, coniectare satis est; morborum omnium, dolorum omnium leuamen vnicum amicus verus, socius probus, quo vno amara dulcescunt, mollescunt aspera, leuigantur scabra, prosperantur aduersa, tristia hilarescunt, lachrymæ siccantur, mors ipsa in amati sinu vita potiùs quã mors est; amor namq; virtuti insertus ita sociatur amico vt arbori non morituræ consociatur surculus non moriturus; hincque illud Ciceronis (veræ Amicitiæ sempiternæ sunt) cum virtus mori nequeat, cui amicitia inædificatur.

Nemo sanè amicus verus, qui cum fortuna amicitiam mutauit; si fecit, fortunæ amicus fuit, non amici; & Scipio magnus amicitiæ cultor audet dicere, nihil humanum præter honoris & gloriæ certamen posse veram amicitiam destumpere; qua de causa benè etiam dictum est (Amicum aduersa probant) quemadmodum C. Blosij amicitiam erga Tiberium Gracchum probauit satis factum illud à Valer. Max. lib. 4. cap. 7. enarratum, quo Blosius non veritus fuit pleno Senatu Lælio roganti fateri, quod si Gracchus templo Iouis faces subdere iusisset, obsequuturus ne voluntati eius fuisset, Nunquam istud (inquit) Gracchus imperasset, perseuerante autem in interrogatione Lælio, in eodem constantiæ gradu stetit Blosius Amicus, licet inde plurima sibi aduersa parari dispiceret.

Perfecti verò amoris atque omnes numeros implentis amicitiæ & societatis documenta ea sunt, vt nulli honestæ rei parcat amicus vel socius in gratiã alterius nimirum nec laboribus, nec opibus, nec famæ, nec sanguini: ita tamẽ, vt iugiter inuiolata lex illa inter amicos vel socios perseueret, quod iusta semper & honestam inuicem petanrur, aut exigantur; inhonesta etenim qui petit, aut iniusta, veræ amicitiæ & societatis leges prætergreditur, cum soli rationi ac virtuti, amicitia ipsa, & proba societas inniratur: neque dicitur amare, qui scelera ab amico sperat, sed potius odisse perhibetur, cum sit criminum author; nihilque sanè funestius homini euenire potest, quam ad scelera atque

flagitia aut impellere, aut ea amore & societate compelli; quapropter optimè statuit Lælius apud Tullium hanc primam esse in amicitia & societate sanciendam legem, vt neque res turpes rogemus, neque rogati faciamus; ac proptereà apud eumdem Tullium suadent Sapientissimi viri nihil in amicorum, & sociorum sinus effundendum esse, quod ab ijsdem cum pudore excipi queat, aut cum rubore ab ipsis obijci effundenti; hæcque qui cogitabit, non facilè amico aut socio pœnitenda committet; semperque dignoscet, ac præ oculis habebit, hominem, qui hodie amicus est, inimicam cras posse induere mentem. Quod si admodum graue ducatur, modum illum in amicitia & societate tenere, vt opera singula & verba ità sociorum oculos, & aures afficiant, ac si semper pædagogum monentem haberent; ita tamen agendum est, vt veræ amicitiæ & societatis iura exerceantur, quæ sunt virtuti semper consona. Non inficior tamen aliquando etiam bonos amicos & socios à probitate degenerare posse, eosque virtuti omni siue in agendo, siue in loquendo posse renunciare: id namque funesta nimis orbe toto nos exempla docent; at si id accidat, dico statim veram amicitiam excidere, cum nulla improbitas amicitiæ, quæ vera virtus est, nubere valeat; quin immo ex Ciceronis testimonio prorsus impossibile est, amicitiam manere, si ipsa virtus recedat.

Sic inter reliqua amicitiæ documenta illud velut primum admittitur, quod nullus in amicorum & sociorum consuetudine vitio concedatur locus; ac præsertim in mutuo societatis cultu socijs & amicis ab ira, & iurgijs cauendum est, vnde persæpe nedum amicitiæ robur eneruatur, sed dissensiones, odia, atque etiam cædes & interitus nascuntur: quapropter à sociorum seu amicorum contubernio omnino arcendus est, qui iracundiæ motus, atque furoris impetus frenare non potest, isque sanè solitudini aptior semper erit, quam societati & frequentiæ.

Noli esse amicus homini iracundo, neq; ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ (est adhortatio sapientis in Prou. c. 22.) subdente etiam Seneca, deuitandam esse in humano conuictu atque societate iracundorum consuetudinem, quæ semper ad pœnitenda impellit, atque sæpè sæpius ad ea cogit, quę nullam emendationem admittunt, nullisque lachrymis elui possunt, quod si improuidus aliquis in eos inciderit, summa statim celeritate ab illis velut à malorum fontibus se eximat, perinde ac si essent id hominum genus, quib. viuendi formam Brontes, Steropesq; in Ætnæa incude è chalybe mallearunt.

Ab odibilib. etiam, improbisq; æmulationibus, quæ frequentata indignatio, vt plurimum suggerit, animus quoad fieri poterit remouendus est abamatore societatis: cum enim in familiari consuetudine sæpe inter amicos ac socios recolantur aliorum virtutes aut vitia, opes vel honores, sanguinis claritas, aut magistratus dignitas, inde facilis exsurgit æmulatio, exardescit inuidia, acuitur ira, quibus facillimè iurgia, odia, atque simultates concitantur; atque cum plurima sint, quæ inter amicos, & socios æmulationes,

&

& odia prouocent, ab eo præsertim in societate & amicitia cauendum est, quod quoddam præpotentiæ genus siue per nobilitatem, siue per dignitates & opes ostentet; nemo si quidem alterum sibi natura aut fortuna Prælatum facilè patitur; sicut contrà æqualitas, atque similitudo mutuam solet beneuolentiam conciliare; quapropter bene dictum est (prospera vnius fortuna in ciuili conuictu alterius aduersa est) præsertim cum aliena semper maiora cogitentur, quam propria, iuxtà illud

Fertilior seges est alienis semper in aruis
Vicinumque pecus grandius vber habet.


idque eo magis, si quem socium, amicum, & æqualem habuimus, superiorem habere incipiamus; insita namque penè est mortalibus omnibus illa natura, vt superiorem atque super excellentem aliorum fælicitatem ægris oculis introspiciamus, modumque fortunæ à nullis magis exigamus, quam quos in æquo manere minimè dispicimus: quapropter semper in sociali conuictu felicior ille erit, qui dona naturæ aut fortunæ ita moderabitur, vt semper cum alijs paritatis sit memor, nihilque de omnibus æquè communicata beneuolentia demittat. Nemini vnquam quidquam dignitatis aut celsitudinis ademit verborum modestia, nullius honorem imminuit officiosa morum ciuilitas; quin potiùs amicos & socios honore præuenisse, amorem semper prouocasse fuit.

Vitanda quoque in humana consuetudine amicorum, & sociorum detractio, in quacumque re sit, licet criminis leuissimi, atque etiam à natura congeniti; nulla enim ratione lædi debet amicus vel socius ab eo, qui societatis fidelitatem profitetur; linguæ si quidem fræna toties imponenda sunt, quoties amicus, vel socius laudari non potest, atque ea quæ asperiora in amico videntur vel socio, molliorib. iugiter excusationibus lenienda sunt, cum in omnib. & etiam maximis viris sit aliquid, cui sit ignoscendum.

Id tamen minimè omittendum est, vt cum tibi contigerit in sociorum, & amicorum laudib. effundi, sis tamen in tuis aut nullus, aut parcissimus, cum id longè melius sit alieno ore vel calamo laudari, quam proprio; & sanè si vera tibi virtus animo insederit, luce sua satis conspicua erit, licet alienæ commendationis fulgor tibi deficiat. Quod plerique inueniantur, qui non minus alienis, quam proprijs oblectentur laudibus, vt aliqua inani aura circumferantur, melius tamen est veram tenere virtutem etiam tenebris obsitam, quam falsa præconia à se ipso vel ab alijs emendicare.

Ore quoque bilingui in humana societate minimè agendum, cum nihil protsus in homine indignius sit, quam aliud clausum pectore, aliud linguæ promptum habere; ac semper memoranda sunt verba illa fictis Tiberij alloquutionib. aptata, quib. speciosa verbis ipsis, re tamen inania, ac subdolè meditabatur, quantòque erant calliditatis imagine tecta atque fallentia, tan-

to etiam essent ad infensius seruitium eruptura. Neque censeas hanc ætatem alios mores deposcere, cum simplex veritas nuda semper ac sine fuco gestiat apparere; & illæ tanquam insidiæ cogitandæ sunt, quæ serena sub amici fronte tenebrosum ac lethale virus intus alunt, quod in credulas sociorum mentes sit effundendum. Nomen amicitiæ atque societatis valere non potest vbi nomen veritatis extinguitur, ac penitus aboletur. Non debet tamen socius & Amicus in societate & amicitia omnino incautus esse, ne imprudenter alienis versutorum insidijs pateat; neque semper laudabile est ex proprio cœterorum candorem metiri, cum quandoque intersit eos etiam in alijs dolos metuere quibus ipse careas.



LEX



LEX XCIX.

AD HOMINEM PROFESSOREM PVBLICVM.



Publici Professoris munus studium illud summoperè commendat, quo ea omnia satagit implere, quæ ad patrem animorum atque disciplinarum dicuntur pertinere idem enim dicitur à Philosopho audiendi sensus, ac sensus disciplinæ, quemadmodum etiam ex eodē habemus Institutores publicos esse doctorum hominū progenitores iactis doctrinarum seminibus, siue quod præceptores docendo patrum obeant vices, quorum munus est liberos suos erudire, sicut matrum eosdem enutrire: siue quod publicus magister eas ingeneret in discipulos cognitiones, quarum beneficio hauriunt vitam reliquorum hominum vita longè præstantiorem; qua ratione nec dubitauit Nazianzenus professores Eloquentiæ communes patres bene dicendi compellare, nec Seneca metuit asseuerare, eo plura præceptoribus à discipulis deberi, quam parentibus à liberis, quò excellentius quiddam est benè viuere, quam viuere; dat namque sæpe pater vitam ei, cui se dare nescit, in quo & consortem habet, spectans legem patriam, patrum pręmia, domus & familiæ perpetuitatem, quod secus est in eo, qui institutionem & sapientiam alteri impertit, vnde beneficium maius confert, magisque patris loco habendus est; quin ex eo etiam magis æstimandam, ait Epictetus, præceptoris dignitatem, quam patris, quod non cuiuslibet est præceptorem esse, sed diuinitus ad id legi oportere, cum propè diuinum sit inter homines ingenijs erudiendis, formandisque operam dare, eaque ijs præceptionibus imbuere, quæ ad animum spectant, qui à solo Deo dicitur esse; ex quo sapienter Seneca de tranquillit. cap. 2. dixit Sapientiæ magistros ad professionem speciosam alligatos sub ingenti à titulo laborare.

At verò præsertim animo publici Professoris infigendum est, nulla re magis magistro creari facilius sui muneris fastidium, nihilque æquè nocere discipulis & etiam præceptoribus, quam imparatum in suggestum conscen-

dere, & ea solum quæ sors tulerit, & quæ memoria præsens suppeditauerit, afferre; ipse enim malè dicendo discet malè dicere, & dum recoctam crambem sæpius discipulis apponet, eruditi opinionem amittet, minusque attentos habebit discipulos, eosque minus doctos sortietur.

Qui si munus suum non perfunctoriè obiret, sed præuio studio ac labore semetipsum excitaret, & quæ dicturus, aut dictaturus est solicitè meditaretur, ipse proficeret magis, atque docendi & discendi labor longè leuior & suauior foret; maximum enim professoris decus in eo positum est, vt quotidie discipuli audiant, quæ mirentur; sicut contrà professorem in diem viuere, & hodiernæ tantum prælectioni intentum esse malum apud omnes sapientes censetur, & hac insuper incuria gloriari pessimum; quid enim esse potest ordinatum, quid opportunum ac tempestiuum in ea domo, vbi nihil in futurum tempus reponitur, nihil conditur? quam insipida, quam incocta necesse est illa doctrinę fercula, quæ non diuturna & solers diligentia quæsiuerit atque apparauerit, sed quæ præceps industria fortè repererit? in eiusmodi sanè Professorum Doctrinis solet semper esse in rerum prolixitate inanitas quædam atque in ipso materiarum ordine confusio, qua non minus audientes, quam docentes tandem opprimuntur.

Hincque fit fieri sæpe sæpius Professores publici similes vsurarijs, qui libentiùs dant, quod non debent, quam reddant quod debent, quo muneris & doctrinæ ordine peruerso neglecta proprij officij cura ad studia extra rem quam agunt, audientium animos transferunt, atque in ijs vel inuitos ac nolentes detinent, quod est supremum professorum probrum, quibus nefas est à meta per officium exhibita quoquo modo deflectere; quapropter canendum est Professori ne sibi id exprobretur à discipulis, quod dicebat Philemon apud Stobæum, multa me doces, vt audiens quamplurima, ne vnum quidem addiscam; quin potiùs summæ laudi sibi esse ducat, vt pauca sed ad rem discipulis communicet, quibus bene erudiri animus possit.

Quod spectat ad necessariam tolerantiam, & animi æquitatem in sustinendis ac promouendis discipulis, meminerit publicus professor nullum animal morosius esse, nullum maiore arte tractandum quam adolescentem in schola versantem, cuius leuitati sæpe etiam ex humanitate parcendum est, licet morosus euadat; debet namque professor publicus discipulorum morbis mederi (si fieri potest) non irasci: atqui & morbus animi mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minimè infestum ægro: quod etiam in ijs præstare debebit professor, quorum mens ignorantia vel hebetudine affecta fuerit: neque enim citò eorum spes projicienda est, neque statim mortifera signa pronuncianda, quæ studiosum agant in desperationem; at diù luctandum erit cum discipuli segnitie, & torpore, ita vt tarditatem ingenij, quantum potest, patienter ferat, agatque curam non tantum salutis, quam honestæ cicatricis. Sic rem magnam faciet etiam in discipulorum eruditione, si animo ita afficiatur, vt non vniuersorum dumtaxat tamquam

pro

professor publicus, sed singulorum curam gerat vt amicus; cum enim discipuli animaduertunt se non egregie haberi, sed dignos peculiari cura, atque in se dirigi animum docentis, vires ipsi vicissim & animos accipient, vt beneficium doctoris benè collocatum ostendant, & labori docentis alacritas & diligentia respondeat studentis; quapropter malè sibi & auditoribus suis consulunt professores, qui non patiuntur si adiri ad familiaria colloquia, & tamquam sint è machina, aut in machina Dij, vix se sinunt conspici extrà suggestum, quasi familiaritas contemptum pariat; sic enim agentes vehementer errare demonstrat Iustus Lipsius, cui professio publica, totque editi in lucem libri non tantum venerationis & famæ pepererunt, quantum consuetudo familiaris cum omnibus se promiscuè conuenientibus, quos humanissimè excipiebat; & tunc se ipso maior esse videbatur, cum exedra relicta, familiariter cum discipulis quacumque de re voluissent, eloqueretur iuxta oraculum è Stoæ cortina proditum, quod schola pauciores magnos viros fecit, quam contubernium.

Media autem via in docendo publicis professoribus tenenda est, non solum quoad doctrinarum & opinionum delectionem, sed etiam quoad institutionis modum erga discipulos adhibitum, sunt enim quidam professores ita morosi, vt ipsis vix vllus discipulorũ labor sapiat; alij verò ità, blãdi, vt nihil in discipulis omnino displiceat; veri exitialiores sint, haud facilè statuas, cum hi filios suos blandè constringendo necent; illi verò eosdem à se abigendo, in desperationem agant; ita igitur cum discipulis consuetudo prudentiæ lege attemperanda est, vt quidquid moniti fuerint sapientiæ candidati per publici professoris doctrinas intelligant se tantum amoris pignore admoneri vt magis proficiant, qua propter non officio tantum censoris fungi debet professor, sed quandoque etiam laudatoris, si quid laudabile in discipulis nactus fuerit; quo etiam facilius à schola solitudinem arcebit, aduocabitque auditorum frequentiam, quam magni facere debet professor publicus vt monet Quintilianus; eaque laude floruisse Socratem refert Pausanias, qui licet annos nonaginta nouẽ natus, nunquam tamen discipulos habere desijt, cum nihil laudabilius sit in professore, quam multitudinem discipulorum honestis modis sibi adiungere, nimirum eruditionis, ingenij, & disciplinæ præstantia, quod de Polemone, Herode Attico, Heraclide Lycio alijsque pluribus Philostratus narrat; & licet referat idem Philostratus quosdam poetas Tantalo indignatos, quod nectar hominibus bibendum dedisset, idest quod dicendi vim & copiam qua plurimum pollebat, cum omnibus illis communicasset a qui se in eius disciplinam contulissent, ait tamen etiam ex hoc fuisse à Sapientioribus commendatum; hincque etiam vetus illud vsurpatum à D. Cyrillo Alex. aduers. Iulian. sapiens ab alio Sapiente fieri debet, musarumque ianuæ omnibus apertæ sint, necessum est, vt his innueret Musarum eruditionem quasi lumen de lumine, vel aquam de fonte esse à Professore communicandam discipulis, cæterisque auditoribus impertiendam.

At

At non est professori docendi munus aut sordidè vnquam prostituendum, aut vili mercedula vel solo propriæ laudis stimulo exercendum, sed solo discentium bono, & Supremi Numinis gloria; in qua re Themistij aliorumque quorumdam Sophorum abiectionem & ignominiam debet professor publicus exhorrere, quorum alij laudis & famæ studio frumento passim suppeditato auditores ad sua gymnasia aduocabant, alij verò velut scientiarum caupones eas pecunia venditabant; quos iure merito arguunt Tacitus & Athenæus velut gloriæ, & auaritiæ mancipia aut vanitatem à discipulis captantia, aut vænales sordes & mercedes; licet enim innatum possit esse publicis professoribus magni nominis desiderium, quemadmodum dixit Quintilianus, quod optimus quisque professor frequentia gaudet, agere tamen cum discipulis prorsus illiberaliter, aut ad iactantiæ ostentationem semper fuit ignominiæ nota.

Suprema tandem publici professoris laus ea est, vt quidquid studio ac labore sibi peperit ad captandum sapientis nomen, in alios etiam ac præsertim in discipulos libenter effundat; qua propter inter præclara Pythagoræ symbola illud præclarissimum ac vulgatissimum erat (Maluam sece, ne tamen edas) quo symbolo admonerentur, esse quidem Sapientibus & Doctoribus rimanda rerum naturalium secreta, animumque in vniuersorum contemplationem intendendum, ea tamen quæ obseruauerint velut hortulanis transplantatione tempestiua esse ad alios transferenda, ac insitione propaganda, scilicet in aliorum eruditionem demandanda, quod fieri olim solebat in Maluan folijs, quæ proinde Pythagoræis sanctissima erant, vt testatur Ælianus lib.4.cap.17. eoque spectarunt versus illi Heluij Cinnæ apud Isidorum

Hæc tibi Arateis multum inuigilata lucernis
Carmina, queis ignes nouimus æthereos
Leuis in aridulo Maluæ descripta libello
Prusiaca vexi munera manicula.

Ex quo Themistocles vir bono publico natus Hydrophoræ Nymphæ imaginem dedicauit ex multatitia pecunia eorum, qui aquam distinebant, ne in publicam vtilitatem profflueret; quo, imo longè maiori supplicio mulctari deberent omnes illi professores & doctores, qui illiberali & sordida tenacitate scientiam ingens & gratuitum Dei donum quo ornantur, detinent in iniustitia; quod plusquam palmare crimen semper detestatus est Seneca, sed præsertim scribens ad Lucilium epist. 6. vbi contestatur se cupere omnia quæ nouit in ipsum transfundere, nec vlla re oblectari, licet eximia sit & salutaris, quam sibi vni scituras esset, ex eo quod nullius boni sine socio sit iucunda possessio; hacque de causa Lipsius Senecæ exemplum & doctrinam secutus pro innata generosæ indolis voluntate sui communicandi, ita se toti orbi consecrauit, vt nulli vnquam eius pectus & domicilium clausum fuerit, sed patuit semper augustum illud eruditionis sacrarium non solum Antistitibus Musarum, verum etiam Mystis ipsis, & adolescentulis, quos ad se tam-

quam

quam ad perennem fontem ingenij, eruditionis, & doctrinæ vndique venientes libentissimè aduocabat, quos è laribus suis & Museo nunquam emittebat, nisi doctiores & sapientiores; binasque circiter horas à meridie tribuere solitus erat priuatis dissertationibus sine vlla exceptione, nulloque detentus occupationnum fastidio;& quod magis mirandum est, cum auctus perpetuo censu satis luculento, plenus gloria, & exhaustus studijs desistere à docendo, ac vicarium substituere potuisset sæpius, nihilo proinde futurus pauperior. Alberto Archiduce id concedente gloriosis meritis emeriti viri; tamen ad extremum vsque spiritum perstitit docere in Academia, ratus quod apud Tacitum legerat, professione publica dignitatem omnem ornari, non destitui, ac memor Libanium docendi munus maluisse, quam Præturam, & Isocratem licet octo & nonaginta annos natum, nunquam à docendo cessasse.

(?)



LEX



LEX C

AD

HOMINEM LIBRORVM SCRIPTOREM.



VM magis sit in hominis potestate scribenda facere, quam scribere legenda, hocque rarissimi ingenij sit, ac paucorum, illi dumtaxat suscipiendum erit scribendi negotium, qui in ea facultate, quam tractat, præceptor esse queat generis humani; stultum enim esset plures velle libros conscribere, ac nescire prorsus, quid valeant humeri, quidvè ferre recusent; illudque Styligenus in scribendo adhibere, quod potiùs inepto legentium iudicio accommodetur, quam peritorum menti, vel ipsi materiæ conueniat; qua de causa monebat Seneca epist. 100. animo semper scribendum esse, non auribus; provt enim Scriptor affectus erit, erit ferè & lector; idque omnium Sapientium oraculo vulgatum est in seuerioribus disciplinis ad vtilitatem pertinentibus non facatum quæri sermonem, sed veritatem puram, & vbi tantum modulatus vocum, vel verborum lenocinia inanes excitant plausus, ibi non philosophos, non doctos, non sapientes loqui, sed tibicines canere; & licet apparatus in scribendo mediocris, atque pro Scenæ ac personæ dignitate elegans & sincerus dicendi nitor nemini sano displiceat; semper tamen aut Atticum, aut Asiaticum scribendi genus exercere, planè vitiosum est, cum rerum varietas & multitudo varium quoque ac multiformem stylum exposcat, licet Atticum scribendi genus vtpotè pressum & integrum virorum dicatur esse, Asiaticum verò vtpotè effluens, inflatum & inanè adolescentulorum iuueniliter exultantium reputetur.

Duo verò peccati genera in librorum inscriptionibus præsertim Scriptor cauenda sunt; alterum est, quod vt plurimum tam speciosi atque illustres apponuntur tituli (quos iure Seneca Oculiferia appellet) vt cum vestibulum libri inspexeris, credas esse regiam domum regia gaza instructam & apparatu, quò intrandum tibi putes etiam cum periculo vadimonij; sed cum intraueris, speiata

ſperata illa felicitas prorſus euanuit, & quemadmodum dixit Plinius, Dei Deeque quam nihil in medio inuenies, cogariſque dicere, quod de inuenta hominis larua dixit apud Æſopum Simius; qua propter modeſtæ ſemper inſcriptiones libris opponendæ ſunt, quibus potius legentium expectatio vincatur, quam non ſuſtineatur; idque iugiter ſcribentium memoria atque animo verſandum eſt, quod celebres licet pingendi ac fingendi conditores abſolutis operibus pendentes titulos inſcribebant (Apelles, vel Polycletus faciebat) vt incohata vtentes arte atq; prætetito tempore imperfecto contra iudiciorum varietates ſupereſſet artifici velut emendaturo quidquid poteſt deſiderari, regreſſus ad veniam. Alterum crimen in quo permulti diſplicent in librorum inſcriptionibus eſt, quod non meminerint, aut numquam benè ſciuerint Titulum debere eſſe veluti Titana, & Solem libri, totiuſque operis breue quoddam compendium, ac tamquam ſpecimen ad tabernaria pulpita penſile, earum ſcilicet verum argumentum, quæ in peritiore apotecha repoſitæ ſunt; ac proinde inſcribere librum voce vel ſententia tam obſcura, vt lector hæreat, nec niſi conſultis interpretibus eam intelligat, eſt offundere tenebras, non lucem affundere; magnum ſiquidem vitium eſt in ædibus atrij obſcuritas, ac nemini ingredienti non moleſta; Quemadmodum etiam palmati decipiuntur errore illi, qui perſpicuos quidem titulos ſuis libris præfigunt, verũ qui omni promiſcuè argumento conueniant, atq; vt merito vitioſa cenſeri ſolent illa orationum exordia, quæ non eruuntur ex cauſæ viſceribus, ſed aliunde veniunt, & omni orationi conueniunt; ita inepti ſunt tituli illi, quos cum perlegeris, nondum diſpicias quodnam argumentum libri ſit, quæ materies. Tituli igitur ſimplices, perſpicui, & proprij argumentorum, quæ tractantur ſeligendi ſunt, vt ſtatim ex eo quod eſt in limine & fronte iudices quid ſit in receſſu, quod fecere plerique veterum Authorum, qui ſi ſcripſere de re medica, vt Celſus, ſi de Agricultura vt Columela, ſi de re bellica ut Vegetius, ſi de animalibus, de moribus, de Metaphyſica vt Ariſtoteles, ſi de beneficijs vt Seneca, ſi de inſtitutione oratoria vt Quintilianus, nullum alium titulum præpoſuere, quam qui prima facie & obtutu, libri argumentum, & authoris conſilium lectori ſtatim indicaret ſine ambagibus; quod facere etiam conſueuere omnes Tragædi ac veteres poetæ in Tragædiarum & poematum inſcriptionibus, quibus tituli ſunt, Hercules furens, Hercules Ætæus, Aeneis, Thebais, Ilias, Odyſſea, Metamorphoſis, & ſic de reliquis.


Sic de re in libro contenta atque agitata Callimachi monitum librorum ſcriptori excipiendum eſt, quod ſæpe magnus liber magnum dicitur malum; quod præſertim ad eos ſcriptores latum eſt, qui verè cum Sidonio dicere non poſſunt, Curæ nobis fuit cauſam potius implere, quam paginam; cum id ſolum agere videantur, & eniti, vt volumen turgeſcat & infletur; ac propterea vt plurimum captant aberrationes ab argumento & diuerticula, parerga afferunt, cunctis nota replicant, quod eſt operæ redundantis, vt ait Symmachus, aut lectorum peritiæ diffidentis, vel eorũdem otio abutentis; licet enim

aurea

ſiquidem rerum ſcriptoribus nihil tam profuiſſe dicitur, quam vel carnificis manus, vel rogus hoſtilis; nec ſupereſſent, niſi periiſſent, rediuiui poſt buſta ſua & cineres glorioſiùs triumphantes de inuidia, de ſcelere, de mendacio, quaſi primo ſui in lucem ingreſſu cum plauſu in omnium ore excepti eſſent, ſic longè diutius perennante ſcriptionis fructu, quam ipſorum librorum vita; illi enim qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt ſicut ſtellę firmamenti in perpetuas ęternitates. Addit denique librorum ſcriptori non modicam commendationem, ſi ea quæ ad fructum legentium ſcribit, optimo ordine atque ordinata digeſtione typis committat; dicitur namque magnus theſaurus, magnumque ad vſum libri adiumentum ordinatè compoſitus earum rerum index quæ toto volumine continentur; præſertim ſi pauculis numeris conſtet, cum nihil moleſtius lectori ſit illis indicibus, qui quaternis quiuisvè notis, quo lector ipſe feſtinat, tardiſſimè deducunt, dum enim de quarto vel tertio numero cogitatur, excidit primus vel ſecundus, & decies voluere & reuoluere eaſdem paginas neceſſe eſt; quapropter duobus tantum numeris tem totam ſignare optimum erit, quod fecere quamplures præſtantiſſimi viri, qui non modo numeros innumeros à ſuis operibus ablegarunt, ſed etiam nimiā capitum prolixitatem, quæ & faſtidium legenti affert, atque à legendo auocat; quemadmodum breuitas voluptatem creat; & legendi deſiderium, vnde dictum eſt eo modo capitum breuitatem & frequentiam lectores reficere, & recreare; quo multitudo diuerſoriorum breuibus interuallis in itinere occurrentium reficiunt viatores.



LEX



INDEX AVTHORVM,

Qui in Opere adhibentur.

Erasistratus.
Auicenna.
Arnold. de Villa Noua.
Dioscorides.
Celsus.
Scribonius.
Celius Rhod.
Claudianus.
Petrus Apponus.
Ælianus.
Lactantius.
Sidonius Apollinaris.
Minutius Fælix.
Aristoxenus.
Petrus Cassendus.
Crispus Gallipolitanus
Grammaticus.
Sophocles.
Symachus.
Carpentarius.
Latinus Pacatus.
Prudentius.
Olimpiodorus.
Statius.
Seruius Grammat.

Auerroes.
Sextus Philosoph.
Theognides.
Manilius Astronom.
Olaus Magnus.
Phauorinus.
Terentianus Geta.
Calcidius.
Suidas.
Saluianus.
Pempelus Pythagoric.
D. Paulinus.
Libanius.
Tiraquellus.
Synesius.
Hierocles.
Hermes Trismegistus.
Baronius.
Ioannes Caso.
Ausonius.
Velleius.
Lampridius.
Capitolinus.
Callisthenes.
Plotinus.

Pontanus.
Albertus.
Ammonius.
Arnobius.
Anonymus.
Bembus.
Calcagninus.
Turnerus.
Blesensis.
Petronius Arb.
Vopiscus.
Plautus.
Philippus Cam.
Isidorus Pelusiota.
Porphyrius.
D. Cyrillus.
Greg. Nazianz.
Eustratius.
Seneca Tragicus.
Lybius Gyrold.
Athanasius.
Iustinus.
Melanthius.
Franciscus Patritius.
Hugo Grotius.



INDEX RERVM.

Quæ in Opere continentur.

A.

Ægyptij.



Æquanimitas.

Æthyopes.

Ambitio.

America.

Amicitia.

Anima.

Animi imbecillitas.

Animi remissio.

Animalia.

Anti-

Aula.

B.

Beatitudo.



Bellum.

Beneuolentia.

Berosus.

C.

Cardinales.



Casus.

Chal-

Caldæi.

Christus.

Chronologia.

Chronologus.

Cingari.

Ciues.

Clementia.

Cometæ.

Vide verbum Meteora.

Comitas.

Consideratio.

Consuetudo.

Im-

Consiliarius.

Corpus.

Correctio.

Cosmographus.

Creatio.

D.

Deus.

Discordia.

Diuinatio.

Diuitiæ.

E.

Educatio.



Elementa.

Eruditio.

Ethica.

Excusatio.

Exem-

Exemplum.

F.

Facetiæ.



Feminæ.

Fatum.

Felicitas.

Filij.

Fontes.

Fortitudo.

For-

Fortuna.

G.

Galli.

Gratitudo.

Genius.

Genealogus.

Genethliacus.

Ars

Geographus.

H.

Heroes.



Hispani.

Historicus.

Homo.

Honores.

Horologia.

I.

Idololatria.

Ignominia.

Ignorantia.

Immortalitas.

Inconstantia.

Indo-

Indoles.

Infantia.

Infelicitas.

Infinitum.

Inimici.

Ira.

Intellectus.

Inuidia.

Institutio.

Itali.

Iudex.

Iudicium de alijs.

Libe-

Liberalitas.

Libertas.

Luna.

M.

Magnanimitas.

Magnes.

Magnificentia.

Magia.

Mansuetudo.

Mare.

Mars.

Mathematica.

Omnes

Medicus.

Memoria.

Mercurius.

Meteorologus.

Militia.

Misericordia.

Monomachia.

Mors.

Mundus.

Musica.

Ad

N.

Natura.

Nobilitas.

O.

Obseruantia.

Odium.

Oratio.

Vtrum

Paupertas.

Peccator.

Peregrinus.

Persæ.

Philosophia.

Physiognomia.

Ex

Physiologia.

Pietas erga Parentes.

Pluuia.

Polus.

Poesis.

Politia.

Preces.

Prædestinatio.

Princeps.

Professor Publicus.

Prudentia.

Pulchritudo.

Punctum.

Q.

Quies.



R.

Religio.



Remora.

Respublica.

Rethorica.

Romani.

S.

Sacrificium.



Sapientia.

Saturnus.

Scriptor librorum.

Scientia.

Senectus.

Simplicitas.

Societas.

Sol.

Solertia.

Solitarius.

Spatia imaginaria.

Stella.

Studium.

Sympathia.

T.

Terra.

Theologia.

Theologus.

Temperantia.

V.

Valetudo.



Venus.

Verecundia.

Vestales.

Vindicta.

Virtus.

Virtus.

Vitium.

Voluptas.

Varia

Votum.

Vxores.



Er-

	Errata	Corrige
Fac. 1.	Complitimur	complectimur
Fac. 1.	quandamtenus	quadamtenus
3	Autuerpiam	Antuerpiam
2	tum	cum
3	Lnfitani	Lufitani
4	Litus	Litus ibi fæpius.
3	reuixum	renixum
4	haltinuum	alituum
9	exiftere	exiftere
9	affirmauetit	affirmauerit
10	incedere	incedere
11	illnd	illud
12	exquefitum	exquifitum
13	dcnunciant	denunciant
14	ignari extimandi funt eft, neque, &c.	ignari æftimandi funt, neque &c.
14	quod nullam	quo nullam
15	quod primi. Scientias	quod primi fcientias
16	abineunte	ab ineunte
21	Cofmografiam	Cofmographiam
21	Homo	homo
22	dextrum	dextrum
25	quoqne	quoque
27	manifeftum	manifeftum
27	fnit	fuit
28	fuernit	fuerint
29	cnius partem fecerunt Scriptorn. Æolicum	cuius partem Africam fecerũt. Scriptum, Æolicum
33	hie	hic
34	ficquidem	fiquidem
34	vndceumque	vndecumque
36	habear	habeant
39	obtinere	obtinnere
79	reuocemus	reuocamus
84	animnm	animum
87	moliuntur	molitur
89	Phyficè	Phyficæ
99	ius	eius
100	erbis	herbis
121	chio	Chio
121	(fubdit ifta verba)	fubdit ifta verba
122	nominis	nimis
122	Labfciffis	abfciffis
123	Earumdem	earumdem
123	in tranfmutabilia	intranfmutabilia
125	Petro Canendo	Petro Caffendo
127	vendo	nendo
127	qnæ	quæ.
126	illifoli	illi foli
128	de fugere	difugere
128	multa &,	multa, &
129	neceffitatis	neceffitatis
130	libertate fua. Vfus	libertate fua vfus
134	fi pofueris	fepofueris
138	(quæ omnia difponat	,quæ omnia difponat
139	ille	illæ
140	perftigijs	præftigijs
142	phantafmatis	phantafmatibus
145	eum Ioannes Gram.	Ioannes Gram.
147	admirati	admirari
158	eft ei.	eft enim
159	ferunt	feruntur
160	ex ortu	exortu
160	Genius	Genius
161	vetuffi	vetus fi-
166	fylla	Sylla
172	conftantiffimum	conftantiffimum

Atq

Errata		Corrige.
175	Argertaam	Angeronam
175	effofis	effoſſis
181	Chriſoſtemos	Chriſoſtomus
283	magno animo ſtudio	magno animi ſtudio
184	culto	cultu
185	illuſtriorem	illuſtriores
188	numina. Ratio	numina, ratio
191	ſæquientis	ſæuientis
191	quætam	quæ tam
191	patrominium	patrimonium
193	Lex Prima 36.	Lex 36
196	hora tractaſſe	iura tractaſſe
196	probitari	probitati
196	ſentorio	tentorio
198	diuturna experimenta	diuturno experimento
199	perfectum	perfectam
215	eorum mandantes	eorum mandatis
215	inquietatis	iniquitatis
216	vito	viro
200	ænæo	Ethnæo
224	Iuuenis Geometra	Iuuenes Geometria
226	forma poſſunt	formas poſſunt.
228	(eſt in quacumque)	eſt in quacumque
232	a cibis, quæ	à cibis, qui
236	Liuios	Liuium
238	fortibus	forribus
238	fortune ludibrijs; proſcruntur	fortunæ ludibrijs proſeruntur.
256	Flogium	Elogium
260	pherecides	Pherecides
262	ſiculam	Siculum
266	quæ	qua
274	initium	vitium
277	abtineamus	abſtineamus
284	additiſſimos	ad ditiſſimos
284	ſine	ſiue
285	potractum	protractum
315	Canendus	Caſſendus
338	ante	arte
343	quaque	quoque
346	artibus	actibus
400	mutans	nutans
436	columina	culmina
441	(quapropter Legatus)	Quapropter Legatus
433	fundum ſit in Conſiliario	fundamentum ſit in Conſiliario
456	depræhenſom	depræhenſum
457	noſtris	roſtris
458	Donatiſtas	Donatiſtas
463	Placitum	placitum
466	grauia	gratior
467	nimirus	nimirum
495	deſrumpere	diſrumpere
499	egrege	e grege
499	ſi adiri	ſe adiri
501	etit	erit
502	Styligenus	ſtyli genus
502	facatum	fucatum
503	Deeque	Deæque
504	icti	iſti
507	proliſcitatem	proliſicitatem
507	creat; &	creat, &
507	recreare; quo	recreare, quo
507	reficiunt	reficit

F I N I S.

LEGES
HONESTÆ VITÆ
CENTVRIA PRIMA.

LEGVM ETHICOPOLITICARVM

IAM QVARTO' EDITARVM

CENTVRIAE DVAE

Quarum altera Leges Honestæ Vitæ,
Altera Leges Prudentiæ Senatoriæ
Inscribitur.

A IOSEPHO MARIA MARAVIGLIA
CLERICO REGVLARI
MEDIOLANENSI
IN GYMNASIO PATAVINO
MORALIS PHILOSOPHIÆ
PROFESSORE.



LEGES HONESTÆ VITÆ.

LEX PRIMA.

RELIGIO OMNIBVS COLENDA.

PRÆSTANTISSIMA religionis vis eo præsertim attollitur, quod homines à Deo quasi abiunctos, & secretos per cultum religat, vnde & Religio dicta est. Primum est, & maximum in quacunque Republica recta de Dijs opinio (aiebat Plutarchus aduersus Colotem) faciliùs est columnam stare sine basi, quam vrbem sine Numinis cultu, faciliùs vrbem condi sine solo, quam cultu diuini Numinis sublato coire ciues, aut ciuitates constare. Hanc quoque fuisse primam naturæ legem ipsius purioris naturæ status decernit satis, in quo si fides adhibenda Theologis, homo licet purus Diuino cultui fuisset obstrictus.

Omnium virtutum mater est religio, dux omnium vitiorum est à religione discessio (erat sapientissimi Hieroclis effatum) & sicut homo sine virtutibus nequit viuere, vt homo, ita neque sine religione, aut solo vitiorum alimento. Atteruntur insani superstitionum errores per veri Numinis cultum, ipsaque religione velluntur perfidiæ sacrilegium, blasphæmiæ virus, periurij malignitas, quibus ruit in præceps miserandum genus humanum. Quid interest vtrum Deum neges aut infames? vtrumque infame superstitionis genus (loquitur Seneca) Infamat maximè Deum, qui pro libito factitia colit Numina, fictitia. Sibi fingit Idola; multiplicem siquidem Deum fingere, qui solus est, eadem est ignominiæ nota, ac ipso supremo Numine ignorato diuinum nomen & decus ad saxa transferre.

Ideò fortassè apud veteres vnica manu, quæ dextera esset, ad osculum admota adorabatur Numen, ne falsa esset religio, aut Numen multiplex

 colere-

coleretur; atque in eorundem templis sępè Numen velut vnus omnium pater rogabatur.

Optima da nobis, vel si pater, illa rogamus
Vel non; at damnum cęco si errore petamus
Tu damnum à nobis præsens auuertito Ioua.

Colendus est Deus velut summus omnium pater, cuius amore vniuersa cohærent, omnisque stat rerum in orbe compago. Colendus est (inquit Agatho) quia pater est Iustissimus, Fortissimus, Temperantissimus & Sapientissimus; Iustissimus quia leges seruat legislator summus, quia redamandi præcepta colit, amat amantem, debita soluit amori; Iustæque dicuntur à Proclo Lycio huius diuini patris ferientis sagittæ, eo tantum pungentes & vellicantes, vt reddatur, quod debetur amor amori, religionis cultus diuinæ hominum estimationi; fortissimus quoque quia superari nequit, nescit vinci, scit omnes amatoria beneficentia vincere, ac deuincire; Temperantissimus denique, & sapientissimus, quia primum bonum est, primum verum, & primum pulchrum, omnia auuertens mala, omnia creans bona.

Anaxagoras gratulatus sibi humana natalitia etiam cum rigida conditione fortunæ sustinendæ omnium malorum compensationem reputabat solem velut Numen colere posse; satis huic rei se natum dicit, quod solem, qui sua pulchritudine & splendore comit omnia, venerari potuisset; Cur nos nati Deo & videndo & fruendo non liquescimus omnes tantum lumen, quale diuinum est, reuerentes, & colentes.

LEX SECVNDA.

RELIGIONIS CVLTVM MAXIME' PROFITEANTVR PRINCIPES.



PRIMVS Magni Principis nitor pietas est, & religio. Prima hæc cura fuit Romulo iacta basi Romanæ molis augustæ. Falluntur Principes illi, qui humanis tantum industrijs, non diuinorum cultibus opinantur regnantum ædes splendide nitescere. Principum maiestas sola pietate & religione etiam exterorum captat obsequia. Duo sunt egregijs exercenda principibus, aiebat Aurelius Victor in Traiano, nimirum Sanctitas domi in Castris fortitudo. Plato in suis legibus neminem eligi in principatum iubebat publicum, nisi qui prius priuatis religionis studijs nauasset operam. Fatetur Liuius ipse principibus Deũ colentibus cuncta ad extremum prosperè contingere, aduersè, aspernantibus. Error palmaris fuit Pseudopolitici dictitantis, fidem & religionem priuata quædam bona esse, Principes, nec Reges deuincire, ductus fortasè ex Atreo in Tragedijs

Sancti-

Sanctitas, pietas, fides, pudor
Priuata bona sunt, quà iuuat Reges eant.

at corrigitur à Seneca ipso in Thyeste.

——— vbi non est pudor
Nec cura iuris, Sanctitas, pietas, fides
Instabile regnum est.

Nunquam regnum firmum erit, aut à vera religione secretum, aut ipsa religione neglecta & praue culta. A Deo Reges, à Deo Principes sunt, & sine Deo stare diù nequit Imperium; florent namque & vigent imperia solo Diuino rore irrigante. Non est vllibi à ratione status separanda religio, si nutātem horrescimus dominatum. Non fauet veritati carmen illud Lucani.

Sceptrorum vis tota perit, si Pondere Iusta
Incipit.

Neque est idem (inquit Sallustius in Iugurtha) quælibet impunè facere absq; Numinis metu, & liberum Regem aut Principem esse. Turpissimum fuit Iulię mendacium Antonino Caracallæ decantatum (si libet, licet) Et si rectè censebat Cyrus non conuenire cuiquam Imperium, qui non melior esset ijs, quibus imperaret: certè ea religionis ratio Regibus, ac Principibus habenda est, qua cœteris bonitate præstent, Aristotele ad hanc rem affirmante, populos minus iniusti aliquid sperare ab eo Principe, quem præ cęteris religiosum & Dei amantem vident; minusque ei aduersari atque insidiari, quem à Diuino Numine protectum, defensumque iri credunt

—— nusquam libertas gratior extat
Quam sub Rege pio

Canit Claudianus in laudibus Stiliconis.

LEX TERTIA.

RECTÆ PARENDUM CONSCIENTIÆ.



VI vitam beatam, gaudium verum, perennem peroptat pacem, præcipuum curet opus, Conscientiam rectam, Laus vera hæc est, cui perfecta subscribit virtus, imperturbata succedit quies. Nihil boni nobis, si mali nos ipsi conscij sumus. Nullus crudelior Tyrannus quam conscientia, siuè Sylla carcere, siuè Phalaris boue, siuè Sciron caute, siuè Faunus diuersorio.

O mites Diomedis equi, Busiridis aræ
Clementes; iam Cinapius, iam Spartace lenis.

Parricidium vindicatori Pelusij pro flagitiæ dignitate nullum hactenus torturæ ingenium par duxerunt; non culeum, non viui comburium; sæuius quid cogitarunt, piæ scilicet matris naturæ ferulam conscientiam; ad

summmæ namque atrocitatis exemplum docti nouam sæuitiam didicerunt, sancientes parricidam triduo cogi spectare occisi cadauer, vt sic puniretur enormissimo omnium supplicio, nimirū admonitione facinoris per consciētiā.

Ipse Agrigentinus Tyrannus vltra taurum nouit sæuire conscientia, & ne tantum ingenio Perilli deberet crudelitatem; inuenit conscij animi tormentum. Et prima parricidij pœna conscientia fuit, qui enim mortem priùs vidit & fecit, dignus æstimatur non minore supplicio, quàm conscientia facinoris. Atrocius morte malum est vitam conscire malam. Ipsi mortis & generis nostri primogenitores maiorem ipsa morte pœnam putarunt, quod viuerent rei mortis.

——— cuperent si forte pateret
Condere se barathro vsque adeò contermina pœna
Culpa suæ est.

Nemo Tyrannorum fuit, qui alicui non indulserit, nemo quem aliquis non euaserit, quem satelles nunquam fefellerit; Conscientiæ solum seueritatem, nec venia, nec fuga, nec fraus illudit. Peccasse ineluctabilis est Tyrannis animi. Alligatum nobis supplicium est post culpam, cuius cadauer restat pauor, pudor, &

Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

parturit sola recta conscientia lætitiam, & serenum festiuumq; animum reddit. Nil gloriosius quam Theatrum insontis conscientiæ, vbi certant discurruntque virtutes mundissimo velut in campo. Aurea est illa Tiburtij sententia (omnis vilis est pœna, vbi pura est comes conscientia.) Naturale præmium conscientia est bona; prima est virtutis palma, iuratum brauium, dulcis matris naturæ blandimētum, magnum mentis lucrum. Quę libertas maior, quam nihil timere? Periander rogatus quid libertas esset, bona (inquit) Consciētia.

Ea libertas est, quæ pectus purum & firmum generat. Contra verò seruiles & lugubres animos ipsius pœnæ seruos creat culpa iuxta illud:

——— Mens sibi conscia facti
Præmetuens adhibet stimulos, terretque flagellis.

Numquam dimittendæ est rectæ conscientiæ tutela, eaque, vt inquit August. magis homini necessaria quam fama, hæc quam exterius intueatur, illa quam intus aspiciat. Quid prodest si quempiam laudent omnes, quem conscientia incuset. Nil obest, vbi adest rectæ conscientiæ tutamen.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet. Prima & maxima peccantium est pœna peccasse, nec vllum scelus, licet illud exornet fortuna muneribus suis, licet tueatur, & vendicet impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est, inquit Seneca.



LEX

LEX QVARTA.

AB HOMINIS DITIONE NON SIT EXTORRIS PÆNITENTIA.



ON est Pęnitentia ab humanæ naturæ finibus exterminanda, licet sonitum huius vocis molles quidam & blandi nouæ libertatis buccinatores non sustineant audire. Visum est Stoicis pœnitentiam, quæ est de malefactis dolor, esse miserum quemdam & turbulentum affectum, quo homo sibi irascitur ipsi, atque adeò inhonestum & improbandum Esse tamen virtutem intra choros virtutum recipiendam, sapientiores omnes profitentur. Insanabilem facit Aristoteles virum intemperantem, qui pœnitentia non tangitur. Gentiles ipsos, testatur Tertullianus, natura tenus pœnitentiam nouisse, quæ ab offenso Numine prouenirer, aut à malefactis. Herculem, Vlyssem, aliosque innumeros Heroes fertur pœnituisse. Insigne præ cęteris est exemplum cuiusdam adolescentis Ethnici, qui plenè resipuit amica relicta, cui etiam interpellanti respõsum est (ego non vltrà sum ego.) Polemon quoque philosophus quondam vnguentis delibutus, redimitus floribus, subnixus meretricibus aliorum philosophorum disputantium auditorium ingressus, errorum, quibus tenebatur, prius se corripuit, coronas sensim detraxit, vnguenta detersit, scortis valedixit; tantus postmodum euasit per pęnitentiam, vt esset sobrietatis exemplum, qui fuerat ebrietatis ludibrium. Additque Nazianzenus; scortum ipsum Polemonis ad turpitudinem aduocatum, conspecta in atrio domus philosophi imagine bonam mentem induisse. Id est Pęnitentiæ decus placantis Numen, hominemque aberrantem ad semitam reuocantis.

At ne obtendat quis, nolle hominis voluntatem frustra vexari in detestatione eassa, atque inutili; quandoquidem quod semel factum est, infectum effici nulla vi queat; Numenque ijs à quibus iniuriam accepit, implacabiliter succensere, audiat Lactantium; Nemo desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus lapsus sit; potest reduci & liberari, si eum actorum pœniteat, & Numini satisfaciat

Sæpe leuant pęnas ereptaque lumina reddunt
Dum bene peccati pœnituisse vident.

Etiam de Dijs suis canebat Ouidius. Et licet Plato incuset Homerum, quod Deos exorabiles dixerit, atque reuertentes ad ipsos lętè suscipere, id dictum esse haud quaquam ad pœnitentiam euertendam putandum est à Platone, sed ad vulgi dumtaxat gratiam comparandam, vt ipse Iustinus fatetur.

Quærenda igitur est pęnitentia, velut propria hominis virtus, vt primævæ innocentiæ reparatrix, vt recens vestis omnibus pœnè contexta virtutibus, quæ nimirum nente charitate, texente deuotione, perficiente pietate ad transacta vitæ tegenda crimina mirabilem præstat opem, summumque iuuamen,

LEX QVINTA.

AD IMVM POTIVS QVAM AD SVBLIME VERGENDVM.



A est humilitatis honestas, vt apud sapientiores omnes circumfertur, qua homo & in rerum externarum despicientia versatur, & immoderatam gloriæ appetitionem refugit, ac deuitat. Ast gloriam & honorem quoquo modo captare per legitimas virtutis actiones, etiam humili fas est, nec propterea à rithmo humilitatis deflectit. Lux humilitatis inde micat, vbi humilis homo figit obtutum, vt perspiciat, quam sit exiguum, quod habet in se virtutis, quanque modicum, & tenue, quod ipse de suo contulit ad virtutis decus. Superbus perinde est inquit Porphirius

Vt puer accumulans, multum per litus arenæ
Vnde sibi fingit per multa, sed omnia statim
Confundit manibus ludens, pedibusque repulsat.

Potior humilitatis laus ex notitia sui fulgescit. Eo feruntur elogia frequentissima Delphicæ epigraphes (Nosce te ipsum) De superbo referunt Sapientes (non se nouit) Delphicam illam sententiam, ex qua velut radice pullulat humilitas, è cęlo delapsam, & Deo adscriptam testatur Tullius; quia maius erat,quod ea continetur,quam vt ab homine traditam videretur.

Nobile est humilitatis paradigma, quod confecit Seneca in Consolatione ad Marciam, idque tradidit velut magnum ingentes ponendi animos incitamentum, Homo est quassum vas & fragile, imbecillum corpus suaptè natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem contumeliam proiectum. Quid ergo homo non potiùs vergit ad imum, quam ad sublime?

Adiuncta est in formatione nostra nobis ipsis ea naturæ abiectio supremi molitoris consilio vt si hinc efferimur, inde deprimamur. Admirando corpori humano ideò adiunguntur Næui, Soli Ecclypsis, Cœlo irrequietus motus. Ad fastum hominis auuertendum, ex actu & potentia, excelso & humili ipsum compegit. Anima ab incorporeis, puluis? terra eadem ratione desumpta est, vt esset intima abiectionis memoria simulque miseria. Planè ipsum voluisse videtur Sapientissimus Plastes, quod Agatochlem ex humilima sorte Siciliæ Regem præstitisse omnes norunt, miscendis opibus & paupetie, humilitate, & celsitudine, vt canit Ausonius.

Adijcienda appositis ea sunt,quibus inaniter attolimur, & in quibus velut imperiti æstimatores hallucinamur. Abiectione contrahenda sunt vela feliciter radentibus æquor gloria, opibus, & potentia Achillem fingit Homerus arrogãtię stimulis, velut alis,elatũ,atq; in summam leuitatem concitatũ

Huic verò facta sunt alę, alteque leuarunt
Pastorem populi

ne ijs-

ne ijsdem alis nos pueriliter efferamur humilitate & abiectione leuitas nostra firmetur. Vt benè discamus felicis amplitudinis exordia, ad ima vergamus, & in primigenia materia volutemur.

LEX SEXTA.

NON EST IN HOMINE CVLPANDA NATVRA.



CVLPA quorumdam fuit culpare naturam, quasi homines non agnoscat filios, sed priuignos, quos si non odium, fastidium nouercarum negligit; aiebant illi cœtera animalia naturam diligentius curasse, & consentaneam vnicuique suppellectilem ab ipso ortu dedisse

Armauitque manu, cornu, pede, dente, veneno
Atque alijs quibus artis inops, animique minoris
Et ratione carens animal se protegat, & se
Seruet ab aduersis rebus.

Solum hominem imbellem, nudum indignum, exhęredem solum fidei commissum fortunæ reliquisse. At hoc quodcumque fit, fuit palmare insipientiæ crimen sanæ mentis ratiocinatione obliterandum.

Non consuluit homini natura diminutè aut auarè, nec vllum parentis officium deseruit in filios. Erga alia animalia officia materna coluit, erga hominem paterna. Quem viribus erudiri ac sapientiùs volebat, eo negligentiori vsa est in rebus extraneis affectu. Spartæ indumenta, & alimenta negabant filijs, vt necessitas extorqueret industriam, & efficax viuendi magistra sapientia esset. Acuminat inopia ignauiam, erudit paupertas mentem, nec crimini datur prouida parentum crudelitas, qua sapientia capessitur in filijs, & si omnia natura dedisset, nil obtineret ratio, vel sapientia, quod dare posset.

Sapientia homo licet nudus & inermis, dominus est naturæ & fortunæ; Sicut Homine insipiente negotiante bonum fit malum, ita operante sapiente, velut Numine malum fit bonum. Natura Sapientiam homini suppeditauit, qua possit etiam turbida tempestate vti ad tranquillitatem. Hac præstat homo inops animalibus locupletioribus, quibus ipse egenus imperat, & sibi seruire facit. Solo ingenio extructa in animo Capitolij arce, omnia benè protegit, cuncta regit, & dirigit in rectum Vnum æquor ad portus columen docilibus scapulis gestet nauem, quod rebellibus deprimit in profundum, solus fluctuum vsus, qui in homine regente, & docente discitur natura, discrimen est. omnia vincit hominis natura, ipsique imperanti ancillantur omnia, & melius potest gloriari homo quam triumphator ille de Sabinis, Samnitibus & Pyrrho, qui plures triumphos habuit quam seruos. Non sunt igitur hominis mala adscribenda naturæ.

LEX SEPTIMA.

NATVRÆ, ET FORTVNÆ BONA IN VIRTVTEM PERDVCENDA.



PTIMO iure effæminatam, mollem incoſtantem, & fluxam Stoicorum Poeticus illam felicitatem appellat, qua ſola conſtituunt naturæ vel fortunæ bona ſine virtute. Sunt bona flocci pendenda niſi in virtutis exercitationem pertrahantur. Vt fortiter quis agat non ſat eſt corporis robur, at robur ipſum inflexo animo eſt exercendum. Diuitiæ, & opes hominem beare poſſunt, ſi ipſum reddant liberalitatis & magnificentiæ virtute præclarum. Beatiſſima eſt (inquit Varo) illa hominis vita, in qua exteriora bona virtutis vſu clareſcunt.

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus dictum indè; & Thales interroganti quis felix eſset? reſpondit, nec qui ſolo corpore ſanus,nec qui ſola locuples fortuna, ſed qui animo probus eſt, & bonis vtitur cum virtute, Neſtor ideò dicitur beatus apud Homerum

Cum caræ primùm matris prodiret ab aluo
Cuncta dedere Dij, & vitam tribuere beatam.
Conſilioque bonos natos, & fortibus armis
Spectabat,

Nugæ ſunt & deliria quorundam, qui externo ſolum bonorum apparatu beatitatem confingunt. Vitam quæ faciunt beatiorem (inquit vates) non eſt res dumtaxat haud parta labore, non ſolus haud ingratus ager, locuſque perennis, non ſolum ſalubre corpus & vires ingenuæ, ſed mens quieta ſoluta curis, ſed

Quod ſi eſſe velis nihilque malis
Summumque nec metuas diem, nec optes.

Non eſt homini optanda felicitas bonorum, quæ extra virtutem ſunt, velut ægroto ſanitas, pauperi pecunia, ignaro doctrina. Felices illi (inquit Socrates) qui mentem bonam & rationem poſſident; proinde ab eodem minimè dictus eſt felix Perſarum Rex, licet potentiſſimus,qui Iuſtitia alijſque virtutibus deſtituebatur. Felix ille qui Deo, qua fieri poteſt, ſimilis eſt per virtutem

Non poſſidentem multa vocaueris
Rectè beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter vti
Duramque callet pauperiem pati
Peiuſque letho flagitium timet.

Conſonat dictis Horatius. Totum fortunæ Regnum, nec facit, nec inficit

cit beatitatem; Id solum bonum in quo virtus, cui nihil deest. Vlyssis socij non beantur bonis per Circem oblatis, sola sua virtute beatur Vlysses,

—— dicimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ
Nec iactare iugum vita didicere magistra

Quidquid boni extra virtutem est, non hominis est, sed belluæ, testabatur Iamblicus sapientissimè.

LEX OCTAVA.

NEC AVRO, NEC DIVITIIS, NEC HONORIBVS FIDENDVM.



VI auro, & opibus nimium fidunt, Euclíones & Philargyri dicuntur, Plutonis execranda, & miseranda mancipia. Plutonem ipsum effingunt Poetæ auri, & diuitiarum præsidem, sed simul Deum quemdam monstruosum & proditorem, nimirum velocem & cæcum, simul etiam oculatum & claudum. Cum ad viros improbos, vt eos opibus repleat, mittitur, velocissimè & cæco impetu fertur; cum ad bonos claudicat, adeoque rarò venit. Aurum & opes Cræsum ad rogum, Midam ad extremam famem, Policratem ad crucem perduxerunt. Neminem gemmæ & Indici maris conchæ beatum effecere. Nequeunt beatum facere, quæ sunt terræ ejectamenta, & irritamenta malorum. Diues & beatus est, qui opibus non adijcit, sed cupiditatibus detrahit, scribit egregiè Epicurus ad Pythocleam,

Alcibiadis fastum compressit Socrates, cum ipsum coegit in tabula orbis ambitum complectente suam minimam in Attica regione possessionem aspicere. Fiduciam nullam, aut superbiam potest ingerere quod fluxum est, incertum, & instabile:

Nempè dat, & quodcumque libet fortuna, rapitque,
Jrus & est subito qui modo Cræsus erat.

Minus æstimanda honoris felicitas, quæ iugiter in cursu est, quæ stationem non habet, quæ voluitur ad occasum. Qui gaudet hodie summo honorum priuilegio, cras dolet ignominioso eorundem spolio.

Regnabo, Regno, Regnaui, sum sine Regno, grammatico more mutationem eiusmodi velut per inflexionem versiculo complexus est quidam. Occidit tandem Cæsaris pompa, nec orbis regnator Alexander palmarem imperij sui sustinet ditionem.

Jma permutat leuis hora summis,
Quem dies vidit veniens Superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.

egre-

egregiè Seneca in Thyeste. Dant pœnas qui in honorum sublimitate positi sunt. Ita loquitur Iocasta ad Polynicem de Eteocle fratre

Ne metue, pœnas illa iam soluet graues,
Regnabit. Hæc est pœna.

Sceptra, & diademata tot inuoluuntur ærumnis.

Vt satius multò iam sit parere quietum,
Quam regere imperio, res velle, & regna tenere.

proh nunquam finienda pericula, dicebat Pompeius, cum de auctis sibi honoribus à Seneca certior fieret.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres; feriuntque summos fulmina montes,

LEX NONA.

VITÆ QVIES DIVITIARVM CONTEMPTV PARANDA.



EX auri abdicatione, & despicientia opum, quibus velut sarcina grauamur, assurgit homini vitæ tranquillitas & quies. Ethnici quoque, paupere, ac nudo philosophantes naturæ lumine hanc veritatem agnouere. Apuleius respondens criminationibus quod pauper esset, his pauperiem suam vehebat ad sydera. Paupertas phylosophiæ vernacula, paruo potens, æmula laudis, habitu secura, cultu simplex, consilio benè suadat, neminem superbia inflat, neminem impotentia deprauat, neminem tyrannide efferat. Prisca apud sæcula omnium ciuitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica. Apud Græcos in Aristide iusta, in Socrate sapiens, in Homero deserta. Etiam Romanis imperium à primordio fundauit.

Obiurgat Seneca amicum protrahentem studia literarum, vt prius vndè secutus in reliquam vitam esset à paupertate; nulla securitas sinè pauperie; etiam cum Classicum canit, secura est, & scit non se peti. Cupiditati nihil tutum, tranquillum nihil; paupertati omne. Pauperi nauiganti non perstrepunt portus, non inquieta sunt littora, non est infensa turba seruorum; sinè sarcina, sinè velo, sinè remigum transtris præsidiaria naue inanitatis suæ æquora trahat, æthera sinè plumis permeat, neque pennis ventum subornat. Quid paupere felicius, cui non vehiculis, non nauibus, non splendidis opus est domicilijs; cui non decoctoris perfidia, non raptoris iniuria, non temporum iniquitas metuenda est; Aliorum sudoribus atque vigilijs pascitur pauper, suo quantum lubet otio obutitur, Rogat liberè, negat impunè, & omnem exsolutiorem viuendi licentiam sibi vsurpat interritus. Nulla censoria

vere-

veretur supercilia, vbique considet lætus, vbique hilaris agit quæcumque libuerint, maiori quam Reges & Principes libertate. Duris temporibus & ingruentibus rerum discriminibus mæsti & muti tabescunt diuites, pauper solus cantabit, saltabit. Malo regnante Principe alij diffugient, errabuntque exilio, pauper solus arcem Tyranni libenter inuiset & veluti tyrannidis profligator in tyrannum ipsum insolescet.

—— ò quantum bonum est
Obstare nulli, carpere securas dapes,
Humi iacentem scelera non intrant Casam

apposite satis Seneca in Thyeste, quibus congruunt ea quoque, quæ protulit in Hippolyto.

Jupiter alto vicina petit,
Non capit vnquam magnos motus
Humilis tecti plebeia domus,
Circa Regna tonat.

Non vertitur vitio homini, quod pauper sit, sed potius virtuti, si spontè fiat pauper. Laudantur adhuc Fabritius, Scipio, Marius Curius, Attilius Regulus, Publicola, & Agricola. Non habuit tantam rem familiarem Philus quantam Lælius, nec Lælius quantam Scipio, nec Scipio quantam Crassus, quorum nullus eo laudatur, quod esset opulentior, sed quod nullo strepitu, modico cultu spretis libentius facultatibus ageret. Democritus prædia sua alienis pecoribus reliquit compascua, & fuit paupertate beatus. Diogenes paupertatis amore velut regni accola dolij.

LEX DECIMA.

RERUM VSUS VIRTUTE CORRIGENDUS.



ON est diues qui multum possidet, sed qui possessis vtitur benè. Ad hoc Syracusani ludum aperuere, quo pueri de recto solummodo rerum vsu imbuerentur. Proprium est proborum munus benè frui, improborum etiam acquirere; hoc cæca & impotens dispersit fortuna, illud ratio, & ingenium

—— proinde vt quisque fortuna vtitur
Ita præcellet, atque exinde Sapere eum omnes dicimus,

Ita Comicus in Pseudolo. In vsu rerum tenere modum seruare ordinem res difficilima & plusquam laboriosa est. In Midæ, Crassi, Cresi sinus velut fluentia opum flumina corriuarunt, at in vsu non tenuere modum, atque ea propter vulgatissimis objiciuntur probris. Vt benè hominibus sit ad vitam transigendam datæ sunt opes, & ad cultum vitæ honestæ, non ad contemptum

Viui-

Viuitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti

Ità prodigo nimis suppellectilis ornatui nefas est indulgere. Non sunt exornandæ ædes domesticæ, vt vel primam intuentium rapiant admirationem, vel nimiam spirent opulentiam. Stat domus (inquit Seneca) etiam si columnæ desint, statuæ, picturæ; & quidquid ars vlla laborauit luxuriæ. Aulæa pulchra sunt, licet in ipsis syluæ, feræ, arbores, volucres, venationes, & prælia non deprehendantur. Caius Ælius duo tantum argentea procula ad supremum vsque vitæ diem habuit, quibus ob virtutem emeritam deuicto Persatum Rege à Lucio Paulo donatus est. Per magnam suppellectilis parsimoniam in Cæsaris Augusti Palatio Suetonius describit. Eadem laude insignes memorantur Ptolemæus Lagi filius, Thebanus Epaminondas, alij plerique, de quibus cecinit Tibullus,

Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu,
Stabat inexigua ligneus æde Deus.

Velleius Paterculus improbat ea, quæ Corintho euersa, Romam euecta sunt, signa nimirum, tabulæ, simulacra & omnis generis suppellex, nam hæc luxuriam cum ornatu inuexerunt; & Sallustius corruptæ Romanæ Reipublicæ luxum, vel idcircò perstringit, quod essent domus & villæ in vrbium modum exornatæ.

Par cura adhibenda est in recto vestium vsu & ornatu, non enim est animus vestium mollitie dissoluendus. Vitandæ quidem in vestibus sordes, non tamen admittendæ delitiæ; Illæ seruilis animi sunt & abiecti, hæ prostituti & sordescentis. Malè dispensata vestium libertas hoc tempore in petulantiam, & arrogantiam erumpit, & quidquid adhuc est boni moris (inquit Seneca) extinguitur leuitate, & corporum politura. Idem Seneca fertur dixisse Neronis vxori, Indue te non propter te, sed propter honorem Imperij. Magna ingenia aliquem semper in veste neglectum ostendunt, & ideò laudatur Augustus apud Suetonium, quod veste non alia quam domestica vteretur.

).(



LEX

LEX XI.

NVLLA ANIMVS VINCENDVS PRESSVRA.

Vinci possunt mala quæcunque licet patientes grauissimè præmant. Morbus impedimentum corporis, non animi est

—— mens ægro in corpore sana est,

Quæ sapit.

Si graues sunt corporis dolores vel cruciatus, non diù feres (inquit Seneca) si leues, facilè aut tu illos feres, aut illi te auferent. Non molesta, sed ea molestè ferre dolorem patit. Ærumnarum nocte velut cæca fronte animus magis illustratur, non secus ac occidente Sole cælum pluribus splendentibus astris ocellatur. Vera bona quæ animi sunt, nemo potest auferre; mala quæ torquent, solus animus lenire potest, immo nec presentire.

Ludit ocellis fortuna; iactando nunc attollit, nunc deprimit; at semper submittit: quæ nos videtur erigere felicitas.

Heù me lætitiæ deiectum culmine ab alto

Tristitiæ excepit præceps, atque alta vorago.

Homo per virtutem nascitur cælo, at per fortunam patientiæ deuouetur. Semper aduersa atque diuexantia pati necesse est (licet in sinum totam vacuefaciat fortuna cornucopiam.) Pompeius & Darius siti affecti sunt, stillamque optauerunt, tot fluuiorum domini. Torpuit aliquando Alexander frigore, qui ferè fuit dominus solis. Beatum est (aiebat Diphilus) discere miserias, vt sustineas, & æquo animo feras. Sallustius quidam, qui Symplicij ætate vixit accensum carbonem nudo imponebat fæmori, & flatu ipse ignem excitabat, periculum de se facturus, quousque toleraret, cruciatumque animo vinceret.

Constantia Spartana non desperatio fuit, vt opinatus est ineptus Sybarita, sed firmata patiendi virtus, qua talem obtinuere palmam, vt ipsum mortis ineluctabile fatum, sponte occumbendo, efficerent voluntarium. Gladiatores & pugiles sine gestu plagas accipere malebant, quam ignominiosè declinare. Compendio quodam se à labore & supplicijs liberat, qui facilè tulit. Despectus non est, si despicientiam despicis, neque est hominis malum esse inhonorum, sed inhonestum, cum nunquam tolerantiæ virtus honoris & gloriæ dignitate destituatur

—— patientia cunctos

Hos superat casus, longo reuirescet in æuo

Gloria

fortassè censentur mala, carere potentia; at id bonum est cum sit necesse multos timeat, quem multi timent; esse sine dominatu, at dominatus magna domino seruitus est; externam nec libare felicitatem, at fel habet in ipso no-

mine optata felicitas. Vineat animus, & nullus erit malorum tortor, nulla quæ ipsum vincat animum pressura.

LEX XII.

FAVSTA ET ADVERSA ÆQVA LANCE LIBRANDA.

NVllum firmius siuè faustis siuè aduersis exundantib. repagulum constituitur in hominis vitæ decursu, quam æquanimitas. Bona & mala, quæ extranea sunt, eo quod extranea vanida sunt, & minimè curanda. Hac oratione Metrodorus sororem suā amisso optimæ indolis filio, dolore consternatam consolatur; nullibi perpetuum est, quod apud omnes diuturnioris more pertæsum, tantillum immoratur, aliò citò migraturum. Miser est homo, cum internis exturbatur bonis, quæ nulli externo incursui patent, nequaquam miser cū res patitur aut ammittit, quæ assiduo reflatu huc illuc abire dispiciuntur. Felicem tunc homo se nouit, cum bona & mala forinsecus aduentantia æquo animo suscipit; nosse etenim extraneis rebus pro libito frui, & abstinere Socraticum est.

Vigens est & sanè constans animus ille, qui nihil trepidat, cum scit se eo deueniſſe, vbi

Luctus & vltrices posuere cubilia curæ,
Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.

inuictiſſimus celebratur adhuc Agrippinus ille, quem tradit Epictetus talem fuiſſe virum, vt eius quod illi accideret mali scriberet encomium, cui cum iam pransuro superueniſſet, qui diceret (Nero te iam proscripsit) mira tranquillitate respondit; Ergo in Aricia prandium sumemus.

In hac vitæ fabula non laudatur qui hanc, illamuè honorificam exhibet personam, sed qui quamcunque sors dederit siuè abiectam, ac penè nudam inuictè sustinuerit. Etiam insolitum fortunæ flustrum suspectum est; tunc magis de fortuna diffidendum, cum suauiorem eius reflatum experimur; etiam oscula fortunæ velut tela feriunt, & in humanitatem grassantur. Cresus, Amasis, Policrates, alij quam plurimi testes sunt. Philippus Macedo cum tres optatiſſimos nuncios accepiſſet, de nato Alexandro filio, de quadrigarum victoria in olympicis, de Dardanis per Parmenionem ducem subactis dixit; At tu fortuna leui nos affice malo. Desipientis est in reb. perpetuò fluitantib. firmitatem sibi polliceri, sicut insipientiæ cumulus est irrito conatu abeuntem ventum cohibere. Beneuola ridensque fortuna alis suis citò prætereuolat, vt citiùs luctum relinquat, nec diù prosperis fulcimur rebus, vbi aduersorum tortores immaniter adstant, vt torqueant. Hæc animus cogitèt (inquit Seneca) ne fortunæ flectatur arbitrio, atque vt par Deo, nullis cedat, omnia vincat.

— non

———— non vlla laborum.
O virgo, noua mi facies inopinauè surgit:
Omnia percepi, atque mecum animo ante peregi.

LEX XIII.

ANIMVS AD FORTIA IVGITER EXCITANDVS.



Rebus terribilibus, & præsertim à terribilium extremo fortis animus sua capessit palmas, & triumphos. Nihil omnino metuere debet animus ille, cuius tanta dignitas est, tam altus quasi montis apex, & extrà omnem hostilis fortunæ iactum emineat. Quæcunque extrinsecus minirantur, arcem obsident, nimirum corpus, famam, opes, reliqua exposita iniurijs bona diripiunt; at nisi se animus dedat, inexpugnabilis est.

Achillem toto corpore inuulnerabilem præter exiguam pedis partem, & in ea sauciatum à Paride, aiunt occubuisse. Timor pedem ni exponat in animo, animus ipse impenettabilis est. Circa animum fortis tanquam æneo thoraci, aut adamantino scuto munitum, repulsa, & irrita decidunt tela. Palmata veste insignis fortunarum triumphator insignitur.

Quisquis composito serenus æuo
Fatum sub pedibus terit superbum,
Ac tuto positus loco
Infra se videt omnia

excelsus, & fortis animus nulla re nisi à se ipso lædi potest, neque alios timere debet veluti aduersantes manes, quam semet, suasque cupiditates, quarum nefarijs facibus persæpè infernos sibi succendit ignes, & furentes Acherontis prouocat, & obarmat manus.

Quos sibi fecit, vnusquisque suos patitur manes. Quem eiusmodi interna mala non lædunt, is nil habet, quod doleat, quod exhorrescat. Docent & ornant mala ipsa extranea fortem virum, & optima vitæ magistra malorum perpessio est; qua etiam sæuam minitantis fortunæ tyrannidem videt, & quæcunque terriculamenta, licet grauioribus personata malis derridet, & illudit, velut vertex Olympi supra nubes euectus vbi Serenati semper ridet aura diei.

Nec mors mala est forti, sed eius opinio; si non putetur mala tractabilis est, & quæ miseris est optabilis, fortibus est gloriosè quærenda. Fortium sunt pabula mortis pericula, eaque generosos spiritus creant in stadio, sicut contra marcescit in thalamo virtus, quæ amat pernoctare sub tecto.

Lampas cum extinguitur, clarius rutilat, ardoremque exaggerat, qui defendat à morte. Cùtis obduratur Agticolæ, cum cęli æstuante cane frontem reti-

net inter segetes. Sic fortis inter horrentes bellorum fragores, inter truces ac minaces gladios, inter ipsa mortis vestigia obambulat vegetior & viridior animatur ad triumphum; scit namque non esse bonum viuere, sed vel benè viuere, vel fortiter mori

Ergo mori discas ut rectè, viuere disce;
Vt discas rectè viuere, disce mori.

LEX XIV.

NVNQVAM A BONA SPE RECEDENDVM.



Bi affulget optatæ rei indipiscendæ credulitas, ibi assolet spes ex desiderijs erumpere. Eò collimans Speusippus bonam spem dixit esse futuri boni expectationem. Plato dixit in Philebo, nil magè hominum vitæ proficuum quam benè sperare, si enim cesset spei voluptas, vita illicò interit humana, quia pereunt agendi studia

Hæc facit, vt viuat fossor, atque compede vinctus,
Liberaque à ferro crura futura putet.

Stimulus dicitur cuiuscunque boni spes bona, quo non impellente omnia in omnibus iacerent, languerent. Bona spe & quidquid illustre suscipitur, & gloriosi assumuntur labores, & mala ipsa in bona commutantur; diciturque spes bona Triptolemi illius imago, qui vectus alatis Draconib. fruges in vniuersam dispersit terram, glandiumque vsum & esum mitioribus alimentis cômutauit. Bona lucri spe negotiator perамplos aggreditur quæstus; Nauclerus benè sperans traijcit maria; Ambitioni deuotus spe bonorum accedit ad tractandam Rempublicam; Spe coronarum Athleta sua subit certamina. Spe felicitatis studio honestatis incumbimus omnes, vt iure dixerit Charidemus, spem bonam esse catenam qua totus vincitur genus humanum.

Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddet ager:
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus
Spes etiam valida solatur compede victum
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Superis ipsis sacer est & charus bonæ spei affectus ea ratione qua homines ab ipsis omnia bona expectãt æquè ac peroptant; ideoq; dicta est spes à sapientibus aurora gaudij, lucifer felicitatis, libatio lætitiæ, prægustus voluptatis & quoddam Diuinorum experimentum. Etiam inter miserias præualet bonæ spei festiuitas & panis miserorum suaui expectatione conditur iuxta illud

Spes bona dat vires & gaudia.

Eaque fuit, quæ in Diocletiano, dum venaretur Aprum in Sylua, animum ere-

erexit ad culmen Imperij, anticipata soluens stipendia laboribus.

Non est tamen ità benè semper sperandum, vt in bona spe omnis vacuetur timor. Qui ad mortem ducuntur, non metuunt, quia nihil de vita sperant. (Desines timere, si sperare desieris) elegans est Hecatonis dictum apud Senecam. Pendeat spe opus est metuentis animus, sicut timore admittenda est, vt dicamur homines bonæ spei, à qua in omni humanæ vitæ euentu nefas est recedere.

LEX XV.

A BENE CÆPTIS RESILIRE NEFAS.

Nulla est operum corona, nullus cæptorum fructus si à benè cæptis retrò feramus pedem. Inchoantibus præmium promittitur, at perseuerantibus datur. Non est bonum, si bono firmitatem demas, sicut si terræ immobilitatem, Soli motum cursumque si tollas, essentiam tollis vtriusque. Nequaquam pro tempore florere potest bonum, in laudem perseuerantiæ splendido quodam elogio fatur maximus Tyrius. Aequè fœdum; ac turpe est à bene cæptis recedere, ac gloriosum & honestum ad ea accessisse.

Infeliciter operam locat in virtutem, (inquit Seneca) qui perseuerare prætermittit. Certum partæ virtutis indicium est in voluntate concepta perstare, nec omni vento rapi aut circumferri; Contra verò maximum malæ mentis indicium est fluctuatio in bono, & inter simulationem virtutum amoremque vitiorum assidua iactatio

——— habebat sæpè ducentos,
Sæpè decem seruos; modo reges, atque Tetrarchas
Omnia magna loquens.

sic minimè perstantem atque perseuerantem describit Horatius.

At magis pudendum quod in malo plerumque stabilitas est, non item in bono, cum tamen fluctuantis amor rei sit quoddam miseriæ robur. Amne deuolutus rapido inter fluctus totus pugnax, delabentis vndarum fluxu pariter fluens, si validam fixamque arborem offendat, illam apprehendit; vt in salute perseueret, idem agendum homini in rerum humanarum decursu; si quid stabile & firmum sit inter mobilia, erga id operosius debet esse homo.

Bonum quod stabile offertur radicibus actis, bonum est cui non desit perseuerantia. Præteruolant omnia in hoc mundano alueo, hosque pari voluntant, trahuntque fluore.

Celeri vides rotatu,
Rapidas dies meare,
Fragilisque membra mundi
Minui, perire, labi:
Fugit omne quod tenemus,
Neque fluxa habent recursum,
Cupidasque vana mentes
Spetie trahunt inani.

Venustè satis ad hanc rem D. Paulinus. Quis ergo turbine,& irrequieto procellæ fluctu iactatus, insulam si videat, non appellet? Naufragamur omnes fluctuantibus rebus, insula securitatis est in bono perseuerantia. Præter bonum in quo perstamus

Omnia prætereunt vt inanis in aere fumus.

Nihil in rebus humanis summum est, nisi infirmitas, nec maior infirmitas est, quam quæ firmiter infirma est. In bono igitur quod cæptum est, firmiter perstandum est, vt firma sit operi corona.

LEX XVI.

INTER PROBRA NON DIMITTENDUM ANIMI ROBUR.

EX irrogatis iniurijs solet animus patiens sibi coronam attexere, & triumphum occinere. Fuit id honoris meta philosophantib. Stoicis, licet opinati sint alij honestum esse ex philosophiæ præscripto iniuriam non tolerare,sed rependere;at hos velut errore deceptos irridemus. Quo operosior est inter iniurias patientia, eo illustrior decantatur, & ille qui dictus est,

Exemplum animi nimium patientis Vlysses
Iactatus biduo per duo lustra mari.

clarior sanè fuisset,si æquo tulisset animo iurgium ab eo illatum,à quo hospitio fuerat exceptus. Alexander Philippi filius, & Achilles Thetidis natus lōgè illustriores essent,ni facilè essent contumelijs commoti. Iniuriæ asperitas mitescit,robutq; animi augetur,si nulla læsio cogitetur iniuria, nam pati iniuriā & si sit pœnæ malum, vacat tamen culpa,quæ sola est homini probrosa.

Solis vis & lux(inquit Seneca) integra est etiā inter opposita,& id aduersus virtutē possunt iniuriæ,quod nebula aduersus Solem. Vicus naturæ est,qui iniurias non excipit ea qua par est animi celsitudine. Nō essent Phocion,Diogenes,& Cato,si ab hac lege per patientiam indicta aberrassent. Non est magnus animus quē incuruat iniuria. Contemptio contemptus regium planè est patientiæ subsidiū,& ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus.

Plus est quam ignominia mors ignominiosa, & tamen Socrates eo vultu,

quo

quo vicerat Tirannos carcerem intrauit, ignominiam ipsi carceri inuicto & honestissimo animo detracturus; Ideo iure vulgatum optimo, in sapientem iniuriam non cadere, vt tela à duro resiliunt, cum dolore cædentis solida feriuntur, ità nulla magnum animum iniuria ad sensum sui perducit. Animus patiens iurgantes æmulatores aut superat, aut lucratur; Idque nouit Solon Atheniensis cum despuentem tolerans, se excusaret (Piscatores inquit) vt gobium vnum capiant, patiuntur se maris aqua conspergi, & ego idem ferre non sustinebo, vt hominem capiam? In homines valet patientia, in fortunam præualet, & facit vt seruiat vel inuita virtutis; Neque honorarius dumtaxat patientis titulus, sed suos habet permagnos ad virtutem quæstus, etenim

Duris vt Ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in algido
Per damna per cædes ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.

verè feracissima fiunt iniuriarum tolerata damna, & ea qui patitur nouos patiendi spiritus ebibit, nouusque repuerascit uigor suis passionibus irriguus, ità ut de Sapiente iniurias patiente aptè satis dictum sit;

Non hydra secto corpore firmior.

LEX XVII.

NVLLVM TERRIBILE METVENDVM.

FOrtius humanæ imbecillitatis munimem in perpetua rerum iactatione constantia est, quæ animum in perpessione malorum obdurat. Quod non turbine glomeratur, non nubilo liuet, id constantia est, & animi robur, aiebat Tertullianus.

Quod nulla in Republica inter clades & exitia periclitatur, inter morbos non fatiscit, in exilio non exulat, in cæteris ærumnosis euentibus non flectitur, id Constantia à Platone & Plutarcho nominatur. Clypeus est hæc adamantinus, quem nulla, licet feriant, fodiunt spicula, vel penetrant. Beneficum Numen est, quod etiam ægrescente corpore, reliquis omnibus sæuientibus pressuris, reddit animum à doloribus immunem, immo corpus ipsum sensatione destitutum.

Ideo ex terribilibus nihil est constanti animo metuendum, immo omne constantia vincendum. Hac ignem Mutius, Crucem Regulus, Venenum Socrates, Exilium Rutilius, mortem ferro addactam Cato vicit intetritè. Hac Epicurus cum ægrotaret, nulla vnquam habuit de corporis affectione colloquia. Nihil est in rebus humanis, quod terribile sit, nisi terribilium pauor; leue est omne quod constantia ferre potest.

De-

Debilem facito manu,
Debilem pede coxa,
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes,
Vitam dum superest, bene est.
Hanc mihi vel acutam
Si das, sustineo Crucem

Erat votum Mæcenatis apud Senecam: Quibus iure subduntur à Tyrio. Fac laborare, torqueri, corrumpi corpus, præsit illi vegeta anima & robusta, facilè contemnet mala, facilè malis aliquid maius erit.

Insanus est ille in ærumnis luctus, quem robur animi cohibere potest, insanus dolor, cui mederi per constantiam suppetit. Damnatur Octauia apud Senecam ea propter, quod tanto luctu filium Marcellum sit proseq uuta, vt nullum per omne vitæ tempus flendi ac gemendi finem faceret. Muliebris pompa est frequens dolendi apparatus, in quo legimus quamplures insaniuisse, & Mænadum ritu vulsisse crinem, cruentasse carnes, & nudatis indecore membris medio forò volitasse; Nec facilè est inuenire Liuias vel matres Lacenas, quæ aut filiorum funera moderatione prosequantur, aut mortem eorundem gloriosè susceptam constanter excipiant de sola mortis honestate sollicitæ. Malum id quod terribilia metuenda facit, imbecillo solum pectori est adnectendum.

LEX XVIII.

PER MAGNA MAGNÆ MENTI COGITATV VOLVENDA.



EST quoddam naturæ insitum decus, quod mens magna & excelsa permagna moliatur. Alexander Mameæ filius Seuerus in ætate nondum adulta, Augustus à Senatu salutatus magnũ se appellari noluit, cum nihil magni adhuc, aut egisset, aut cogitasset; magnanimi verò laudem admisit Publius Scipio, Ciuis, Senator, Imperator Romanus Clarissimus, qui a grandia iugiter meditabatur & agebat; Neq; magnanimi nomen vsurpauit Hercules, cum Meonijs famularetur puellis, & monstra vincenda exhorresceret.

Sit magnanimus magnorum semper studiosus & cupidus, sciatque ad se spectare quidquid præclari excellentis & maximi in vitæ muneribus inest.

Stude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo

ad magnanimum Eneam occinebat ille. Res paruas despicere magnanimi animi semper fuit (aiebat Cæsar,) nihilque viliùs, ac cœnosius, quam in rebus exiguis magnum animum volutari. Agesilaus Rex ideò regijs & imperatorijs laudi-

laudibus memoratur abundè clarus, quod quadam animi celsitudine semper excelsa molitetur.

Semperque magno constitit nasci Deum

dictum est Herculis apud Senecam.

At est etiam quoddam magnanimitatis genus, sæuientis fortunæ ictus & procellas videre, honores ipsos quandoque aspernari, id maximo docente Fabio, qui honorem triumphi egregijs comparatum victorijs maiori se ipso animo respuit. Nec fumo perire, nec fumum vendere magnanimum decet, nec viribus imparia capessere fas est, licet quæ suscipiuntur permagna sint, id namque desipientis potiùs quam viri magnanimi munus est

Magna petis Phaeton, & quæ non viribus istis
Munera conueniant.

prudentis est in filium obiurgatio patris. Quod, magnanimus sit prudens, & sapiens, grauis non superbus, mitis non sæuus, de suo conferens, non alienum eripiens, tutator bonorum, hostis impiorum; Dotes sunt animum humanum veræ magnanimitati copulantes. Quod Pado in Italia, Danubio in Germania, ingentibusque plerisque fluminibus vsu venit, vti complures simul amnes confluant ad eorum constituendam magnitudinem, vsu venit etiam constituendæ magnanimitati: beneficus Iustitiæ cultor, Temperantiæ & fortitudinis sectator, prudentiæ summopere studiosus (ait Cicero) debet esse magnanimus vir, debetque ita magna moliri, vt omnium illustriorum virtutum partes assequatur.

LEX XIX.

MAGNIFICE AGENDVM, SIMVL ET HONESTE.

POtiorem magnanimitatis partem occupat magnificentia, qua licet in magnis præsertim soleat versari sumptibus, alia tamen opera animi magnitudini respondentia dicitur expostulare. Magnificè æque ac magnanimo viro studendum, vt ea quæ peraguntur, visentes in admirationem capiant & pertrahant in stuporem.

Non est tamen eadem omnibus magnificè agendi regula, neque in omnibus honestas magnificentiæ copulatur. Ordo seruandus est, vt sumptuosa magnitudo cum dignitate iungatur, ità vt dignitas operis personæ dignitatem respiciat. Non tulit magnificentiæ laudem Licinius ille tonsor, qui ditissimus effectus regium sibi construxit sepulchrum, cum nihil indignius ætas illa iudicarit, quam ignobilissimum hominem iacere tam regiè.

In marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato Paruo,
Pompeius nullo, Credimus esse Deos?

Soli

Soli Cæſari licet pontinam exſiccare paludem, ſoli Claudio Imperatori Fucinum lacum emmittere, triginta hominum millibus in eo opere adhibitis. Diruit Villam Iulius Cæſar, licet magnis ſumptibus exædificatam, quia non erat animo par: & Pericles Athenienſis plurimis & excelſis ædificijs magnifici nomen inſcripſit. Ità res aptandæ perſonæ, quæ magnificentiam affectant, ipſarumq; rerum ornatus, amplitudo, præſtantia, perennitas, quæ populos in admirationem vocent & oblectent, magnificè agentem deprædicant. Aurelianus Auguſtus, cuius dictum peruulgatum circumfertur (populo Romano ſaturo nihil eſſe lętius) tunicas albas manicatas in magnificentiæ oſtentationem ipſi populo dedit ſponte ad illas occurrenti. Alexander Macedo eadem de cauſa nouem millibus Macedonum ad conuiuium vocatis, ſingulos aurea phiala donauit.

Nullum tamen ſanè diciturmagnificentiæ opus, quod ab honeſtate recedat; Propterea inhoneſtus potius quam magnificus dictus eſt Nero Domitius Auguſtus, qui impuriſſimum ſpectaculum comentus, effodit lacum triremeſque deduxit, quas nocturno tempore ad incenſos cereos remis agerent nudæ mulieres, fuit pretium potius fœdi animi dignum quam magnificentiæ corona illa talenti, qua Alexander Macedo Promachum bibaciſſimum hominem donauit in vini certamine victorem. Liburnicæ naues gemmatis puppibus ornatæ; Rupes altiſſimæ duriſſimi ſilicis ſummis impendijs exciſę; montes ad planum vſque ſubuerſi, campi terræ aggeſtione montium iugis ęquati; moles iactæ profundo & æſtuoſo mari, idque genus plurima ab honeſtatis metro aberrantia fuere magnificentiæ monſtra, & non opificia, vbi nulla fuit illuſtrans honeſtas.

LEX XX.

EXTRA TECTA ANIMO APRICANDVM.



IDEM eſt apud Pythagoreos extrà tecta apricari animo, ac primogenio quodam ſimplicitatis ſenſu intimam cordis pandere nuditatem. Simplex eſt etiam apud metaphyſicos, quod cōpoſitione caret, quod ſcilicet plurà non conſtituunt. Inde ducta etiam ſimplicitas morum, quæ nec commixtionem patitur, nec multiplicitatem.

Simplex vocatur quiſquis ad malum eſt piger,
Verſatus autem moribus quiſquis duplex.

Vir non effuſus in multa, is mentis candorem, operumque ſimplicitatem oſtentat; ità ſimplicem deſcribit Nazianzenus. Sine hoc hominum cætu non benè ſtat conuictus humanus; ſine ſimplicitatis virtute, ruunt velut amiſſa baſi virtutes cæteræ. Laudat Ennodius Barbaram quamdam, Romani florem

florem ingenij, quæ testimonio vultus patefaceret sanguinis simul, & animi lucem, in qua inuenirent omnes & verecundam seueritatem, & sermonem prudenti simplicitate conditum, ità nimirum, vt nec duro lingua vigesceret affatu, nec operis rigor suaue deuenustaret alloquium, ita vt in naturam trāseunte omni honestatis, & veritatis lege, vel si mentiri vellet, non posset errare; ità denique vt semper sonaret pudicam lingua dulcedinem, vt nunquā mentis nubilum tecto sereni sermonis operiretur, vt quod esset pectoris, semper esset etiam loquelæ.

Ideò ad hanc virtutem frequens erat Pythagoræorum suadela apud Antoninum, qui manè Cœlum Stellis ornatum iubebant aspicere, vt astris nullum esse velamentum deprehendentes nudam & in agendo, & in loquendo profiterentur simplicitatem. Animus se ipsum infuscat, & contumelia afficit turpi, dum aliquid fictè & simulatè proponit; primusque turpitudinis ictus primo parenti mendacij vulnere inflictus est, quo conuictum humanum vitiosa temerans simulatione, se ipsum primo violauit. Irrogatæ à se ipso labis expers est, qui simplicitatis est tenax; idemque veritatis & lucis dicitur filius; Niueis induta coloribus profertur veritas in imagine Amphiarai apud Philostratum, & candor, qui est simplex color, rei simplicis amictus est.

Ob id odium indicit adamanti veritatem simulata simplicitas, & honestatem violat implexæ loquutionis mysterium aptatum fraudi. Dicat aliquis (inquit Chrysostomus) nonne & prudentia opus est? at quid aliud est prudentia, quam denudata simplicitas? Subdolus licet sit versatus, veræ tamen prudentiæ bona Versutia disperdit. Implexa loquutio, fictumque opus rarò sano mentis consilio famulatur, cum desit mentis candor, qui facem prudentiæ præfert. In præceps abit, qui per tenebras pergit ad lucem, malumque agit, qui lucem odit.

LEX XXI.

LINGVA SIT COMIS NON ASSENTATRIX.



Linguæ comitas quoddam Eutrapeliæ genus est, quod inter congressiones & conuictus humanos solet obuersari. Debetur maximè sociali vitæ huius virtutis vsus; qui plurium vitiorum occinitur triumphus; atque huius comitatis characterismum illa Ausonij de Nepotiano Grammatico indicant.

Facete comis, animo iuuenalis Senex,
Cui felle nullo, melle multo vnus madens
Æuum per omne nil amari mistum
Medela nostri Nepotiane pectoris, &c.

Prædurnit hanc virtutem quædam animi hilaritas (inquit Sidonius) essetque barba-

barbarismus morum sermo iucundus, & animus afflictus. Rari sunt, qui prementes altum corde dolorem, mollibus verbis ementiantur internum vulnus. Micat inde præsertim comitatis splendor, si iurgia, itæ inurbanitates declinentur Vnum Verbum ex comitate prolatum pluris est, quam vniuersum inter homines aurum (aiebat Dio) Nihil insuauius, nihil onerosius aspero homine colloquente, aut conueniente.

Non laudatur tamen comitas illa loquendi, quæ solo placendi studio distinetur. Non comitas est, non affabilitas, sed assentatio, cuius natales ex animi pusillitate, atque ingenij ad nihil assurgentis emergunt. Aequæ aduersantur huic virtuti, qua miscetur vtile dulci, rustica aspetitas, & nimis blanda loquutio. Vtrumque, velut extremum medietatem tollit, in qua est virtus. Placere nimium, placere nihil sunt vitia æquè declinanda; placendum quantum par est, nunquam displicendum.

Cōmendat Epictetus apud Arrianum Socratis comitatem, qua nemini ablandiebatur immodicè, nemini etiam disputans excandescebat, nec vnquam malignū aliquid, aut iniurium proferebat; immò conuiciatores etiam sustinēs, pugnantium lites graui quadam hilaritate dirimere consueuerat, sicut de mediatore sapiente dictum est.

Hic citò certamen prudenti voce diremit.

Si quis nondum eò assurgere audet, vt rixosos, aut iurgiosos comitate cohibeat, perdiscat saltem illud numquam sibi reuellendum canonem traditum in Epistola ad Zenam, & Serenum apud Iustinam, ridiculos fieri, odioque aliorum obnoxios, qui quotidianis clamoribus pugnant, vt aliquid euincant. Quo vitio laborauere prisci Sophistæ, suorum libidinem rixandi, & contradicendi pruriginem, vel ipsi reprehendebant Ethnici, qui ideò sophistis animalium insociabilium nomen indixere. Erat labes hominum; vel superbia immodicè tumentium, vel rusticè enutritorum, eamque sola obliterat loquendi comitas.

LEX XXXII.

MENS NOTITIA SVI ILLVSTRANDA.



VT recta appetitus directio lucem mutuat à cognitione veri boni, sic animum fortunat triumphis intelligentia sui.

ò fortunatos nimium bona si sua Norint.

Planè maximum à Deo munus homini concessum, vt è malis sibi demetat bona, mala ipsa cogat in bonum cedere,

Si sibi fortuna sit faber ipse sua:

Sicque fiat, vt animi serenitas nec secundis, nec aduersis interturbetur. Hac luce

Nunquam ægrescit animus ille, qui se ipsum nouit, immo virtutes omnes ex se ipso cognitote, velut ex ærario depromit, vt scelera vincat, & expugnet; obsident animum mala benè cognoscentem, at non obtinent, & vbi animus per sui notitiam se ad se recepetit, statim obfirmato impetu varia curarum examina depellit, insolenti non agitur intemperie, non se effert aut gloriatur, fugacia refugit, lædentia auuersatur, exhorrescit inexplentia, fallacia deridet, & iugis est fortunæ hostis etiam cùm blanditur, & tandem in tutissimum, & tranquillissimum portum enatat, vbi

Miseris statio fidissima nautis.

Nil prodest homini scire stellarum vires, si postquam eas nouerit homo, seipsum ignoret. Notitia animi salus est, qua si fulciatur homo, non sæuit cupiditas, non insurgit ira, non in furias agitur furor; dumque benè se nouerit homo in præsentibus bonis nunquam gestiet, sed tremet, deprehenderque suas & gaudia curas habere, gaudiorum extrema luctum occupare, & denique vitam hanc miseram, quasi volatum esse, eam vectantibus pennis ceratis, viscatis, cæno compactis.

Discite que ò miseri & causas cognoscere rerum,
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus aut metæ; quam mollis flexus, & vnde,
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Vtile munus habet patria clarisque propinquis
Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
Iussit.

Disijcit falsas rerum opiniones quisquis se cogitat exemplati Deo factū, & Deum sine diuitijs felicem, sine voluptatibus beatum, sine fastu honorabilem, se solo contentum, sufficientem, lætum; & quemadmodum baubantes canes herus increpitans cogit silere, ita importunas, atque impotentes animi adpetentias mentis tranquillitatem obturbantes cognitio recta facillimè sedat, & virtutis ope, ac nisu statim repulsat.

LEX XXIII.

NON PRÆSENTIA SOLVM, SED LONGINQVA, ET VENTVRA PROSPECTANDA.



HVMANÆ prudentiæ subsidiaria quædam vis est prouidentia, visque dicitur odora, qua etiam euentus longè remoti sagacitet præsentiuntur. Vitio semper datum est, euentu subsecuro, qui prospici poterat, excusationem obtendere insano illo dicto (non putatam:) Seneca cum Fabium retulisset affirmantem turpissi-

mam eam esse Imperatori excusationem (non putaui) subdit, non Imperatori dumtaxat, sed homini cuicunque probrosum esse prospicientiæ defectũ. Magni ingenij est, pronunciat Tullius, præcipere cogitatione futura, & præuia mentis indagine constituere, quid in vita contingere possit. Etiam aduersa ventura si explorentur à longè, aut non aduentant, aut leuiora prouidentia facit.

Optimus ille, potest qui ex se cognoscere cuncta.

Quales anteriorum temporum res gestæ cogitantur, tales fortasse erunt res gerendæ. Ante euentus rerum ictusque fortunæ prouidentia est opus, vt facilius opera pottemus. Turbat repentinum vulnus, occupat improuisus dolor, nulla præuisione mollitus. Hæc sapientis tessera, præmeditari cuncta. Fatorum præmeditatio Demetrium impulit, vt malorum opinionem poneret. Nil nouum, aut subitum putabat Anthisthenes, quia sapiens prouisor. Thaletem prouisio ditauit vbertatis. Dolores ipsos minus dolere præuia meditatio cogit.

Anaxagoræ factum doctrinam probat, nuntiata filij morte, prouideram (inquit) me genuisse mortalem, nec ideo contraxit frontem, aut madefecit genas, eademque prospicientia aduersus liberorum fata loricauit Periclem. Præcox operis maturatio bonæ sortis pignus est, fortunæ interpres, immo dominatrix.

At ad prospectanda futura iuuat non modicè præteritorum memoria, qua mens ità illustratur, vt ex ante actis discat agenda. Id est in rerum cognitione maximopere salubre & frugiferum, (inquit Liuius) quo exemplorum documenta in illustribus exposita monumentis intueamur, vt inde nobis, & Reipublicæ, quod imitemur facilè capiamus, & quid de futuro sit cogitandum, à præterito erudiamur. Ad hoc Leonem filium sæpius horratus est Basilius Imperator pater. Hæcque est germana ratio cur Iuuenes, tametsi alijs dotibus plerumque superent senes, prouidentia tamen eos non æquent. Canities, quã multæ experientiæ florem nominat Clemens Alexandrinus, nondum præstitit Iuuenes præteritorum expertos, ac propterea minus futurorum prouidentes.

Seris venit vsus ab annis

Canit Ouidius.

L E X X X I V.

INNOCENTIÆ VIA IVGI TERENDA GRESSV.

ANimi affectio in nulla re nocens dicitur à Tullio hominis innocentia, corpus, famam, vitam pro uiribus tueri, hisque rebus illatam iniuriam propulsare, innocentiæ officium est. Hæc magnum est in singulis pericu-

periculis præsidium, sæuum mare inuoluitur procellis spumante fluctuum impetu, latera nauigij diuelluntur, mortem præbent quæcunque temporis momenta & tamen ibi tuta cernitur Innocentia. Euagoras Rex Cyprius, Epaminondas Thebanus, Martæ maior Africanus Innocentiæ nomen vitæ gestis illustrarunt.

At ad festiuam, & innocentem animi pacem magnum pondus rectæ actiones sunt toto vitæ decursu prodeuntes; neque est omnis innocentiæ laus aut sine crimine esse, aut nihil pœnitendum agere, sed omni tempore bene agere erga omnes. Etiam exigua macula deturpat hanc Attalicam vestem, & eadē vitæ candore prætiosa næuo vilescit & fœdatur. Mus Armenius suæ pellis cādorem seruat intemeratum, etiam cum discrimine vitæ: Opifex est excellens innocentia, qui satagit, vt formandum opus nullius pateat censuræ aut obiurgationi. Ipsa illa omnipotens manus genitrix hominis elaboratione sua humanam formationem honorans, ad imaginem Diuinam solum innocentem condidit, cui soli nec error, nec casus fauet, quamdiu innocens perseuerat. Phidias cum Pisæum simulachrum fabricasset, oleum circumpedes effundi iussit, vt ipsum immortale conseruaret. Supremus opifex ab initio pedes imaginis suæ innocentia velut oleo ad æternitatem firmauit, vt factitius Deus euaderet misellus homo per innocentiam; ex quo forte Pythagoras innocentiæ meritum, quo potest insigniri homo Deificum appellauit, illiusque studiosos dixit mortales Deos. Inde ortum duxit antiquus ille ardor primo coætaneus homini, cum voluit esse sicut Deus. Errauit Adam in modo non in appetitu cum esset innocens. Eo patrimonio similitudinis suæ donauerat Deus hominem, vt in Filium ipsius dexteræ Diuinæ adoptaretur.

O felix animal nimium cui dextrà Tonantis
Est pater.

Vt Chalybem magnes, sic diuinitatem trahit innocentia. Vestalis Virgo in adytis templi innocentiæ. Flammam ad incendium iuge denutriens dicta est diuinorum Sacrarium. Deo fœnerat, nec funerat animum, qui innocens est, qui sine crimine viuit, & nemo securior incedit, quam qui viam innocentiæ terit.

LEX XXV.

AFFECTANDVS IN VITA SOLVS HONESTATIS SPLENDOR.



ARbos diuinis irrigata fluentis, patulis comascens apricantis gloriæ ramis dicitur honestas vitæ, cuius sub vmbra neminem videas agentem prauè, vana aut inutilia venantem neminem intuearis vitijs alimenta parantem, rapidis cupiditatum ventis iactatum, irrequieto curarum æstu fluctuantem, fugaces honores insolentia potiùs

& rapina, quam merito præripientem; vbi sanè de hominibus ab honestate desciscentibus non occineret Lucretius.

O miseras hominum mentes, ò pectora cæca
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur, &c.

Mira arbos honestas est, (inquit Philo doctissimus) quæ nō reliquarum more plantarum rugoso trunco, frondosis brachijs, odoris floribus, vescis fructibus interstinguitur & variatur, sed ab internis radicum fibris quanta est, tota fructus est, ejusque germina quæcunque in animi vtilitatem, & vitæ fructum abeunt.

Crebra sunt etiam aliorum sapientum præconia, quibus attollitur honestas vitæ. Antipater Stoicus in testem vocato Clemente Alexandrino eam pulchritudinem dicit totum hominem expolientem, & facilè beantem. Seneca egregius morum censor ea protulit in laudem honestatis: etiam post mortem superstes est viri probi claritas nusquam intermorientibus exemplis, quę viuens ediderit; Ereptus oculis licet si honestus vir, tamen

——multa viri virtus, multusque recursat
Gentis honos.

Quod etiam Homerus describit in Vlysse è naufragio enatante.

Contra vitiosorū nomen citò putrescit, & cita ac ęterna obruit obliuio, nec eorum manent præconia (vt inquit Tacitus in Agricolæ vita) in forma mentis æterna, perennante in animis hominum, in temporum æternitate. Elegantissima illa species est honestas vitæ, quæ viua semper & florens, nullo situ, nullis rugis, nullo sæculorum lapsu temeratur; quæ nos pares quodammodo Deo facit, Heraclito ipso annuente, dum ait, Hominem, cui cohabitat honestas, Deo persimilem esse, hominesque per honestatem Deos fieri. Nec vtcunque tantum assimilari, sed diuinæ etiam pretia genituræ capessere docent illa, Diogenis ad Alexandrum Ioue patre gloriantem, si fueris modestus, & fortis, Iouisque regiam didiceris artem, nil prohibet te Iouis esse filium. A Dijs nitela hæc atque supremus splendor accersitur; idque ait Epictetus, quoniam Dij natura puri, & sine labe viuendi.

Non sit igitur vllus, qui honestatem prosequi desinat in vita. Omnes vtcunq; honestatis splendorem prospectantes, accurrant illò, nec confragosum iter, licet sentibus obsitum Herculis imitatione assumere pertimescant.



LEX

LEX XXVI.

NON ÆGRE' PARENDVM VBI IVRE IMPERATVR.

NON est ductum obedientiæ nomen à seruiendo, seu à seruitute. Antiquior est obedientia, etiam primis parentibus ad dominatum conditis, indicta; qui eo serui facti sunt, quod legi nō parentes, supremi dominantis iugum detrectarunt. Saturno Rege nemo seruiebat in Latio non nemo erat, qui non obediret. Hodie quoque neque in Emilia, neque in Transpadanis seruum inuenies, sed plures alienis obtemperantes mandatis. Non læditur libertas humana, quod alteri pareat & subdatur; tametsi liberi nati simus, & excellentioribus cum libertate paremus, & libertatis munere tum maximè fruitur homo, quum maximè paret (est sententia Senecæ in libro de Clementia.) Id natura comparatum est, vt in omni multitudine, quæ in vnum corpus confluxit, sit vnum aliquid, quod cunctis præsit, reliqua famulentur, & obediant vni. Ob id Romani, Athenienses, & Thebani ab initio Reges habuere, quibus paruerunt; subdit Tullius reliquas etiam gentes omnes vni paruisse. Sic primum Imperantem describit Virgilius

Primus ab æthereo venit Saturnus Olimpo
Arma Iouis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, & dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit.

Legum & Regum serui sumus, vt liberi esse possimus, aiebat Sapiens ille Cretensis; sunt namque leges & reges imperantes nostræ libertatis propulsatores. Qui contemptis legibus contra ius fasque grassatur, is seruilis habendus non libertatis possessor; tueri & seruare iura vera libertas est, pax vera, & quies Reipublicæ;

Aureaque vt perhibent illo sub Rege fuere
Secula, sic placida populos in pace regebat.

Amplissima est obedientiæ virtus, eiusque vis tanta, vt sine ipsa nec stare hominum societas, queat, aut coniunctio vlla. Natura ipsa iubet hominum cœtus colere, in quibus sit ordo infimi, & supremi, ne sine fræno soluta errent, vt bellua. Elementorum compages, Cœli atque Stellarum inerrantium cursus, & motus varij, nisi suis pateat legibus, constare sibi nequaquam possunt. Frequens est etiam apud Ethnicos obedientiæ laus non cunctantis, aut procrastinantis, sed promptæ & expeditæ. Chrysantas apud Xenophontem & apud Arrianum eo celebratur, quod exerto in hostem gladio, audiens tubacani receptui, sese continuerit, & inultus abire maluerit, quam mandatum Imperatoris tantisper protelare. Sine mora iustè imperanti parendum.

LEX XXVII.

PIETATIS MVNERA MVTVO EXERCENDA.



NEctuntur inuicem Pietatis & Religionis officia; hæc diuino dicata cultui, illa parentum, cognatorum, amicorũ, & patriæ deuotioni. Pia auis apud Romanos dicta est Ciconia, quod Parentum reuerendorum membra non erubescat portare; eadem laude commendantur Pulli Aquilæ apud D. Paulinum carmine 13. ad Cytherium.

Vt pullus Aquilæ dicitur repascere
Cura parentes mutua.

Siculos Iuuenes extollit Seneca, quod Aetna in vrbes, in agros, in magnam insulæ partem incendia effundente, parentes humeris aliò conuexerint. Vbiq; locorum, vbiuis gentium pietatis officijs parentibus litandum est, nec vllo admoto impietatis ariete, quo sæpè quasi labare solet infirmior liberorum natio, ab hac lege deflectendum, ab hoc munere declinandum. Ipsi quoque parentes pij sint erga natos, neque nimium morosi; difficilius enim est (inquit Socrates) quãdoq; parẽtis importuni morositatẽ sustinere, quã ferri immanitatẽ.

Et tamen inditus à natura parentum principatus in prolem, illique principatui prolis responsura subiectio; quandoquidem proles est parentis opificium, & nihil naturæ congruentius est, quam vt opus opifici subiaceat. Nati à debito subiectionis erga parentes aberrantes indignissimi viuentes sunt, (ait Lucretius) immo dignissimi qui exitialibus agitentur furijs.

——— Numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inuenti sunt,
Significare volunt indignos esse putandos.
Viuam progeniem, qui in oras luminis edant.

Ad verticem totius impietatis progrediuntur, qui parentum neglectu se impiant, clamante Cassiodoro voce Theodorici Regis in quemdam Romulũ, qui patri manus iniecisse dicebatur, vbi est illa naturæ vis, quæ amplexu copulæ destinatur ad posteros? ferarum catuli sequuntur parentes: à cespite suo virgulta non discrepant; propago vitis propriç seruit origini; & discrepat homo à suo fusus initio? Messagetæ, Thebareni, Hircani, Caspij, Scythæ, & Bactriani ea inuruntur nota, quod in parentes & cognatos carnifices sint.

At his monstrosis in sanguinem suum grassatoribus prætermissis, plorãda nobis dumtaxat est quotidiana nostri generis infelicitas, qua experimur omnia pietatis officia inter parentes & natos, cognatos, & familiares omnino exulare. Caueant ab hac impietate (inquit Plutarchus) qui vitam volunt inter humana consortia transigere.

LEX XXVIII.

FIDELITATIS IVRA SERVANDA.



Actorum veritas fidei nomine plerumque veniens fidelitas est multiplici Sapientiorum elogio concelebrata. Virum fidelem omni auro & argento meliorem pronunciat Plato, aitque sine omnium virtutum satellitio fidem perstare non posse, præsertim si turbo ingruat, aut perfidiæ procella. Sanctissimum humani pectoris bonum fidelitatem appellat Seneca, quod nulla vi expugnari, nullo pretio corrumpi potest; cunctis laudibus pretiosior fides est humana, quam Diuina ipsa diligunt, & terrestria venerantur, vt splendide satis Cassiodorus testatur

Fœdera mortales ne sæuo rumpite ferro,
Sed castam seruate fidem ; fulgentibus ostra
Hæc potior regnis.

Regium semper & nobile habitum est à fide non deflectere, nec à promissis sponte aut ex æquitate erogatis. Ignobile contrà, fedum plebeium, nec tam virile, quam muliebre & puerile à fide data recedere. Ludit in Normannos Petrus Blesensis epistola quadam, eosque deludit, cum ait (estis sicut Dominus Rex, habetis vestrum dictum, & dedictum) Principem virum nil magis dedecere, quam datæ fractionem fidei, fatentur Saniores politici. Princeps cęteris arctius adstringitur ad seruandam fidem, ne in plebeium, ac vilem hominem degeneret.

Nunc in hominibus nec promittendi modus est, nec promissi frangendi pudor vllus, de suis temporibus loquebatur Petrarcha; ætate nostra fides omnis confunditur.

——— At nunc qui fœdera rumpit
Ditatur, qui seruat eget.

Aeuo item suo Dio Chrysostomus demiratus est summam hominum infidelitatem, quo satius esset cum nemine pacisci, quam alienis promissionibus fidere. Aureo orationis flumine fertur alter Chrysostomus in detestandam immanitatem Numetiani Imperatoris, qui pactus cum Principe Barbaro pacem, eius filio in amicitiæ obsidem accepto, crudelissimè fudit innocuum sanguinem vt rabiem suam expleret inimici ludibrio; Scelestissimum omninò fenbisfuit contra fidem datam, & consertas dextras pignus beneuolentiæ, bono & simplici animo commissum crudeliter perdere subdolo Sacramento; debebat illud belluinæ feritatis monstrum agnoscere id quod de Fabritio alia ex causa protulit Seneca, esse aliquid etiam in hostem nefas. Etiam hostibus datam fidem seruandam ostendit singulare illud exemplum Matci Atilij Reguli,

guli, qui licet præſcius ſuppliciorum à Carthaginenſibus inferendorum, obligata ad reditum fide, redijt nihilominus, & fidem datam hoſtibus ipſa ſalute cariorem habuit.

Præcipuus fidelitatis decor is eſt, quo integra ſeruatur obligationis honeſtas. Ex quo decore conſpicuam ſe præbet fœditas promiſſionis infractæ. Infractio datæ fidei turpis eſt reuocatio iuris alieni, quam ideò profiteri ſummum nefas.

LEX XXIX.

PROBITATIS EXEMPLA EXHIBENDA, ET EXCIPIENDA.



O conſilio qualibet ætate à Deo ſupremo molitore prouiſum eſt hominibus de vitæ probitate, vt ad capeſſendam virtutem inſignia quædam exempla non deeſſent. Nulla res magis animos honeſtate induit, & in prauum declinantes reuocat ad rectum, quam boni viri conſortium, & exemplum. Longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet, & vitæ exempla non aduertiſſet. Plato Ariſtoteles, & omnis in diuerſum itura Sapientum turba plus è moribus, quam è verbis Socratis traxit. Metrodorum, Hermachum, & Polienum permagnos, & illuſtres viros, non ſcola Epicuri, ſed contubernium fecit.

Conſultiſſimum etiam fuit cuicunque Reipublicæ optimorum virorum exempla proponere vniuerſis ſpectanda. In Gymnicis certaminib. viſis Athletis coronatis plerique ſe exueunt, vt olea, vel lauro coronarentur. Virtus neutiquam rectipes eſset, adde claudicaret ſine rectitudine lineæ, ſuæ regulæ exemplaris. Ridendi ſunt qui, & vinum, & fæces ebibunt, amurcamque æquè, ac oleum de alienis factis imitatione exprimunt. Stultum eſt Ariſtotelis balbutiem imitari, Platonis gibboſitatem effingere; vitioſum in Alexandro Macedone colli obtorſionem æmulari. Non ſunt eiuſmodi exemplaria aut exhibenda aut excipienda, vt imitemur, ſed virtutum & morum; qui vitis probis attractu velut magnetico ad benè agendum impellunt.

——— *Inſueuit pater optimus hoc me,*
Vt fugerem exemplis vitiorum quæque notando.

de ipſo canit Horatius. Vitijs mancipati hominem, quo cum agunt, luti quo ſordent aſperſione inficiunt, ità virtutum decore colluſtrati benè ſuadent viuere, facemque præferunt ad probitatem. Vna felicitas eſt bona vita aut in nobis, aut nobis exhibita in exemplum, quod perſequamur, atque prodeſt ſemper conſuetudo, quæ cum viris intercedit bonis, aut ab ipſis obtingit nobis.

Exem-

Exemplum mali illicò malum facit, exemplum boni bonum, eo tamen discrimine inquit Iuuenalis

Sic natura, iubet velocius citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos authoribus.

LEX XXX.

NEMINI OBLITERANDA BENEFICII MEMORIA.



IVgis & inoccidua debet esse in obstricto beneficij memoratio, cum quædam iustitiæ lex sit, reddere debitum obstringenti. Nil magis præstandum est homini bonis officijs cumulato, quam receptorum meminisse. Solus ab hac lege immunis Deus, qui gratus esse nemini potest. Gratitudo subiectio quædam alteri est, quæ nullatenus potest in Deum concidere. Quis glorietur se Deo beneficium contulisse, quod esset res indebita Deo? nemo sanè; gratus igitur solus homo in Deum, & hominem esse potest. Modus est tantum loquendi, quo vtitur Virgilius cum Deos inuocat, & precatur, vt dignas benè merenti persoluant grates.

Dij (si qua est cælo pietas quæ talia curet)
Persoluant grates dignas, & præmia reddant
Debita,

Est turpis beneficij interitus inter homines pro virili non rependere. Socrates Perdiccæ quærenti, cur non ad ipsum veniret, respondit, ne turpissimo peream interitu, ne scilicet affectus beneficio, beneficium reddere non valeam. Plautus in Persa & in Trinummo, quamuis scurrilis homo, honestissimum tamen præceptum tradit; Beneficium qui scit sumere, & reddere nescit, improbus est. Arctat nos ad retributionem dati accepta largitio, & saltem ingrati animi labes aboletur si gratiarum actio sit in promptu pro re accepta soluenda. Satis reddidit Furnius Augusto Cæsari, cum venia impetrata dixit; effecisti Cæsar, vt viuerem, & morerer ingratus.

Vitium est tumentibus animis admodum frequens pensa pro beneficijs quoquo modo non soluere, qui cum plumbeas iras gerant (vt ait Comicus) leuiorem tamen pluma gratiam non habent, quam reddant. Adeo tetrum est ingrati animi scelus, vt nuspiam (testante Seneca) sit huic vitio pœna constituta, nisi apud Macedonas & Persas, probrum & supplicium sibi ipsi est ingratus homo,

Nil homine terra peius ingrato gerit.

dictum est Menandri apud Ausonium. Contrà nil melius homine qui beneficiorum sit memor. Bonum & pulchrum sequuntur aut comitantur gratiæ, eaque

eaque de causa gratias ridentes facit Seneca, quia promerentium vultus hilares sunt; Iuuenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere, virgines quia incorruptæ, hoc est nulla adulterina excitatione temeratæ, aut temerandæ.

LEX XXXI.

FAS ET ÆQVVM VBIQVE TENENDVM.



Equitatis iura seruare suum est vnicuique tribuere. Lex est omnibus indicenda, singulis amplectenda. Neque Hesperus, neq; Lucifer adeo admirabilis est (inquit Aristoteles) vt Iustitia, quę virtutum præstantissima est, possessio pretiosissima, vinculum sine quo constare nequit hominum societas. Plato eam dixit animam quamdam Ciuitatis & totius Reipublicæ; omnium virtutum complexionem apellarunt alij. Fortitudinis fungitur vice, cum in acie locum tenet, non aufugere, non arma abijcere iubens ex æquo. Temperantia fit, cum adulterium, cum stupri illationem vetat. Mansuetudo dicitur, cum non vetbetare, non maledicere imperat imperantibus, & seruientibus imperio. Religio, pietas, obseruantia, liberalitas, gratitudo partes Iustitiæ sunt.

Ideo vult Iustus ea tantum, quæ optima sunt, aiebat Democritus. Idipsum est, quod præclarè de iusto Philemon canit.

——— Iustus est, malum
Qui facere licet potis, non vult tamen.

Epicuræum est etiam à malo, atque ab vtilitate iustitiæ originem recolere aut repetere. Non debent Iustitiæ iura tam praua natalitia ostentare, nec debet esse, vt canit Horatius.

Ipsa quoque vtilitas Iusti prope mater, & æqui.

à recto rationis benè imperantis regimine orta est iustitia, nimirum à sæculo illo, in quo natura insons cuicumque legi & iuri dominabatur, quo homines

——— Vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebant,
Pœna metusque aberant.

Ouidium imitatus Seneca, primi (inquit) mortalium, quique ex his geniti naturam incorrupti sequebantur, hanc solam virtutem habebant ducem & legem, qua

——— nec vincla minacia collo
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat.
Iudicis ora sui, sed erant sine Iudice tuti.

Nemo debet sine Iustitia viuere (ait Tacitus) vt benè viuat, essetque scelus plusquam immane affectare bona posthabita Iustitiæ lege. Suspicatur iniustus atque

atque iniquus homo de amicis, de inimicis, de consanguineis, de filijs ipsis; indeque cædes innocentium, bonorum calumniæ, sapientum insequutiones. Nec Iouis si iniustus esset, tutus, bonus, aut sapiens esset, testis est Plautus.

LEX XXXII.

PRÆSERTIM IMPERIA IVSTITIA REGENDA.

Non vi, aut metu solidantur Respublicæ, sed muneribus iustitiæ summa æquitate peractis. Eadem firmantur Principum Imperia aliunde collabentia, sine qua nec Iouis ipse (inquit Plutarchus) principatum tenere posset. Nec domus, nec Respublica stare potest, aiebat Cicero; si rectè factis præmia desint supplicia peccatis.

——Egregios inuitant præmia mores.
Crimina pœna tenet

Virtus amara atque aspera est præmia si tollas, nimia nequitiæ licentia est si nullum sit supplicium. Cæsar diuitem se putauit & iustum, cum multos fortes viros ob præmia collara diuites reddidisset, ignauosque quamplures ob delicta mulctasset.

Sint Mecænates, non deerunt Flacce Marones. Petronius Arbiter hoc eodem in Satyrico suo protulit sensu non esse mirandum, si etiam in Principum aulis pictura defecerit, cum omnibus Dijs hominibusque formosior videatur auri massa, quam quidque Apelles, Phydiasvè græculi delirantes fecere. Sidoniorum Respublica Regem petens ab Alexandro Macedone, Abdolominium quemdam obtinuit, licet inopia detentum, virtutis tamen & meritis eximium, alijs indignis corona prætermissis, licet potentiores essent. Sic bene reges regunt Imperia iustitiæ iura tuentes.

At potissimum incumbit Principi onus, vt ex legum præscripto in se ipso iustitiam seruet, nam longè aberrat à verò dictatum illud, Principem omnia posse; sat esse si velit. Nequit esse probus custos legis, qui viuit sine lege, nec iustè in reliquos exercere iudicia possunt, qui à iustitiæ statutis in seipsis deficiunt. Ideo Theodosius Cæsar non dedignatus sibi cum priuatis ius esse commune. Sunt iustitiæ leges repagula quædam, quibus firmatur & Principis Maiestas, & populorum subiectio. Id est, quo monentur Principes prius iustitiæ leges profiteri in se ipsis, quam in cęteris, & vbi vanescit hic cultus, cuncta in malum abire, ipsumque Principem malè trahi.

Cuncta prius tentanda, immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

LEX

LEX XXIII.

AMICO NIL PRETIOSIVS DVCENDVM.

Nil in rebus humanis, quæ perpetuo voluuntur decursu, firmius inuenitur, optabilius, & beatius amicitia vera, quæ virtus est; idque velut optimum insito à natura appetitu studiosè consectamur omnes. Accedere ad Iouem nemo potest (inquit Maximus Tyrius) nisi id in Ioue imitetur, ex quo salus, dilectio & paterna hominum cura dimanat, quod est Amicitia. Summa iucunditas est, summeque animum oblectans mutuus, & fidelis amor (aiebat Seneca) regiarumque virtutum pulcherrima, & sanctissima possessio.

Ea propter dicitur amicitia ad solum hominem esse, quod est sanctius cæteris animal atque perfectius; & splendidum est insaniæ genus ideo virtutem hanc sanctam brutalis amoris nomine temerare. Insanus Alexander, qui voluit Amicus equi nuncupari, cui tumulum in signum amoris erexit, vrbemque quam condiderat, eiusdem equi nomine appellauit. Insanus Caligula, qui Equum velocissimum, vt sibi supremum in Republica Amicum, Romanum consulem designauit. Neque ab eadem dementiæ nota abijt immunis Adrianus Imperator, cum inter venaticos canes, velut inter amicos quotidie protracta mora diuersaretur.

Non est tantæ virtutis Deus ad bruta pertrahendum, neq; ideò inter amicos fouendus brutalis amor. Citrà culpam amicitia sola honestate roboratur, & vbi improbitas emerserit, statim uera obrumpitur necessitudo, silentque amicitiæ iura. Lapsi sunt Tullius, & Theophrastus, qui pro amico, nec culpas esse refugiendas asseruere. Improborum amores uocat Plato animorum & Amicorum calamitates, atque eos tantum dicendos amicos (inquit Epictetus) qui iusti & fideles sunt. Inde adeo rara, & infrequens amicitia est, & à quo tempore sol toties defecit terna tantum Amicorum paria inuenta esse, testatur Dio Chrysostomus. Remeasse uerò in Cœlum amicitiam ea de causa ex Hesiodi Erigone fatetur Alciatus.

Is amicus est, qui constans in amore & perpetuus est.

omni tempore diligit Amicus (ait Salomon) & absunt ab Amicis quam longissimè, qui fortunam secundam non homines diligunt.

Nomen Amicitiæ si quatenus expedit, hæret,
Calculus in tabula mobile ducit opus;
Cum fortuna manet, vultum seruatis amici,
Cum cecidit turpi, vertitis ora fuga.

Eiusmodi amicos Tineis ab Anaxilla collatos scribit Athenæus, quod Assideant homini, quamdiù aliquid exhibet, quo vexantur; tandiù enim tineæ frumento insident. Suidas id genus amicitiæ vocat feruens, quod ferueat, quandiù feruet olla, viuit amicitia

Hunc

Hunc quem vina tibi, quem mensa parauit amicum
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Vinum amat, & Cyathos, & Sumina, & Ostrea non te,
Sublato vino nullus amicus erit.

Amicus est qui bonum virtutis diligit in amico, eiusdem ità ducitur studio ut nihil mali, aut vtilitatis affectet. Hoc amico nil pretiosius æstimandum.

LEX XXXIV.

ETIAM CVM HOSTE BENEVOLÈ AGENDVM.

BEneuolentiæ honestas pręsertim erga hostes affulget, atque ad eam homo ipsius naturæ lege satis obstringitur. Alteri præstes, quod tibi velis, vulgatissimum est naturæ præceptum; quod tantopere suspexit Alexander Imperator, vt referente Lampridio, illud quotidiè pronunciaret, atque in Palatio & publicis operibus proscribi iuberet. Nemo est qui non velit etiam ab hoste diligi, & ideo etiam hostes diligendi. Lycurgus beneuolus perhibetur erga illum, qui ipsi oculum extuderat. Zeno inimico dicenti; Disperearn, ni malum tibi dedero, retulit, & ego disperearn, ni te mihi conciliauero. Socratem tametsi admodum iracundum, nec rarò præ ira impotem sui ex beneuolentia erga inimicos commendatum accepimus. Magnus Antistenes ab audaci homine toto ore contusus atque comminutus, in fronte quasi in statua percussoris nomen sanguine inscripsit.

Profert Liuius sensum in hac parte priscorum Romanorum, qui primis lectisternijs, quæ in vrbe per octo dies facta sunt, cum inimicis quoque benignè, & comiter egisse referuntur, agnoscentes id homini ab homine debitum, & frustra hominem à Numine medelam præstolari, qui homini nocentem reseruet iram. Pythagoræi si quando inimici facti essent, priusquam Sol occumberet, mutua se ipsos excipiebant beneuolentia, dexteras amplexi, & exosculati.

Si igitur etiam erga inimicos beneuoli adigimur esse, quantò potiùs ijs qui amici sunt, & nullas vnquam simultates exercuere nobiscum? fert id omnib. indita naturæ propensio, ut erga omnes, præsertim erga amicos beneuolentiam impendamus. Themistius Valentiniano, & Valenti concordiam gratulans, ea occasione ostendit omnes homines fratres esse, eumque qui fratrum amans sit, omnes homines beneuolentia prosequuturum. Omnes humanæ societatis membra sumus corporis magni (aiebat Seneca) & natura nos cognatos edidit ex ijsdem, & in eadem gignens:

Homo sum, humani nihil à me alienum puto,

aiebat quidam cum suo hoste beneuolus.

Non est tamen beneuolentia simulatione exhibenda; beneuolentiæ larua simulatio est non beneuoli amoris erogatio. Simulationem virus amoris appellat Galba apud Tacitum, dum enim beneuolentiam externa specie studiosè ementitur, odium & necem latenter inducit. Bonum amato beneuolentia quærit, sicut malum semper cogitat, & machinatur simulatio. Beneuolus cum hoste vir magnanimus est, simulator vir plebeius, & vilis vileque naturæ furentis mancipium.

LEX XXXV.

IRAE FVROR MANSVETVDINE COHIBENDVS.

IRæ furorem breuem, & temporariam insaniam plerique dixere Sapientes, atque iratum ab insano non nisi tempore distare inter cæteros pronunciauit Cato. Æquè ira, & insania impotens sui est

Sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,
Aut scissa gaudens vadit discordia Palla.

Dira per iram facies expingitur. Animus verò mitis monstrosam iræ feritatem non admittit; Magni animi atque ad excelsa se attollentis pretium est mansuetudo, deiecti & muliebris iræ furor. Socrates excelsus inter iniurias, & contumeliosus neque mouebatur, neq; exprobantes audiebat aut intuebatur libente aurium, & oculorum clausura. Aiax minor Vlysse æstimatur, dum succenset danti arma Achillis Vlyssi,

—— liquit decor omnis iratum.

Nulli affectuum peior est vultus, nulla sordidior nota quam iræ. Non sic vento æquor turbante sæuit, grauesque fluctuum impetus terræ, mariq; appellit, ut viri anima infræni ira laborans. Speculum irato fit ira ipsa ut se noscat (ait Sextius) & speculo iratos curabat Zeno, sicut ebrios Plato. Ira dum expletur, non ponitur, nec cum impetuosiùs ardet, exusta materia detenuat incendium; quo magis deflagrat, incrementa capessit; quasi scintilla quæ fruticem syluæ leui priùs attactu gustauit, ipsomet sui animata feruore donec nemus combusserit, non mirescit.

Ideo tepidior iræ flamma cum excitari percipitur, statim est imbre lenitatis cohibenda, & extinguenda, ne post scintillam, totum euomat fornacis ardorem. Furor absque fræno vires acquirit eundo, & quà pergit sibi accumulat sattellitium. Breuis furor ira dicitur, sed tamen in breui ita furiatur iratus, ut dicatur per longum tempus insanire. Craterus Antigoni Regis frater, & Phlegon prodiderunt hominem quendam septennio dumtaxat natum, infantem, puerum, adolescentem, senem, maritum, patrem, defunctum, omnibus scilicet functum officijs humanitatis. Gigantes vulgus iactat à no-

ćte

&c in mane natos, adultos, viros, & Deorum inimicos; ità ira subito crescit, & gigantea euadit insania, & inter vitia Titan æmulus cęli. Hominem non agnosces, quem videbis iratum.

Ira tumens spumanti feruida rictu
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle.

ità eius furor occupat mentem, incendit oculos, mutat vultum, ligat linguam, tremulos quatit artus, pedib. supplodit, manus præmit, pectus tundit, labia mordet, vt hominem quem corripuit ira, nedũ extra hominẽ esse, sed arreptitium iudicares. Leniendus est igitur iræ furor mansuetudinem, & mititate.

LEX XXXVI.

CLEMENTIÆ POTIUS, QUAM SÆVITIAE FAVENDUM.


EO modò quo nitet mansuetudo in iræ repressione ad contumeliã, eodem prorsus fulgescit Clementia in remissione pœnæ ad flagitium. Vtrumque regium est (ait Seneca) sed magis Clementiæ officium. Satius est Iouem Clementem imitari, quàm mansuetum, aiebat Musonius cum disputaret, audiente Syriæ Rege. Hæc duo tamen æquę in principe bono fœderanda; mansuetudinem scilicet & Clementiam potestati commixtam animaduertit Chrysantas apud Xenofontem. Non oportet potestatem noxiam esse, sed ad naturæ legem compositam, eaque ex rege apum petenda est. Est quidem cum res fert, infligenda pœna, sed quadam sæuientis animi moderatione, remissiùs enim imperanti, meliùs paretur. Qui per barbaram inhumanitatem supplicijs semper atrociorib. sæuiunt, non solum crudeles sunt, sed feri. Phalarides sunt, aut Annibales, qui fossas humano sanguine plenas formosa vocant spectacula. Peiores sunt antiquis illis Persis, qui Scaphismum exercebant, vt refert Ammianus.

Heù quanta sunt homini ab homine mala sine clementia. Acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam, & misericordiæ genus est occidere citò. Caligulæ sunt, qui ità feriunt minutisque ictibus torquent, vt quisquæ sentiat se mori. Id sæuiendi genus iure execratur Lucanus.

Dirum Sæuitiæ pereuntis parcere morti.

Captiuorum millia, & millia exoculare vnico monoculo per singulas centurias ad reliquos ducendos relicto summa Porphirogeniti Basilij sæuitia fuit.

At non solum sæuitiæ extremum declinandum est, sed etiam lenitas nimia cauenda; hæc enim apud Aristotelem res est summè seruilis; mitius tamen remissione & pietate, quam crudelitate peccatur. Tutius est medium tenere modum, at quia plerumque temperamentum difficile est, nam sæpè



Excedit medicina modum, nimiumque secuta est,
Quà morbi duxere manus.

vt de Scylla scribit Lucanus, idcircò quidquid æquo plus futurum est in partem humaniorem debet propendere.

Clementia igitur fauere magis quam sæuitiæ proprium est iura cum potestate tenentium munus; Idque magis firmat Imperium, quam arces, turres, & montium latera.

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni.
Munere, sola Deos æquat Clementia nobis.

præceptum est Honorio Imperatori indictum à Claudiano.

LEX XXXVII

NON EST SINE OPE RELINQVENDA MISERIA.



Ethnicis honorificum fuit opem indigenti negare, satisque vulgare est illud Plauti in Trinummo de mendico, malè meretur, qui ei dat quod edat, aut quod bibat, nam & quod dat perdit, & misero vitam producit ad miseriam. Apud Manichæos idem fuit stipem mendico porrigere, & homicidium perpetrare. Plato seuerè indicit, ne quis sit in orbe mendicus, quæ lex Atheniensibus, & Massiliensibus fuit recepta. Vetitum est apud Lacedæmonios à Lycurgo, ne quis inopi suppeditaret.

At si Plautum excipiamus hominem de scena prodeuntem nullius probitatis virum: si Manichæos, quos D. Basilius iure marcorem Ecclesiæ appellauit; vix puto fuisse, cui inhonestum videri potuerit alienam miseriam subleuare. Cæteri vel ad industriam ægenorum acuendam, vel ad desidiam & torporem excutiendum visi sunt misericordiam abolere. A Platone damnata est mendicitas refusa in Reipublicæ labem, quæ esset ex otiositate parta. Etiam Cæsareo decreto iussa est iampridem ex Italiæ finibus excedere colluuies illa mendicorum (verius latronum,) quæ passim vagari etiam nunc finitur per Europam. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Imperatores pijssimi inertem quæstuositatem acriter castigarunt.

Cæterum misericordiam veram esse virtutem, non est ambigendum. Deus ipse misericors est, licet sine dolore & tristitia, quæ cor miserum facit. Veteres ipsi hanc velut virtutem egregiam exercebant Lacedæmonij pauperibus peregrinis primas locabant Sedes. Qui corpore erant mutilo Athenis præuia Senatus approbatione binos obolos ex ærario quotidie accipiebant. Ægrotis in æde Æsculapij assignatam sedem Suetonius prodit. Captiuorum redemptionem à Tullio commendatam tradit Lactantius.

Gerusios, in quib. homines victum sibi parare ob affectā ætatē impares essent,

sent, publicè foueri solitos meminit Vitruuius. Muneta reliqua alienæ subleuandæ misetiæ exhibita maximè commendari accepimus apud plures.

Non sunt misericordiæ (inquit Cassiodorus) venales quærendæ moræ, vt ab ope egentiæ præstanda abstineamus. Est egregium virtutis opus misereri, sed citò. Cædis reus pronunciatus est ab Apolline amicus ille, qui socio à latronib. tento, cum Delphos peterent, citò non succurrit, Iudiciumque Appollinis probarunt Epictetus & Symplicius Sapientissimi Viri. Etiam in extremis miseriæ officijs citò misetendum, ne malum emorientib. ex mora contingat, & nobis idcircò pijs animab., quæ culparum rubiginem detergunt ignib. emendatorijs, ocissimè suffragia præstanda sunt, ne cum illo sentiamus, quem memorat Statius, nullum misericordiæ aut veniæ locum admittentem post mortem.

Ad manes ignare fugis, nec flectere parcas,
Aut placare male datur aspera lumina lethes.

LEX XXXVIII.

HOSPITALITATIS MVNERA OBEVNDA.



IN aduenas & peregrinos beneuolentiæ munera exercere apud Veteres omnes probatissimum fuit. Eo nomine summis euectam laudib. apud Tullium & Theophrastum legimus hospitalitatem. Consueuere Lacedæmonij hospitib. ac peregrinis ad vmbram in spectaculis locare sedes in signum honoris, dū ipsi interim Lacedęmonij quouis loco sederent. Spartanis inhumanitas in peregrinos velut summum probrum obiectum est. Affectio quædam est ipso curatore Deo conciliata nobis vt peregrinos beneuolè suscipiamus, atque inuiolabile præscriptum est, vt nunquam violetur hospes.

Iulianus Imperator scripsit ad Arsatium Galliæ Pontificem vt satageret apud suos frequentem facere hospitalitatem, quod ab ipsa pendeat imperii salus. Malum supremum illi imperio portenditur in quo

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus.

Damnatur Vlysses apud Homerum quia hospitis & hospitii violator, stolidusq; & futilis ille ædib. exceptus qui cum hospite iurgia miscet. Contrà laudatur Eumenus hospitalitatis iura defendens. Feræ non expellunt fetas, nec debet homo hominem ab hospitio secludere. Acriter carpit etiam D. Chrysostomus quosdā peregrinorum Antiochiam aduentantium appulsum ægre ferentes. Impietatis est nota errantes non colligere & qui id agunt præcipuam pietatis discerpunt coronam. Athenarum erat laus potior hospitalitas, summumq; inter se hominum vinculum censebatur etiam ad optimum Reipublicæ regimen. Iupiter inter superos hospitale Numen appellatur à Poetis.

Iupiter hospitibus nam te dare iura loquuntur.

neque tantoperè laudaretur Telemachus apud Homerum, nisi Mineruam excepisset hospitio. Diuinum propè quid est hospitij iura tueri & exercere, diuinumque nomen obtinuit ex eo Lucullus apud Romanos, & Cimon apud Athenienses.

LEX XXXIX.

NIL INCONCINNE EXTERIVS AGENDVM.



VBi haud sordescit animus, ingestus extraneos motusque corporis erumpit quidam modestiæ decor, qui spectatores allicit æque ad amorem & admirationem. Insigne est, quod in Aegyptiorum sapientibus & Sacerdotibus ex ipso corporis statu conspiciebatur, quidam scilicet grauitatis splendor, incessus benè compositus, aspectus ex proposito constans. Risus sine effusione adhibitus, & id genus alia. Lacones ipsi eâ modestiæ laude tolluntur, vt manus intra pallium semper haberent, silentio incederent, humi defixos tenerent oculos non minus si lapidei aut æneì extitissent.

Sanctus quoque Ambrosius commendat in homine motum ex modestiæ præscripto compositum, in quo sit absque fuco authoritatis species, grauitatis pondus, tranquillitatis vestigium; itâ tamen vt sensim ambulantes statuas ferè immobiles imitentur iuxta illud.

——— at tu.
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Herma
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.

quod de Sexto quodam in Anthologia perhibetur, qui ob saxeam immobilitatem tam similis imagini suæ fuisse dicitur, vt imago imaginis suæ diceretur.

Peiora tamen semper erunt immodestię probra; incompositum corpus index est mentis incompositæ, vitijsque deprauatæ. Inde Mecænatem arguit Seneca, quod solutis tunicis incederet, & Tharsenses obiurgat Dio Chrysostomus Rex Sicyniorum Clisthenes, cum inter filiæ procos vnum inspexisset Hippoclidem inconditis atque indecoris corporis motib. in aula versantem statuit ex eò Hippoclidi negare nuptias.

Impudicum incessus ostendit (inquit Seneca) improbum risus, insanum vultus, habitusque demonstrant. Animus per corporis notas exit in apertum; nam humana facies indolis est theatrum, corporeus animus, spiritus detornatus in camera, spectaculum mentis, cordis tessera. In oris lineamentis vagatur genius; per hanc fenestram se visibilem dat spiritus, & rationalium

scri-

scriniorum latebras pandit. In hanc scenam sine larua, sine persona roto choro prorumpunt affectus, & tanquam ab speculo repercussi, alienis oculis fidissimam produnt imaginem. Animæ pictor frons est, si eam adulteris coloribus imbuat meretrix, statim luxuriosum scorti assimum repræsentat.

Contrà vultus benè compositus spectantibus prodest & ipsi viro benè cōposito; cui adlaborandum est, ne modestia in extima tantum hæreat specie, & intimè sordescat animus velut honestatis cadauer.

LEX XL.

VITÆ LABOR HONESTA ANIMI REMISSIONE LEVANDVS.



Vicem quandam & honestam animi laxationem infirmitas exposcit humana. Hyemem excipit ver, & exactæ æstati succedit Autumnus, vt per vicissitudinem temporum quiescentia corpora nostra neque frigore congelata rumpantur, neque caloris vehementia dissoluantur.

—— exue curis
Pectus & assiduo temet furare labori,
Et fontes operit pharetras, arcumque retendit
Parthus, & Eleis auriga laboribus actos
Alpheo permulcet equos.

Omnium rerum interualla sunt, cessat terra noualibus dicuntur interdum flumina resistere, & ipse dies noctibus aquiescit; etiam musici chordas quieti tradunt, paxillos circumagentes.

Eo consilio dat nobis Deus aduersa prosperis interpolata, vt per mutuam malorum, & bonorum vicissitudinem alternante seque liceat durare, quemadmodum scitè aduertit Damippus Pythagoræus. Danda est animi remissio (monet Seneca) meliores, acrioresque requieti surgent. Non in eadem intentione mens iugiter potest retineri, ideo quandoque ad iocos & lusus est reuocanda. Cū pueris Socrates ludere non erubescebat, & Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum. Scipio quoque triumphale illud, & militare corpus mouebat ad numeros.

Vitam sine festiuitatibus longam viam esse absq; diuersorijs, dicebat Democritus. Ausonius ipse canit.

—— Grata schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur vt otia curis.

Mollis quædam & iocunda remissio quæ operis intermissione suscipitur, summopere animum leuat, & cum ingenia habeamus aliquid perpetuo versantia, reparatur maximè eorum labor, si oblectatio quietis obstringat, quæ ipsum animum ab operosiore conatu auocet, ac suauiter demulceat. Festæ mentis

mentis leuamina sunt (ait Seneca) ameni quidam prospectus, vsus Cœli liberi, læta quædam studia, volupruosi quidam ioci siuè rebus siuè verbis adhibiti. Plinius eiusmodi animi laxamenta ad leuandas curas profitebatur, cum diceret; facio nonnunquam versiculos seueros parum, facio comædias, audio & specto mimos, & Lyricos lego, & Satyricos intelligo, aliquando rideo, iocor, & ludo; vtque omnia remissionis genera breuiter amplectar, homo sum

Vtque sacri fontes non sola incendia sistunt,
Sæpè etiam flores, vernaque prata iuuant.
Sic hominum ingenium flecti, ducique per artes.
Non rigidas docta mobilitate decet.

sunt carmina ad hanc rem ab ipso Plinio allata.

Declinanda tamen extrema sunt etiam in animi remissione, vt cum honestate paretur. Non debent mortales voluptatis amena facie pellecti, cum leuandus est animus, in eas laxationes abduci, quæ rationis metam prætergrediuntur. Lusus, iocique frequens vsus omne animi pondus, omnemque vim eripit, testatur Seneca.

LEX XLI.

MENS BONA PVDORE FOVENDA.



Cunctis pudor datus est quasi stimulus, & pedagogus ad mala vitanda, quo amisso sceleribus omnibus aditus aperitur. Pudoris qui particeps non est, vti humanę Societatis calamitas de medio tollendus est, ità iubebat legislator Plato, cautè in hominum conuentibus custodiendus, & retinendus est, nam semel amissus, ait Seneca in Agamennone, redire nescit; & irreuocabilem Flaccus appellat in Argonautica.

——— & non reuocabilis vnquam
Cessit ab ore pudor, propior impleuit Erynnis.

Vestiat æque animum pudor, & corpus rubor opus est; Purpurea Chlamys est verecundia, quæ faciem, cui admouetur, tegit & honorat, læthalesque fugans caligines de ignominiæ sago in maiestatis lumen deducit. Rubor virtutis est color, ideo nequit de venenato murice generari. Verecundus rubor sani cordis imaginem prodit, & animum pandit omni virtute roboratum. Vitiosorum facies diuersæ sunt, omnes sine pudore, qui adiscors est vitiorum sodalitium & satellitium. Concors est virtutum concentus & chorus, ideo vna verecundis facies, quę generosam animæ publicat honestatē. In ore ferūt homines verecundis virtutis excellētis insignia, & ad corporis fores grandiū facinorum, animiq; nobilem stirpem tamquam stēmata in vestibulo affigunt.

Effron-

Effrontes iure semper deplorati. Illum perijsse puto, cui perijt verecundia (aiebat Plautus) Ingenuæ verecundiæ imago Archytas Tarentinus, qui cum aliquid obscæni necessitate quadam esset proferendum, silentio præteriens, scribebat in pariete. Inde meritò dictum ab Euripide in Hyppolito pudorem & verecundiam vel esse virtutem, vel saltem cum virtute esse coniunctam.

Sedem pudor in oculis habet, iuxta adagium, in oculis pudor; inde noctem pudore vacare dixit Ouidius, quod inter tenebras pudor non excitetur. Verecundi animi nota erubescentia est, quæ sanguine obtinetur per faciem velut purpureo velo diffusa. Natura ipsa ad velandam verecundantis faciem sic egreditur, & pauci sunt, qui contra hunc naturæ egressum per ruborem se muniant, vt agebat Domitianus.

In adolescentibus præsertim commendatur pudor, qui dum à crimine per ruborem prohibentur, ad virtutem incitantur.

Dum pudor incendit vires & conscia virtus.

Probatur etiam in adultis & in senibus, qui semper id agere debent, cuius nō sit pœnitendum, cuiusque causa non sit erubescendum.

LEX XLII.

CAVENDA IMPVDICITIÆ PROBRA.

PÆnè cœlestes sunt pudicitiæ suppetiæ; quibus aduersus hostiles Veneris incursus roboramur. Hæc prima sensuum moderatrix & custos; Vetat ista Venereos hostes per oculos tamquam per portas in arcem animæ irrumpere; ideò pudicus, oculus, pupilla virgo, assolet nominari; sic contrà dicebat Demosthenes impudentem scorta in oculis habere non virgines. Pudicæ erant mulieres apud veteres, quæ abducto oculis velamine procedebant. Caius Sulpitius vxorem cum dimitteret, quod apertis oculis prodijsset in publicum, eam reddidit rationem, Lex tibi meos tantum præfiniuit oculos, quibus, & formam tuam approbes & placere desideres; vlterior tui conspectus superuacua irritatione accersitus in suspicione & crimine hæreat, necesse est.

De fœminis Arabijs testatur Tertullianus faciem totam ità texisse, vt vno oculo liberato, contentæ essent, dimidia potiùs frui luce, quam totam faciem impudicè prostituere. Hanc constituit pudicitia armaturam pudoris, vt vallū verecundiæ circumdet, & murum cuicumque sexui substruat; qui nec virginis emittat oculos, neque admittat alienos; tam sancti viri est rubore suffundi, si virginem viderit, quam Sanctæ Virginis si à viro visa sit. Claudit Sermonem suum Tertullianus.

Nedum mulierum aspectibus, sed earundem alloquijs exilium indicit pudicitiæ virtus; nam & oris decor, & motuum exquisita mollities animum mouere

uere facilè possunt. Hoc sensu pronunciatum sapientissime à Sapiente (meliorem esse iniquitatem viri, quam mulierem benefacientem) idest, longè tutiùs esse cum viro obuersari tametsi moribus inquinato; quam cum muliere bona & optima; Atque ad hanc rem nullam esse mulierem bonam scripsit Eumolpus

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis:
Namque est fœminea tutior vnda fide.
Fœmina nulla bona est, & si bona contigit vlla,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

Obscenæ quoque voces turpesq; modulationes Veneris dulcedine illitæ pudico vitandæ sunt, ne in animum impudicitiæ labes irrepat. Incredibile est, quantam vim habeant turpiloquia, vocumque moltitudines ad eneruandum animi robur,

Occlude verbis turpibus cera tuas
Aures, sonisque canticum mollissimis
Pateant honestis semper ac sermonibus
Audire, fari, facere, non distant procul.

monet pudicum Nazianzenus. Nocent plerumq; magis audita turpia quam visa. Id testatur Dio Chrysostomus, vbi Tarsenses laudat circa moderatum cultum muliebrem. Per aures inepta corruptione periere quamplures. Lasciuia per aures & per oculos ingreditur, at per aures sæpe profusiore ruina, oculis, & auribus, verbis, & gestis cauenda sunt impudicitiæ probra.

LEX XLIII.

VIRGINEVS CANDOR NVLLIBI TEMERANDVS.



Nter virtutum choros occupat verticem Virginitas; immo virtutes ipsas, quod non haberent speciosius, aut splendidus nomen. Virgines nominauit Plotinus. Tantum erat apud Romanos floris virginei decus, vt in virginem quacumq; ex causa sæuire nefas haberetur, & si virginem morti addicendam esse contingeret, non priùs id tentatum, quam à carnifice vel ab alio vitiata, esse virgo desijsset. Id est testata filia Seiani addicta morti. Eò diuinius attollitur Virginitatis palma, quo ab ipso Virginum Rege Christo gestata excelsius insignitur. Innocuus pudor inter diuina iura censetur, & de Deitatis claritate, quasi gentilitio stemmate honoratur. Nulla generosior stirps quam virginum est, nulla virginibus clariora natalia, quę parentem superorum maiestatem agnoscunt & venerantur. Non est arbitrium fœtui eligendi parentem. Vel à purpura vel à sago progigni non dat meritum, sed fortuna. In aurea & byssina suscipitur vnus infans cunabula, cùm nescit iudicare de pretio.

tio. Alter ex vtero ad durum pauimentum eliditur, cui eſt pro apparatu ruſticale tentorium, compar in vtroque ſenſus, ſed diſpar ſors. Sola virginitatis dos vtros facit pares; vtros inſignit trabeata proſapia, vbi ſupernæ originis puriora ducuntur lineamenta.

Atalanta Chalidonia virgo velut Numen colitur Virginum, dum iugiter inter venatus & ſyluas tumentes horret fœminarum vteros, & conceptuum faſtidia auuerſatur. Volſcorum Reginam, quam Turnus vocat,

O Deus Italiæ Virgo.

Cæleſtem propaginem appellant plures. Iphigeniæ Virginis ſanguis aduerſos placat ventos, tempeſtateſque ſonoras ſedat, ac ſi eſſet à ſuperorum cætu ad terreſtria demiſſa. Claudia Virgo Veſtalis diuinitùs trahit nauem cingulo, quam multa hominum milia trahere nequiuerant. Mineruam & Dianam Virgines Deas finxit Antiquitas, & inter duodecim cæli ſigna, quibus deuoluitur orbis collocatur virgo magna nuptarum iniuria.

Quaſi Regina fortis inter imbellicas mulieres virgo eſt, nullas timens Lucinæ parturigenes. Vbique commendanda, cunctis colenda, nuſquam luxata & oblæſa virginitas, non qualis fuit Veſtalium virginum, de quibus dixit Prudentius contra Symachum.

Tandem Virgineam faſtidit Veſta ſenectam,
Fœcundauit amor materno viſcera partu.
Nubit Anus veterana ſacro perfuncta labore
Deſertiſque focis, quibus eſt famulata iuuentus
Transfert emeritas ad fulcra iugalia rugas.
Diſcit & in gelido noua Nupta tepeſcere lecto.

Infantula ſemper virens, ac perſeuerans in infantia dicitur virgo, & cum nulli ſubſit ætati defloreſcenti quadam dicitur immutabilitate potiri.

LEX XLIV.

NON SOLVM CAVTE' SED CASTE' VIVENDVM.



Vlgare eſt hominum deſipientium, ac ſumma improbitate peccantium Conſilium, quod circumfertur (ſi non caſtè ſaltem cautè viuendum eſſe.) Dedecet hominem, quicumque ſit etiam adhibita cautela in vitæ turpitudinem ruere, mentemque fœdare, obiecto licet extrinſecùs quodam ſpecioſo nitore. Non ſolum cautè, ſed caſtè viuendum, vt Deo ſimiles ſimus, ad cuius imaginem conditi ſumus. Caſtitas græcè flos dicitur, quo homo Deo componitur, eique ſimilis fit. Caſtè viuendum (inquit Origenes) vt propè diuina conſequamur bona. Caſtitatis bona ſunt, Munimen inuictum Sanctimoniæ, expugnatio fortis infamiæ. Fortitudinis firmitas, laſciuiæ petulantis infirmitas. Probita-

tis

tis præsidium, improbitatis excidium; Animæ victoria, corporis præda; vbertas gloriarum, sterilitas criminum; pronubium Sanctitatis, repudium turpitudinis; pax secura virtutum, debellatio inquieta bellorum; honestatis portus, impudentiæ naufragium; lorica pudoris, spolium probrositatis; armatura virium, exarmatura fluxorum; Claritatis fastigium, dedecoris præcipitium requies saluris, perditionis exilium; vita spiritus, carnis interitus.

Huius retinaculis omnis obscænitas frænatur, eiusque compedibus calces furentis libidinis stamuntur. In hanc velut in scopulos franguntur impetus sanguinis innundantis, & spumans sedatur corporis ferocientis insania; agit hæc vt etiam instrumenta libidinis vertantur in Regna cupiditatis. Fœminę Cereris Africanæ castimoniæ vi sponte abdicato matrimonio adscenescũt, adempto quolibet masculorum contactu vsque ad oscula filiorum. Omnis vitæ status ornamentum est huius virtutis decor, (ait Methodius) Hac felices coniugati dicuntur, dum ad Cynthiam scribens propertius canit,

Felix Admeti coniux, & lectus Vlyssis,
Et quæcunque viri fœmina limen amat,

Exinde ab Ouidio laudatur casta Penelopes,

Penelope mansit, quamuis custode careret
Inter tam multos intemerata procos.

Plato nuptias castas laudat, & vocat humani generis stabilitatem, & tuendæ immortalitatis inuentum; at laudatur etiam Proclus philosophus Platonicus, quod vitam vniuersam expers coniugij traduxisset. Longo etiam agmine congeruntur eorum exempla, qui coniuge vita functo viduitatem castè colerent. Cunctis itaque omnique personarum ordini, non cautè solum sed etiam castè viuendum.

LEX XLV.

NEQVE DOLORI, NEQVE VOLVPTATI SVCCVMBENDVM.



Ccupatur animus fortis sępè in vincendis doloribus, sæpè etiam in voluptatibus cohibendis, & longè maior impenditur conatus in prosternanda voluptate, quam in abigendo dolore. Vtrumque homini parat exitium, ac necem intentat; at grauiùs à voluptate infigitur vulnus quam à dolore. Romanam mulierem perillustrem, quàm dolor maximus non extinxerat, voluptas absumpsit; accepto falso de filij morte nuncio domi mæstissima consedit, fuit tamen dolori superstes; eadem ad filij incolumis reuersi conspectum præ voluptate subitò expirauit. Quo die Rhodius Diagoras tres filios Athletas victores vidit, in eorum complexu ex animi oblectatione expirauit.

Strictiùs mancipatur animus voluptate quam dolore. Gratiosa est, accepti ssi-

ptissima est omnibus voluptas, at dum valuis patentibus excipitur, interim subdola capit mentes, vt eneruet, vt nihil pensi habeant præter delectationem. Annibalem quem proprij nec vicere dolores, neque alienæ tristitiæ, vicit tamen voluptas Romano potentior hoste. Ad hoc Troiani proceres conspecta Helenæ forma summisque laudibus concelebrata eam procul abire iusserunt, ne maius voluptas præberet periculum, quam bellum exitia.

Non erat indignum certè tot funera Trois
Tot mala pro tali Danaos tolerasse puella
Cælicolis simili forma splendore Deabus.
Sed tamen ipsa suos redeat cum nauibus Argos,
Ne cladem nobis, nostrisque nepotibus olim
Inferat; & superet multorum causa laborum.

Eò nocentiùs patimur omnes voluptatis impulsum quam doloris, quod voluptas sit velut finis agentis, & actionis, in quo quiescamus, & à quiete, cuius votum à natura inditum est, laboriosius est amoueri, vnde dictum

Trahit sua quemque voluptas.

Voluptas quasi per vim animum rapit, & voluptatem ipsam naturæ vim appellabant Epicuræi.

Mortales quæ suadet adire
Ipsaque deducit dux vitæ dira voluptas.

Neronem incendium vrbis diù meditantem à crudeli voluptate victum potius quam à dolore ex amicorum, & consanguineorum iactura, legimus apud Romanos; flammæ vorantis vrbem captus pulchritudine, halosim id est Ilij vastationem fertur scenico habitu decantasse.

Ausus Troiano miseram componere Romam.

Dolores tamen etiam temperandi sunt; ne flectatur animus, doloribus quantumuis acerbis in muliebres mollesque eiulatus, & complorationes exsolui viro temperanti maximè indecorum est. Hercules est, qui nec dum vritur, vocem, doloris indicem edit. Marius est fortissimus vir, qui dum se medico secandum præbet, nullum adhibet gemitum, nullum suspirium emittit.



LEX XLVI.

GVLÆ PARCENDVM.



Vla condita est, hominique data, vt viuat homo; non vt voluptuetur (ait Musonius) Animæ adipibus inuolutæ ad nihil excelsum assurgunt, aut cæleste. Abdicatur luminis decus per ingluuiem, & remanet homo bucca, seu masella, vt ait Clemens Alexandrinus. Furor & insania è ventre manant, & de statu rationis animam deturbat nimia Sagina. Vt lux sicca, sic anima sapientissima, & optima (inquit Heraclitus) Vt crassis halitibus ex vliginoso loco eductis infuscatur aer, sic tenebrescit mens obnubilata vaporum appulsu, puram nec serenam lucis suæ vsuram habet. Maximum dispendium toti animæ imminet ab efferatis per crapulam affectibus, Venenatus serpens primis parêtibus per gulam indixit exitium. Ægyptij arcam in qua defuncti venter continetetur proiciebant in fluuium, vt impurum quoddam & sordescens. In voragines aquarum mergebant, qui per gulam in voragines scelerum abripiebantur.

Corpora temperatè vescentium corporibus helluonum firmiora, & fortiora sunt. Qui ferculis delitiantur longe minus salubri valetudine fruuntur. Antiphanes Medicus Delius, vel vnam hanc dixit esse morborum causam ciborum varietatem, & nimietatem Disruptum ganea corpus nulla res melius sarcire, quam parsimonia solet. Idest quod cecinit Flaccus.

Accipe nunc victus tenuis, quæ quantaque secum
Afferat, in primis valeas, nam variæ res,
Vt noceant homini credas, memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit, at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia Turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides vt pallidus omnis
Cena desurgat dubia.

Dubia cæna est tam varijs instructa escis, vt dubites vnde primum petas, quidvè relinquas. Sic Terentianus Phormio interpretatur, quod dictum fuerat, cæna apponitur dubia. Spernendi sunt illi ciborum apparatus, qui consumpti relinquunt pænitentiam.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Etiam ad hanc rem occinitur a poetis. Vltimæ rerum lineæ proximi sunt qui immodica escarum congestione oblectantur; ob id veteres mortis imaginem circumferebant in conuiuijs; immo de Celtis præsertim scribit Silius Italicus.

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula seruant.

LEX

LEX XLVII.

SIT HOMO SOBRIETATI DEVOTVS.



Rctatur sobrietas in homine ad potus moderamen, cum ea sit sobrietas, quæ ebrietati aduersatur, vt testis est Seneca. Mensura huius virtutis ea est, qua & florentes ætate abstinent immodico potu, & prouecti modicum adhibent, quod impotens sit ad concitandas cupiditatum tempestates. Plerique veterum seniorum, & sapientum hydropotæ facti, ad hoc omnem vini abstinentiam sibi indixere. Idem agebant Brachmani apud Clementem Alexandrinũ Zeno panem, caricas, & aquæ potum, discipulis suis proponebat. Epicurum aqua potũ tradit epistola eius ad Menicæũ descripta à Laertio. Diogenes ex Scypho suo notus, & illustris est. Omnes serij aliquid acturos à vini potu arcebat Plato in legib. suis, qui proprijs parens dogmatib. frequẽter sitiens, nõ rarò haustã è puteo aquã, iterum effundebat, vt cupiditatem castigaret. Didicerat fortasse factũ Plato ex Dauide, & sacrorum librorũ lectione, cui erat assuetus.

Vnus est Antonius Triumuir apud Plinium, qui ebrietatis fœditatem commendat, & sobrietatem detestatur. Nec dies festi Baccho antiquitùs instituti fauent ebrietati, at ad summum gaudijs votisque festiuis. Sunt inidoneæ ad omnes fructus paludes ebriosæ (ait D. Augustinus) sunt pectora vliginosa ad omnes fruges inutilia, quæ nimij imbris illapsu macerata nil nisi spinas, & tribulos profundunt. Est ebrietas rabies voluntaria, hostis inuitatus, venenum dulce, Dæmon blandus, quam qui habet, se non habet.

Qui potentes videri volunt ad bibendum, & inde viri nomen aucupantur, ipsa bibendi gloria, qua contendunt, laudem merentur ex crimine, quæ laus probrosa est. Quæ gloria est capere multum? (inquit Seneca) cum omnes viceris hac bibendi virtute, vinceris tamen à dolio. Hæc de poculis siccandis certandi corruptela, Alexandrum se ipsò minorem effecit, qui talentũ in præmium statuerat ei, qui largiùs potaret; atque in eo certamine quadraginta victores combibones effusis visceribus spectante Rege crepuerunt. Singulare etiam fœditatis exemplum, & monstrosæ bibacitatis specimen circumfertur Borosus quidam, quem dixit Aurelianus natum vt biberet, sed is quoq; iussu Probi Imperatoris tandem laqueo pependit, & cum penderet, iactatum est, Amphoram pendere non hominem. Extinguitur homo largius potando, & perit rationis naufragio

Vinum hominum, veniens velut ignis, corda furore
Pellit, ceù lybici fluctuat vnda maris,
Quam Notus, aut Boreas agitant.

Animæ temulentæ vino naufragantes sic pereunt, & obruuntur, vt nihil retineant humanum post periculum. Dementiæ paludes sunt, inquit Plinius, in quas demerguntur ebriosi etiam viuentes

—— arcanaque cuncta
Vinum errans aperit temulentis noxia, vinum
Vinum quod mentes fallit.

Non est animus in sua potestate ebrietate deuinctus (aiebat Zeno.) Antiqua erat ebrietatis imago apud Pausaniam ex poculo vitreo bibens, eo quod facilè ex ebrietate frangeretur, & deperderetur ratio.

LEX LXVIII.

SOMNI TORPOR DISCVTIENDVS.



Ultus qua per somnum illatam segnitiem auuersamur Vigilantia est, quam ad omnia salutarem esse ignorat nemo. Plus vigilare, plus viuere est; nihilque tam mortis simile quam dormientis aspectus. Ideò somnus dictus est viuendi, & non viuendi interliminium. In dormiente licet superstes sit corporis, & animæ nexus, torpet tamen vis, & facultas agendi, quæ homini indita est viuenti Parmenides ad Chrysostenē dixit, perpetuo vigilare esse immortalitatis proprium, dormire mediocriter humanum. Semper dormiens desinit esse, velut Vlysses extrà orbem oberrās, per somnum velut per Oceanum radens iter, neque orientem, neq; occidentem Solem aspiciens.

Nil apud Poetas tam frequens, quam somnum mortis fratrem appellare; & Pausanias ipse in Elicias in Cypseli Tyranni monumento refert efformatum simulachrum noctis cum duobus infantibus, nimirum cum somni, & mortis Epigraphe. Indulgendum somno quantum opus est ad vitam, vitæque incolumitatem, reliquum malum est. Per somnum immodicum homo viuifico destituitur spirituum nectare, riget, corrugatur, ægriusque vitales resumit operationes. Coaceruantur praui humores ex nimia per somnum inducta coctione. Aristoteles cum se ad quiescendum componeret, æream sphæram manu prehendebat pelui subiectam, vt casu sphære ex somno contingente citò expergisceretur.

Cauendum quidem est ne nimia vigilia habescat homo, at neque immoderato sopore laxandus est. Vigilare potiùs quam dormitare hominem decet, & vetus est illud vigilantiæ præconium.

Sanat, Sanctificat, ditat te surgere manè.

Plato ipse in suis legibus hoc recenset velut in vita potissimum, & succlamat Horatius.

Vt vigilent homines, surgunt de nocte latrones.

homo verò vt se incolumen præstet, non expergiscitur?

Somni delectatio longè suauissima est, ideò virtutis moderantis summopere

perè indiga. Qui dormiunt libenter, sine lucro sunt, & cum malo quiescunt. Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat, monitum est Sacrarum litterarum.

LEX XLIX.

MENS STVDIOSA QVANDOQVE COERCENDA.



Acuit hominis industriam studiositas, & excutit torporem quo ad capessendas notitias rerum mens ipsa præpeditur; at etiam coercet vota, quibus natura duce omnes ad sciendum impellimur. Homo omnis naturaliter desiderat scire, curiosum omnibus natura ingenium dedit, idque (ait Seneca) cogit populos ad spectacula conuenire, præclusa rimari, secretiora exquirere, antiquitates euoluere, barbarorum quoque mores adire. Ne hoc pondus animam premat vltrà rectum, atq; ad inconsentanea abripiat, studiositas datur, quæ virtus est.

Probrum est mentis studiosæ aliorum crimina venari studio, vt palentur, aut redarguantur. Qui alijs hoc studio dimisso non ignoscunt, nec sibi parcentes inuenitur.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis.
Cur in amicorum Vitijs tam cernis acutum,
Quam vt Aquila aut Serpens Epidaurius? at tibi contra.
Euenit, inquirant vitia vt tua rursus & illi.

benè monet Horatius. Cum superuacuè in alienas res, & vitam inquiritur, magnum sanæ mentis dispendium est; huicque rei meritò Seneca inquietæ inertiæ nomen indicit.

Est quoq; studiositatis nota cum diligens disquisitio quædam in rebus futilibus, & leuissimis occupatur, quas (vt inquit Arnobius) neque scire compendium est, neque ignorare detrimentum vllum. Ridendi sunt homines quidá, qui ad exercendum ingenium etiam ludicris seria studia contulere. Non laudatur Pittacus qui moram, Canterus qui simium, Lucianus qui muscam, Polycrates qui murem, Cletarchus qui teredinem celebrarunt eorumque naturas inditasq; propensiones rimati sunt. Probro habentur ij omnes qui res eiusmodi futiles, & inanes elogijs cumularunt. Nugaces potiùs quam studiosi dicti sunt artifices, qui vomerem fixere, vbi sterilis & arida gleba solet ieiunare. Laudabiliùs egissent, si argumentis dignioribus vires probassent ingenij.

Sunt quædam quæ nescire, quam scire melius sit (ait Augustinus) Græcorum morbus fuit (subdit Seneca) quærere quem numerum remigum Vlysses haberet, prior ne scripta esset Ilias, an Odyssea. Romanos quoq; superuacua discendi quandoq; studium inane peruasit, vt vestigarent, quinam

primus victor è ducibus euasisset, Duillius ne in prælio nauali, an Curius Dentatus in alio bellorum genere.

Inanis, quoque eorum labor est, qui etiam senilem ætatem atterunt inter poeticas nugas, abiecto saniorum literarum studio. Aberrant omnes ab hac meta, qui futura, qui occulta, qui tempora nouissima scire volunt. Deficiunt eiusmodi Scrutatores Scrutantes Scrutinio, nec verè studiosam mentem exercent.

LEX L.

LINGVÆ LICENTIA IVGITER COHIBENDA.



Aximum est cuiuscunque virtutis dispendium ex locutione si fines prætergrediatur honesti. Licentiam linguæ mendacia, vt plurimum, peierationes, asperitates consectantur. Castimoniā ipsam fœdat, & commaculat lingua, si turpis sit & obscena. Romani summus author Eloquij Tullius, nullum verbum, quod reuocare vellet, emisit, fari necessaria, aptè respondere, modestè disceptare sunt sanè loquentis officia. Garrulitatis damna profert Nazianzenus, dum silentium extollit.

At certè lingua nihil exitialius vsquam est,
Cursor equus semper, tela parata nimis
Hæc æquè incautos, & cauto figit amicos,
Atque hostes, prauos vulnerat atque bonos:
Vicinos procul & positos; ac denique nil non
Qui domat hanc, Sophiæ culmina prima tenet.

Ideò Pythagoras, vt ad virtutes aptaret ingenia, arctum indicebat silentium. Animum maximè ad exteriora effundit oratio, ad interiora reuocat silentiū.

At tunc magis cauendum à lingua, cum lætitia animum ipsum inundat, ac veluti exundare cogit. Garrula lætitia est (inquit Cassiodorus) nec præ gaudio potest contineri. Annuit quoque Latinus Pacatus, cum dixit gaudium & silentium simul conuenire non posse, res est loquacissima lætitia, atque in serenis frontibus animorum indicia leguntur.

Senes præsertim loquacitate desipiunt, quam ideò appellat Simmachus senile vitium. Euripides senem dixit vocem & vmbram. Mulieres & pueri eodem laborantes vitio recensentur. Difficile est (aiebat Samius) domi hirundinem non habere, hoc est, vel puerum, vel fœminam facilè susurrantem. Lingua proba & probum facit loquentem, & audientem captat velut amicum. Crassus ad hoc feruidi nimis adamabat Sulpitium, quod intelligeret Sulpitium semper benè de Crasso fuisse loquutum.

LEX LI.

DE SOLA VIRTVTE CERTAMEN INEVNDVM.

EXtrà inuidiæ ditionem suos occupat fines æmulationis virtus, hæc illustre quoddam hominis ornamentum est, illa crimen, hæc in viris bonis, illa degit in malis. Cicero scribit in Bruto, inter se & Hortensium æmulationem non inuidiam extitisse, cum quo certare gloriosius esset, quam aduersarium non habere. Inter similes conditione, ac merito solet excitari æmulatio. Neque inter eos facilè admittenda, qui diuersa virtute, diuersis viribus, diuerso studij genere tenentur. Diomedes, & Vlysses æmulantur iustè apud Homerum. Fit æmulatio iusta, cum quis bonis se iudicat dignum merito debitis, quibus alium potiri in eodem deprehendit merito. Ideo benè æmulatur Romanus alias nationes rei militaris laude insignes: benè Atheniensis sapientes; Spartanus tolerantes, Carthaginenses rei maritimæ peritos.

Æmulationis bonum non modicum est, si à confinio suo non abscedat. Sublata inter bonos à studio laudis, & virtutis contentione, iacet ciuitas, & torpent omnia profundo veterno. Contemptu famæ contemnuntur virtutes (ait Tacitus) & ignauis, neque in victoria decus, neque in fuga flagitium; æmulatrix virtus in vnoquoque pro gloria decertat; & vbi gloriæ causa simultates intercedunt, in excelsa contenditur, fatentur id inter Græcos Themistocles, & Aristides, inter Romanos Marius, & Scylla, Cæsar, & Pompeius. Summa cum laude æmulatus est Vlysses Aiacem, quod semper de armis Achillis contentio exorta est

Præmia magna peti fateor, sed demit honorem
Æmulus Aiaci; non est tenuisse decorum,
Sit licet hoc ingens, quidquid speravit Vlysses.

indolet Aiax de quadam æmulationis insolentia, ad insolentiam, vel ad inuidiam facilè transit æmulatio, si suos excedat fines. M. Cato Amicorum inuidiam, & insolentiam passus est, cum ipsi eius excellentiam æmularentur, & non possent imitari. Egregia est Periclis sententia apud Thucididem. Solemus aliorum laudes eatenus æquis auribus suscipere quatenus putamus eas etiam posse in nos cadere; quæ supra nos posita sunt, ijs cum inuidia fidem detrahimus. Emicuit idipsum in Adriano Principe, quem inuidere magis, quam æmulari solitum scribit Dion.

LEX

LEX LII.

MAIORIBVS EXHIBENDVS HONOS.



SOluenda sunt obseruantiæ pensa ijs omnibus, qui virtute, vel merito, dignitate, aut ætate ad ordines præcellentiæ subuehuntur. Princeps à subditis, senior ab adolescentioribus, magister à discipulis, Dominus à seruis obseruantiam exposcit; obseruantia ciuilis humanæ excellentiæ apex est.

Principem omnes supra se esse, & pro se esse sciunt, ideò Princeps (inquit Seneca) supra cæteros colendus

Rege incolumi mens omnibus vna.

Altiùs Principem effert Principis cum Numine analogia, estque frequentissimum, vt Princeps quasi terrestris quidam Deus omni ciuili cultu obseruetur. Vegetius tradit, Imperatori tamquam præsenti, & corporali Deo deuotionem esse præstandam. Tertullianus Principem colendum indicit, vt hominem à Deo secundum, & solo Deo minorem. Plinius in Traiani Panegyrico, Principem dat Deus, qui erga omne hominum genus vice sua fungatur. Sextius apud Tacitum, Princeps instar Deorum est. Præ cæteris multus est in hac Principis cum Numine Analogia Dio Chrysostomus, ex qua latè infert, quantis par sit fulgere virtutibus Principem, qui Dei Vicarium agat.

At etiam ad seruorum obseruantiam nos vocat Heraclides, qui senium ex hoc securum quemdam portum, fidamque hominibus stationem appellat. Apud Lacedæmonios & Romanos neque generi, neque pecuniæ præstantior honos, quam ætati solitus.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexeru, & si
Barbato cuicunque puer.

Ratio deprompta est ex Platonis Philebo, etenim quo magis homo festinat ad finem, tanto venerabilior efficitur, vt qui Deum solum habeat se seniorem; nam Deus quoque est æternus Senex, & antiquum dierum illum vocat Propheta.

Arctius obseruantiæ vinculum in discipulis erga magistros, seruisque erga dominos statuendum est. Magistris Antiqui libabant quasi Numinibus, atque magistros parentibus ipsis digniores iudicabant.

Quem præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco

Idem obseruantiæ munus heris debetur, cui serui vltrò obsequia sua addixere. Ne facilè tamen excandescant domini in famulorum culpas, vel ad minimam famulantium moram, nam & ipsi in dies singulos, horas & momenta peccant in obseruantiam Deo supremo domino exhibendam.

LEX

LEX LIII.

LIBERALITER ERROGANDA QVÆ LIBERE POSSIDENTVR.

SPlendidior cæteris virtus est liberalitas, quæ non dantis respicit bonum, sed accipientis prospicit bono. Virtus est, qua homo fit homini Deus. Prudens est, & innoxius ille diuitiarum vsus, quem liberalitas indicit.

Extra fortunam est quidquid donatur amicis
Quas dederis, solas semper habebis opes

Marcus Antonius apud Rabirium poetam ex testimonio Senecæ his gloriari solebat

Hoc habeo quodcunque dedi.

Amplissimus dictus est Xerxis animus Persarum Regis, quod eius liberalitate scopuli, arbores, Insulæ & prata ditarentur. Sub platano pulcherrima recumbens, eam ornamentis pretio insignibus cohonestauit.

Potior liberalitatis laus celeritas est, & maximũ accedit beneficio pretium ex promptitudine. Quoties votiua res repentè contigerit, pretium de ipsa temporis breuitate sortitur. Cælestis vt crescat beneficij genus, subitum facit esse quod tribuit, ne deuenustet sperantum prolixitas misericordiam largitoris. Improbat etiam Latinus Pacatus in Theodosij panegyrico fatigata hominum vota, & adhibitam muneribus artem difficultatis. Subscribit Ausonius.

Si benè quod facias, facias citò; nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Ingratum est (ait Seneca) beneficiũ illud, quod inter dantis manus diù hæsit.

Labes est liberalitatis ea qua dati repensionem captamus aut cogitamus. cauenda est beneficij fæneratio, vbi fit donum; ne Gratiæ quæ virgines sunt, fiant scorta, vt ait Socrates. Turpe etiam est collati beneficii iactatione imprudenter gestire.

Dona
Authoris pereunt garrulitate sui.

Exprobratrix est beneficii buccinatio, non laudatrix. Arcesilaus Amico pauperi paupertatem suam dissimulanti, saccum subiecit, vt homo inutiliter verecundus, quod optabat, inueniret potiùs, quam acciperet.

Mera etiam liberalitati statuenda est, ne degeneret in prodigentiam. Quasi perditus est, qui res suas ità profundit, vt nihil sibi retineat. Benè dixit Martialis periisse Cinnam intrà tempus ab Astrologo condictum, quod omnia bona sua dissipasset, ne quid hæredi relinqueret. Sunt opes sanguis & vita mortalium, & quisquis illis destituitur velut mortuus stabulat inter viuos (aiebat Antiphanes.) Arescit in singulis dandi facultas licet perampla velut magni Macedonis.



LEX

LEX LIV.

SOLI RERVM EXPERIMENTO FIDENDVM.

QVi confidit, pauere non debet, atque vt non paueat, experimentis, roborandus est animus. Virgilius de Sinonis præfidentia hæc canit.

——— Se ignotum venientibus vltrò
Obtulerat fidens animi, atque in vtrumque paratus
Seù versare dolos, seù certè occumbere morti.

Secũdæ experimento fortunæ suadet Cæsar gubernatori, vt Appollonia Brundusium soluat, magnis Classibus obsesso pelago, vento aduersante, amne egressum inhibente, æstu maris & occursu fluctuum asperato. Cæsarem (inquit) vehis,& fortunam eius. Alexander fiducia sui non minus admirandus, cum pugnaturus ad Aeranicum aduersus Persas dixit, prandere milites, postridie hostium commeatu potituri.

Non benè fidens est, qui rerum vsu destituitur; Ideô Pallantem adolescentem increpat Æneas.

Quò moriture ruis? maioraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua.

Qui multa expertus est, nouit mala non esse inuincibilia, & ideò fidit. Domitius ab eximia rerum bellicarum peritia certam adeò habuit victoriæ opinionem, vt prælium in crastinum reseruaret, quod adulta dies cædendis tot Asiaticis non sufficeret. Postera die quinquaginta hostium millia trucidauit. Turnus non commouetur copioso Aeneæ exercitu, fretus peritia belli potiùs quam auxiliaribus copijs.

Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Littora præripere, & venientes pellere terra.
Vltrò animos tollit dictis, atque increpat vltrò.

Ex hoc senectus ipsa, quæ animos deijcere deberet, obfirmare solet aduersus metum, senesque solo experimento dicuntur fidentes. Sic benè Carboni Consuli iactanti (multos habeo gladios) responsum est ab hoste (multos habeo annos.) Priamus senex decrepitus Pyrrhum belli fulmen armis lacessere ausus est, ætate sola & experimento fiduciam suppeditante.

Hic Priamus quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci, iræque pepercit.

LEX LV.

ARS IMPERANDI A VIRTVTE ACCERSENDA.

PRima regiminis turpitudo & calamitas est vitiorum labes operumque fœditas, qua ars imperandi solet contabescere. Cæterorum director, qui in

incorruptos defluit mores, statim improbitatis triumphus efficitur. Latè nimis serpunt imperantis contagia, & sicut crinitarum stellarum venena imperij orbem inficiunt, eiusque elementa confundunt. Ex flagitioso politico in apertum erumpunt omnia vitiorum germina, & inde regnorum excidia. Radix peccatrix dictus est Antiochus in sacris litteris. Assiriorum monarchia, quæ per mille & trecentos steterat annos defecit in Sardanapalo, quem ad muliebria pensa socordis ingenij lasciuia relegauerat. Regentis mens speculum est (aiebat Agapetus ad Iustinianum Imperatorem) quod detersissimum esse oportet, vt benè regat. Inter illustriora virtutis opera benè Rempublicam administrare commemoratur,

Excudent alij spirantia mollius æra,
Orabunt causas melius, cælique meatus
Describent radio, & surgentia sydera dicent,
Tu regere imperio populos Romane memento.

Romanis ars benè regendi & orbi imperandi à sola virtute accersita est. Numa primus perfecti regiminis institutor virtutem pietate & religione colendam populis obiecit. Apud regentes quædam elegantissima species est virtus, quæ nullo sæculorum lapsu temerari aut deflorere potest. Est potentissima vis, quæ ipsos regentes transfert in Numina. Nil prohibet te Iouem esse, aut Iouis filium (aiebat Dio ad Alexandrum Macedonem Ioue patre gloriantem) si Iouis virtutem fueris imitatus; & inde Alexander cum regni captaret auguria, Regem se nolle esse contestatus, nisi virtute inter cæteros emineret. Nusquam inter cæteros emineret. Nusquam intermorituris diradiat fulgoribus ars imperandi in illo Rege, in quo etiam post funus

Multa viri virtus animo, multisque recursat
Gentis honos.

cuius regiminis decus non in simulachris mortalibus, aut imbecillibus, qualia & marmore aut ære finguntur, sed vt ait Tacitus in Agricolæ vita, in forma mentis æternæ perennante, in animis hominum, & in temporum æternitate fulgescit. Vmbræ sunt virtutis citò defecturæ quæ fictis tantum gloriæ simulachris palliantur. Tiberij Cæsaris flagitia, licet personata virtute, in supplicium non in eius laudem fuere conuersa. Pudor & conscientia rectoris mali potentissima sunt ipsius scelerum flagella

——*Quos diri conscia facti*
Mens habet attonitos & surdo verbere cedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Vltrices Tartari furias in impij regnatoris pectore sessitantes agnouit Trismegistus, dum Pimandri supplicia post corpus depositum inferenda in scelerum vindictam, æstimari vult ex teterrimo animæ statu etiam num corpori consertæ, tormenta sibi inferentis ex facinorum conscientia. Eadem fuit Tatii patrem rogantis, & Mercurii respondentis oratio, in qua impietatem esse ipsius impii regnantis supplicium maius, euincitur.

LEX

LEX LVI.

VITA FELIX A SOLA VIRTVTE PETENDA.



Nimas virtutis spatia excurrentes, immortalem, diuinam, & beatam esse traducturas vitam, sæpè fassus est Alcinous Platonicus. Homerus Vulcanum fingens aureo in clypeo duas sculpentem vrbes, in quarum altera sunt

Conuiuia festusque Hymen

in altera verò bella, rapinæ, vlulatus & luctus, annuit beatam vitam à sola virtute esse petendam; virtute homo potest etiam in hac vita esse beatus, licet cum philosophis poetæ concinant

————Vltima semper
Expectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo, extremaque tempora debet.

Solon iure beatum appellauit Tellum Atheniensem ex solo animi robore & integritate. Beatus dictus est Clito ex pietate. Nunquam Cræsus inter Beatos adscriptus est viros, licet summa blandiente fortuna ad quoddam felicitatis culmen fuerit euectus. Cætera bona nutantia sunt, sola virtus firmissimũ bonum, quod quolibet aduersante infortunio viget inconcussum. Hæc vna maiestas (inquit Seneca) nec deprimi scit, nec referri vltrà aut proferri potest, sed eius velut cælestium stata magnitudo est

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Diuitijs animosa suis, immotaque cunctis
Casibus ex alta mortalia despicit arce.

Sine virtute ars illa perit arcana, per quam homines in Deos felices transire posse autumabat Trismegistus Augustino testante. Immo ars est virtus ipsa, quæ purgatis vitiorum sordib. homines ad beata Deorum limina perducuntur. Testatur Pindarus inter Elisios & beatorum insulas viuere & lætari Achillem. Cadmum aliosque Hereos præstantissimos, quos etiam appellat Deorum germina ex sola virtute beatos. Nil aliud est (inquit Maximus Tyrus) Crotoniates Olympicum affectare oleastrum, Athenienses maritimis oblectari pugnis & victorijs, Cretenses studia prosequi honestatis, quam in vitam beatam ex virtute contendere. Non Dij solummodo (vt ait Homerus) ad fælicitatem nati sunt, sed homines ipsi, licet materna vix auulsi ab aluo, omnia fletibus impleant, ac vagitu.

————facilis descensus Auerni
Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras:
Hoc opus, hic labor, pauci quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad sydera virtus.
Dijs geniti potuere.

LEX LVII.

NIHIL PRÆPROPERE AVT CONSVLENDVM, AVT DELIBERANDVM.



Consilium & iudicium non semper rebus aptandum est, eo, quo res ipsæ feruntur, aut voluuntur excursu. Prudentiæ negotiatio venationi simillima est, in qua venator longa oberratione corporis, prædam quærit, & prudens vir diuturna mentis consultatione debet agenda rimari, & exactè lustrare; præterita recogitat prudens memoria duce, præsentia librat cogitationis maturitate, & quidquid opportunum diiudicat ad agendum, pensat attentè. Potior iudicij, seu consilii pars in tempore est. Sub diem (ait Seneca,) & licet plerumque solertis sit, consilium capere in arena, & subitaneum promere iudicium, longè tamen sapientiùs est, non ex improuisò aut tumultuariò consulere.

Dio Chrysostomus in rerum tractatione Philosophos Rethorib. præfert, quod Rhetores pro re nata considerationem dirigunt; Philosophi à longè negocia prouidentes, ea ab exordiis reuocant ad trutinam. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia (referunt sacra oracula.) Nihil inconsultius, aut scurrilius est, quam res ex opinatis euentib. metiri. Stultorum magister est inopinatus euentus, aiebat Sapientissimè Liuius.

Exitus acta probat. Careat successibus (opto)
Quisquis ab euentu facta probanda putat.

Carthaginenses cruci suffigebant eos belli duces, qui res bellicas sine consilio tractassent, licet prospera fortuna: Ægyptij medicum securi percussum volebant, qui artis negligentia, & absque præceptorum consideratione ægri curationem tentaret: Is peritus, & nauus habebatur medicus, qui irrito licet euentu, ex arte & maturitate curasset infirmum.

Apud Homerum in rebus bellicis consulendis partes primę traduntur Nestori, qui longa discussione vtebatur. Habet tamen suam consilij celeritas, habet & tarditas laudem, quandoque enim consilia capienda sunt, quandoque rapienda, capienda in arduis, cum deliberandi superest tempus, ne consilium præceps comitem habeat pœnitentiam (vt ait Lucianus) cunctatione verò non est opus (addit Tacitus) vbi perniciosior est, quies, quam temeritas.

Pauci sunt Iulij Cęsares, qui innata quadam ingenij pernicitate, velut congenito cęli igne (vt ait Plinius) res suas bene gerant absque mora consilij. Monebat bene Artabanus Regem suum apud Herodotum, vt de agendis pręuia consilij negotiatione deliberaret; contrà velut exitiosum damnat Maximus Tyrius Persarum institutum, qui super mensas & in conuiuiis de rebus grauioribus consultarent.

Præclarissimi Græcorum bellatores ante bellum conueniebant ad consilium.

Conueniant bini, melior sententia constat,
Tutius & bellum bona mens pugnantibus offert.

LEX LVIII.

SVSCIPIENDÆ RES PRO VIRIBVS SVSCIPIENTIS.

Esset non prudentiæ opus, sed insaniæ vsus res supra vires suscipere. Orpheus matre satus Dea, canoris fretus fidibus, syluas trahens & saxa, iter Erebi imperuium & viuentibus inaccessum suscepit, Euridicem extraxit, at temerarium facinus pœnas habuit, nam de illo dictum est

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aerea deserti ad strimonis vndam
Fleuisse.

Hercules tot monstruorum domitor, dum Deianiram vxorem studet edomare, Nessæo perit delibutus veneno

Jllita Nessæo missi sibi texta veneno
Jmpia quid dubitas Deianira mori?

Prudentis viri munus est suas semper consulere vires, vt peroptatam pertingat ad metam; & si pro facinoris dignitate minimè roboratas agnoscat, in impari subeunda prouincia periclitari non debet. Non sufficit quilibet homo quantumuis torosus omnib. oneribus, & negotijs. Inde caueat princeps, ne omnia causarum fastidia, laborumque tædia, quæ affert imperium vni administro committat; si imparem se putat princeps, erit & familiaris impar; imo princeps vacuum nomen inglorie gestabit non sine dignitatis dedecore, & Reipublicæ dolore. Quid quid in aula peccatur principi solet adscribi; Ideò Mæcenas hortabatur Augustum vt benè & prudenter vires & dotes ministrorum scrutaretur. Idem fuit monitum Ciceronis ad Q. fratrem suum in Asia proconsulem.

Fide parum, multumque vide, nam fidere multum,
Et vidisse parum maxima damna parit.

Fabius Maximus cum intellexisset Minutium feliciter hostes vicisse, sed temerè pugnando, monuit Senatum, ne ità facile Rempublicam Minutio committeret, quæ posset facillimè in discrimen adduci. Cauta testudo est, licet dicatur ignaua, quæ proprium tantum tegumentum portandum assumit.

Optimus ille quidem, qui per se se omnia noscens
Consilijs præuisa suis meliora peregit.

Meliora facere, est viribus non imparia suscipere ait Hesiod.

LEX

LEX LIX.

SAPIENTIA VITÆ PROBITATI SOCIANDA.



Vid possit Sapientia solidæ insociata virtuti expertus est primus homo ab ipso orbis exortu. Vix primæuus ille occidit innocentiæ nitor, vix sentienti facultati paruit imperans ratio, orantis apri lenocinijs illecta, omnia ptimi regnatoris imperia in rusticanum transiere tentorium. Sapientia sine virtute, & probitate breuem habuit vitam in ipsis viuendi exordijs.

> *His illata dolis, hoc crimine nata subegit*
> *Mens hominem, culpa in cunctos manante minores,*
> *Quæ semel antiqua pulsis virtutis ab arce*
> *Multiplicem lauta porrexit strage ruinam.*

Ea est sapientia vera, quæ formam à virtute nanciscitur. Non ex omni ligno Mercurius, sed ex eo quod ex radice virtutis conuellitur. Cebes Philosophus ille Thebanus, vbi lineata Sapientiæ simulacra proposuit, sapientes veros intrà septa virtutis conclusit. Sapientia futilis est, discurrentium interualla syderum radijs notare, fixas stellas in centurias distribuere, errantes Solis Lunæque gressus denunciare, si interea animus fluxis hærens reb. deiectus sit, ac sine virtute contabescat. Parum est Indolem, planè factam ad literas quempiam fortitum esse, si vitiis irrepentib. flacescat ingenium, & mens recta deprauetur. Sapiens est, qui se ipsum noscens, quò tendat, quò sua fatigatione collimet, ex virtute perscrutatur. Omnis affulget in virtute sapientiæ splendor, vbi virtus molitrices contulit manus; quib. agitur splendidè. Gloria planè inanis, ac meritis vacua esset per artes omnes ætatem continenter atterere, si vitæ nota à meta virtutis in suo cursu aberraret.

Solummodo Græci verè philosophantur (aiebat Epicurus apud Clementem Alexandrinum,) quod scilicet in Græcia nascerentur, ubi Minos Iouis contubernio dignatus, inuiolanda rectæ vitæ dictaret iura. Eò fertur Platonis intuitus, cum ad pertingendum Sapientiæ culmen indolem veri flagrantem exposcit. Non ignorat sapiens, non opinatur, non mentitur, non peccat (aiunt Stoici) at pulcher est, nobilis, Rex, Deo par. Addit Lucretius, nil beatius esse

> ——— *benè quam munita tenere*
> *Edita doctrina Sapientum templa serena.*

Est fucus Sapientiæ sola virtutis vmbra, quæ leui negotio deleri potest, & euanescere. Amittitur Sapientia ubi dediscitur virtus (loquitur Seneca ex Cleanthe.) Verus eo temporis quærebatur Sapiens apud Horatium, cum succlamatum est

> *Incorrupta fides, nudaque veritas*
> *Quando vllum inuenitent parem?*

LEX LX.

MEDIA AD FINEM OPTATUM PRUDENTER DIRIGENDA.



OMnes homines insita naturæ propensione in bonum contendunt, at pauci metam assequuntur, in quam collineantes anhelant. Error in medijs est, quibus velut incertis atq; errantibus semitis ad finem procedunt. Rex gentium supra Phœnices incolentium, dum ad Troiam citissimè transfretare contendit, manet immobilis, immensa naui ad omne voluptatis genus extructa. Expertus est eadem erroris infortunia Xerses, cum vt Imperium contenderet ioui Europam cum Asia lignis ad pontis similitudinem contabulatis velut vinculo coniunxit. Facilè mobilis trames, facillimè potuit euerri, atque in extructotis derisum conuerti. Sunt hi velut sitientes illi, qui dum sitim optant extingere.

Inspergunt tantum labia arescente palato.

Immo liquorem delibant, qui iucunditatem magis adstruit bibendi. Artabanus vitam nunquam expertus, & fælicem, cum tota Asia viuendi oblectamenta non sufficiebat conferre. Tunc se felicem arbitratus est, cum victus ab hoste, & fuga pernoctans in tumulo, à Mardis fercula acciperet, & pocula ad mensuram, quibus mendicantis more victitaret in diem.

Nequaquam prudenter in finem contendunt, qui in via viribus lassantur, aut imbecillitate contabescunt ingressu.

Perfer et obdura, dolor hic tibi proderit olim.
Sæpe tulit lassis succus amarus opem.

eos hortatur Ouidius qui labore deterrentur, vt ad metam pertingant. Scipio Africanus labantem Reipublicæ fortunam non sustinuisset, si animo & viribus esset destitutus, cum Hispania tamquam res perdita Romanis lugeretur. Sæpè deuicti vincunt, si fortunæ non cedant. Voces sunt eiusdem præclarissimi ducis, vnde fortasse dictum est

Vna salus victis semper sperare salutem.

Vbi mentis rectitudo in fine capessendo præficitur, omnis facessit error, quo à bono aberramus. Fit omnia quæ intelliguntur intelligens; fit itidem omnia quæ peroptantur bona qui illa rectis expostul t medijs. Non sunt apta ad fælicitatem media, vel voluptatis præcipitia, vel potentiæ liui. vel Auaritiæ latebræ, vel id genus alia. Virtus ad bonum via est: ipsa beatitudinis index & imago.

Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona virtuti aiebat Plautus in Amphitruone, qui consentiens Silius Italicus canit de Virtute.

Mecum honor & laudes, & læto gloria vultu,
Et decus & niueis victoria concolor alis.

Me

Me cunctis laudo perducit ad astra triumphus,
Casta mihi domus, & celso stant colle penates.

LEX LXI.

ARS QVÆDAM HOMINI EXERCENDA.

NEque memorandæ, neque exercendæ homini sunt artes quædam maleficæ & exitiosæ humano generi infensæ. Proficuæ tantum, & salutares sunt artes humanæ, quib. fas est hominem exerceri, ne torpore aut otio contabescat. Tria numina bonarum artium tutelaria fecit Plato, eaque confederata virtuti. Ars quædam est, quæ siue in bellis, siue in togis, siue in domesticis & familiaribus rebus operosa versatur. Ægyptij imperandi artem singulari studio accersebant ab accipitre, idque ex eo quod ipsis creditum esset quondam ab Accipitre ad Thebanos librum fuisse delatum de Iustitia, religioue, aliisq; artibus & virtutibus conscriptum litteris puniceis. Nulla ars, vt bona sit, debet virtutis consortio destitui. Euadit mala, si sit sine virtute. Electæ sunt quondam à Spartanis & Romanis benè dicendi artes, ne Senatus eloquentiæ dulcedine captus in malum & nefas quiret aliquando sententiis declinare æquitate deserta. Eo consilii harmonicas artes expulere Argiui, ne frangerentur animi; modulorumque dulcedine emollirentur fortes.

Artes si cum virtute iungantur, euadunt humanæ indigentiæ leuamina. Editæ sunt in lucem artes aureo sæculo sublato ad abigendas ægestates vitæ, & declinandas miserias.

Tum variæ venere artes, labor omnia vincit
Improbus & duris vrgens in rebus egestas.

Imperator Nero omnium artium & disciplinarum Sectator simul & hostis artium bonum homini prouenjens vel inuitè confessus est, cum enim ab Astrologis audiret fore, vt aliquando detruderetur imperio, pro responsione Iambicum hoc dimetrum vsurpauit:

Terra quæuis artem alit.

quasi innueret sibi bonum nunquam defuturum; si ars aliqua superesset exercenda. Monet Sapienter Romanos Ouidius:

Disce bonas artes, moneo, Romana iuuentus:
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis,

Plutarchus in Solone ad id memorat legem Athenienfibus latam qua parentibus omnibus esset indictum, natos cuiuscumque ordinis essent arte aliqua esse instituendos, vel ob publicam, vel ob priuatam vtilitatem Probrosa fuit Lacedæmonum, & etiam Sybaritarũ nota, apud quos artes omnes velut igno-

miniosæ exularunt extortres. Contigit id (inquit Maximus Tyrius,) vel ex obcæcata hominum mente, vel ex truculenta imperantium tyrannide. Ingenij acies acuitur, & nobilior hominis pars exercetur in arte, licet faciat currentes muscas, & reptantes Serpentes; nulloque æuo oblitterabitur Callicrates, qui minutissimas ex ebore formicas edebat; semper commendandus erit Myrmecides ille Miletius, qui quadrigam perfecit, quam alis totam integeret musca, & nauem, quam apicula pinnis absconderet. Sunt artes quæcunque sint (ait Socrates) potiora rudimenta rationis, quibus homo destitutus nullum vitæ assequitur bonum.

LEX LXII.

AETAS OMNIS IN BONVM ERVDIENDA.



VNA fuit apud Cononem Atheniensium Ducem militaris Palestra, in qua omnes æquè pueri, iuuenes, & senes possent ad bellum erudiri. Vna quoque est schola Virtutis, in qua omnis ætas eruditur in bonum, siuè pueri sint detrectantes nominis imperium, siuè Iuuenes estu cupiditatum abrepti, siuè Senes ad omne vitij Senescentis genus iam deflexi. Vbi leges indictat virtus, scientia recti ab omnibus edisci potest (aiebat Socrates.) Delubrum Horræ velut Numini omni ætati apertum constituere Romani, vt Numen adhortans ad bonum æquè omnes pelliceret, nulla hominum tempora, aut personarum genera secluderet. Aureum non fortunæ sed virtutis simulachrum apud Persas prostrabat omnibus, idque non vnius sed singularum ætatum similitudine exculptum, vt omnis ætas occurreret in obsequium.

Iure incusanda nunc temporis hominum incuria, qui nulla satagunt in bonum ætate erudiri. Id Seneca, id Tacitus, id Quintilianus acerbè deplorant, infecto iam Asiaticis moribus toto terrarum imperio. Torpent (inquiunt) ingenia cuiuscumque ætatis, nec vllius honestæ rei labore vigilatur. Somnus, languorque & languore turpior, malarum rerum industria animos inuasit. Romani in conuiuijs, vbi conuiuantes erant omnis ætatis. Heroum præconia vel carmine comprehensa pangebant, vel soluta oratione recolebant, quo ad eas libentius imitandas feruescerent audientes. Hæc Athenis ipsis perfectiora putabantur Athenea, vnde ortum ducerent Camilli Scipiones & Fabritij, quorum virtute Romana res ità aucta est, vt vniuerso penè orbi imperaret.

Erudiendi sunt Iuuenes per temperantiam in animo, & per pudorem in ore, Ambraciorum Iuuenum exemplo, qui (vt ait Plutarchus) ad hoc comam inclementer attonsam Appollini iuuenilis probitatis præsidi dicabant, ne Iuuenibus illa contingat pænitentia quam memorat Tibullus.

Vidi

Vidi iam Iuuenem, premeret cum serior ætas,
Mærentem stultos præteriisse dies.

Erudiendi sunt senes, qui licet minus quàm Iuuenes ægrotent, sæuiente minus voluptatum luxu, solent tamen etiam in senecta suis voluptatibus lancinari, quarum incendia neque instigida consilescunt ætate.

A senibus prisci sanctum dixere Senatum.

vt notum esset strictiori lege teneri senes in bonum virtutis contendere. Verus virtutis cultor habitus est Themisthocles Græcorum Imperator Senex, qui cum pallidam iam præsentiret mortem Imperatorias pulsare tutres, indoluit, tum sibi demigrandum, cum adhuc licet Senex sapere posset.

LEX LXIII.

CVPIDINIS META IN BONO VIRTVTIS CONSTITVENDA.



Nimal beari natum in solo virtutis bono inuenire potest irrequietæ cupidinis metam, quæ est beatitas quædam. Vt ad eam pertingat, perenni circumuagatur errore; at quantum id assequi difficile sit innotescit ex Horatio canente

——— *vt rarò qui se vixisse, beatum*
Dicat & exacto contentus tempore vitæ
Cedat vti conuiua satur, reperire queamus.

Fatigamur omnes, vt quod volumus assequamur, at sine virtute beari, imperium est, ac perdifficile. Sine hac luce neque meliora videmus, & si intueremur, adhuc deteriora impotenter sectaremur, iuxta illud

——— *Video meliora, proboque*
Deteriora sequor.

Temporibus Luculli respondebat supplicum votis Numen non longè dissitum à templo virtutis; Nullus affulget beatitudinis splendor in antro vitæ (inquit Plato) vbi solæ volitant vmbræ noctis tenebricosæ, vbi incursantes premunt ærumnæ, vbi vitam ipsam auspicamur à lumine virtutis aberrantes. Quis fœlix sine virtutis pretio? (aiebat Boethius,) qui in sua desideria rapiuntur absque rationis imperio in ruinam præcipiti voluuntur casu absque repagulo. Nihil inuenit homo in tota rerum vniuersitate, quo animus ipse expleatur humanus sine virtute. Abiecta virtute velut anchora exsoluta relinquitur nauis humana fluctuum ditioni subiecta inspetato requietis portu; Secùs vbi Numen adstat tutelare virtutis. Virtute meliùs quam Thessala & Tempe suscitantur ad beandum amænissima loca, & Elysia arua.

Angusta iactatio fuit illa Seueri, omnia fui, cui adiectus est præteritorum dolor illa additione verborum, & nihil expedit; Amplius loqui potest vir ex virtute beatus, omnino sum & omninò expedit. Felix reputatur Hippias nobilis

bilis Sophista, cùm ad certamen Olympicum veniens omnia indumenta proprijs perfecta manibus gestat. At longè felicior, qui propria virtute omnia sibi comparat bona, quibus quiescet animus. Mensam soli dicitur homini virtus apponere, vt omnino quæ cupit, obtineat homo. Lydijs thesauris pōdere suo terram fatigantibus non est computanda fælicitas ex virtute, vbi satis est cupere, vt teneas cupidinis metam. Quidquid dant superbę ędium moles, marmorea atria, cælatæ columnæ, rasseliata cubilia, bracteati parietes, hortorum amænitas, rerum omnium affluentia, vna præbet homini virtus; cæterum sine virtute.

Seù caret optatis, seù fruitur, miser est.

Egregiè loquitur sanctus Prosper.

LEX LXIV.

NEMO CORPOREA VOLVPTATE BEANDVS.



Vædam homini voluptas est, quæ ipsum beatum facit, at ea est, quæ animo percipitur, atque honestati adblanditur, non quæ per sensuum, & corporis illecebras illabitur. Vile corporis mancipium non potest ima cupiditate ad summum sustolli degustandum bonum. Beatur homo quatenus homo, neque ditionem rationis ingreditur illecebrosa voluptas, quæ sedem posuit in sensu. At hoc sapientes Græci voluptuariam delicijsque affluentem vitam, non hominis vocarunt, sed belluæ. Noctem sine lumine dixerunt, in qua libentius solent oberrare monstra. Hannon Atheniensium Imperator tenebrosam hanc noctem beatitudinis inuenit, cum vltrà Herculis columnas enauigaret. Ad insulam appulit, in qua nocturno tantum tempore commentitij illi Elysiorum accolæ collætabantur inter sonitus, atque cymbalorum, & tympanorum strepitus.

Nocte etiam Sardanapalus Assiriorum Rex, cum iam omni voluptatum mollitie deflueret, suam quæsiuit postremam beatitatem; nam nocte ipsa gazas, opes, mulierum greges, & Eunuchorum, cætera regiæ luxuriæ ostentamenta, se ipsum quoque accensam coniecit in pyrrham. Debuit libidinum incendium, quo diù flagrauerat, alio extingui absumptum incendio, tantaque mollities solis exuti nocturnis vindicibus flammis, ea voluptarijs hominibus indicta lege,

Cum te mortalem noris; præsentibus exple
Delitijs animum, post mortem nulla voluptas.

Beari nequit homo corporis voluptate, quam semper mætor, tristitia & pænitudo comitantur.

medio

——— medio de fonte leporum.
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Indiuisum tristitiæ, & voluptatis consortium Iupiter fecit, cum illa mutuo se se accusantes de iure confinij violato, adamantina catena deuinxit. Voluptuosa beatitas ea est, quam ex cadauerum odore percipiebat Vitellius Imperator, qui dicebat hostes mortuos, licet quattriduanos benè olere, præsertim si potentes essent. Beatos inspectantes faciebat caput amputatum Maxentij Tyranni, & eiusmodi beatitudinem vix obortam trucissimus interimebat aspectus, terrorem simul incutiens ac mœrorem. Phalangium, seu Tarantula oculis oblectans, & radians attactu titillationem excitat, & virus instillat. Syrenes, pardi, hami prolectant simul & necant. Sæuiunt nimis corporeæ voluptatis lenocinia, & dum ficta placiditate demulcent, iniecta vulneratione trucidant.

——— Inde aspice latè
Florentes quondam luxus quas verterit vrbes;
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.

Fatentur id voluptates Assiriæ, quas omnes vniuerso cum auro pellicibusque ignis absumpsit; Ionicæ Polycratis delitiæ, quas destruit funditusque euertit nox indecora: Sybariticæ, quarum cultoribus non pepercit interitus; Siracusanæ quas diuturna Tyrannis calamitatibus pressit; ex quibus iure monet hominem Horatius:

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

LEX LXV.

VIRTVTE COMPARANDVS HONOR.



Ffectant plerique propendulum honoris culmen, & non aduertunt miseri, si virtute destituantur, insidas se quæritare stationes, in quibus iugi mobilitate circumaguntur. Ibi stata quies non inuenitur, vbi nec pes stare potest in decliuo. De Seiano idcirco dictum est.

——— qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes, numerosa putabat
Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset
Casus & impulsæ præceps immane ruinæ.

Immotus honoris apex, constans, ac solidum gloriæ fastigium extrà virtutem non inuenitur. Fallitur, qui sine virtute honoris capessit culmen, vt teneat. Aedium vtriusq; simul à Romanis iacta est basis. Athenienses, quos Autocthones appellabat Antisthenes, ob immutatam virtutis, & domici-

sij stationem, proprium æstimabant honorem, qui non esset à virtute diuiduus, ac propterea nulla mutatione nutans, nulla tempestate rapiendum. Achilles delata sibi à Dijs optione, honoremne vellet, vt soboles diuina, sine virtute parandum? oblatum respuit munus, Iason sola virtute aurei velleris indeptionem est assecutus

——Tu sola animos mentesque peruris
Gloria, te viridem videt immunemque senecta
Phasidos in ripa stantem, iuuenesque vocantem.

Est verus honor virtutis opus, solusque virtutis præmium, vt scribit Aristoteles ad Nicomachum, nusquam interiturum.

Fama manet facti posito velamine currunt,
Et memorem famam qui benè gessit habet.

Alexander Macedo Homerum dicebat fuisse superstitem morti licet vita functus esset. Virtutis vita neque extinguitur læthо, neque cineribus sepelitur. Imago Platonis effigiem referens se mouentis, ad hoc à Mitridate Athenis erecta est.

Is est honor verus, qui eius proprius euadit, quem affici honore contingit talis est qui virtutem imitatur agentis. Alius honor potius honorantis est, atque in aliena potestate constitutus. Nil ducebat Plato, quod à Dionysio aurigaretur, pendebat verò maximè aliquid habere, cuius intuitu ab Areopago æstimaretur. Duillius Romanus gloriabatur, quod Carthaginenses bello nauali superasset, non quod è cęna Senatus priuilegio eum ardente funali, sella curuli, & tibicine præeunte domum rediret.

——— breue irreparabile tempus
Omnibus est vitæ, sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

LEX LXVI.

VIRTVTE FORTVNANDA MISERIA.



Nihil splendidius de virtute sentiri potest, quam quod sola sit potens erumnas, & infortunia fortunare. Præstò sunt delitiæ virtuti etiam in æquuleis, & Phalaridis tauris. Hac sola inter aduersa leuatur animus, & felicitate saturatur. Deserant Amici, aduersentur principes, iactent procellæ, sola intùs reuocata serenat animum, sedat ærumnas, fortunat euentus. Satiùs de virtutibus quam de musis caneret Boethius

Has saltem nullus potuit peruincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

Fortunatus, atque infortunatus æquè beatus est (inquit Plotinus) si non dele-

deserat virtus fortunam, vel infortunium. Demonicum alloquens Isocrates hortatur ne malis cedat, si virtute sit fretus. Charilaus omnem Rempublicam licet miserijs conflictatam (aiebat) posse beatam esse, dummodo Reipub. ciues sint virtute præstantes.

Discite virtutem Iuuenes, nam sola beatos
Nos facit & diræ non timet arma necis.

Felix habitus est Alcibiades Atheniensis, non propter nobilitatem quam dedit fortuna eximiam, non ob exundantes diuitias, aut præstantissimam formam, non propter propensum ciuium fauorem; sed propter damnationem, exilium, venditionem, bonorum inopiam, odium patriæ, violentam denique necem, quæ in ipsum mala prouocauit virtus.

Marij quoque miseriam fortunauit uirtus. Ille qui Carthaginenses deuicit, qui Africam subegit, qui Regem Iugurtham egit ante currum, qui Theuthonicorum, Cymbrorumq; exercitus deleuit, qui sextum consulatum summo cum honore peregit,

Ille Iugurthino clarus Cymbrorumque triumpho,
Quo victrix toties Consule Roma fuit,

demum occupante Romam Sylla profugus, & Circæum delatum in littus cernitur sola virtute beatus mortem libenter oppetere. Vbi virtus adest, non est cum Ouidio indignandum Dijs propter miseriam proborum virorum

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso.
Sollicitor nullos esse putare Deos.

habet namque miseria suam in virtute fortunam. Marcus Regulus vir ærumnis mille fatigatus, nunquam tamen se miserum esse putauit, virtute animum à miseria patrocinante.

LEX LXVII.

AMICITIA VERITATI POSTHABENDA.

ÆQuum sanè est honorem suum amicis præstare, at magis sanctum veritatem colere, ac pro ipsa decertare.

Incorrupta fides nudaque veritas
Quando vllum inuenient parem.

gloriosè de Quintilio scribebat Horatius. Hæc duo hominibus diuinitus data sunt (inquit Pythagoras) nimirum veritatem colere, & amicis fauere; primum tamen longè diuinius esse. Honor in Phydiæ simulachro sub forma viri expressus primam veritati, quæ Virginis specie effingebatur, porrigebat manum

Haud arte tantam pictor vllus assequi

Statua-

Statuariusque pulchritudinem queat,
Tantum decorem veritatis quantus est.

Egyptij quoque Regibus suis, quos omnium virtutum characteribus volebant insignitos, gemmatum pretiosis lapidibus vinculum collo suspendebant; idque veritatis Idolum appellabant, velut appositum Numen imperantibus colendum.

Posthabenda veritati amicitia, propter dignitatem subiecti (aiunt Sapientes) nam Veritas semper constans in intellectu, quæ est nobilissima animæ facultas commoratur; Amicitia semper mobilis in voluntate mutatur, etiam propter æternitatem principij, cùm veritas a Deo fluat infallibili, & nunquam fallente. Amicitia ab humano pendet arbitrio, quod fallax est; propter excellentiam obiecti, nam Veritas mentem rapit in beatitudinem, quod amicitia non præstat, propter simplicitatem, nam veritas omni vacat affectu, Amicitia ijs maximè destinetur. Ideò Aristoteles Sanctam vocat Veritatem, nō amicitiam. Haurit velut à sole sua lumina Amicitia à Veritate. Diligitur Amicus, in quo vera elluceat virtus non apparens, & fucata; & si sine veritate diligatur, diligitur sine splendore. Antipatro roganti, vt aliquid in sui gratiam diceret alienum à vero, respondit Phocion: Nequit Antipater in tenebris, & in lumine ambulare, Phocione vti adulatore, & Amico. Nefas erat tempore Anaxagoræ, ad aras, quæ plures erant, veritati dicatas nocte confugere vbi purgabantur falsitatis obnoxij criminibus. Inde dictum, Amicus vsque ad aras; olim namque qui iurabant, manu veritatis aras contingebant.

Tango aras, mediosque ignes & Numina testor.

Attollitur etiam summè Amicitia supra veritatem, quod Amicitia a sola veritate suam mutuat firmitatem atque constantiam Filia temporis & Saturni dicta est veritas, eo quia omni tempore enascitur, & interit nunquam. Amicitiæ statuam, quæ mobilis erat, iungebant veteres cum veritate, vt immobilis euaderet, & Mercurius, qui tunc temporis Veritatis Numen habebatur, statuas suas fertur habuisse quadratas, & cubica ratione conformatas. Amicus debet esse Plato, Amicus Socrates, sed magis amica veritas.

LEX LXVIII.

VIRTVTE POTIVS QVAM GENITVRA OSTENTANDA NOBILITAS.



Illa nobilitas hominum generi æstimanda est, quam sibi vendicat, non genitura, quæ omnibus eadem est, sed meritum, & virtus, quæ est optima nobilitatis forma. Genus nobilitatis, quod immerita ostentatione iactatur, abiectionis ignobilitatisque argumentum est. Nobiles sunt non ij qui splendore nascuntur, sed qui pietate, prudentia,

animi

animi integritate,cæterisq; virtutibus diradiant. Parta sunt nobilitatis primordia, aut nefaria perfidia, & crudelitate,aut mercenaria industria. Eam in lucē protulere, vel impia fratrum, & parentum parricidia,vel funesta coniugia, vel trucidati Principes, vel id genus alia summæ improbitatis execranda facinora. Non quibus quisquis ortus sit parentibus,& cognatis inspiciendus est,sed qualis ipse sit,quamque traduxerit vitam meritis illustratam.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Subditque Iuuenalis

Stemmata quid faciunt?
Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, Nobilitas sola est, atque vnica, Virtus.

Romulus primus inter Romanos nobilitatis excepit insignia, non quia Marciam præferret in ore sanguinis venustatem, sed quia semina nobilitatis ingenitę exculta virtute optimam deducebat ad frugem Nemo altero nobilior (inquit Seneca) nisi cuius ingenium virtute præstantius est,cum vnus omniū parens mundus sit. Quinimò ignobilis est (subdit Euripides) qui iustus non est,quamuis à Ioue genus ducat. Natura æquè parens omnibus est,& sanguinis claritas ciuium præpotentum commentum est.

Non improbanda tamē est ea generis claritas,quę solet virtuti fauere. Valida est ad grādia animorū incitatrix nobilitas(aiebat Cicero in orat. pro Sextio) eratq; Romanorū vsus in demandandis imperijs generis fulgorem respicere. Viro nobili atq; ingenuo, vt plurimū animi magnitudo cōsociatur, & ipso naturæ ductu horret abiecta,meditatur excelsa. Ex melioribus meliores nascuntur.

Fortes creantur fortibus & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Eò modo quo sæpius in natis parentum, auorum, & attauorum signa seruantur, ita quoq; in animis cum corpore complicatis eædem maiorum propensiones veluti igniculi à natura assurgentes cernuntur propagari, & rarò admodum contingit, vt è Scythicis genitoribus nascantur Anacharses.

LEX LXIX.

MINIME FIDENDVM FORTVNÆ.



Fortunæ nomen, si pro causarū serie ab æterno præscripta diuinitus, neq; exhorrescunt Theologi. Damnatur hic fictum illud, & erraticū Numen, quod nullibi constat. Non est spes humana committenda fortunæ, quæ nihil affert boni, & semper desinit in malum. Dolenter deploratur Priamus apud Virgilium, quod se fortunæ commiserit

Hic finis Priami fatorum hic exitus, illum
Sorte tulit. Troiam incensam, & prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis, terrisque superbum
Regnatorem Asiæ. Iacet ingens littore truncus
Auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus.

Fortuna stultos fouet, non beatos facit. Est Senecæ oraculum. Interrogatus Apelles cur fortunam pixerit sedentem respondit, quia stare non potest, juxta illud Ouidij,

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco;
Sed modo læta venit, vultus modò sumit acerbos,
Et tantum constans in leuitate sua est.

Si præter morem quandoque constans apparet fortunæ flustrum, tunc maximè suspectum est. Quem secunda afflat fortuna, citò deprimet infortunium. tantundem fortunæ credendum est, quantum Solon credidit Cræso, & Amasis Polycrati; is in Orontis potestatem deuenit, ille Cyri mancipium factum est. Philippus Macedo insolita Fortunæ blandimenta suppliciorum portenta vocabat, acceptis simul tribus optatissimis nuncij de nato Alexandro filio, de quadrigarum victoria in Olympicis, de Dardanis per Parmenionem subactis Inclamauit. At tu fortuna leuibus nos afflice malis. Ad hoc Veteres sapientes fortunam rotundo lapidem insidentem descripsere virtutem quadrata mole sessitantem.

Deliramenta poetarum sunt, quod fortuna polum capite sustineat, & manum gestet cornu Amaltheæ; atque in hoc vnicè perhibetur deceptus Demosthenes quod fortunam insculpserit in Clypeo, a qua bonos præstolaretur euentus. Satiùs Seruius Tullius Romanorum Rex fortunæ templum extra vrbem iuxtà Tyberim collocauit, vt rem summoperè fluentem esse demonstraret, eiusque imperium extra ciuitatem exerceretur. Eximium est prudentiæ opus nihil fortunæ committere.

LEX LXX.

EX ANIMI BONIS PARANDA FELICITAS.



Orporis bona, quæ fluxa sũt, incerta, & caduca nõ nisi præteruolantẽ adstruũt felicitatis splendorẽ, Animus hac vera possessione lętatur, cũ illa cõtemnit, vt sibi ex virtute viuat. Antisthenis erat consiliũ frequens, ea esse paranda viatica, quæ cum naufrago simul enatarent. Solius animi opes (aiebat Socrates) optimæ sũt, nec vllã possunt iacturã pati Rationalis dominatus in solo animo est, eoq; ipsi dominamur felicitati,

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum

Subie-

Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis auari.

sunt equidem etiam corporis bona quædam felicitatis præsidia,& instrumenta,si in animi ministerium adhibeantur. Sunt adminicula, sinè quibus plerumque nequit virtus in lucem prodire.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Ipsa tamen felicitatem intrinsecus non attingunt, nec animum beare valent. Amuleta sunt (inquit Aristoteles) ægrotantium collo suspensa, valetudinis instrumenta. Felix est qui ex animo gaudet,& benè agit,est Lyci sententia sapientissimi viri. Extrà animum non est virtus,vel si adest,languet, & emortua est. Virtuti animum roboranti ad hoc ab Antiquis tribuebantur manus, quibus esset in parandam beatitatem operosa

——Quid virtus submersa tenebris
Proderit? obscuræ veluti sine remige puppes
Vel Lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

Beatam ideo dixere vitam sapientiores, quæ ab animo minimè otiante prodiret. Insana felicitas esset quæ solo corporis labotitio paratetur. Esset felicitas Caramantum, qui sunt barbari quidam Asiatici populi, qui studio felicitatis omni quieti corporis, siuè diurnæ, siuè nocturnæ indicebant. Quiescat corpus,laboret animus,his beatitudinem indipiscimur.

LEX LXXI.

CORPORIS BONA IN ANIMI FAMVLATVM ADHIBENDA.



Nimi maiestas corporis bonis veluti famulatorio genere ipsius dominatui inseruiente, fulcienda est. Homo non est mens sola à corpore secreta, sed mens cum corpore iuncta. Imperfecta erit illius hominis in hac vita felicitas,qui natura in ortu non matrem, sed nouercam habuerit,qui fortunam semper inspexerit aduersam, cui nulla vnquam serena dies affulserit. Viuit homo virtuti, vitam tamen agit Animo & corpori communem. Status dicitur hominis felicitas omnium bonorum aggregatione perfectus.

Beatus qui simul opes & mentem possidet canebat Pindarus;& beatus est, cui

Gratia, fama, valetudo contingit abundè,
Et Mundus victus non deficiente crumena.

Valetudo,pulchritudo, robur & bona Senectus (inquit Aristoteles) illustriora sunt humanæ fælicitatis præsidia. Respondet valetudo iustitiæ, pulchritudo temperantiæ,corporis robur fortitudini, bona senectus prudentiæ, quibus beatur homo.

Absque valetudine nec facilè in animo boni receptantur habitus, nec probæ actiones facile emittuntur.

Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano.

Herodicus ea de causa minimè felix habitus est, quod semper ægrotaret, licet cætera bona in felicitatem adspirarent. Plato quoque hac vna redarguitur ratione, quod Accademiæ locum, vbi animi cultus edocebatur, sub insalubri elegerit cælo.

Beatos recenset Aristoteles Iuuenes illos pulcherrimos, qui Pentathli dicebantur, hoc est ex quinque certaminibus victores, lucta, cursu, saltu, disco, iaculatione; Idque dictum est, quod etiam oris venustas sociata virtuti esset potens ad beandum. Populi quidam Indorum in demandandis imperijs feliciores eligebant, hoc est, corporis forma, & dignitate præclariores. Nemo monstrosus in corpore, dicitur à Physiognomis, beatus in animo. Formæ decorem quædam altitudo mentis atque indolis comitatur. Apud Homerum Achilles omniũ Græcorum formosissimus inducitur, Idemq; optimus, ac beatus Heros; Thersites contra omnium turpissimus, nullius pretij; minimæ felicitatis.

Etiam bonæ senectutis, & corporei roboris adiumento beatur animus; beatumque genus in Xenophilo Pythagorico, Massinissa Numidarum Rege, & Valerio Coruino commendatur, sicut robustorum in Hercule, Achille, alijsque quam plurimis.

LEX LXXII.

ANIMO MAGIS QVAM CORPORI VIVENDVM.

SOli adscribitur animo immortalis rationis imperium, quo vita potissimum transigitur humana. Id in vnoquoque optimum est (inquit Seneca) quo nascitur quisque Rationi, & animo nascitur homo, plusquam corpori, atque adeo corporis vita minus homini æstimanda. Ex animo virtuti deuoto totum hominem describit Ouidius suã traducere vitam, mentique potiùs suprema petenti, quam corpori ad occidua proclinanti adscribit viuere.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est.

Quæ extrà animum sunt, dicuntur quodãmodo etiam extrà hominem esse; neque vita potest in corpore esse, quod animi carcer & sepulchrum.

—— quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra
Hinc metuunt, cupiuntque dolent, & carcere cæco

Respi-

Respiciunt clausæ tenebris & carcere cæco.

Vitæ potius sepulchrum est hominis corpus quam vita, sepelitur animus (inquit Socrates alloquens Critonem) quamdiù viuit, & sepulchrum corpus est, nondum morte aduentante. Inter viuentes non dignoscebat Cynicus homines esse, qui corpore viuitarent in diem. Homines quæritans indolebat se tantum hominum vmbras inuenire. Ea de causa testatur Laertius Heraclitum luxisse, & Democritum risisse. Animi vita homini propria est; corporis, stirpibus, plantis, & belluis communis. Ea etiam est, quam Dijs competere aiebat Aristoteles, animo quadam tenus ratione similibus homini. Animus vbi viuit, perpetuum & nunquam interiturum vere florescit, animusque viuens ridentia semper, rigentia nunquam experitur tempora

Victus vbi facilis, non nix, non frigora, & imbres
Stridula sed semper Zefirorum sibilat aura,
Quam placidam oceanus mittit per amena vireta.

Describitur animi vita, qua aiebat Socrates Archelaum beatum esse.

LEX LXXIII.

OPES VELVT ONVS INFESTVM DIMITTENDÆ.



Vdæmonas, felices nempè, diuites omnes appellant Græci apud Euripidem. Beatissimos prædicant latini Reges Phrigum, & Lydorũ auro & opibus exundantes. Nec desunt qui virtutem ipsam pecunijs post habendam iudicant insanè:

Et genus, & formam Regina pecunia donat,
Virtus post nummos

fortassè (vt subdit Horatius) quia,

—— —— omnia pulchris
Diuitijs insunt

At id afferentes plusquam palmaris dementauit error. Nequit quiescere, expleri, ac plenè exsaturari humana cupiditas vbi irrequietum auri studium anhelos commiscet labores dulci quodam fallente lenocinio. Sunt opes onus infestum potius dimittendum citò, quam diuturno sudore capessendum. Aristippus hominem dispiciens summo labore sacculum pecuniæ deferentem, clamauit à longe (stulte mitte onus.) Ideo pondus sollicitudinum benè dicta est pecunia à Propertio.

Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ es,
Per te immaturæ mortis adimus iter.
Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo est:

Seneca sub Nerone coaceruandæ pecuniæ miserias expertus est, nec

oneri portando fuit satis: Summus labor, & summa miseria iunguntur in congestione diuitiarum; hasque qui affectant exilio sibi voluntariè indicto, sponte profugi, & exorres per totum commeant terrarum orbem, atque importuosa, ac monstris importuna traicientes maria infinita propemodum suscipiunt pericula.

Impiger extremos currit mercator ad Indos:
Per mare pauperiem fugiens per saxa, per ignes.

Dimissum est hoc opum aquirendarum onus à Thalete, Solone & vitam, quam prius inierat quęstuosam reliquere, se contemplandę veritati committentes: Diogenes ipse diuitiarum vitam vocabat naturæ contraria, quod nimirum naturæ quieti desiderio æstuanti, ipsa contrarios paret motus, infestosque conflictus.

Apud Thebanos columna erat in qua diræ execrationes in Regem Menin continebantur, tamquam in hostem naturæ, quod ipse molliorem viuendi cultum opum profusione primus inuenisset, à quo miserrima dimanaret vita. Affluebat superabundè omni delitiarum genere Imperator Caligula, ac ea tantum tempestatè reputabatur felix, cum immensus aureorum aceruus si non animo, saltem pede conculcaret.

Infestissimæ sunt diuitiarum curæ; Carcer erat ænea illa turris in qua Danae seruabatur inclusa, quæ Iouem aureo imbre labentem mollissimo excepit hospitio. Crates iturus Athenas, magnum auri pondus abiecit, eo quod prorsus insociabiles essent opes & virtutes.

Prima peregrinos obscena pecunia mores
Intulit & turpi fregerunt secula morsu
Diuitiæ molles.

LEX LXXIV.

VELVT MISERIÆ LEVAMEN AMPLECTENDA PAVPERIES.

NVlla præmitur miseria qui sola pauperie miser est. De Cynici pauperie benè poterat occinere Lucretius.

——priuata dolore omni priuata periclis
Ipsa suit pollens opibus nil indiga nostri.

de quo etiam habet Maximus Tyrius: Non minus iucundè Diogenes vsus est dolio, quam Xerses Babylone; non minus sicco pane, quam condito iure, Smyndirides, nec minus fonte, quam Choaspe Cambyses. Non minus sole, quam purpureis amictib. Sardanapalus; non minus libenter baculum gestauit, quam hastam Alexander; nec denique minus mactram & peram suam dilexit, quam thesauros Cræsus. Quin in his omnib. felicior Diogenes; nam angitur Xerses superatus in pugna, vulneratus gemit Cambyses, exustus eiu-

lat

lat Sardanapalus, captiuus lachrymatur Cræsus, bellare proibitus dolet Alexander: Diogenes semper hilaris semper iubilat felix, etiam in summa rerum inopia sibi satis.

Gyges occupato Lydiæ regno armis & diuitijs affluentissimo Apollinem sciscitatum venit. Quis mortalium se felicior esset; voce missa è specu sacrarij Apollo Aglaum quemdam prætulit, qui erat Arcadum pauperrimus, & fines agelli sui numquam excesserat

Beatus ille qui procul negotijs
Vt prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis.

Etiam Furii paupertas à Catullo decantatur beata, quod nihil optabile ei relictum esset. In humili casa quietiùs dormitur, simpliciori amictu commodius frigus depellitur, tenuiore cibo fames præclarius restinguitur.

Quantum Epicure tibi paruis suffecit in hortis.

De Epicuro ipso traditum est; cuius doctrina est paupertatem locupletem euaderesi cum virtute libenter ocietur, virosq; virtute præstantes beata pauperum magnificentia iucundissimè frui. Qui omnia in virtute tenet, nihil est, quod in pauperie exhorrescat. Erat Socratis ratiocinium, Diogenes licet non Atticus, non Doricus fuerit, non Solonis educatione, non Licurgi institutione eruditus, solo consulto Apolline de pauperrima vita transigenda, beatus decantatur;

O fortunatos nimium sua si bona norint
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.

LEX LXXV.

NIHIL BONI; VEL MALI ASTRIS ADSCRIBENDVM.



Strorum sydeumque iura in elementa, viuentia, bruta, hominesque ipsos licet quodammodo exerceantur, ea tamen quæ in animo sunt, ac sola arbitrij lege reguntur, cœlestem dominatum prorsus excludunt, neque planetarum admittunt imperium. Longè altiora sunt animi bona atque ordine sublimiore locata, Non sunt animi bona commentitiæ illæ cælestium planetarum particulæ è cælo in humanum ruentes genus, quibus sine labore homines ditari atque intus ornari arbitrabantur Stoici. Non est virtus fictitium illud errantis phantasiæ portentum, magnum quoddam animal non nemini innocuum, cunctis proficuum, delapsum cælo, congenitum astris. Valent quidem Astra, sydera, & planetæ ad præstituendam in homine qualitatum temperaturam; at animũ huiusmodi tẽperaturæ subiacentem aut parentem agnoscere prorsus est nefas.

Fal-

Falluntur omnes, qui ex inditis à natura in corpore signis, intimas rimantur animi affectiones sine rationis imperio prodeuntes.

Fas est tantummodo lemmata ab astris in corpore constituta decerpere, vbi putatur animus velut princeps dominator libertatis iura tueri & exercere. Saturnus, vnde Satyri dicti sunt, ad summum quamdam sui dicitur immittere particulam in homines hirsutos, iracundos atque ad generandum procliues. A Ioue faciem benè compositam, à Marte bellicum robur. A Phœbo hilaritatem, à Venere geneseos domina, propensionem generi propagando deditam, dicuntur vulgo homines accipere; at nil aliud quod in arbitrium cadat.

—— Per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis.

De Venere canit Lucretius.

Fabulæ sunt illæ quæ in suscipiendis operibus monent quintam Lunam esse fugiendam tamquam malè ominantem si de rebus quibus se immisceat ratio id intelligatur. Fabulatus est Virgilius, cum dixit quintam Lunam natos efficere superbos, Deorum contemptores, atque ad omnem vergentes impietatem.

Ipsas dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge: pallidus orcus
Eumenisque sata: tum partu terra nefando
Cæumque Japetumque creat, sæuumque Typhœa
Et coniuratos cęlum rescindere fratres.

Astris & syderib. tantummodo adscribenda, quæ absque arbitrij læsione possunt homini euenire.

LEX LXXVI.

OMNE BONVM ADSCRIBENDVM VIRTVTI.



NOn astris, sed virtutibus omne bonum homini datur. Hæ sunt, quæ optimos & præstantissimos efficiunt viros, cum nemo virtute malè vti queat. Pietas non est, quæ ad inanis gloriolæ aucupium exercetur, neque Temperantia est, quæ in sordidam adhibetur parcitatem. Nullum malum à virtute progignitur, sed omne bonum. Scipionem his alloquuta carminib. dicitur Virtus ad optima bona prolectasse.

Hinc tibi, non Tyrio vitiatas murice, vestes
Nec donum deforme viro flagrantis amomi,
Sed dabo, qui vestrum sæuo nunc Marte fatigat
Imperium, superare manu, laurumque superbam

In

In gremio Iouis excisis deponere Pœnis.
Quæ postquam cecinit sacrato pectore virtus
Exemplis lætum vultuque audita probantem
Conuertit Iuuenem.

Vbi virtus est, ibi optima quæque fas est inueniri, at vbi ipsa defecerit, eò necessum est, omnia mala aduentare. Margites qui ab Homero incusatur tamquam vir omni virtute destitutus

Quem nec fossorem voluerunt Numina Diuum
Esse, nec Agricolam, nec in vllo munere vitæ
Versatum, gnarumque operis, scitumque laboris.

Excusatur ab alijs, quod è ragione esset ortus, in qua perempta virtute, natura quædam mala dominaretur. Vulgatissima est Demadis oratoris vox, qua Alexandri Macedonis exercitus mala cohors dicta est, quod inter bellandum abuteretur Virtute. Virtuti nullum potest malum consociari; Non est prudentia quæ collimat in fraudem, sed calliditas. Non animi magnitudo, quæ ad alienæ virtutis splendorem exardescit in flammam, sed inuidia. Fortitudo, quæ dum fortem excitat ad pericula, eidem creat exitium, temeritas est, non prudens animi robur

—— Torrens dicendi copia multis
Et sua mortifera est facundia, viribus ille
Confisus periit, admirandisque lacertis.

Valdè dissiti sunt fines virtutis & vitij, licet sæpè contendat vitium virtutis ditionem occupare, eo tamen segregantur confinio, vt vbi virtus, nullum adsit malum, vbi vitium & crimen, nullum bonum.

LEX LXXVII.

SOLA MORS INDECORA METVENDA.

NEque metus omnis abigendus est mortis, neque contemptus omnis eiusdem animo excipiendus. Mors est, quam fas sit perhorrescere, alteram verò nefas est formidare. In gloriæ mortis discrimina formidanda sunt, eiusdem gloriosa pericula interrito suscipienda prospectu. Abiurant clarissimi viri genus omne turpis Interitus, atque ingnobile funus summoperè auuersantur. Doles memoratur Achilles apud Homerum, atque indignabundus ob mortis pericula, quæ subire dedeceret Heroem.

—— Causa æquior esset
Si fortis fortem interimat; nam mortis honestæ
Impia fata adimunt solatia. Scilicet iste
Obruar in fluuio ceu natus patre subulco.

Quem

Quem Torrentis hyems ignota condat arena.

Æneas apud Virgilium Iliacis mallet in campis occubuisse, quam in mari, medijsque fluctibus sine gloria interire. Præstantibus viris ius est inuiolandum, ignobile exitium refugere, sicut contrà obuiam ire morti ex honestissima causa aduenranti præclarissimum est, & pulcherrimum. Pulchram ideò mortem in acie gloriosè susceptam appellant poetæ

——— Corpora bello

Obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

Xenophon pulchriorem natum habuisse vita iam functum gloriatur, quã viuentem, idque quia gloriosè occubuit, dum pro patria strenuè dimicaret. Lugeri vetat ille Spartanus filium suum apud Ausonium, quod esset extinctus in bello. Plato sapientissimè dixit fortes solas res turpes atque indecoras metuere. Obuersatur fortitudo in rebus illis, malisque occupatur propter quæ qui non extimescit, laudatur. Extimescit Vlysses mortem aut ex hostium dolo, aut ex maris tempestate imminentem. Thiestes apud Ennium ex odio fratris Atrei optat vt naufragio pereat, quod genus illud mortis inglorium sit, magnisque viris dolorem afferat non ferendum.

Aut spolijs ego laudabor opimis

Aut letho insigni.

gloriosè iactabat Pallas. Locrensi Aristides & Tartesiæ mustelæ morsu moriturus dixit, minus grauem sibi futurum illum acerbissimum casum si à Leone vel Pardali contigisset. Quæstus est Callicrates quod à gregario milite transfixus esset, & quod ante mortem sua sibi manu aduersus hostem vti non licuisset. Iustissimæ sunt cæterorum illustrium virorum querelæ egerrimè sustinentium mori ex morbo, vel ex alio obscuro casu.

LEX LXXVIII.

A FVCO VIRTVTIS SVMMOPERE ABSTINENDVM.



Vitia specie laruata virtutis hominem possidere, summum crimen est. Non sunt virtutes, quæ solam virtutis imitantur imaginem virii erroribus efformatam, monstra sunt eamdem virtutem latenter interimentia. Nocentissima ea mala æstimanda sunt, quæ irrepunt sub persona virtutis. Crimina deceptoria fraude velata reuelant abscondita scelera, eaque sistunt in propatulo. Iam prodit malitia prudentiæ nomine palliata, iam Auaritia Temperantiam, Superbia animi magnitudinem, Liberalitas prodigentiam, fortitudo audaciam, Iustitia sæuitiam, Religio superstitionem imitatur.

At nos virtutes ipsas inuertimus, atque

Sincerum cupimus vas incrustare.

Et

Et mala sunt vicina bonis errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpè tulit.

Vulgatissima sunt sapientiorum poëtarum oracula, Cato vticensis potius ex inuidia gloriæ Cæsaris, atque ex animi mollitie sibi intulit necem, quam ex ostentato animi robore. Troianus Eneas impietatis crimine damnatur à Lactantio dum pietatis exercet officia erga Pallantem, Turnum interimens, à quo Pallas fuerat interemptus.

———Pallas te hoc vulnere Pallas
Immolat & pœnam scelerato ex sanguine sumit.

Vbique locorum vitiorum nomenclatura perperam aptatur virtutibus; ex quo Cato apud Plutarchum properum auguratur illius Reipub. exitium, quæ eò deuenisset, Luget Plutarchus ipse Athenienses, cum Solonem imitati, qui æris alieni condonationem nouas tabulas appellauerat, Furias, Deas venerabiles, scorta, amicas, tributa, descriptiones nominarunt. Id infeliciter ad nos vsque propagatum est, quibus, vt de suo tempore Marius Victor indolebat.

———Illud honestum est
Vtile quod fuerit, vitijsque vocabula recti
Indimus & parci cognomen sumit honestus.

Circumferuntur timiditates cautelæ nomine fucatæ, sordes frugalitatis palliatæ vocabulo, fœdis dediti amoribus, comes & amantes, cum tamen ea res sit, quæ Siculos subuertit, Dionysij & Phalaridis crudelitatem tamquam iustitiam venerantes, quæ Ægyptum perdidit, cum Ptolomæi muliebritates Diuinos afflatus appellarent, quæ etiam Romanorum mores fundirus subtulit, cum Antonij libidines hilaritates animi vocitarent.

Fuit hæc etiam Neronis & aliorum principium nota, qui dum musicarentur, vocabantur Apollines, cum inebriarentur Bacchi, cum illecebrosè luctarentur Hercules. Ità in omne improbitatis genus virtutis operimento trahebantur.

Censebatur plusquam Heroica Alcibiadis virtus, qua omnium gentium sibi mancipabat affectus, cum Athenis dicterijs ludens festiuam ageret vitam; cum apud Lacedæmonias ad cutem vsque raderetur; cum in Thracia belligeraretur, cum ad Tissaphernem delicijs afflueret, vt omnibus omnia fieret; at eo virtutis nomine vanitatis labem, fastumq; suum dicebatur fraudolenter insignire.

LEX LXXIX.

IVDICIVM RECTVM NVLLA FLECTENDVM ILLECEBRA.

OMnis hominum error, quo mẽs corrumpitur sana, quo ad decliue conuerritur ductu quodam fraudolento, à voluptatis illicio corriuat. Omne

ne licet clarissimum, mentis lumen si voluptas irrepat, caligine perfunditur. Canis rabidus dicta est voluptas à Nazianzeno, quo cuncta rectæ rationis vorantur bona, & laniantur. Dicta est cęci Annibalis canis ductor ad miserias, cum Annibal ipse inter Campaniæ illecebras velut cæcus expingeretur. Ob id Archyta cum voluptatem æstimaret totius naturæ infortunium, vt insania potius quam voluptate corriperetur à superis precabatur. Hippocrates eam vniuersum mentis & corporis morbum appellabat, cum deprehenderet voluptatem totum hebetare hominem, principem ledere animæ partem, capitolium arasque rationis euertere. Morbus Sacer ab Aureliano dicta est, quod iudicium & mentem inuadat, quæ est hominis Sacrum & delubrum. Labes est illa deterrima de qua Quintus Serenus cecinit.

Sæpe etenim membris ægro languore caducis
Consilium populi labes horrenda diremit.

Ideò consulente Praxagora iubebatur caput abradi ex nimia ægrotantib. voluptate, vt sine Venere rasum caput non esset absque rationis lumine; Nec sine mysterio priscis Romanis culta est Venus sine capillitio, quam caluam dixere, vt caput sine Venere, in Venere ipsam Mineruam, scilicet mentem lumine illustratam exprimeret.

Mentis perniciem à voluptate irrogatam Tyrannidis appellatione exprimit scitè Maximus Tyrius. Vbi ita confunditur ordo, ut imperet voluptas, morem gerat ratio, durus animo Tyrannus atque inexorabilis præficitur. Dimouetur de statu suo per voluptatem quæcumque mens recta, & dum quieta, tranquillaque degit, si flatus illecebrosus ingruerit, commota illico deflectit à recto. Mens voluptatis irretita euadit mendacij mancipium (ait Lactantius) resque tantum fuco personatas examat, fulgor est aduocans pœnitentiæ fulmen.

Est in ætate hominum ita Dijs placitum,
Voluptati vt mœror comes sequatur.

Ludus illudens voluntate constituitur (inquit Seneca) vbi plerique illicijs ipsis, queis prolectantur, falluntur, immo absorbentur, ut nauis illa ad omne voluptatis genus instructa à Rege Ægypti, quæ ibi mersa est, ubi structuram fuerat sortita.

LEX LXXX.

HVMANA LIBERTAS IN BONVM ADHIBENDA.

IRriti sunt eorum conatus, qui ab homine libertatem conantur adimere, vt magis familiaria efficiant scelera. Inducitur peccandi necessitas, ut libidines & uoluptates uelato crimine faciliùs contegantur.

Odi, nec possum cupiens non esse quod odi,

Au-

Auferor vt rapida concita puppis aqua.

Non est veluti lapis humana voluntas, quæ à sublimi innata vi rapiatur ad imum. Prorsus fatua est fatalis illa agendi necessitas, quam adstruebant Stoici. Seruus ille damnatus ad crucem ex perpetrata rapina de fato suo redarguit Zenonem Stoicorum principem.

Non fit spontè bonus, cui non est prompta voluntas
Velle aliud, flexosque animi conuertere sensus.

Non diuiduntur à superis fatales quidam Genij omnibus hominibus in lucem, & natiuitatem errumpentibus. Liber vnicuique Genius est liberrima voluntas. Tories variata sors fati Romani ostendit clarè nil fato contingere, aut necessitatis lege. Hæc scitè in Genios fatales, atque genialia fata velut tela intorquentur carmina.

Quæ quia constituunt, dicant, cur condita sit lex
Bis sex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus.

Nugantur Astrologi, mentiuntur, aut insaniunt operosè cum ex syderum positura præsertim in natiuitate libertatem temerari fabulantur. Nil fieri potest ab homine libero vrgentibus Astris. Quidquid voluntate peragitur in libera collocatur potestate. Ferocire potest appetitus humanus, ac summa quandoque efficacitate in facinoris consortium voluntatem abripere, at nullam inferre potest liberæ facultati necessitatem. Prostat summi principis edictum: sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.

Neque diuturna criminum series, quæ hominem summè perditum facit, & morbosa vitiorum consuetudine prorsus tabescentem potens est libertatem adimere, aut imminuere. Semper in bonum omni malo proposito potest adhiberi voluntas humana. Nulla consuetudo ità cum homine pugnat vt libertatem expugnet. Quos diuturnus vitiorum turbo iactauit, quos pænè naufragos fecit criminum tempestas per sæpè ad portum reuexere resipiscentię flatus ex sola libertate in bonum adhibita concitatus. Eo modo resipuere Catullus & Scipio apud Larinum pacatum.

LEX LXXXI.

VXORES AD HONESTATEM ADHIBENDÆ.



OMINI diuinitùs indita lex est, vt in vnoquoque quod agitur spectetur honestas, non voluptas. Honesta coniugij causa est, vt soboles humana propagetur, vt parentes posteros nanciscantur & hæredes.

Trado ferendis liberis legitimis.
Natam hanc tibi meam.

aiebat Menander. Nomen dignitatis est vxor, non voluptatis, nec debet coniugium meretricium quoddam opus esse, sed potius Castitatis schola.

Probitas, fides, mores, pudorque coniugis placeant marito

iubet Seneca in Octauia. Ob id in vxore primum virtus & fama consideranda est, non forma, aut oris species, nam

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.

Nocuit Lucretiæ venusta facies, nocuit speciosus Decor Virgineæ; Gibbosam plerumque præstaret vxorem esse, quam excellentissima forma decotam, etenim

—— rara est concordia formæ,
Atque pudicitiæ.

Vxoris ornatus sit intra fines & honestate præscriptos. Quæ corpore ornatior est, mente vt plurimum deterior sit. Sit vultus sine fuco, vestis sine arte, corpus totum sine odore. Mulier benè olet, quæ nihil olet (aiebat Plautus) vbi fucatum est corpus, fucatus animus est, quippe dolosi homini dolosa sunt indumenta, vt apud Herodotum testatus est Ethiopum Rex

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extensis magnos commisit elenchos,

Ideò Spartani mulieribus suis vsum auri interdixerunt, & apud Romanos lex Oppia concessit tantum mulieribus, vt semiunciam auri possent gestare, nec vestes versicolores haberent. Satis vxori debet esse, quod viri socia sit, vnumq; cum ipso cor velut honestę vitæ magistratum, vt Aristoteles tradit, in politicis gerat. Exprobrantur in hac parte Romani; qui cum gentibus omnibus armis imperitarét, ipsis imperarent vxores ad inhonesta vergentes. Indelebilis est illa ignominiæ nota, qua fædatus est Olorus Thraciæ Rex, cū populos à se victos mulieribus & vxoribus seruire præcepit. Excedunt hæc honesti fines coniugij.

LEX LXXXII.

NIL HOMINI AGENDVM QVOD BRVTALE SIT.



Rror Porphirij fuit, Animal omne posse virtute præstare, cunctaque Bruta posse ratione & oratione vti ad virtutē. Redarguuntur Melampus, Tyresias & Thales, à quibus creduntur Bruta inter se colloqui de virtute paranda. Fabulatus est Appollonius, cum dixit se hirundinē audisse socijs ex Caritate nunciantem, Asellum propè vrbem cecidisse, triticumq; diffusum esse, vt eò ocissimè volitantes famelicę saturarentur.

Somnia

Somnia denique sunt quæ circumferuntur de Cane Vlyssis, de equis Alexandri Cæsaris & Traiani; de coturnicibus apud Athenienses, alijsque huiusmodi quamplurimis. Nil habent Bruta, quo cum humanæ mentis dignitate contendant; nilque debet habere homo, quo cum Brutis in agendo communicet.

Iugiter memorandum mysterium Cyrcæum, quo conuersiones hominum in belluas ex vitiorum cumulo describit Homerus. Vitia non humana, sed brutalia monstra appellat Plutarchus; subdit Boetius hominem vitijs deformatum hominem æstimari non posse:

Non furor est tantus Pantheræ siue Leonis
Siue immanis Apri, quo vix vehementius vlla
Perfurit, & rabie desæuit bestia tanta
Pantridæ claris vt quanta ferocia in armis.

Est dictum Homeri ad hanc rem, cuius mens ea fuit, Plutarcho testante: vt innueret, animas hominum quos vitia dementarent in bestiarum corpora commigrare, ac prorsus humanitatem deserere, per vniuersi circularem reuolutionem, quæ Cyrces appellatur & Solis filia. Ideo Vlysses qui à Mercurio virtute, & sapientia communitur, non deprehenditur talem subire mutationem. Platonici quoque cum intuerentur Animarum alias furiosas, alias rapaces, iracundas alias, eas luporum, ac leonum corpora subire putauerunt, & quæ luxuriæ se dedere, in Asinos, aliasque eiusce modi belluas abire iudicarunt. Et sunt animantia bruta, quæ palmaria quædam crimina turpesque motus innata sibi vendicant propensione. Brutale prorsus est brutorum more vitia non exhorrescere.

Omne adeò genus in terris, hominumque ferrarumque,
Et genus æquorum, pecudes, pictæque volucres
Jnfurias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.

Est cantus Maronis mutuatus à Sophocle, vt brutales delinearet cupiditates, quibus deficeret rationis imperium. Potest abripi homo in cupiditates & crimina, sed apprehensa rationis habena, præpediti potest, ne ruat in præceps.

LEX LXXXIII.

PRÆSCRIBENDVS IRÆ MODVS.



IRÆ vitium æque in excessu & in defectu positum est. In culpa est, & seruilitatis damnatur, qui quo tempore prudentia dictat, refugit irasci: Ità crimine non vacat, qui effrænes & sine lege conceptos non moderatur impetus & furores. Probabile atque inauditũ scelus fuit Timonis Atheniensis, qui in genus humanũ irascebatur morta

les omnes peroptans interemptos; eoque tantum nomine Alcibiadem complexus est, quod esset aliquando Atheniensibus multa illaturus mala. Sacrilegus hominum osor iure dictus est Timon ad tumulum eo nobilitatus elogio

Hic osor iaceo Timon hominumque Deumque,
Hic sum post vitam miseramque inopemque sepultus
Nomen ne quaeras; Dij, lector, te male perdant.

Caligulae furor nefaria voce exhibitus est in Theatro, cum clamaret vtinam, populus Romanus vnam ceruicem haberet, quae faciliùs vno ictu posset abscindi.

Non est illegitimum irae genus in bellatoribus egregijs, aut in alijs viris praestantissimis, cum eò succensent nomine, quod in paruo habeantur pretio, Iustè irascens laudatur Turnus cum ait.

Pulsus ego? aut quisquam meritò me foedissimè pulsum
Arguet?

Iustè indignata est Dido aduersus Aeneam, cum ipsum notasset nullo angore dolentem, vbi dolores Didonem conflictarent.

Num fletu ingemuit nostro, num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?

Iure Aiax succenset Vlyssi, cum secum Vlysses de armis Achillis concertaret.

Modus irae omnibus adhibendus est, se praesertim imperantibus, nam imperantium illud ingenium est, vt facilè ira excandescant.

———— Commota bile tumebit
Iratus cunctorum dominans.

Ideò Agamemnonis iram reformidat Chalcas in Iliade, cum iussus ab Apolline causam proferre, cur Apollo Graecorum copias pestilentia conficeret, renuit loqui.

Ab Ioue natorum certè ira est maxima Regum. Non est aliquis in iram concitandus, aut ex voluptate, aut ex vindicta. Crimen est, his excandere furoribus. Ibi irascendum, vbi ad iram nulla excitat efferata cupiditas. Diogeni de non irascendo accurate differenti, Adolescens veluti periculum faciens, an re praestaret ea, quam docebat, inspuit in faciem; Tulit hoc leniter ac sapienter Diogenes, dixitque non irascor, at oporteret irasci.

LEX LXXXIV.

EXTREMA SEMPER DECLINANDA.

VBi sedem collocauit virtus, ibi exilium vitijs extremis indictum est. Medium iter omnibus ad securitatem constituitur, & qui à medio aberrat tramite Icari luit poenas, cui praeceptum à parente datum est

Me-

Media tutissimus ibis

Ars quæcumque mediocritatem postulat, vt perfecta sit, & omnibus dicatur numeris absoluta. Scripta Lysiæ oratoris & Platonis philosophi eo commendata sunt nomine à Phauorino, quod nullum tangant extremum. Lætari nimium vitio non caret, & mentem perpetuo obductam mærore tenere, reprehensione non vacat; Lætari vbi, quando & quomodo oportet, id laudabile est.

Extrema omnia sunt viæ ad mala (aiebant Pythagorici) medium virtutis ad felicitatem est trames.

Virtus est medium vitiorum vtrinque redactum
Me Dea sic docuit, moderamen amabile dixit,

Sunt vulgata virtutis elogia. Extrema declinare, captare media, quibus dirigitur ratio, & supprimitur affectio, sunt munera virtutis. Fortitudo medium est inter audaciam & timiditatem, Liberalitas inter prodigentiam & auaritiem, sic de cæteris. Certi virtuti constituuntur fines,

Quos vltrà citròque nequit consistere rectum.

Medium obtinet virtus & hominis ratio, & vbi deficit medium deficit humanitas. Non sunt homines Centauri, quos solummodo extrema constituût. Non satest caput & pectus gestare humanum, si reliqua transfunduntur in brutum. In medio humana ratio velut in nobili capitolio imperium tuetur suum. Monstrosum sentientis animæ satellitium extremum facit, ni medio virtutis corrigatur, & reformetur. Perturbationes ex corporis consuetudine in animos transcriptæ, ab animis ipsis vexui facilè possunt, si vitiorum veneficio à meta virtutis, quæ medietas est agendi, non elongantur.

E medio cęlo afferunt Platonici Animas esse adhæc inferiora delapsas. Ærumnoso errore circumaguntur inter extrema, quoadusque redeant ad medium. Vitia indita corpori extrema sunt, quæ pondus faciunt, animasque retrahunt.

Igneus est ollis vigor & cælestis origo
Seminibus quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras
Aspiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.

LEX LXXXV.

AFFECTVVM VIS COHIBENDA.

Diuinæ vocis oraculum est (sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.) Coercendi sunt affectus, cum modum excedunt, & animum vehementiùs, quam par est, abripiunt. Regium est ita viuere (aie-

bat Cicero ad Syllam) vt nulli seruias cupiditati, nec vlla maior est victoria, quam sui.

Latius regnes, auidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque pœnus
Seruiat vni.

Vir qui animum vincit, qui iracundiam cohibet, qui libidinem reprimit, qui timore non frangitur, qui disperatione non perditur simillimus Deo iudicatur à Tullio, & à Catone. Imperator optimus est, qui sibi, suisque cupiditatibus non famulatur. Seruus abiectus, qui nescit ab affectuum se eximere seruitute. Herculem monstrorum olim dominatorem, sub cuius claua contremuit orbis, una muliercula immanibus exuit armis, & sibi subegit. Rex Alexander, qui iam omnia cætera regna, captus est à muliere, dum in Indiam proficisceretur. Multi equum agitare norunt, qui nequeunt appetitum cohibere; multi gladium facilè rotant, qui cupiditate in ambitionem, aut aliud simile scelus faciliùs rotantur, multi flumina tranant, furentia superant maria, qui in pelago luxuriæ submerguntur.

Ea affectuum vis est, ut non animum tantum, sed ipsum quoque corpus afficiant. Repentinum gaudium, aut inopinata tristitia sæpè morbum, non rarò mortem adfert. Dolor animi magnum corporis tormentum est; Si quod inflictum sit corpori vulnus, præcipuus animi dolor est, qui de remedio vndequaque sollicitus est; Ideò vis affectuum in vtroque cohibenda. In virtute est, qui non omni, sed effræni solum caret affectu. Sapientes quoque affectibus tangi, at non immutari fatebatur Plato. Insani sunt (inquit Lactantius) qui hominem mite, ac sociale animal orbant suo nomine, & euulsis funditus affectibus, quibus omnis constat humanitas, ad immobilem mentis stuporem perducunt. Aqua semper iacens, & quieta insalubris est, & cænosa; sic animus immotus, ac torpens; bonum est affectibus iactitari, ac non submergi.

Modus ab exordio affectibus præscribendus est, ne crescant extrà modum; extinguendus est in prima scintilla ignis, ne cuncta deuastet incendium.

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus
Si piget, in primo limine siste pedem
Opprime, dum noua sunt subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus.

Suggerit hoc remedium Ouidius, qui subdit

Nam mora dat vires.





LEX XLIX XXIV II

NVNQVAM ANIMVS MÆRORI COMMITTENDVS.



HVmani generis infirmitas est tristitiæ ac merori animum dare, at eiusdem robur est ærumnas omnes casusque licet plorabiles infra fortunam suam opinari. Vitio datum est Ciceroni, etsi tantæ excellentiæ viro, quod flens, mutataque veste, ne in exilium abire cogeretur, pænè singulos supplex adierit. Laudatur Lacena illa mulier, quæ audita filij morte pœne ridens gratias egit, quod filiũ eiusmodi peperisset, qui pro patriæ salute occubuisset. Non ferendi sunt grauiter illi casus, quos nullo consilio vitare, aut vincere possumus. Dolorem leuat communis legis, & humanæ conditionis recordatio.

Tristitia sanè naturalis non est, at potius inimica naturæ; tota est ab opinione, imò tota ab errore, & abiecti animi semper est signum. Vna est quæ euentum tristem reformidat opinio, & cordis abiectio. Nati sumus & in hanc lucem missi, non vt legem naturæ ponamus, sed quidquid euenerit, submisso & constanti animo excipiamus. Dolentes decipimur omnes, & dum dolorem prodesse putamus, damnum vulneris intrinsecus sentimus. Non extrahit dolor ex animo ferrum, sed altius imprimit. Quid luctus & tristitiæ signa? Quid obuelat facies? quid vestes sordidatæ? Naturæ dehonestamenta sunt, quæ homines emaculant. Thraces fœminarum vestibus virum lugentem induebant. Primæ in Romanorum Republica leges luctus & laniationes inhibebant, ne natura deformaretur. De Niobe deformata iactatum est

Diriguit visu in medio, calor ossa reliquit,
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur.

Celeberrimus ille olim pictor, cum in Ephigeniæ Sacrificio adstantium amicorum dolorem vario gestu ac vultus immutatione expressisset, Agamemnonis parentis faciem velo texit, vt quam induxerat tristitia deformitatem, obuelaret.

Fictitiæ tantum sunt & artificiales pompæ funebres, in quibus præficæ olim, conductæ nimirum, vt lugerent mulieres. Si mala æquo animo feras, virtutis exercendæ materiam habes, & dolorem in patientiam pertrahere generosæ indolis est. Multum sibi adijcit (inquit Latinus Philosophus) virtus lacessita, multaque tulisse magisterium est fortiter ferendi. Ferrum quò sæpius candiut, durius est, nec radices altas agit seges, quam nix alta non oppressit.

(?)

LEX LXXXVII.

ARCENDA DESPERATIO ETIAM IN EXTREMIS.

POstremum malorum cum ipsa genitum morte dicitur desperatio à Diuo Augustino, vt indicet æquè cauendam desperationem, ac mortem, Intolerabilis vita foret (inquit Plutarchus,) nisi cum hac morte colluctaretur. Non est perniciosum in prælio vulnerari, sed post vulnus acceptum desperatione curandi, medelam vlceri denegare. Si naue flatibus demersa quis se submergat, non rursum festinabit ad maria, vt meliorem experiatur fortunam. Sepè Atletas post lapsus; & deiectiones vidimus coronari, sæpè milites post fugas & vulnera suos vicisse victores

Fidere, Batte, decet, melius cras forsan habebis,
Sperandum est viuis, non est spes vlla sepultis,
Nunc pluit, & clarus nunc Iupiter æthere surgit.

Credulitas adipiscendi boni etiam in malis extremis subsidium est ad illud obtinendum. Neminem ab excitanda domo (inquit Seneca) debet deterrere ruina; neq; cum Penates ignis absumpsit difficilis est aliorum subrogatio, & tutela. Spem sibi relinquebat Alexander, cum cæteri desperabant; hanc solam in Pixide Pandoræ, remansisse fabulati sunt poetę. Cum cætera mala in orbem conuolarent spes aderat, quæ amaritudines dulcoraret. Benè sperando, & malè habendo transit vita mortalium. Qui nil potest sperare, desperet nil. Fatur Seneca in Medea.

Philoctetes Herculeæ pharetræ hæres, destitutus ab omnibus præ vulneris putore non se interficit, sed sperans per syluas & nemora vagatur & pennarum contextu aucupio protrahit vitam. Marius victus à Sylla atque Minturnis coniectus in carcerem non desperat, & perterrefacto oculorum acie percussore tandem euadit è carcere, & fortunam reparat in Africa. Illustre est apud Iustinum Locrensium exemplum, qui in desperatione sperantes hostes Crotonienses feliciùs vicerunt. Sanguis sæpè mœrore frigefactus coniugi spei etiam in desperatione recalescit, & animos adijcit ad victorias. Discenda spes ab alite, & à cerua, etiam vbi fugam desperat

Accipitrem metuens pennis trepidantibus Ales
Audet in humanos fessa venire sinus,
Nec se vicino dubitat committere tecto,
Quæ fugit infestos territa cerua canes.



LEX LXXXVIII.

REPELLENDVS VELVT HOSTIS NATVRÆ TIMOR.

ADuersatur naturæ timor eò præsertim, quod terrore animum concutit, calore mentem dimouet, pallore vultum inficit & commutat; stupore quoque sæpius vi timoris exorto spiritus congelantur

Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis

Timore quoque cor palpitat, membra tremunt, rigent comæ & totus frangitur homo, ne homo fit.

Extimui, sensique metu riguisse capillos
Et gelidum subito frigore pectus erat.

Contrà naturam est, quod calamitosus animus sit, & miser ante miserias, id (inquit Seneca) præstat timor. Stultitia est timore mortis mori; venit qui occidat, expecta quod occupet. Lycas dum furentem Herculē fugit timore correptus, aras tremebunda cōplexus manu, ipsam mortem ita metu cōsumpsit, vt neq; mortem ex animatus timore sentiret. Timore agitatus Anthilocus clypeum abijcit & tutelā Demosthenes orator summus, qui iudex erat, metu in iudicium deuenit. Pisander tale naturæ monstrum ex timore factum est, vt semper metueret, ne animæ suæ occurreret, à qua viuus esset destitutus.

Sæpè mala ipsa aduocat timor, quæ inaniter extimescimus

—— Multos in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali, fortissimus ille est,
Qui promptus metuenda pati

Quod quisq; pati extimescit, ait Nazianzenus ad Iulianum id iam passus est, grauiusque à se, quam ab ijs, qui supplicium inferunt, torquetur. Tiberius Cæsar ita fulgura, ac tonitrua metuebat, vt quo tempore obstreperet cælum, licet Lauro, redimitus, munitusq; pelle marini Vituli, velut fulmine percussū se plangeret. Notata est in Pompeio animi abiectio, & ad fugam propensio, cum in pugna Pharsalica militum metueret fugam antequam fugerent. Stultū est antequam futurus sis miser esse iam miserum, loquitur idem Seneca.

Ideò timenti dicitur præsens, quod timetur malum, & id auuertere aut fugere conatur animus

——— Fugit licet ocyor Euro,
Speluncamque petit, pedibus timor addidit alas



LEX.

LEX LXXXIX.

SVPRA VIRES NON AVDENDVM.

AVdendi menſura, periculi æſtimatio ſit. Hoc frænum animo audenti nimis iungendum eſt, vt iudicio vtatur, conſilium non excludat, Nota Phaetontis temeritas eſt

Vitaret cœlum, Phaeton ſi viueret, & quos
Optauit ſtultè cogere, nollet equos.

nota etiam Icari, Iaſonis, & Zyphis audacia, qui ſupra vires per ardua, ac difficilia moliti ſunt. Damnantur adhuc Celtæ, qui nec parietum ruinas, nec ædium fugiebant incendia, priùs ſemper obrupti, quam in fugam verſi; nec ſine nota circumfertur Proteſilaus, qui cum ſciret pereundum illi, qui primus è nauibus Græcorum in littus Troianum exiliiſſet, primus omnium, auſus eſt egredi, & confoſſus eſt.

——Ne fræna animo permitte calenti
Da ſpatium tenuemque moram, mala cuncta miniſtrat
Impetus.

remedium eſt quod audentibus ſuggerit Statius. Sapiens Diomedes apud Homerum, qui hoſtium caſtra exploraturus, ſocium ſibi adiungi poſtulat, qui poſſet præſtare opem, & ne nimis auderet; nouerat enim quædam honeſta eſſe & magnifica, quæ tamen inconſulto Reipublicę bono tentantur. Sapientis æquè & fortis conſilium eſt, quæ pro virium ratione poſſint obtineri

Audens ità eſto, ſit procul vt audacia,
Audere multa, multa nos labi facit,
Audacia aliena ſapiente eſt à viro,
Ex temeritate multa naſcuntur mala.

Canit Comicus Grecus. Amentis eſt, & non fortis leænæ ſpeluncam ingredi, vt de Perdicca refert Aelianus, vel in Tyrimuros, & Malorum vrbem inſilire, vt fecit Alexander. Idiotæ ſunt atque ignauiſſimi viri (inquit Cicero,) qui omni prorſus malorum, & mortis pauore ſunt immunes, illud Menandri habentes in ore, mihi ſex menſes ſatis ſunt vitæ, ſeptimum Orco ſpondeo Decem millibus emere volebat Iſocrates moderatam, & benè conſultam confidentiam, quæ maiori prætio æſtimabilis eſt.

Adde moram ſceleri, & metire quod audes

Repetit Statius.



LEX XC.

NEC VERBVM FVRORI CONCEDENDVM.



QVædam eſt iraſcentis infirmitas furori verba concedere. Inualidum omne natura querulum eſt, & nuſquam ſine querela ægra tangũtur. Delicatuli homines ſunt qui vel leuiter offenſi ira, & furore percelluntur. Muliebria ſunt & effæminata corda, quæ in flammas iratæ mentis illicò abeunt, quæ iurgia & clamores inconditos proferunt. De mulieribus canit Iuuenalis,

——— Quoties facit ira nocentem
Hunc ſexum, & rabie iecur incendente feruntur
Præcipites, vt ſaxa iugis abrupta.

In ijs, qui ſtimulis iræ ad verba concitantur, os tantum, non loquitur mens. Prudentia ibi deſideratur, vbi furor ſubminiſtrat voces

——— furor iraque mentem
Præcipitant

Ait Virgilius. Qui ira inflammantur, non niſi tempore differunt ab inſanis, & dum ratione, conſilio, & iudicio deſtituuntur, ſui planè diſſimiles redduntur. Homo, non homo, iratus Symbolum eſt Criſpi Imperatoris. Alexander dum poſt conuicia, & contumelias objicit Lyſimachum, dum Clitum haſta transfigit, dum Caliſthenem mori cogit, non eſt Alexander, de ſe met teſtante id Alexandro. Non eſt mater Xanthia mulier, dum ex ira filium necat, ſe ipſam laqueo ſuſpendit, & domum incendit. Magna ira maledictis, & malefactis multos perdidit mortalium (inquit Euripides in Archelao;)

——— ira procudit enſes
Et miſeras inimicat vrbes,

Fuere non pauci (inquit Seneca) qui ex nimio iræ furore non tam rupere voces quam venas, & ſanguinem ſupra vires elatus clamor egeſſit, & luminũ ſuffudit aciem in oculos vehementer humor egeſtus, & in morbos ęgri recidere.

Neque ſi obtrectationes alienæ, calumnię aut maledicta nos extimulent ad iram, furore certandum eſt, aut conuicijs reſpondendum. Calumniatores noſtri ira noſtra indigni ſunt. Agatocles & Antigonus eos à quibus iniuria laceſſebantur, ridebant; Cęſar contemnebat, quippe, magnam fortunam magnus animus decet. Conuitia, ſi iraſcare, agnita videntur, ſpreta exoleſcũt. Eſt Taciti monitum. Maledictum in actam honeſtè vitam coniectum aut tẽporis progreſſu perit, aut ſuo interitum authori parit. Optimus vltionis, ac vindictæ modus eſt honeſtè viuere. Regium eſt benè facere, & malè audire. Agebat Philippus Macedo gratias Athenienſibus quod ſuis maledictis efficerent, vt virtuti ac honeſtis rebus melius quàm antè ſtuderet.

LEX XCI.

VIRTVTE NIL DIGNIVS IN VITA DVCENDVM.



OMnes Virtutem laudant, sequuntur pauci, paucissimi assequuntur, cum tamen ipsa virtute nihil dignius, nihil laudabilius sit. Quidquid eius imperio geritur, gloriosum est, quidquid eius colore purpuratur, regium est, quidquid eius dignitate fulcitur, suprà omne decus est Laus ipsa, dignitas ipsa, virtus est, nil accipit aliundè, sed sibi omne bonum, omne honestum est.

Ipsa quidem virtus, pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nites, nec fascibus vllis
Erigitur, plausuvè petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Diuitijs animosa suis.

Planè gloria sine virtute ignominia est, nec verè laudari quicquam potest, quod extrà virtutem sit. Veteres Deam fecere virtutem, vt indicarent, perinde esse violare virtutem, ac ipsam Deam violare. Simillimum Deo hominem virtus facit, & sola virtus cum Deo nescit errare. Vna res est virtus (inquit Seneca.) quæ nos immortalitate donare potest, & pares Deo facere.

Hæc vna maiestas Diuina est, quæ & deprimi nescit, nec altius efferri potest. Phocion Atheniensis hanc diuinam esse legem dicebat, vt vnica virtus potens sit:

———— Emitur sola virtute potestas

Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris stantem, puluerulentam, coloratam, callosas habentem manus, & velut Numen vbique locorum bona profundens

Dij me tuentur: Dijs pietas mea,
Et Musa cordi est.

Loquitur Horatius ad virtutis encomium. Vlysses donec Leuchotea velum illi suppofuit, natat fælix & immortalis; sic homo (inquit Lipsius,) virtute eius pectus percingente. Philo Iudæus quamdam virtutis æternitatem atque immortalitatem commentus, dixit, etiam homine pereunte, eius virtutem superstitem esse, quemadmodum opinabatur ipse, Ideas Artium vnà cum mundo in perpetuum duraturas. Cedunt cuncta, nusquam cedit virtus, aiebat Socrates.



LEX XCII.

IMPERIVM SVI ET ALIORVM A PRVDENTIA ACCERSENDVM.


Enè consulere, sapienter iudicare, & rectè imperare sunt tria prudentis, & sapientis officia. Cum aliquid in tui, vel aliorum regimine peragendum est, inquit Epictetus, cogita quid in ea fecisset Socrates, vel Zeno eorum ductore prudentiæ lumine. Prudentiæ Numen inuocabant etiam Ethnici, vt rectè sustinerent imperia. Id est quod dicit Homerus de proceribus imperantibus.

Conueniant bini, meliori sententia constat.

Nemo sic artem imperandi callet aut assequitur, quin à prudentia ediscere queat; Senatorium est Cassiodori documentum. Frequentior currentibus, quam reptantibus lapsus (loquitur Plinius ad imprudentes:) magni ingenii est quæcumque ratione disquirere, vbi ratione imperandum est, erat monitum Philippi Macedonis ad Alexandrum. Scripsit Pelagius ad Demetriadem Imperij scientiam esse distinguendi notitiam, quæ prudentia est.

—— malè verum examinat omnis
Corruptus Judex

Distat à sceleribus prudentia, & ideo qui imperat, debet ad prudentiam accedere. Insanum, immo impium est Lysandri præceptum apud Plutarchum, Vulpinam esse regentibus induendam pellem, quo leonina non pertingeret, Vulpes námque flagitiosè agit. Infelix Troianorum procerum Imperium perhibetur ex eo, quod tot affecti cladibus vix decimo anno de Helena reddenda imprudenter cogitare cæperunt, vnde ortum prouerbium, serò sapiunt Phryges, miser quoque regnator Xerses, qui vt de natura triumpharet nil nisi post factum, prudentia cogitabat, quo cerneret quam fatuè ageret imprudens rex, qui & montes transfretare cogebat, & freta ipsa tabulatis coniungi.

Optimus ille quidem qui per se se omnia noscens
Consilij præuisa suis meliora peregit.

De prudente rectore canit Hesiodus. Quod optimum consilium est, à prudentia proficiscitur. Ideò optimi Imperatores apud Plutarchum Amasis Ægyptiorum Rex, Themistocles Atheniensium Dux, & Agesilaus Lacedemonum Imperator.

Turpe est in re militari dicere non putaram,
Hostis consilium nosse est hostem fere vicisse.
Religionis neglectus causa est afflicti status,
Principi expedit amari potius quam timeri.



LEX XCIII.

HABENDA GLORIA PRO RE INANI, ET PROBROSA.


QVi precariam felicitatem in humanæ gloriolæ inanitate constituunt, ij profectò insaniunt operose. Collocant atas vanitatis suæ in aura labente, nec aliter quam Thurij Boream, adorant Ventum. Falluntur æstimantes honorem velut bonum proprium, cum sit alienum; honorari alienum est, honorare nostrum; sic Aristoteles docet. Stultum est quærere, quod nunquam nostrum erit. Dementiæ redarguitur Carthaginensium dux, vbi ex bello pro mercede tantum gloriam quærit.

——Mihi magna satis, sat vera superque
Bellandi merces sit gloria, cætera vobis Vincantur.

Melius fuisset virtutem, & laudabilitatem affectare, quam gloriam. Infames declarant inepta Manlij Capitolini vota, qui malunt famam magnam, quam bonam. Gloriamur sæpè in ijs, quorum potius pudendum erat.

Nulla iam æstimatio & dignitas dignitatum est, cum promiscuè malos cū bonis admittant. Dignos indignosque confundit dignitas non discernit; Æquat meliores deterioribus, quos præponere deberet, nec indè maior infamia optimis potest accidere, quam ab honore, illos qui pessimis comparat. Maior honos est eiusmodi honore carere, & suis moribus & virtutib. potius æstimari, quam promiscuis titulis, quos error commendat, non agnita virtus. Non est putanda gloria laudari, sed laudabilem esse, & ille maximè laudabilis est, qui perseuerat non laudatus. Securior honoris via, eiusdem contemptio est, ideò doliaris vir Diogenes Cynicus ab omnib. honoratur.

Contemnenda & prorsus despuenda est humanæ inanitas gloriæ. Non est in famam laborandum, sed in virtutem, & in conscientiam

Nec te quæsiueris extra:

Æquales hostes sunt popularem auram affectanti Inuidia aliena, & gloria propria. Ideò Imperator qui Reges ducebat captiuos, velut deuictos hostes, vt ipse quoque gloriæ mancipium dignosceretur, seruili adornabatur insigni, ferreo scilicet annulo, vt victor victis exæquaretur.



LEX

LEX XCIV.

NON OMNINO ABSTINENDVM A GLORIÆ STVDIO.



Dissimulare naturam aut illam occultare potest nemo. Inserunt illa animis hominum quandam honoris & gloriæ cupiditatem, quàm radicitus euellere, nec ars potest, nec lex, neque supplicij metus. Vltima hæc est tunica, quam exuunt mortales, aiebat Bion: nec solum animum cingit, sed etiam excitat, & incendit, incensum denique in affectandum honorem totum rapit. Ideò non reijciendum omne honoris studium.

Non temere Socrates gratias dicitur egisse Dijs quod natus esset homo particeps gloriæ

—Non paruas animo dat gloria vires,
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

Iacebunt honestatis studia, si cesset honoris appetitus, sola namque laudis cupiditate ad præclara in omnium animis Hæc in discrimina ciues trahit pro patria, & ad parandam factis egregijs incitat immortalitatem. Fons est, ex quo Duces fortitudinem, Legislatores prudentiam, Philosophi sapientiam, Oratores eloquentiam sumpserunt.

Laudis amore Thrasybulus tyrannos occidit, leges tulit Draco, Thebas seruauit Epaminondas, repulit Xersem Themistocles. In pueris, in viris, in senibus ad gloriam excitatur ingenium. Nemo deses qui gloriam cupit, ignauus est, qui nullam appetit; Non essent regna, non fuissent Reges & Imperia, si gloria defuisset. Thales monebat vnum in vita esse eligendum, scilicet gloriam.

Non sit autem per malas artes acquisita gloria ne declinet in vitium. Habet & naeuos suos gloriæ splendor. Gloriam Achillis deuenustat in Hectoris cadauer sæuitia, Aiacem in Deos suos contemptus Alexandrum poculorum certamen, Iulium Cæsarem rapina, Antonium libido. Virtus sola intaminatæ gloriæ parens est, hæcque etiam homines humili, & abiecto natos loco potest ad culmen honoris prouehere

Summos posse viros, & magna exempla daturos
Verue cum in patria, crassoque sub aere nasci.

Trahimur omnes laudis studio, licet ignobiles, inquit Cicero. Philosophi è rustico genere oborti ad nominis immortalitatem nomen libris ipsis inscripsere, quibus docebant gloriæ contemptum. Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Mineruæ, cum inscribere non liceret. Vix inuenitur, repetit Cicero, qui rerum gestarum mercedem non desideret gloriam.

LEX XCV.

GLORIÆ STVDIVM ANIMI MODERATIONE REGENDVM.



MAximus error est gloriam appetentium, sine limite ac moderamine illam appetere, sua cuique rei constituta est meta, quam si excedas, necessum est aberrare. Metiri me Geometres docet lati fundia, potius doceat quomodo metiar quantum homini sit satis (aiebat Seneca) Erravit Vlysses extrà hanc metam vadens, Gloriosissimus Germanicus debellatis inter Renum & Albim nationibus struxit aggerem, & in modum tropheorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus, honori Tiberij inscripsit, de se nihil addens. Ità (ait Tacitus) virtute & moderatione extrà invidiam, non extrà gloriam fuit. Ipse Tiberius fingendis virtutibus subdolus nomen patris patriæ à populo sæpè ingestum repudiauit, vt ab ipsius gloriæ moderatione ad Deitatis gloriam quã affectabat ocyùs eueheretur; nam

Pulchra placensque Deo diuina modestia virtus
Proxima quæ cælo tecta laremque tenet.

Terrebat Micipsam natura mortalium, quę nunquam laude numquam imperio contenta est. Qui Athenas nauigabant primo Sapientes erant, tum Philosophi, tum Rhetores, deinceps rudes & Idiotæ (vt discerent inquit Menedemus) se ab honore, à gloria, & ab elatione cohibere.

Qui cadit in plano, vix hoc tamen euenit ipsum
Si cadit, vt tacta surgere possit humo.

Agesilaus inter Deos relatus à Thasijs hominem ab humo prognatum se fassus est. Statuas reiecit moderatio Catonis, qui maluit potius, vt de se quærerent homines, quare Catoni non sint positæ statuæ. Nimis paruam sortiti sumus terræ partem, vt totum gloriæ orbem appettamus. Cogitet præsertim Princeps se non supra hominem esse contrahat vela qui Alexandro nequit esse sublimior. Canutus Anglorum Rex adhoc regiam sedem in littore maris posuit. Archidamus Spartæ Rex Philippo post chæroneam pugnam insolentiùs se efferenti scripsit, vt ymbram metiretur suam. Quanta in rebus gerendis fortuna est, tanta (inquit Tacitus) debet esse modestia.



LEX

LEX XCVI.

ERVMNAE ANIMI AEQVITATE CONDIENDAE.



On sanè ineptè loquutus Plautus in Cratyllo;cum dixit Æquum animum esse optimum ærumnæ condimentum. Dulcedo mali in malo ipso est animus non amarus, aiebat etiam Publius Mimus. Etiam insanabilia vulnera per fortem patientiam curari testabatur Archilocus, dicens apud Stobæum Deos omnibus malis vnum apposuisse remedium, nempè pati mala, & æquo animo ferre.

Durum sed leuius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas.

Malum est maximum ferre non posse malum. Felix ille Terentianus Senex in Adelphis, qui de se met iactitabat, Do, prætermitto, non necesse habeo, omnia meo iure ago, Nemo ad præclarum facinus idoneus est, nisi qui ad rerum asperitates patientia occalluit. Hæc in bello magni oneris vehiculum est, in pace iustitiæ & æquitatis, in omni loco & regione cuiusuis doloris remedium

Nobile vincendi genus est patientia: vincit,
Qui patitur. Si vis vincere disce pati.

Vulgatissimum illud est, Deos omnia laboribus, atque pressurarum tolerantiæ vendere immò donare; & qui impatiens est laboris vel doloris, duplicem non ferendo fert dolorem, cum minus graue sit dolorem sustinere, quam cedere dolori. Omni malo atrocius est lugere, habet enim malum fortunæ maculam, at luctus animi dedecus. Grauius malum non ab hoste, non à fortuna, non à calumnia, sed ab animo metuendum est. In patientiæ regione ea est virtutis Schola, qua perdiscimus in tristitijs exultare, in paupertate abundare, & in iacturis atque exhæredatione possidere. Gymnosophistæ hanc adibant palestram, cum solem ab ortu ad occasum vsque immotis oculis intuerentur, & feruentibus arenis alternis insisterent pedibus

Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Abierunt in prouerbium illa verba, sustine & abstine, nam qui fortiter patitur malum, constanter quoque abstinet à malo.



LEX XCVII.

APPETITUS RERUM TEMPERANTIA SATURANDUS.

FAcultatis humanæ appetentis libido ea eſt, quæ ſemper fame torquetur, niſi temperantia ſuos moderetur impetus; maiori ſemper æſtuat ſitis ardore, qui magis explet bibendi cupiditatem. Ad hanc rem appoſitè dictum.

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Non ſaturitatem appetitui, ſed caliginem offundit menti intemperantiæ etiamen, & craſſus venter debile parit ingenium Galleni teſtimonium eſt. Contrà acuit mentem, ditat ingenium, explet ſenſum temperantia rerum, aiebat Pythagoras. Amens & pauper fit Annibal inter Campaniæ illecebras, nec ſatis illi eſt voluptatum penu. Appetitui indulgendum quantum ſat eſt, & ſat eſt moderatus rerum quæ appetuntur vſus. Cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis frigus arceat, domus munimentum ſit aduerſus infeſta; his temperans expletur homo, qui tam benè tegitur culmo, quam auro. Nimis faſtidioſa rerum copia eſt, nimis operoſus illecebratum apparatus,

Viuitur exiguo meliùs, natura beatos
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognouerit vti.

Contentus ſum (inquit Anacharſis apud Tullium) fame pro cibo, ſolo pro cubili, ſcythatum veſte pro tegumento. De Parthis prouerbio dictum eos quò plus biberent, plus ſitire, Gurgites dicebantur non homines, & voluptarum remiges. Voluptatum mancipia dicuntur omnibus indigere, inquit Xenophon, quia ſemper egent.

——— Buccæ
Noſcenda eſt menſura tuæ.

Chatiæ Regina cum ad Alexandrum miſiſſet obſonia quædam prætioſiſſima, & peritiſſimos coquos, ijs repudiatis, reſpondit ſe meliores habere; Ad prandium iter matutinum; ad cænam ipſius prandij frugaliratem. Sic in reliquis voluptatibus diſtinetur Temperantia, quæ Lacones, priſcos Romanos, Cretenſes, & Locrenſes beatos fecit, licèt egenos.

LEX XCVIII.

VITÆ QUIES DESIDERIIS NON INFESTANDA.

SIcut fluctibus & vndis agitatur mare irrequieto exſibilans motu, ita perpetuo deſideriorum angore conflictata voluntas nunquam inuenit pacem, aut quietem experitur. In ſupetuacuis deſudat homo, qui cupiditati-

bus

bus exercetur sine meta. Desideria (inquit Seneca) vt plurimum vbi desinant, non habent. Nil humanæ vitæ adeò nocens, vt assidua rerum concupiscentia nescia quietis. Velut in orbiculari machina semper sequendo, nunquam assequendo, in desiderijs versamur. Per hæc fit quoddam quasi diuortium à regula rationis, quam sequi non debet inexplebilis egestas, eiusque comes afflictatio. Consonant aptè illa ex panegyrico Constantini: Nulli ut res est, muneribus fortunæ explentur, quorum cupiditates ratio non terminat. Eos felicitas ingrata irà subterfilit, ut semper pleni spei, commodorum uacui, præsentibus careant, dum futura prospectant.

Nolo quod cupio statim tenere
Nec victoria mi placet parata

aiebat Petronius in Satyrico.

Hinc querulæ lamentationes Penelopes ob absentis Vlyssis desiderium. Hinc nimio desiderio concitata Sapho cum Paonis ferre ulterius desiderium non ualeret, è prærupto se dedit præcipitem, id unum postulans ut pennis cupidineis sustineretur! Notus ille apud Terentium Senex qui præ filij desiderio se ipsum punit, in agro nimium se exercendo, quasi labore & ærumna posset desiderium lenire.

Deterius malum est in desiderijs, quod sæpè detestabiliora prosequamur. Vile uidetur quod licet, & animus errore correptus peiora diligit. Ad rem Tragicus canit.

Illicita amantur, excidit quidquid licet.

Voluntas natura destituta suaptè lumine cæcior euadit, dum appetit immodicè. Viuum & cæcum Homerum omnes negligebant; ubi obijt, complures ciuitates de eius origine decertarunt

Virtutem incolumem odimus
Sublatam ex oculis quærimus inuidi

Exprobrat hanc cæcitatem Horatius.

LEX XCIX.

INVIDIÆ TORTOR AB ANIMO REPELLENDVS.



Nsita est mortalibus infesta natura, aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modum quæ fortunæ à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre. Dirum hoc exitium in hominibus agnouit Sallustius. Non est tamen id naturæ lege firmatum, sed potiùs ex lege eiusdem naturæ propensione feraliter inductum. Quod bonum est, licet aliorũ odio potius insequi, quam amore prosequi, extra legẽ naturæ est. Vulnus naturæ est alieno bono dolere, nam sine vulnere persentitur dolor. Tortor animi inuidia est, nec maius Tormentum Siculi inuenere Tyranni

Inuidus alterius marcescit rebus opimis
Cuius in ore sedet macies, in corpore pallor
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.

Torsit diù in Regia Alexandri Primores regni, quod Rex Diogeni supremum deferret honorem. Nil crudelius se expertos Rege virtuti & sapientiæ benefaciente fassi sunt apud Plutarchum. Infelix semper erit, quem torpebit felicior, felicitas quæ inuidiæ subijcitur, quos inuidos miserosfacit, & sola miseria caret inuidia

——Lentàque miserrima tabe
Liquitur vt glacies incerto saucia sole.

Homines inuidos tormenta vocat Curtius, Inuidiam animi non solum tortorem & miseriam, sed æruginem appellat Martialis

Vt tu si viridi tinctas ærugine versus.

Id habet erugo quod animum depascat. Ideò nemini inuidendum aiebat Periander, & quemadmodum rubigo frumenti ægritudo est ità animi morbus inuidia est, quo animus contabescit.

Magnus erat Alexander & potens at animus impotens erat & paruus, cum Perdiccam eo oderat, quod bellicosus esset. Lysimachum propter militandi peritiam, Seleucum ex animi magnitudine. Attalum quod non solum regio, sed Imperatorio nomine polleret, Ptolomæum, cui cuncta accidérent prosperè. Licet inuenire regna & regiones, vbi nullum sit venenum, quemadmodum in Creta, at non licet inuenire Reges, & Respublicas carentes inuidia. Nigram Deam proceribus adstantem vocat Lypsius inuidiam, qua dum alios torquent, torqueantur & ipsi.

Nec quemquam iam ferre potest Cæsaruè priorem,
Pompeiusvè parem.
Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.

Cauenda inuidiæ labes, quæ quos tenet & inficit, sapere non sinit,

LEX C.

LEGES HONESTAE VITÆ VELVT VINCVLO VOLVNTARIA HOMINI SVSCIPIENDAE.



Rratum mortalium est, quod voueant æqualiter pericula & securitatem inæqualiter curent. Vota vouent periculis, quæ securius faciunt votum, cùm non euenit, quod peroptatur. Laqueum tristitiæ appellat Albertus felicitatem illam, quæ legibus honestatis vagatur libera & exsoluta. Non sunt vincula quę vinciant, licet ligent, leges honestæ vitæ. Ligant quidem, sed liberè hominem ducunt

ducunt ad felicitatem. Tutamina sunt ne aberret, ne ruat in præceps. Nulli nexus his legibus, aut arctiores sunt, aut tutiores. Non tantum iungunt, sed vniunt securitati & libertati, vt fas sit hic recolere, quod dictum est de honestatis amore

Quod digiti nequeunt, alligat illud amor,
Longius inde absens, ibi sed pertingo quod opto,
Quo pede non venio, pectore totus eo.
Non licet obstet Arar, Rhodanusque natamus amore,
Non vetat ire animum, qui vetat ire gradum.

Liber nemo dictus est à Socrate nisi sapiens, nisi honestus vir, qui honesti legibus teneretur. Romana libertas per leges honestatis velut per vincula sponte ab Atheniensibus suscepta quocumque locorum propagauit imperium. Iisdem ducta est ad felicitatem vsus honestatis libertas est. Nullum rationis lumen flante cupiditate ita resistit sua libera agendi potestate, vt ad extremum non pereat & extinguatur, ni vires addat honestas: sinè hac ductoria lege, nauclerus Noto aut irrequietis turbinibus lacessitus iactatam nequit, aut benè dirigere, aut benè tutari ratem. Affectibus incursantibus circumtrahitur animus, & nescit se expedire, si directorium honestatis non sit prestò; exsolutio ab honestatis lege, libertatis obstaculum est

Nubila mens est
Vinctaque frenis
Hæc vbi regnant.

Adolescens Terentianus flammas Cupidinis quodam honestatis præscripto edomuit. Xenophanes nullam diligebat gloriam, quam non peperisset honestas; Mancipium peccati dicebatur qui ab honestate, per quam liber est homo, spontè descisceret. Animus honestis vitæ legibus destitutus Dijs, hominibusque infestus est, neque vigilijs, neque quietibus sedari potest.

Vitijs nemo sine nascitur optimus ille est,
Qui minimis vrgetur.

Vitiorum impetus, & insultationes comprimunt honestatis leges, & solummodo virtutis legibus benè vita dirigitur.

F I N I S.

INDEX



INDEX RERVM EX LEGIBVS HONESTÆ VITÆ.

A

Abiectio.

Æmulatio.

Amicitia.

Animus.

Ars.

Astra.

Audacia.

B

Beneficium.

Beneuolentia.

C

Castitas.

Clementia.

Co-

Comitas.

Conscientia.

Constantia.

D

Desperatio.

Deus.

Diuitiæ.

Dolor.

Dolo-

E

Exemplum.

F

Felicitas.

Fides.

Fortuna.

G

Garrulitas.



Gra-

Gratitudo.

Gula.

H

Honestas.

Honor.

Hospitalitas.

Humilitas.

I

Imperium.

Innocentia.

Inuidia.

Ira.

Iustitia.

L

Liberalitas.

Libertas.

M

Magnificentia.

Misericordia.

Modestia.

Mors.

N

Natura.

Nobilitas.

O

Obedientia.

Obseruantia.



Pudor.

R

Regimen.

Regnum.

Religio.



S

Sapientia.

Spes.

Studioſitas.

T

Temperantia.

Timor.

Timor.

Tristitia.

V

Verecundia.

Veritas.

Virtus.

Vigilantia.

Virginitas.

Vita.

Vitium.

Voluptas.

Vxor.

FINIS.

LEGES
PRVDENTIÆ
SENATORIAE.
CENTVRIA ALTERA.



LEGES PRVDENTIÆ SENATORIÆ.

LEX I.

IN OPTIMO REGIMINE INSTITVENDVS SENATORVM ORDO.



Optima Regiminis forma ea est, quæ mutuato decore à sapientissima Senatorum corona splendescit in orbe ciuili. Hæc plusquam regium, plusquam imperatorium diadema coruscat; & inde melius quam à Solaribus radijs beneficentiam experiuntur ditiones & terrarum imperia. Sapientiorum & seniorum cætus dictus est Senatus

A senibus nomen mite Senatus habet.

Ipse Deus Supremumque Numen Israelitis Senatum constituit qui cœteris sapientia, & consilio præstarent. Cogite mihi (inquit) septuaginta seniores, qui cœteris sapientia, prudentia, & scientia præstent Ad arduum hoc & difficile honoris, & dignitatis culmen promouendi sunt, quos spectata commēdat virtus, non quos attolit fortunæ nutus; Id hominum genus supremo regimini deuouendum est. Ideò Thebani Senatorum imagines sine manibus, Principem verò illis adstantem sine oculis in foro posuere. Superuacui sūc Principis oculi, vbi cuncta prospectat Senatorum mens & Consilium, quorum munus est alienis manibus vti, rerumque grauiorum prouincias aliorum officijs demandare

Effigies manibus truncæ ante altaria Diuum
Cur resident, quarum lumine capta prior
Signa potestatis summæ, Sanctique Senatus
Thebanis fuerant ista reperta viris.

Solon quemlibet Reipublicæ rectorem, aut moderatorem cæcum appellabat, cui Senatorum deessent oculi; Ideò senatores rerum speculatores, legumque custodes dicebat esse. Pauca vnus videre, vnus audire potest, aiebat Xenophō, neque vnius regentis mens toti regendæ moli sat est

 Pastor

Pastor vtramque lupi securus dormit in aurem
Cum vigiles ouibus sentit adesse canes
Dulcia sic Princeps positis agit otia curis
Cum vigiles populo proposuit satrapas.

Cœcutire prorsus iudicandus est ille, qui senatorum, & sapientium non adhiber oculos, vbi Reipubl. cauenda sunt pericula antexitium. Plorat Liuius Siciliæ ærumnas sub Rege cæco, qui nulla de re senatum consuleb t. Lugendi etiam Cæsaris errores, qui non modo in Consulatu, sed neque in dictatura senatus vrebatur consilio. Romulus creator vrbis interemptus est, quia senatum contempsit, eaque de causa eiectus est Tarquinius, qui suo arbitratu gerebat omnia.

Salomon ipse sapientissimus, cui nulla bene regendi ars fuit ignora sine consiliarijs, & senatoribus velut exitiosum horrebat imperium. Taciti inter ciuiles grauissimi viri, illud erat effatum, magni principis labores, queis orbē terræ capessit, adminiculis egere. Addit Velleius, eminentes viros ad gubernandam fortunam magnis adiutoribus vsos fuisse. Certæ rui æ iudicium factum est à Thalete, cum Græcis videret nullos adesse senatores, aut probos consiliarios; eaque est vox aurea Sallustij loquentis ad Cæsarem, tamdiù valuisse Romanum Imperium, quamdiù valuere senatorum Consilia, ex quibus summa laudis, & gloriæ adsignatur imperij; iuxta illud Senecæ

Consulere Patriæ parcere ciuibus.
Fera cæde abstinere, mores regere
Reddere orbi quietem, sæculo pacem sua
Hæc summa virtus, petitur qua cælum via.

LEX II.

SENATORES ELIGENDI VIRI PRÆSTANTISSIMI.

SEnatum, mentem, rationem, intelligentiam Reipublicæ esse nemini dubium est, si M. Tullio adhibenda fides; Ideo optimi quique atque omni virtutum splendore fulgentissimi ad id munus, quod in Republica supremum est, promouendi sunt viri. Non sat est senatorum ætatem annorum pondere grauescere, sed mente non ægrorare, in consilijs, non dissipere, in sapientia, prudentia, atque integritate non deficere, hoc adscribendum Senatori decus. Id hominum genus transtulit Plato in Reipublicæ custodiam, de quo iactatum est.

Hi sunt qui leges cancellant patriæ iniquas
Et mandata pij principis æqua fouent.
Si quid obest populo, vel legibus est inimicum
Quidquid obest, per eos desinit esse nocens,

Vetus

Vetus ipsa Romana lex post quæsitam virtutem egregiam in senatoribus, sapientiam admirandam, authoritatem eximiam, spectatam vitæ probitatem sic ordini indicta est senatorio. Hic ordo vitijs careto, cęteris specimen esto. Non est conscribendus senatus nisi sapiens, nisi iustus, nisi prudens. Senatores flagitiosi quamtumuis rerum gerendarum vsu polleant atque experimento per improbitatem Reipublicæ parant exitium. Id summopere cauebat Plato in sua Republica. Non sunt firma sine seruatoribus, sine senatoribus Reipublicæ mœnia. Non stat ipsa Respublica, si senatus à virturum præstantia desciscat. Sola Senatorum dignitate

Clara fuit Sparte, magnæ viguere Mycenæ
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.

Troia quoque tot procerum nutrix & parens

Et pro diuitijs tumulos ostendit auorum

quo nihil in Republica pretiosius. Potiùs morum nobilitas, quam generis splendor, aut familiæ decus spectandum est, cum optimi Senatoris additur Reipublicæ ornamentum. Iniuriosa Senatui Atheniensi fuit Solonis lex quæ iubebat censum spectari. Non potest rerum tenuitas, aut inopia senatorium decus labefactare vbi Senatum firmat integritas, cuius tantum defectu Augustus diuites à Senatorum albo non expuebat. Tutius illud Romanorum institutum, quo nemo Senator fiebat, nisi qui summa integritate Magistratuum muneribus benè functus esset; Eiusmodi viros censores quinto quoquo anno in senatorum ordinem legebant. Lex etiam erat optima, quod Senator in limine Senatus odium in aduersarios, gratiam aduersus amicos, peruicaciam & arrogātiam ex se ipso penitus exueret; indueret tantum Deorum cultum, Reipublicæ commoda, & benè administrandi prudentiam

Præterea Solers teneat prudentia fasces
Quæ sola in rebus sit Cynosura tuis
Prosperat hæc omnes felici Numine casus
Et certa humanas res ratione regit.

LEX III.

PRÆSCRIBENDVS IN REP. SENATORVM NVMERVS.

IN paucis præscripta Senatoria virtus, quæ fidem, integritatem, prudentiam, rerum gerendarum vsum, iuris diuini, & humani scientiam complectitur, præscriptum etiam poscit Senatorem ordinem, & numerum. Non est multitudinis in legendo Senatu habenda ratio, sed earum virtutum, quæ Senatorem constituunt & ornant. Scitè Cretenses in eos tantum Senatorium collocabant munus, qui cœteros Magistratus summa præstan-

tia gessissent; ex quo Senatorum numerus coerceretur. Non multum laudis tulit Athenis Solonia lex, quæ quadringentos singulis annis creabat Senatores. Eo exprobratus etiam Romulus, qui ex trigesima ciuium parte Senatum constituit. Romana quidem sapientia quamplurimos admisit Senatores, at ea de causa, qua Senatui non omnes adesse cogebantur, & qua in plures Romani Imperij prouincias possent dispertiri. Augustus pacata Republic. ad pauciorem redegit numerum.

Eo Senatorum dignitas sublimior, quo Senatus ex paucis, & selectioribus perficitur; Supremum erat Athenis Areopagitarum Consilium, quod ex ciuium sexaginta fuerat institutum, nec eò facilè fuit cuiquam peruenire, qui non omnes honorum gradus permeasset. Etolis, vt habet Liuius, consilium sanctius erant Senatores pauci; Idem quoque Carthaginensibus etiam cum in populari Statu versarentur. Nec vnius tantum probandum consilium neq; tot, quorum numerus mensuram sapientiæ excedat, atque prudentiæ. Nemo solus sapit, nec semper sapiunt multi aiebat Plautus; Sapientum Senatorum multitudinem Creon in Phœnissis apud Euripidem, ne ponat in excessu, trāsfert ad oculos, vnus vir non videt omnia, plus vident oculi quam oculus.

Non vni dat cuncta Deus, quid proferat alter,
Disce, ferent aliquod mutua sensa bonum.

Agamnenon decem tantum Nestores optabat in Senatu, & fortasse nullam promeruit laudem Darius Persarum Rex cum tot à Consilijs vellet Zopyros, quot grana punicum malum haberet. Nihil commendat excessus in quo nec bonum, nec virtus, quæ medium est vtrinque vitiorum,

Me Dea sic docuit, moderamen amabile dixit.

Hæc quoque trahenda ad Senatorum numerum, qui nec deficere neque excedere potest, vbi Senatus forma virtus est, integritas, nimirum, prudentia, & sapientia.

LEX IV.

SPECTANDA IN SENATORIBVS ÆTAS

Non numerus dumtaxat, sed ætas quoque in deligendo Senatu venit inspicienda. Nihil tranquillum magis æquè, ac florentem præstat Reipublicæ Statū, quam Consilium experimento atq; ætatis maturitate firmatū. Senatores ętate graues, virtute egregij, authoritate eximij, sunt (inquit Tullius) Reip. fulcrū, splendor ciuium, principum salus. Suæ cuiq; ętati virtutes sunt, sua itidem vitia; at facilius vitæ integritas adscribitur senectuti. Ijs qui canitie graues sunt sapientiæ honorem deferendū esse iubet Moses in Leuitico. Coram cano capite consurge & honora personam senis. Eadem lege Lacedæmonij.

Crede-

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum
Si iuuenis vetulo non assurexerat, & si
Barbato cuicumque puer.

Ex quo ortum vulgatum adagium, in sola Sparta expedit senescere.

Senatorum quoque subsellia apud veteres Romanos soli occupabant senes, atque seniores ciuitatis. Primus Romulus ex patriæ amore appellauit patres, ex annorum curriculo Senatores; eo temporis

Moribus antiquis florebat Roma virisque

quò erat in pretio summa probitas, summa virtus. In ipsa Platonis Republica cautum est, ne Iuniores ad Senatoriam accedant dignitatem. Strictior Solonis lex, ac fortè improbanda, quæ ab aditu Senatus iuuenem quemlibet, & si senilem præseferret prudentiam, arcebat. Hastæ iuuenum dicuntur vulgò, sed consilia senum. Nouella vitis vinum copiosius progignit, sed vetustior melius; plura loquuntur iuuenes, sed vtiliora senes. In vsu constat (inquit Tullius) Respublicas quam maximas per adolescentulos fuisse labefactatas, à senioribus autem restitutas; quod eatenus verum dijudicandum, quatenus defectum ætatis non suppleat virtus, & sapientia. Tutius tamen seniorum regimen, qui fortiùs pedem figere solent ex rerum, & temporum experimento,

—— namque omnia grandior ætas,
Quæ fugiamus habet, seris venit vsus ab annis.

Ideò probè dictum, tardiùs sed melius sapiunt senes quam Iuuenes, qui etiam difficilius decipiuntur.

Adde quod est senibus rerum prudentia maior
Solus & artifices qui facit, vsus erit.

LEX V.

NON IVNIOR OMNIS ARCENDVS A SENATV.



AD Reipublicæ bonum expedit interdum inter annosas quercus & arbores, nouas inserere plantas quæ post vetustatum interitum crescant in Reipublicæ vmbraculum, & tutamen. Non omnes omninò iuuenes Senatus exturbat à suis subsellijs, sed tantum imperitos, rudes & improbos. Iuncta senectuti Iuuentus bene morata (inquit Plato) magistratum laudabilem facit, meliora fiunt, vbi per ætatem omnino non flaccessit ingenium, vbi haut nutat mens & consilium. Non semper ætas metienda numero annorum, sed plerumque etiam annorum virtute. De Pisone canebat Silius Italicus

Ore puer, puerique habitu, sed corde sagaci
Aequabat Senum, atque astu superauerat annos.

Non ætate solum verum etiam ingenio sapientiam indipiscimur, aiebat ille apud Plautum in Trinummo, sæpiusque virtutis, quam ætatis celerior est cursus, morum canities apud sapientes quosque suum obtinet locum, illudq; amplissimum dicitur viuendi spatium, quo ad sapientiam peruentum est nō prouectis ad senium annis. Nil prosunt anni per inertiam exacti (ait Seneca)

Non quia mille annos viuit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos Regie Pauo tuos.
Cedimus ingenio, quantum præcedimus æuo.

Hæc scribit Ausonius ad Paulinum quamquam ætate iuniorem, ingenio tamen sibi præferendum. Obuia sunt exempla Iuliani apud Ammianum Filij Neruæ apud Alexandrum, & Emilij Lepidi pueri apud Valerium, quibus primi non ex ætate, sed ex virtute delati sunt honores. Sat est pro Senatu mente senescere, licet repuerescat ætas. Nullus honor ei intempestiuus, qui iam maturuit virtuti.

Iuuenum est potius quam Senum Sapientiæ diuersoria obambulare, orbis literarij plagas inuisere, principum aulas, Rerum publicarum Curias adire, & ibi locorum ea acquiruntur, quibus bene instruitur Senatus. Adhuc Athenis sub iudice lis est, an Iphicrates valdè senex sit Chareti Iuueni præferendus, nec dirimit litem senex Thimotheus princeps Senatus, eo quod assurgat, & seniori faueat. Si omnes in Rebus publicis Phociones essent, Catones, Appij, Claudij, Fabij Maximi, Coruini, & Fabricij, nec essent Iuuenes omnino à Senatus arcendi; Possunt Iuuenes etiam ante senectam senes ipsos imitari imò quod senes longo rerum vsu consecuti sunt, citius adolescentes improbo labore obtinere, Ipsis veterum inuentis aliquid addere, eaque illustriora reddere

———— non tamen illi
Tu comes exterior, si postulet ire recuses

est præceptum Phocylidis apud Horatium, Iuuenem adhortantis ne nimis distet à Senis comitatu.

LEX VI.

IN SENATORE NON OMNINO NEGLIGENDA CORPORIS FORMA.



PRæter ætatem etiam corporis forma in Senatore quadam tenus ratione spectanda est. Speciei decor dignitati congruens magnum est Senatori ornamentum, nec quicquam ipso decore gratius est, cum ea vulgo credatur hominis anima, qualis est forma. Natura ipsa magnis mentibus domicilia corporum digna metari, testis est Tertulianus. Tacita quædam amorum, & obsequiorum illecebra dicitur oris decor, & elegantia, notumque satis quam amantes,

quam

quam obſequentes populorum animos Senatus, qui potiora tuetur Reipublicæ iura, iure maieſtatis expoſcat.

Poteſt quidem Natura bonis internis ſupplere, quę externis nouercali quadam malignitate negauit. Compenſat quidem plerumque ingenij præcellentia corporis deformitatem; At vnus eſt apud Ouidium, qui dicat.

Si mihi difficilis formam natura negauit,
Ingenio formæ damna rependo mea.

vnus eſt in Sparta Ageſilaus, qui corpore deridendo admirandam proferat ſapientiam.

Nec Formoſus erat, ſed erat Facundus Vlyßes.

Eò ducti homines ſunt, vt dumtaxat magnorum operum molitrices indicent mentes, quos eximia ſpecie natura donauit. Pulchra corporis ſtructura ex eo commendat opificem, quod in gratiam rei pretioſioris tam affabrè conſtructa fuerit. Formæ tamen dignitas in Senatore ſpectanda eſt, non venuſtas, hæc, inquit Tullius, muliebris eſt, illa virilis. Commendatur ille Senator, qui vultum comem, amabilem, placidum cum morum integritate præſeferat.

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Fraus eſt ſilens (ait Theophraſtus) maieſtas vultus, ſpecies eſt imperio digna, quæ hominum animos vi quadam trahit in amorem, compellit ad obſequium; iiſque natura datum eſt, vt corpore ſpectabiles diligant, & venerentur. Nimis corpori conſentit anima (aiebat Pythagoras) membraque diſtorta, diſtortum animum indicant. Etiam D. Ambroſius corporis ſpeciem ſimulachrum mentis appellat, & probitatis figuram. Paranimæ debet eſſe corpus, ne ſit negotiorum oneri impar; Ad id valetudo, corporis robur, ac decus commendabatur in Cyro.

LEX VII.

RVDIS ET INDOCTVS SENATVI MINIME' ADSCRIBENDVS.



Vgebat Plato Rempublicam illam, in qua iura dicerent, aut tenerent viri rudes, & indocti. Plorabilis quoque ille Senatorum cætus, qui imperant ex arbitrio, qui iudicant ſine doctrina, & qui conſilium capiunt ex ſcrinio Gynecæi. Eiuſmodi viros vocat Tullius Arcadia pecora præpotentum fauore ad Senatoriam præſtantiam ſine merito euecta. At contra beata eſt illa Reſpublica, in qua Senatum erudiunt philoſophi, philoſophantur Senatores. Neminem (inquit Seneca) aut plura, aut meliora ſcire opportet, quam eum cuius doctrina omnibus, tum conciuibus, tum ſubditis profutura eſt. Romana at Vegetij vox eſt, neminem melius, quam literatum imperare. Optimè etiam Plautus

——— *Hic erit optimus,*

Hic

Hic poterit cauere rectè, iura qui, & leges tenet.

Dicitur Augustus meliorem Romani Senatus sustulisse partem, cum viginti doctissimos viros Iurisconsultos, vt sibi assiderent, extraxit; qua exempta parte reliquum dicitur infirmatum, ac viribus destitutum in Senatu; idque ab ipso data opera factum. Senatum suum Sigismundus Imperator viris omni eruditione, & doctrina præstantibus instituebat, atque è longinquo accrescebat summa Principum admiratione, qui exteros ad consilium non admittebant; Eos (aiebat Imperator sapiens) libenter præesse velut Senatores volo, quos alijs excellere Deus voluit & natura. Insularum loco ponit Seneca literas, & doctrinam in Senatoribus, subditque easdem possessores suos honoribus, ac magistratibus consecrare.

Is debet esse Senator, qui

Mente Deos adijt, & quæ natura negauit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit

nimirum literarum studio, mentisque contemplatione. Id est Senatoris munus à Platone descriptum, quo etiam immotus ex scientijs labore partis vniuersum queat peragrare orbem, quidquid vspiam in omni Republica præclarè & sapienter actum meriri, ac præsentibus adaptare, regnorum ortus, progressiones, & excidia velut è specula contemplari. In mari videre scopulos & naufragia sine metu, spectare bella sine periculo, rimari terræ viscera sine fatigatione, Principum etiam ædes ingredi sine repulsa. Hæc omnia posse Senatoribus dant artes, doctrinæ, & literarum studia. Ex his illa Phœbi perficitur cortina, vnde optima Legatis Rempublicã adeuntibus funduntur responsa. Inde Logotheca Mineruæ, Mercurij Salinum.

Prodest dignitas collata Sapienti; nocet verò si ignorantia sordescat atque deturpetur. Alijs præesse nescit, (inquit Socrates) qui neque se ipsum scit; eiq; importabile redditur agendi onus, qui sapientiæ viribus, & ope destituitur. Homines qui cæteris præficiuntur sine doctrina statuæ sunt Silenis oppositæ, quæ solum honestam præ se foris speciem ferunt ex dignitate, intùs plumbeæ sunt aut lapideæ. Nunquam perfecta (aiebat Anacharsis ad Athenienses) potest esse illa Respublica nunquam prudens, ac benè consultus ille Senatus, vbi sedent & iudicant imperiti, sapientes extorres sunt. Non habet arbitrium qui præsidet sine doctrina, cum necesse sit à Sapientiorum arbitrio pendeat & regatur.

LEX VIII.

APTATA MVNERI SVSCIPIENDA SENATORIBVS STVDIA.

Morum doctrina, qua mentis rectitudo fouetur primum est studium Senatori quærendum, vt rectè Reipublicæ suæ patrocinetur. Is perfectæ politiæ

politiæ nitor in Senatum inducendus Ea est philosophia, qua beatas fore Respublicas contestabatur Plato, si eam Senatores perdiscerent atque profiterentur. Non est opus ijs scientijs operosè insudare, quarum subtiles argutiæ, dum oblectant animum, eumdem ab vtilioribus, maiorisque momenti operibus reuocant. Parum vtilem Reipublicæ profert Xenophon mentem illam, quæ solo contemplationis otio sine negotio distinetur. Similes sunt eiusmodi Senatores Thaleti, qui dum cælum suspicit contemplatione, pede ruit è terra, atque spectantibus risum mouet.

In sua Republica Aristoteles non vult Senatores sapientes tantum, sed ex prudentia agentes. Citiùs (inquit Athenæus) ex Satureia lancem conficeres, quam ex his in vmbra atque speculationibus educatis probos consiliarios.

Heù mihi philosopharis? at qui Philosophi
Sermone solo sunt sapientes; cæteris
In rebus esse noui ego stultissimos.

Ideò Romæ à tutelæ Reipublicæ munere arcebantur ignorantes ea, quæ ad quotidianum regimen erant in vsu. Laudabilis Senatoris philosophia (inquit Plinius) est publicum ritè tractare negotium, benè cognoscere, iudicare, promere & exercere iustitiam. Doctos libenter in consilium admitto (subdit Lipsius) sed qui non sint hoc tantum; & qui sola nuda literarum cognitione se iactant, valdè repello.

Dignissimum est, vt Senatorio veistantur honore Iurisprudentium cœtus, & legum Doctores. Iurisprudentiæ doctrina ea est quæ Senatoribus in ferendis sententijs suppeditat modum, agitque vt non sequantur affectum, sed congruum & honestum. Quæ solent in Republica obtingere difficilia, facilè expedit Iuris doctrina. Eloquentia quoque Senatoribus debita, vt quæ prudenter concepta sunt, sint disertè prolata. Non est satis in Senatu sentire præclarè, nisi ad persuadendum aptè pronuncies. Plerumque in Republica flectendus populus, mouendus Senatus, mulcendus, in sententiam trahendus, quod non fit sine Senatoris facundia. Oratoriam artem, (fatetur Plato) solam animis hominum imperitare.

Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent arrectisque auribus adstant,
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Videtur de Senatore loqui Virgilius.

Nec desit, opus est, Senatori historiarum cognitio; vt rectius de futuris in Senatu deliberet, qui præteritorum meminerit. Disciplina quædam est historia, qua rerum ciuilium exercitatio facilè comparatur, rerumque vsus & experimentum, sine quo non benè tractatur Respublica, progignitur. Plurimum præteritis futura similia sunt (ait Aristoteles) & futuri consilium ex præterito venire, docet Seneca. Si demum accedat linguarum peritia, id supremum est Senatoriæ dignitatis ornamentum.

LEX IX.

AD BENE GERENDAM REMP. SANA DOCTRINA ERUDIENDUS SENATORUM ANIMUS.

PRæcelsæ illæ mentes, quibus Reip. cura tradita est, nisi doctrina & eruditione illustrentur, vix senticosum regiminis iter, quo progredi debent, intuentur. Quod sola natura euocatur ad lucem vel statim in ipsis cunabulis extinguitur, aut sensim euanescit, nisi prestò sit sapientiæ adiutorium. Excolendus est regentis animus liberalibus studijs, ne velut ager sine rote vel absque irrigatione in sterilitatem deducatur,

Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager

Ad rem Ouidius. Quosdam quidem impetus sumit à natura regentis animus vt alta moliatur, at doctrina ad altiora efferente perficiendus est; vt enim aspectus à circumfuso aere accipit lumen, sic animus à liberalibus disciplinis: Dedit natura (inquit Seneca) fundamenta, semenque virtutum, cum irritator accessit (doctrina nimirum & eruditio) animi bona velut sopita excitantur; Inde prudens inuenit, vnde sapientior fiat, bellator reperit, vnde animus virtute roboretur, accipit Princeps, quemadmodum subditos sub æqualitate disponat,

Quomodo scintillam si flante adiuueris ore,
Continuo magnas elicis inde faces,
In sita sic animum virtutum semina, cum quis
Excitat, vbertim luxuriare solent

Nullus est (ait Vegetius) quem oporteat vel plura, vel meliora scire quam princeps, vel ciuitatis rector, cuius doctrina potest omnibus prodesse subiectis. Heluidium illum Priscum Senator imitetur, qui illustre ingenium altioribus studijs Iuuenis admodum dedit, non vt plerique vt nomine magnifico segne otium velaret, sed quo aduersus fortuita Remp. capesseret. Multos quoque Senatores Athenienses ità gloriati solitos Thucydides refert: Elegantes sumus, sed cum parsimonia, philosophamur, sed sine mollitie.

Liberales disciplinæ non vires, non ingenium, non robur eneruant, vt aiebant literatum exterminatores, sed adaugent, sed perficiunt.

Vir literatus duplo acutiùs videt

est Comici sententia. Non aliunde, animo robur venit (subscribit Seneca) quam à bonis artibus, & contemplatione naturæ; nihilque ad Reip. dignitatem honestis, aut vsu salutarius, quam Senatores habere sanæ doctrinæ professores.

LEX X.

IVSTITIÆ LEGVM SVBIICIENDI ETIAM SENATORES, QVI FERVNT LEGES.

SVblata legum iustitia Imperia infirma esse, neque ætatem latura, apud sapientes omnes statutum est, omnem ciuitatem citò desinere vbi non sunt leges iustitiæ rectè constitutæ, est Platonis oraculum.

Hoc vno Reges olim sunt fine creati,
Dicere ius populis, iniustaque tollere facta,

Vulgatissima est Hesiodi sententia

Id quod Legum latorum potissimum decantatur munus, est, nedum cæteris præesse latione legum, sed ipsis legibus adesse earumque obseruantia cæteris prodesse. Non debet aspernari (inquit Vlpianus) ius sibi dici, quod ipse alijs dixit. Non iustum est imperare tantum, sed iustitiæ & legibus obtemperare. Iura cæteris à Senatoribus lata tunc maxime custodiuntur, cum ipse iuris lator iuri præstat obsequium. Iustitia & legibus solui quocumque lumine indignum est

Minimum decet licere, cui multum licet

Vox est Agamemnonis plusquam regia. Digna vox maiestate regnantis legibus alligatum se principem profiteri. Notum est Themistoclis dictum ad Simonidem poetam, vnum esse omnium Imperantium vinculum, nimirum Iustitiæ legem, & sciscitanti Poetæ vt sententiam ferret iniustam, respondit Themistocles, Neque tu bonus poeta esses, si præter numerum quam doces, metro caneres. Othonem tertium Romanorum Imperatorem ex summa Iustitiæ & legum obseruantia commendant historici eo temporis, quo se mulieris imperio, quæ ipsum Imperatorem ob necem iustissimi viri iniustum accusabat legis mortis vltrò subiecit. Non ignorabat Otho illius sententiam occinentis ad Reges, nihil

——— magis esse decorum
Aut regale puto quam legis iure solutum
Sponte tamen legi se se supponere Regem.

Etiam Charondas eum dumtaxat nouit Legislatorem iustum, qui leges, quas alijs præscribit, ipse obseruare non renuit,

Publica nimirum tum res sibi constat & æquum
Imperium cum Rex, quod iubet ipse, facit.



LEX

LEX XI.

RELIGIONIS ET PIETATIS IVRA SENATORI TVENDA.



Vra Pietatis, & Religionis ea sunt per quæ Principes feliciter imperant, & Rerumpublicarum gubernatores iusta decernunt. Vinculum est Pietas, & Religio, quo omnis Respublica adhæret Deo, quo exsoluti, qui regũt, à recto regimine semper aberrant. Nil ritè, nihilque prouidenter homines auspicantur sine Deorum immortalium ope, consilio, & honore (aiebat Plinius.) Vbi impietas latam peccandi aperit viam, tùm quoque Consilia impiorum fraudolenta erunt, atque Reipublicæ exitiosa Impius & irreligiosus Senator nec iuris, nec æqui rationem ducit, sed tantum potestatem addit malitiæ, neruos & robur perniciosæ politicæ, quibus impotenter Senatus ipse & Respublica pereat.

Non est à ratione status speranda pietas & Religio. Ad probrum Pseudopoliticorum dicitur à Lucano

Sceptrorum vis tota perit, si pondere iusta
Incipit.

Insaniæ scelus est incolumem diù sperare Rempublicam, vbi sceleri & impietati mancipantur Senatores. Demuntur corpori vires, si brachia, vbi robur est, multiplici crimine velut vinculo deuinciantur. Vires captabat Senatus Romanus cum omnia rerum initia, omnesque pacis vel belli euentus à pietatis, & religionis cultu auspicabatur. Nil vnquam decretum est inconsultis Auguribus; & dum bellum gerendum erat sacrificijs magis, quam armis expediendis studium impendebatur. Non omne quod lubet, Senatui, aut Senatoribus fas est. Non est eadem & vna facultas, agendi potestas, & voluntas; Id dumtaxat benè possumus agere, quod sine crimine possumus velle. Senatorem monet Claudianus cum ait,

Non tibi quod liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Ciuilia negotia quibus exercetur Senator, iactationes sunt, & fluctus, quæ Reipub. naufragium inducunt, ni procellas fuget pietatis & Religionis aura; quin hæc bipartita est Reip. anchora periclitantis. Ea nutantes quasque obfirmari Respublicas dixit Plato, cum primas in ciuitate condendas indixit leges, quæ ad Numinis cultum & sacrificia pertinerent; Inde Senatus Atheniensis nihil citra diuini Numinis cultum prospere contingere posse Reipub. habuit persuasum; optimeque tum Reip. consuli, cum Religionis ratio in primis haberetur.

———— vbi non est pudor
Nec cura iuris, Sanctitas, Pietas, Fides
Instabile regnum est,

testa-

testatur Seneca in Thyeste. Hoc Senatus & Reip. fatum, quod affert interitum. Hoc destituta repagulo facilè ruit in exitium Resp. quæ vitio impietatis est obnoxia. Caueat Senator tantum Reip. malum.

LEX XII.

RELIGIONIS CONTEMPTVS IN SENATORIBVS IMPROBANDVS.

NOn nemo iam eò audaciæ prorupit, vt affirmet principium iuris dominij esse, nullum Dei habere sensum, nullamve supremi Numinis reuerentiam: nihil generosum, nihil altum concipere mentem Senatoris timore Dei deuinctam; semper miserijs conflictari, qui Religionibus inseruiunt. Si quid Religioni tribuendum, id agendum dumtaxat, aut ad plebem dementandam, aut metu coercendam. Numam Pompilium Romanorum, Lycurgum Spartanorum ductores, quo maiorem sibi, legibusque suis reuerentiam conciliarent, colloquia cum Dijs, & Deabus commentos, varijs colendi Deum ritibus populorum tuditati illusisse.

At tenebriones isti audacissimi nimia errorum caligine excæcantur in ipsa veritatis luce. Non obstat fælicitati publicæ, atque imperandi iuri, Religionis & Numinis cultus; immo in summum prodest. Romani qua gente nulla vel latius, vel diutiùs dominata est, nihil magnæ rei sine Numinis imploratione incæptabant. Consules nulla de re prius, quam de Religione Senatum consulebant, Liuio testante. Huic rei benè cultæ omnia incremēta Spretæ aut neglectæ decrementa adscripta sunt. Ipse Horatius Flaccus parcus ante Deorum cultor, certis postmodum diuinæ operationis signis conuictus resipiscit, dum ait

Dijs te minorem quod geris, imperas
Huc omne consilium, hunc refer exitum
Dij multa neglecti dedere
Hesperiæ mala luctuosæ

Placuit semper supremo Numini Religionem Imperij amplitudine & largo opum accessu munerari; neglectæ verò & contemptæ, pœnas dignitatum imminutiones, calamitatum immissiones irrogare. Bona semper attulit Numinis cultus & veneratio, mala neglectus & despectio. Nunquam cæcitate casus aut fortunæ raptum est imperantibus Imperij decus, sed Religionis violatione, quæ superos prouocat & vindictam

Felix Roma quidem, ciuesque habitura superbos,
Si libertatis superis tam cura placeret,
Quam vindicta placet.

LEX XIII.

AVSPICE DEO STATVS AMPLITVDO A SENATORIBVS QVÆRENDA.



NOn omnia quæ felicem ſortiuntur euentum in rebus pub.ſoli Senatorum Prudentiæ, & conſilio ſunt adſcribenda. Diuino quodam genio opem præbente feliciter geruntur quæcumque fauſtè contingunt; & ſine Numine fauente nihil aut obtinetur aut occinitur glorioſum. Inanis eſt humana Prudentia, vbi in rerum grandiorum mole verſanda æterna illa Prouidentia deeſt, quæ ſola permagna molitur, atque in finem impellit. Impulſus ille ſuperior, qui cauſas omnes mouet, ea quoque quæ nobis videntur fortuita, ad Rerump. dirigit incrementum. Scipio in Africam traijciens vltrò ſe credens fidei Africanæ Siphacis, vitam & ſalutem publicam vrbis Romæ adducit in diſcrimen, & auſpicio ſuperorum eius fortunatur euentus. Cum rebellaſſet Germania (inquit Tacitus) & res Romanę in extremam adactæ eſſent deſperationem, affuit vt ſæpè alias Deorum ope fortuna populi Romani ex oriente. Eſt etiam Theologorum effatum, inferiora quæcumq; Superiorum lege reguntur iuxtà illa Bruti ad Catonē verba

Inconcuſſa ſuo voluuntur ſidera lapſu,
Fluminibus propior terræ ſuccenditur aer,
Imaque telluris ventos, tractuſque coruſcos
Flammarum accipiunt, Nubes excedit Olympus
Lege Deum.

Primus vniuerſi motor rerum viciſſitudines, Imperiorum alternationes diſponit ſolo conſilio, quod leges humanæ prudentiæ edictat. Id eſt quod docet Tacitus, pleraque in ſumma fortuna auſpicijs, & conſilijs potius, quam telis, ac manibus geri. Occulta quædam vis etiam in ipſos animos immittitur à ſuperis, qua liberè quidem, at infallibiliter agunt ipſæ facultates agendi. Non caſu rutilant ſupernæ illæ faces, non ſine mente aut fixam habent ſedem, aut hinc & inde oberrant. Sunt characteres lucis æternam rerum omnium contingentium prouidentiam prænotantes, in quibus mutationes & viciſſitudines ſuas legerunt ſæcula præterita, legunt præſentia, legent futura.

Floruit olim Græcia armis, & artibus; dedit Romæ quæ diſceret, non quæ inueniret, non verò in profunda iacet ignorantia, & vtilitate. Auguſti temporibus ingenia captum ſuperabāt humanum at Neronis tempeſtate ità corruerunt, vt nec vllus ſufficeret labor, nec induſtria, quæ artes ſcientiaſque ab interitu prohiberet. Omnia vult Deus, ipſoſque caſus qui tranſeunt in culpam non ſueſcit impedire; nullam tamen voluntati liberæ vim facit. Inſanum igitur eſt ſine Deo humana quæcumque pertentare.

LEX

LEX XIV.

NVLLIS ADVERSIS DEPRIMENDVS SENATORVM ANIMVS.



A Fluuio modo feliciter ad messem arua irrigante, modo aggestis, ac tumentibus vndarum voluminibus ad perniciem exundante capienda est Senatoribus regula. Sustinent arua impetus, & aquarum flagella, vt denuò blandientis fluuij, ac suauiter decurrentis suscipiant oscula. Premi potest aduersis regentium animus, at penitus opprimi nō potest. Patientia sustinentis quemlibet impetum superat, & si impetus est, citò transit, ac facilè euanescit. Malum fuit augurium Vitellio in Oriente, quod Euphrates tantoperè excreuisset, & vortices velut coronas quasdam spumæ candidæ ostenderet, ex eo, quod notum esset violentos rerum impetus citò desinere. Qui casibus non cedit, ab ijsdem non obruitur, & si pro tempore cum ipsis rapiatur, infirmato aduersorum concursu retrocedit, ac postremò emergit incolumis. Plus constantia in sperando valet, quam fortitudo in pręliando. Nouit id Fabius Maximus, qui Annibalis torrentem præter labi passus est, donec longis cunctationibus imminutum vicit, & Rempublicam Romanam conseruauit. De illius constantia, quę nullis frangebatur aduersis hęc habet Silius Italicus.

Hos mulcens questus Fabius, deforme docebat
Cladibus irasci, vulgumque arcebat ab ira
Aduersis etenim frangi non esse virorum
Qui Martem inscribant genti non posse dolores
Condere, & ex pæna solatia poscere luctus.

Armatum nimis fulgur è nubibus erumpit, & licet quandoque vulnera & necem infligat, vt plurimum non nocet, licet deterreat. Etiam multa aduersa impetu valida in breui euanescunt mora. Valentior (ait Seneca) omni fortuna animus est, in vtramque partem res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ causa est. Semper fausta peroptare, & semper aduersa metuere ignauia est. Disrumpitur sæpè malorum tela si animi nixus distrahat in partes. Quod superest exitio animus est, cętera cadunt, nihilque cadit, si animus stet. Præceptum est non tantum ab Horatio

——Viuete fortes
Fortiaque aduersis opponite pectora rebus.



LEX XV.

VITIA QVÆ PATEANT, IN SENATORIBVS COERCENDA.


hil Reip. nocentius quam vitium gubernatoris latibulum minimè quærens. Lues quædam est, quæ oculis, vel subiecta contactui inficit omnes. Metuendum citò est illius Reip exitium ad quod inferendum virus palam absque interimentis rubore & pauore profunditur. Quod tegitur crimen vni nocet agenti praue, cæteris sępè prodest, si indutum prodeat simulatione virtutis. Spectandum omnibus se exhibet Reip. rector, nihilque quod monstruosum sit debet exhibere. Tiberius scelestissimus homo laudatur tamen ob tegumenta, quæ vitijs inducebat, cum esset rector Imperij, Rerum honestarum vmbris, saltem vmbrosam ciuium beneuolentiam, & venerationem euanescentem consecutus est. Ad rem nostrā probanda potius quam improbanda illa hominum vita fallax quam detestatur Seneca in Hippolito

O Vita fallax, abditos sensus geris,
Animisque pulchram turpibus faciem induis;
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallacem probant.

Minus lædit compressum incendium, quam foras erumpens, licet dum absconditur, capessat vires. Flamma scelerata & atrox, inquit Aelianus ad rem, aut penitus extinguenda est, aut saltem velanda & sopienda cineribus, ne cum extrinsecus impetu circumfertur, omnia absumat. Sensatus homo (constat ex oraculo sacro) in Sapientia manere debet sicut Sol, qui cum cęteris patet, nulla vitiatur nube. Tritum est apud Liuium Scipionis dictum ad Massinissam non esse tantum periculi ab hostibus armatis metuendum ciuibus, & populis, quantum à Duce, vel rectore vitijs circumfuso.

Teterrimum quidem monstrum est larua virtutis, fucus probitatis Hypocrisis, at Remp. regenti profuit semper compresso prauitatis exemplo malum velare, quam pandere. Inficit omnes male affectus Princeps (inquit Xenophon) transeuntque subitò ad cætera membra capitis deliria. De illis tantum iactatum est

Nulla est Iustitiæ pestis capitalior illis,
Laruata apparent, qui pietate boni
Quo plura intulerint incautis damna nocentes
Inde illi laudis plus meruisse volunt

De ijs inquam, qui virtutis prætextu, omnia Reip. mala, Seditiones dissidia, rapinas tecta fraude, excitant, aut accendunt, qui etiam à politicis animæ malæ & incendiariæ dictæ sunt. Ab his probris segregantur illi, qui cum debeant alijs prælucere, vitiorum tenebris occuluntur; Id vnum est regentis munus vt bene regat, & praue non agat.

LEX

LEX XVI.

SENATORIS JVSTITIA NVLLO PRIVATO COMMODO CORRVMPENDA.



Vlla re quæcunque Respublica magis effloruit, quam immota & incorrupta in Senatoribus Respublicas administrantibus Iustitia. Nullibi magis flacescunt ditiones, & Imperia, quam vbi ius, & æquum in gerendis rebus venale est. Pereant status, euertantur Regna necesse est, vbi deficit tutelare Numen intaminata Iustitia. Defecit Romanum Imperium, cum primum defecere Senatores ab omni improbitatis suspicione puri. Incorruptum Senatorem quærebat Simonides, optabat, at inuenire non sperabat. Is erat, quem

Etiam si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Is quoque qui

Honestum prætulit vtili,
Reiecit alto dona nocentium
Vultu.

Non ille, qui munusculis, & largitionibus obcæcatus, nec candore animi, neq; dignitatis decentia, quæ Senatori congruat, munere adfungitur suo

——— malè verum examinat omnis
Corruptus Iudex.

Priuata commoda, quæ Senatores corrumpunt fœdissimas pactiones appellat Plinius, quę rem pulcherrimam in Republica deturpant, nimirũ integritatem; quæ nullam admittunt in Tribunalibus æquitatem, nullam seueritatem in pœnis, nullam fidem in testibus, nullam rationẽ in iudicijs, nullam grauitatem in confessibus. Valdè nefas est Senatoris trutinam in eam magis vergere partem, in qua plus ponderis est, aut plus æris. Quorum animus obsident lucra; nequit occupare Iustitia, quæ æquilibrium animi est rectè iudicantis. Illud est supremum Iustitiæ decus (inquit Cicero) quod dum in senatoria splendescit dignitate, nec alteri nocet, nec sibi prodest, sed communi consulit vtilitati. Eiusmodi Senatorem graphica delineatione describit Horatius, qui sit

Vindex auaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecunia.

rara auis (loquebatur ad filium suum M. Aurelius Imperator) est Senator incorruptus. Monstri instar erat (subdit Imperator) si quis me iam Senatore, & Consule, candide ad obsequium, & alterius emolumentum loqueretur; Paucis vidi propositam Reip. salutẽ, alienum & cõmune bonũ; multis propriũ. Vnus inter Senatores Romanos cõmendatus Curius, cui ad focũ sedenti, & catino ligneo cœnanti, rapasq; comedenti; cum magnũ auri pondus obtulissent Samnites, non defuit animus, quo thesauros sperneret, vt patriæ melius cõsuleret.

LEX XXVII.

IN PVBLICIS CONFERENDIS HONORIBVS SOLA MERITI MENSVRA SENATORIBVS INSPICIENDA.



D vnum in dispertiendis Reipublicæ honoribus Senatoribus spectandum est, vt eos deferant quibus deferendi sunt, vt virtutem dumtaxat dignitatibus ornent, & præmijs sola merita compensent. Cogitent publica munera non esse priuatas opes, sed Reipublicæ dona in eos tantum congerenda, qui de Republica benè merentur. Non opum, non sanguinis, non cognationis, aut amoris ratio habenda est, sed hærendum rationis ductui, cuius ea lex est apud Platonem, sit honos virtutis merces. Plinius quæritur, quod census, & sanguis Magistratus, & equites faciat, cum tamen sanctiùs sit inquirere, non quale patrimonium, non qualis maiorum ordo habeat Magistratus, sed cuius existimationis sint per probè peracta virtutis officia. Senatori cuilibet illud prolatum est à Claudiano

Tu ciuem patremque geras, tu consule cunctis
Hæc tibi nec tua te moueant, sed publica vota.

Non leueni omni æuo attulit rebus publicis perniciem, quod importunis potius, ac negotiosis Candidatorum precibus fuerint honores delati quam meritis. Iuueni ignauo petenti ab Antigono Rege dari sibi mercedes, quas patri præclarissimo viro pendebat Demetrius, responsum est, merita tua non voces, aut preces audienda sunt. Malum est sub Sole (produnt Sacræ Litteræ) videre stultum positum in dignitate sublimi, at malum deterius id in Republica spectare Senatorum corruptela, qui patres patriæ vocitantur. Ab eiusmodi patribus ille dignus eligitur filius quem peperit virtus, non quem euocauit ad lucem Senatorum affectus. Qui hostem feriet, ille mihi Carthaginensis erit, sapientissimè dicebat Hannibal.

Expectandum est illius Reip. exitium citato pede contendens vbi insolentia cupiditatis extollitur nullo illustri emeritę virtutis peracto facinore. Ex alto facile excidium est, si nulla subsit, quæ reparet casus magnorum operum moles. In quacumque Republica.

Egregios inuitant præmia mores

Ciuium conatus ad augendum Reip. decus extorquent honores iustè collati. Patriæ seruatorem fecit Fabium Maximum eius meritis extructa statua, & inscripta, Patriæ seruatori.

Ideò honoris insignia parcè, & cautè, ne vilia fiant, concedenda, nec passa est Romana magnitudo Senatus errorem, cum Flauium quemdam fecit summum, & primum Horisten, quod erat officium solis patricijs benè merentibus debitum.

Si meritò iungantur opes, monet Lycurgus, facilius viros diuitijs claros, quam

quam ignotos, & pauperes esse à Senatu muneribus publicis præficiendos. Onus graue est & morbus Reip. magnus paupertas, inquit in Licurgo Plutarchus. Spectabatur sæpe etiam apud Romanos in Senatore, & Magistratu censsus amplus, quo promerita magis claresceret dignitas. Tiberius ipse, Tacito testante, adhoc censum senatorium iuuabat; quod etiam actum à Nerone stipendia Senatoribus constituente, narrat Suetonius. At cæteris paribus meritum potiùs quam census, aut personæ dignitas spectanda est.

LEX XVIII.

A PATROCINIO DELINQVENTIVM SENATORI ABSTINENDVM.

SAlus Reipublicæ inde deprehenditur, si ad præclarè agendum præmijs, & honoribus excitentur boni, atque à sceleribus, & flagitijs perpetrandis supplicijs deterreantur mali. Vna debet esse Senatorum manus, quæ præmia merentibus dispenset, altera pęnas infligat; quippe aut facinorosos pęnas date, aut Rempublicam interire necesse est. Eiusdem non diuersi ingenij est delinquere, ac delinquentibus patrocinium exhibere. Vnum est delictorum supplicia impedire, ac delictis ipsis se obstringere. Senatorij muneris est, eiusque qui in Rep. est Iustitiæ vindex curare, vt puniantur fontes, & pęnis rescindantur culpæ, non vt sint crimina sub tutela. Optima est laborantis Reip. medicina (aiebat Lycurgus) si æquè à Legumlatoribus inducátur pęnæ metus, & odium culpæ.

Delicti medicina, grauis licet, optima pœna est
Exigit hæc morbum vt velle redire negent.

Ad rem Hebius Poeta.

Culpa Senatus est (ad Senatum Athieniensem dicebat Demosthenes, & ad Romanum Tullius) miseros tantum quosdam exturbari exulare, atq; supplicijs plecti, præpotentes verò facinorosos præpotentum tutamine tolerari. Vulnus est, quod toti Reipublicæ affert interitum iuxta illud Ouidij.

Cuncta prius tentanda, sed immedicabile vulnus.
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

prouerbium est apud veteres poetas

——— vnum inficit omnes
Quos tangit crimen

& vulgò circumfertur, mactat oues, qui lupis parcit. Cælius Balbinus Imperator solebat dicere, malorum impunitatem esse maximam peccandi illecebram, & cum bonorum iniuria semper esse coniũctam. Dum mali pauent (ait Tacitus) optimus quisque iustis paret; & bonorum salutem custodit, qui malos

los punit, subdit Lactantius; Quorum longè melius Seneca

——— Victima haud vlla amplior
Potest, magisque optima mactari Ioui
Quam homo iniquus, &c.

Ea tamen lege in ferendis pęnarum Iudicijs debet obstringi Senator, vt nullo ducatur odio, nulla ita aut vindictæ cupiditate. Taciti præceptum est securitati Reip. consulendum esse, non priuatæ vindictæ; vbi enim est feruida vindicta (inquit Cassiodorus) ibi non est temperata iustitia. Soparer scribit ad Hernetrum fratrem suum de Republica administranda (prębe te simul clementem, & infensum malis, & dum malis indignaris, improbitatis non personæ odium præseferas. Reddit rationem Claudianus in panegyrico Theodosij.

Qui fruitur pœna ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi.

LEX XIX.

IN ADMINISTRANDA REP. HABENDA PRÆ OCVLIS A SENATORIBVS CONSCIENTIA ET FAMA.



Onscientia homini relicta est à Deo vt lex intima vt lux eorum quæ peraguntur eterna. Sine hac lege, sine hac luce nihil honestum meditatur homo, aut Reip. administrator. Sapiens (inquit Seneca) semper agere cum gaudio debet, gaudium non est sine virtutum conscientia. Honestas & virtus proprium iubar, magnamque lucem habent in animo, siue videat aliquis, siue lateat omnes, (ait Plutarchus) Deos, & homines. Vbi optimorum consiliorum conscientia testis est, ibi viuitur sine metu & summa cum honestate. De Sapiente qui Remp. regit, & regitur à conscientia canit Horatius

Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Decor regentis est fiducia fidelis conscientiæ, & decor summus splendor bonæ opinionis. Bona conscienria & fama (inquit Tullius) Resp. stant, & solidantur, vnaque nutante, omne nutat Imperium. Scribit Epiphanius ad Theodoricum Italiæ Regem, boni Principis esse cum intimis animi virtutibus externam amare famam.

Vile latens virtus, quid enim submersa tenebris
Proderit?

Scribit Claudianus ad Honorium Hæc duo (inquit D. Ambrosius) homini ciuili necessaria sunt, conscientia & fama, conscienria propter Deum, fama propter homines. Conscientiam non expellit ratio status (vt docent Pseudopolitici) quæ tamen semper famam admittit. Tiberius ipse ad Senatum Romanum

manum per Tacitum documenta transmittit, tueri conscientiam & famam, quibus velut adminiculis Deorum ope fines non agnoscit Imperium. Demetrium Plalereum, cuius præclarissimis gestis ab Athenienfibus trecentæ erectæ sunt statuæ, hæc duo lumina per illustrem fecere.

—— fax mentis honestæ

Gloria.

Fama & gloria (ait D. Bernardus) virtutem illustriorem facit, at non maiorem. Si hæc duo adhæreant regentium aut senatorum animo, splendescunt maxime & fortunantur regimina concludit Diagoras.

LEX XX.

SENATORVM VITA CIVIBVS ET POPVLIS VELVT EXEMPLVM OBIICIENDA.



Vod de Principe, Rege, atque Imperatore vulgò iactatur, etiam Senatori in excelso regiminis posito, atque in clarissima luce versanti adaptandum est. Decet Senatorem quod Principem decet, non dumtaxat se præstare bonum, sed ciues populos diligentia & exemplo bonos efficere. Non tam imperio (ait Plinius) populis opus est, quam exemplo, & sicut homines aspeiat exasperata correctio, sic blandissimè iubetur exemplo

—— non sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Laudat Plinius Traianum Principem optimum, quod nòn se se tantum, sed suos à vitiorum contagione reprimeret. Contra exprobatur Nero notior scelere quam virtute, quod plures habuerit fedissimæ vitæ imitatores. Etsi ad virtutem populi vel ciues benè comparati sunt, exemplo tamen regentium fortiter trahuntur; eoque faciliùs, quo nobilius proponitur exemplum. Pudor ipse qui à peccando reuocabat, præstantioris alicuius dignitate loco pulsus, in licentiam commutatur.

Haud iniuria de æuo suo conqueriritur Lactantius, ex quo mores & vitia regis imitari genus obsequij iudicatur, abiecerunt omnes pietatem, ne exprobrare scelus Regis viderentur, si piè viuerent. Huiusmodi Principatus, & Imperij natura est, ut semper subditi ad eos, qui rerum potiuntur, se se componant, eaque amare, ac consectari solent, quibus Principem oblectari sentiunt. Veluti ad solis motum populares vertuntur, atque conformantur in fastigio expositis, & locatis. Appositè satis de hac re Cæsarem alloquitur Claudianus, cum ait

Hoc te præterea crebro sermone monebo

Vt te totius medio telluris in orbe

Viuere

Viuere cognoscas; cunctis tua gentibus esse
Facta palam; nec posse dari regalibus vsquam
Secretum vitijs; nam lux altissima fati
Occultum nihil esse finit, latebrasque per omnes
Intrat & obstrusos explorat fama recessus.

LEX XXI.

PRIVATIM, ET PVBLICE' A SENATORIBVS SERVANDA FIDES.

MAximum Reip. fulcrum, per quod stabile, æternumque seruatur Imperium fides est publicè priuatimque seruata. Nulla esset communis societas vitæ sine vinculo fidei quo singula inter homines deuinciuntur commercia. Fundamentum societatis humanæ fidem dicit Plato, perfidiam verò ruinam, ac pestem. Romani fidem in capitolio proximam Ioui maximo collocarunt, ut ediscerent Senatores, cęterique omnes fidem velut commune Numen esse ab omnibus colendam. Rectores omnes monet Isocrates, in id studium præsertim debere incumbere, quod maior apud ipsos extaret fides, quam omne iuramentum. Nisi in fide stet Respub. audet dicere Liuius Remp. potentia, & opibus non staturam, cui subdit Silius Italicus

——— *Qui frangere rerum*
Gaudebit pacta, ac tenues spes linquet Amici,
Non illi domus, aut coniux, aut vita manebit
Nunquam expers luctus, lachrymæque Aget æquore semper
Ne tellure premens, aget ægrum nocte dieque
Despecta, ac violata fides, &c.

Senatus Romanus quanti fecerit fidem priuatim publicèq; seruatam tunc palam aperuit, cum Chattorum Principi promittenti necem inferre per venenum Arnimio Romani nominis hosti, respondit; Senatum Romanum nemini solitum fidem violare, neque occultè, vel fraude, sed armis hostes suos vlcisci. Etiam hosti fidem esse seruandam docent saniores politici, quod tamen intelligi necesse, ni hostis ipse à data fide recedat, nam tunc

Fallere fallentem, fraudemque repellere fraude,
Exemploque licet ludere quemque suo.

Sextus Pompeius vt in sua naui Octauium, & Antonium susceperat. Menna Libertus eius cum ad aurem suaderet illos necandos, quo non dubiè orbis terræ imperium adepturus esset negauit se facturum id Pompeius, ne fidem fefellisse, ac violasse diceretur. Solum in malis promissis rescindenda est fides

(ait

(ait Isidorus) & in turpi voto mutandum est decretum; turpis enim est promissio, quæ scelere adimpletur.

LEX XXII.

VITANDÆ SENATORIBVS FRAVDOLENTÆ PROMISSIONES.



Psa falluntur fraude, qui in ciuili administratione fraude exercentur, vt benè sibi vel Reip. negotia gerant. Non est cum Plinio Senatoribus iudicandum, prudentiæ esse, interdum promissione decipere. Nec ipsi temporum mores, licet corruptissimi fraudi indere possunt prudentiæ nomen, cum hæc in virtute, illa in vitio posita sit. Fuit sententia Iasonis pessimi Thessalorum Tyranni non esse nefas quandoque in paruis, quandoque etiam in magnis decipere. Impiè celebrantur apud Homerum quidam sola periurij fama clarissimi, qualis inter reliquos fuit Atoolicus ille

——— Quo non præstantior alter
Et fraudare homines, & fallere Numina Diuum
Namque suas illi dederat Cyllenius artes:

Malè adhuc audit Vlysses, licet præclarissimus vir, quoniam auxilio Palladis celando, mentiendo, mentemque ad omnem malitiam & fraudem versando, diuinis laudibus ornatur. In Parthorum ignominiam ea iaculatur Iustinus, cum ait, fides dictis, promissisque nulla, nisi quatenus expedit. Lysander, qui omnia fraudibus miscebat, eo redarguitur à Plutarcho, quod æqualem faceret veritatis & mendacij dignitatem, solo vsu & tempore definiendam. Dolenda nimis proborum sors est, quæ dolis proprijs minimè exposita, alienis ad perniciem iugiter circumuenitur. Nota humani candoris est & integræ fidei vicissim dolis, fraudibus, & periurijs deludere; idque est, quod plorabat etiam Comicus Theognis

Paucis è multis fidus animus est.

Permittuntur ad summum à politicis fraudes, doli & insidiæ cum publica suadet salus, non cum priuata. Plato & Xenophon id supremis concedunt potestatibus in publicum Reip. commodum. Apud quosdam veteres falsitatis figulos probatum fuit licere pueros tesseris, viros etiam iuramentis circumuenire. At hæc nobis extra errorum caliginem minimè probanda sunt. Indolet Seneca ad hanc rem in Hercule Aeteo cum ait

In tot populis vix vna fides
Tenet auratum limen Erynnis
Et cum magnæ patuere fores
Intrant fraudes cautique doli
Ferrumque latens.

LEX

LEX XXIII.

IVRAMENTA SENATORIBVS INVIOLANDA.



QVi fidem, veritatem, ac iurisiurandi Religionem contemnunt, næ hi vltimam improbitatis lineam attingunt. Nullum tertius improbitatis crimen excogitari potest, quam periurium ac illusio veri. Periurium (inquit Aristoteles) & diuinam incurrit vltionem, & humanæ subest infamiæ. Apud Indos de periurio conuicti extremis manuum pedumque digiris decurtabantur. Ægyptios quoque refert Diodorus Siculus, periuros pœna capitali punire solitos, de quibus loquens Comicus Græcus ait

Adducit ad supplicia Numen improbos.

Nimis insidiosum malum periurium & perfidia est, quæ tantum incommodi humano generi adfert, quantum salutis bona fides præstet. Impossibile est (aiebat Demosthenes) iniustum, periurum, & mendacem potentiam firmam retinere. Duo sunt potentibus data diuinitùs (inquit Pythagoras) & veritatem amplecti, & alijs benefacere; & vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari potest. Numen erat apud Sacerdotes Ægyptiorum veritas suspensa collo, cuius cultu, & recordatione in iureiurando nunquam deficerent. Ex quo regnum obtinuit Magnus Cæsar indictam sibi voluit illam Thucydidis legem, esse nefas cuicunque iusiurandum violare, sed ijs potissimum, qui maiori dignitate præditi sunt, fœdioremque esse eiusmodi fraudem, quam apertam violentiam.

Prisci iurantes, ac de re aliqua fœdera ineuntes, mutuum solebant delibare sanguinem, ut si quis tantam violaret fidem, sanguine ipso superorum vindicta pœnas daret

At non irritum erit iurandum & fœdera pacta
Sanguine, nec dextra quis credere suadebamur
Nam quamquam Deus haud pœnas in tempore sumit
At post sumet, & hi magno, mihi crede, rependent
Ipsi atque vxores, & dulcia pignora nati.

Habet hæc princeps poetarum Homerus. Philippum Macedonem Tragicum illum exitium habuisse, omnemque eius posteritatem deletam esse ob violatas iurisiurandi leges, existimat Pausanias. Iason Argonauticæ expeditionis author violato iureiurando Medeæ dato de perpetuo coniugio, tandem Creontis opera crematur, excitatis ab ipsa Medea flammis. De viris periurio fallentibus canit Hesiodus

Qualia vir patrat, talis manet exitus illum
Arte alium, qua quis capiet, capietur eadem.

LEX

LEX XXIV.

HONESTVM ET BONVM PVBLICVM ÆQVE SENATORIBVS SPECTANDVM.



Vlla Reipub. administrandæ regula in virtute posita est, si æquè honestatem & publicam vtilitatem prætermittat; Si ab vtraque deflectat Senator in turpitudinem Reip. nocentem dilabatur, necesse est. Ea omninò siuè publicè, siuè priuatim deliberanda non sunt, in quibus turpis est ipsa deliberatio. Inexpiabile rectoris facinus est, si proprij causa commodi pietatem lædat, Religionem contemnat, sibi vni vniuersam posthabeat Remp. Suadet Tullius eos qui Reip. sunt præfuturi, duo Platonis tenere præcepta, vnum ut vtilitatem ciuium sic tueantur, ut quæcumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum; Alterum, ut totum corpus Reip. curent, ne cum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Hic repetendum illud Claudiani ad Honorium

Tu ciuem, patremque geras, tu consule cunctis
Non tibi, nec tua te moueant, sed publica damna.

Monitum est Platonis ad Reip. Rectores, actiones priùs discutiendas esse, & legi honestatis adaptandas, antequam in deliberationem prouocent consilia. Pericles tantopere ciues suos diligebat, ut antequam esset verba facturus, diù meditaretur, ne sibi vllum excideret uerbum, quod vtilitati ciuium repugnaret. Vt gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria; Sic (ait Oratorum maximus) moderatori beata ciuium vita proposita est, ut ea opibus firma, copijs locuples, gloria ampla & virtute honesta sit

——— Quis mortalium
Non dirigit ad honesta & ingenua oculos

ad hanc rem aiebat etiam Sophocles. Recolendi sunt (ait Tranquillus) in exemplum prisci illi Romani proceres, qui nihil firmiùs, hærensque animo habuerunt quam vitijs nutantem Remp. honestate stabilire atque solidare. Omnes Senatorum curæ amore patriæ leuiores esse debent. Idq; apud Athenienses celebriores semper fuit in votis, præsertim Phocioni, Codro, alijsque pluribus. Impia est lex illa ad Impetantes lata à monstroso quodam Legumlatore, eo tantum instituendum esse Reip. moderatorem, vt suas res quærat, & fortunas; & nihil interim pensi habeat subditorum; aut publici boni. Datus est à superis gubernator, vt propria contemnat, communia anteferat.

LEX XXV.

PACIS CONSILIA POTIUS QUAM BELLI A SENATORIBUS AMPLECTENDA.



D solum Reip. bonum est (inquit Plato) quod eiusdem statum tutiorem facit; hoc est pacis potius, quam belli consilium. Bellum innumera comitantur pericula (ait Thucydides) Pacem omnis securitas, ideò pacis consilia præ cæteris amplectenda. Pericles suadebat Atheniensibus, tùm demum aduersus Lacedæmonios victores euasuros, cum primum bello abstinerent. Monitum est Lipsij ad Reges, & principes, quies motu semper est tutior, non de obtinendo laborandum est, sed de tenendo. Testudo vbi collecta in suum tegmen, est tuta ad omnes ictus, vbi se exerit, quodcumque nudauit, obnoxium atque infirmum habet. Infelix dixit Cæsar Augustus magni Macedonis Imperium, quod nunquam fuerit in Pace compositum. Seneca eiusdem Alexandri, & Herculis comparationem instituens, in hoc facit pares, quod vterque bellator nihil sibi retinuit ex bello. In pace iuris & æqui seruatur ordo, in bello contemnitur, vbi omnia sine lege tentantur

Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetant, regnumque petant, vadant solida vi,

annuit Ennius.

Venetæ Reip. felicitas eo maximè (Bodinus) aucta est, quod in ipsa facilius pacis consilia quam belli capiantur, vbi bella non nisi aut iniuriæ propulsandæ, aut pacis fruendæ causa suscipiuntur. Beata inter cęteras idcirco dicta est Veneta Resp. cuius beatitatem peperit pacis securitas, & imperij quies, quam nullum hostium robur potuit infringere. Quies & sedes Imperij in loco, arte, & natura inexpugnabili collocata, vna est Venetorum gloria quæ iure versibus illis decantatur.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem & toto ponere iura mari.
Nunc mihi Tarpeias quantum vis Jupiter arces
Obijce & illa tui mœnia Martis, ait.
Si Pelago Tibrim præfers, vrbem aspice vtramque
Jllam homines dices, hanc posuisse Deos.

LEX XXVI.

NULLA CONSILII FRAUS JN SENATORIBUS TOLERANDA.

INde ortum ducit omnis Reipub. occasus, vnde fraudolenta Senatorum consilia vim suam accipiunt. Omnis casus transit in culpam, vbi consulentis

lentis malitia nil casu contingit. Pestis nulla Reip. exitiosior est (scribit Tullius) quam eorum, qui dum consulunt, maximè fallunt. Eiusmodi perfidiæ viros grauiter reprehendit Pericles apud Thucydidem,cum ait, viros esse nihil boni de publica vtilitate sentientes, nil aptè pro Rep. gerentes, aut loquentes. Ob id ad consulentes monitio rithmis comprehensa circumfertur

O consultores rectos assumite mores
Publica priuatis præponite commoda gratis,
Ne damnet vestras animas Diuina Potestas.

Olim apud Athenienses quoties aduocabatur concio,legimus Præconem maxima voce, horrendisq; verbis ijs exitium imprecari solitum,qui malum, perfidumque consilium Reipub. dedisset D. Augustinus introducit. Catonem loquentem ad Romanos. Magnam ex parua effecerunt nostram Rempub. Domi Industria, foris Iustum Imperium, Animus in consulendo liber neque delicto neque libidini obnoxius. Hæc est bona illa mens consulentium,quam inuocabat Annibal in oratione apud Liuium,cuius directione putabat prospera cuncta euenire.

Cum nauta errat,modicum affert nauigantibus nocumentum,at verò cum errore decipit,aut decipitur gubernator,totius efficit nauigij perniciem. Hæc sunt errata, quæ Agesilaus apud Xenophontem in priuatis hominibus fert modestè,in principibus verò maxima existimat, nullaque digna venia. Prudenter arguit Cominæus Principes viros in Rep. ne fallente consilio officio suo desint neque ipsorum perfidia innocens corruat Resp. etenim ait Horatius, vim consilij temperatam, & Iustam in maius semper prouehere, sicut contra

——— ijdem odere vires
Omne nefas animo mouentes.

L E X X X V I I.

ETIAM AB EXTERIS NATIONIBVS CAPTANDA SENATORIBVS REGIMINIS PRVDENTIA.



Onsultissimum est ad Remp. benè gerendam perfectam regiminis formam non dumtaxat intra lares suos, sed etiam exteriùs quærere, ediscere, & captare. Plura Alienigenarum exemplo docentur, quæ apud nostrates minimè despiciuntur, & quæ nulla patria disciplina traduntur. Vlyssem quem Græcorum Sapiētissimum facit Homerus, decantat ab exteris sapientiā perdiscentem Homeri versus sic reddit Horatius

Dic mihi Musa virum captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit & vrbes

Interdum expedit patrios negligere mores (inquit Cassiodorus) vt sapien-

tiam benè regendi quis possit aquirere; Vlysses ni hoc fecisset, in laribus proprijs latuisset. Veneti semper prudentissimi ad id externorum notitiam conquirentes, oratoribus suis quod ad maximos mittunt terrarum principes id oneris iniungunt, vt post Legationem ad Senatum omnia referant, quæ de moribus principum, atque exterarum Nationum explorauerunt. Non est à Senatoribus audiendus Sedentarius ille Poeta, qui docet

Fælix qui proprijs æuum transegit in agris
Ipsa domus puerum quæ videt ipsa senem.

Ob id etiam suscipiendæ, cum fieri potest, peregrinationes; nec benè Lycurgus, & Plato suas instituissent atque firmassent Resp. nisi Ægyptum, & Græciam peragrassent. Hoc est probum Imperij rationarium (ait Tacitus) si ex alienis suam discat Gubernator Remp. & si, vt inquit Martialis

Principis est virtus maxima nosse suos

quanto maior erit illius prudentia qui etiam alienigenas nouerit. Omnes maximi viri ab exteris prudentiam didicere (scribit Diodorus) omnes fere orbis plagas lustrauit Alexander Macedo, vt optimam Regis disciplinam inueniret. Cyrus à peregrinatione patris Cambysis eximiè instructus est. Ptolomæus ignotas oras peruagatus Imperij artem tenuit præstantissimam. Qui ad clauum Imperij admouetur inuisis alienis Prouincijs in Vipsano Lenæ damnato ob Sardiniam Prouinciam auarè habitam discet quomodo auari Prouinciarum rectores sint puniendi. Continget idem si spectabit Italiam luxuria, & sæuitia Clodij vexatam, & Siciliam à Verre expilatam Hæc non percipiuntur ex proprijs, sed ex alienarum notitia Prouinciarum.

LEX XXVIII.

NON SEMPER IN ARDVIS CAPIENDA A SENATORIBVS CONSILIA MEDIA.



On vnanimis est gubernantium consensus in eligendis consilijs, vbi momentum habent ciuilia, aut bellica negotia. Media subire consilia sæpè docent extremorum pericula; expeditque plerunq; eam ingredi viam, vnde minori cum incommodo ad vnum accedatur extremum. In Dædali volatu adumbratur apud veteres regentium prudentia, qui nec soli appropinquabat immodicè, nec nimium ad mare deflectebat Et solis ardor, & maris humor poterat alas dissoluere, & volatum impedire. Quin Regentis symbolum præstat Sol ipse, qui medium orbis, quem percurrit, nunquam deserit

—— Medium non deserit vnquam
Cæli Phæbus iter, radijs tamen omnia lustrat.

canit Claudianus Cautela maxima, & dexteritate in arduis agendum est, ne vel

vel nimia in rebus indulgentia pericula faciat, vel nimius rigor desperationem extorqueat. Exequi semper potentiam est ferream seruitutis catenam attexere, sicut Tyrannidis genus est subditos ad normam Reip summè perfectæ velle redigere. Populum Romanum (aiebat Tacitus) nec totam seruitutem pati posse, nec totam libertatem, idque de eodem Pisoni dicebat Galba. Ast non semper media gubernantibus esse capienda consilia vsu compertum est. Periculum quandoque in medio est, non semper in extremo. Ideo Aristodemus Ætholis dicebat, Romanos aut socios habere oportet, aut hostes, media via nulla est. Herennius Poncius Samnitibus consilium dedit, vt in angusto quodam loco Romanos omnes obtruncarent, ne aut liberos omnino dimittendo aut victis certas leges imponendo rursum bella intentarent. Ferocientibus atque tumultuantibus Legionibus Germanicis reprehensus est Germanicus quod medijs indulserit consilijs, cum opportuniora essent extrema. Consilia media solent animos hostibus addere, cum temporis spatium concedant. Non semper

Vindictam mandasse sat est.

vt ait Claudianus. Non semper minæ quæ mediæ sunt inter vindictam, & veniam, referunt quod optamus; quin ut plurimum etiam à spe obtinendi auertunt. Iudicium sit penes Senatorum prudentiam quandoque media, quandoque extrema subire consilia.

LEX XXIX.

OMNIS CONSILIORVM VSVS AD RECTAM REIP. ADMINISTRATIONEM A SENATORIBVS REFERENDVS.



Vi clauum moderatur Imperij, & consilio molem sustinet regiminis id vnum spectare debet, ut ipsius consilii, & prudentiæ vsus in bonum Reipub. collimet. Hæc est illa summa cura, quam (ait Sallustius,) summo imperio inesse. Omne consiliis robur, si prodeant consilia ab amante, ab amore patriæ. Id dictitabat Iulius Cæsar, cum rectè sapiebat, consilio potiùs quam gladio esse Reipub. seruiendum. Rerum pub. æternitas (inquit Tacitus) sola Senatus benè consulentis incolumitate firmatur; reliqua intercidunt, nec possunt à casu iugiter reparari. Dissipantur consulentium cogitationes vbi consilium in rectam Reip. administrationem non dirigitur. Verum quidem est illud Tragici canentis

Rebus in arduis Sapienti
Quid consilij captat, sæpè est
Difficile.

At subdit Plato, nihil arduum est, nihil difficile publici boni metam in consilio spectanti. Quadraginta & quattuor annis stetit Imperii Romani sa-

lus sub Octauio Cæsare ob recta Mecænatis, & Agrippæ consilia. Contra vix natum occidit Iulij Cæsaris Imperium, quod Cornelij Balbi adulatoris spreto Senatu adhiberentur. Quamdiù Carthaginenses Consilium arcanum, seù intimum tenuere, res feliciter publicas gessere; eo amisso (inquit Liuius) sanctiori consilio, statim Resp. euersa est. Græcos quoq; monet Poetarum Princeps, vt sapientiorum vtantur consilijs ad benè regendum Imperium

——Maior adest & plena duobus
Pectoris atque animi præstantia, copia rerum
Vberior, vis consilij præsentior omnis
Dum nunc hic, nunc ille aliquid quod & vtile credat
Inuenit; Alter & alterius sæpè indiget vsu.
At qui solus erit, si fortè quid vtile rebus
Cogitet, inueniatque animo persæpè labanti
Deficit, & timidum fugit omnis consilij vis.

LEX XXX.

INGENIORVM DELECTVS AD CONSILIA A SENATORIBVS ADHIBENDVS.



Vmmæ esset imprudentiæ nota in summa negotiorum mole promiscuè consiliarios adhibere. Natura suum cuique ac genuinum quiddam ingenerauit, quo intelligentia suscipit discrimen, mensque vna altera ad cognoscendum, & agendum redditur aptior. Deus ipse sæpè hominum sapientiores eligit, quibus vtatur ad magna

—— Qui nempè assignat
Ingenijs sua dona vt visum est cumque cuique

ait Homerus. Non omnibus omnia insunt apta ad quæ agenda sunt

Vnus consilijs alter præstantior basta.

Ea præsertim ingenia deligenda sunt, (ait Tacitus) quæ negotijs paria sint, non superiora; hæc enim potiùs nouandis quam gerendis rebus aptiora sunt ex quo plura Rebus pub. oriuntur damna. Monet Euripides

Mens quæ sapit nimium, non sine damno sapit.

Poppæus Sabinus præmultis sapientissimis viris, Consulatum ac triumphale decus adeptus per quattuor, ac viginti annos maximis Prouincijs impositus est à Tiberio, non propter aliquam eximiam artem (inquit Tacitus) sed quod par esset negotijs, non suprà. Prægrandia & præacuta ingenia etiam nolentia sæpè Reip. moliuntur exitium. Luxuriant magna ingenia (ait Plato) velut arbores nimijs onustæ fructibus, quæ demum in sui & aliorum perniciem inclinant.

nant Tradit Lipſius eiuſmodi ingenia expediti non eſſe conſilij iugiter nutantia præ multiplici inuentione & rationum copia. Sunt etiam obſequij ignara, quod ſanè in Rebus pub. ſæpiſſimè proficuum eſt. Perturbata ſemper agitantur mente, quæ ſemper aliquid mouet, & nihil quietum ſinit. Nunquam aliorum acquieſcunt conſilijs quæ ſæpè ſaniora ſunt; nihilque magis eſt optimo conſilio inimicum, quam conſulentium peruicacia. Ideò Cleon Athenienſium Dux dicebat, imperitiores homines, ſi cum peritioribus conferantur, Remp. meliùs plerunque adminiſtrare nam iſti quidem & legibus ſapientiores videri volunt, & in publicis conſultationibus ſententiam ſemper obtinere, ac propterea ſe & Reſp. ſæpiſſimè euertunt. Conſilia igitur ferentes ita dumtaxat excellere debent ſicut deſcribit Homerus

At quos conſilijs voluit ſuperare ferendis
Mortales alios & ſana mente valere:
Hi ſunt præcipuè qui poſſunt eſſe ſaluti,
Vrbibus & populis, rectè rebuſque gerendis.

LEX XXXI.

TOTA REGIMINIS MOLES PRVDENTI SENATORVM DISPONENDA CONSILIO.

SVpremus Numinum Princeps Iouis nomine circumlatus, vt molem Imperij ſapienti dirigeret, atque verſaret conſilio, dicitur Mineruam ſibi ſociam è capite cocreaſſe. Exemplum Senatoribus orbem regiminis agitantibus, qui omnia prudentia debent circumſpicere, omnibus proſpicere, cuncta à longinquo prouidere. Principi aut Rempublic. adminiſtranti nihil melius, nihil vtilius prudentia contingere poteſt iuxta Sophoclis doctrinam, qui ait

——— —nihil homini prudentia
Contingere melius, aut poteſt magis vtile.

Ars eſt benè regendi prudentia, cuius orbatas lumine reſpubl. quaſſari, ac funditùs deleri ſæpiſſimè videmus. Non ſunt ſatis opes, & potentia ad ſtatus regendos aut continendos

——— ——— Non ſolis viribus æquum
Credere, ſæpè acri potior prudentia dextrâ.

Aegyptij nil magis curabant quam in ſceptro regio oculum conſtituere, quod enim acies videndi eſt in oculo, hoc prudentia eſt in animo Sophocle teſtante. Ariſtoteles quoque oculum animæ prudentiam appellat. Timotheus Cononis filius præſidem Athenienſibus exoptabat non oculis captum, pariterq; ducem, qui non culcitras deportaret ad exercitum, ſed qui velut Argus Panoptes à fronte & à tergo eſſet oculatus.

Si

Si quibus regimen aliorum commissum est per prudentiam præsertim videre debent quod impingentes non sibi solis cadunt, non sibi tantum peccant, sed patriæ, Reip. Non magis Apollinis quam Euripidis oraculum verũ est, rectum Regentis consilium populum cadentem sustinere. Illustre quoq; Antisthenis fatum est, prudentia Senatorum melius vrbes, & Resp. muniri, quam militum fortitudine

Vir prudens animo est melior, quam fortis in armis.

sine consilio nedum infirmum imperium est, vergensque ad occasum, sed ferè iacet extinctum, idque satis symbolo Rudulphi Imperatoris declaratum est, cum sæpè dictitaret, Regni prudentia custos, iuxta id quod etiam canebar Horatius

Vis consilij expers mole ruit sua.

LEX XXXII.

REIP. INFORTVNIA ÆQVO ANIMO A SENATORIBVS SVSTINENDA.



Què dolenda humanæ mentis imbecillitas, quæ rebus prosperè fluentibus nimioperè attolitur, aduersis & contra nitentibus funmè deijcitur. Plerique sunt, & sanè redarguendi (inquit Terentius) qui vt res dant se se, ita magni, atque humiles sunt. Magni animi debet esse, ait Cicero, qui Remp. curat, aut capessit, quo queat constanti semper vti consilio, non prosperis extolli, non tristibus mergi

——— Regium hoc ipse reor
Aduersa capere, quoque sit dubius magis
Status, & cadentis imperij labat,
Hoc stare pressius fixum gradu.
Haud est virile terga fortunæ dare.

monita sunt regentis apud Senecam. Non benè occupat Reip. fastigium, qui super omnia, quæ possunt contingere, non eminet animo, aut saltem animi robore, & celsitudine. Asperis blandisque pariter inuictus sit, qui cum fortuna luctatur, & qui aduersam nouit ferre fortunam, eamdem sæpè mutat in melius, ait Polybius. Lælium idcircò fortem, & sapientem appellauit Tullius, sicut Mithridatem Tacitus, qui sponte suis aderat infortunijs. Vocem Romani Consulis dignam emisit Octauius cùm imminentibus; à Cinna & Mario periculis patriæ, dixit, se neque faustis Reipub. vnquam elatum, neque aduersis consternatum animo nutasse iuxta illud præceptum

Non læta extollant animum, non tristia frangant.

Hoc tene mordicus (scribit Seneca ad Reip. moderatorem) aduersis non succum-

cumbere, lætis non credere, omnem fortunæ licentiam in oculis habere, tamquam quidquid potest facere, factura sit. Non est cedendum fortunæ, licet nouercanti; infirmi ingenij est, subdit Egesippus, lapsu aliquo summæ rei diffidere. Nullo casu est animus cum veste abijciendus, atque imperio indigni censentur, qui facilè internum robur amittunt. Iure de Pompeio viro alioqui magno conquestus est Cicero, cum scripsit, Pompeius noster (ò rem miseram, & incredibilem) totus omninò iacet. Non animus est, non consilium, non copiæ, non diligentia. Ignorauit Pompeius monitum illud Horatij.

Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare. Sapienter idem
Contrahas vento nimium secundo
turgida vela.

LEX XXXIII.

SENATORVM INGENIA EX ADVERSIS PROBANDA.

Nihil clarius probat Senatoris ingenium, quam in aduersis inconcussa patientia. Difficile est (inquit Tullius) eorum virtutes exeri, & proba consilia, quos nulla tentarunt aduersa; quibusque secunda iugiter fuit comes fortuna. Aduersorum exercitatione prudentes efficiuntur Reip. moderatores. Domant, sed docent (ait Cato) res aduersæ, at secundæ hominem trudere solent à rectè consulendo atque intelligendo. Cræsus ipse dicebat apud Herodotum, mei casus etsi ingrati, mihi tamen extitere disciplinæ. Terror ille populi Romani Carthaginensis Annibal aiebat, neminem ad res magnas assurgere, quem fortuna nunquam decepit

Qui mente laborauit
Prudentiam inde aufert

subscribit Pindarus. Mens illa grauiotibus aptior est gerendis rebus, quam sequens rerum patientia domuit, est Senecæ doctrina; Atque eiusmodi fuit ille Cæcinna Taciti, qui secundarum, ambiguarumque rerum sciens eo fuit interritus. Quorum anni per calamitates transierunt, grauissima quæque forti, & immobili constantia ferunt, sapientiusque consulunt de futuris. Ab eo qui semper fauentem nunquam nouercantem sensit fortunam nihil expectare licet, nisi mollia, leuia & parum sana.

Gloriatur eo nomine Mithridates, quod sibi fortuna multis ereptis rebus vsum dederit bene suadendi. Bonum consilium ea imagine lætorum, & tristium proficiscitur, & qui ingratos continuò incidere euentus, inexperti sunt ad prouidenda, atque auuertenda pericula, quæ contingere possunt. Me Se-
nem

nem (inquit Annibal apud Liuium) aduersæ res ità erudierunt, vt rationem sequi, quam fortunam malim

—— grande doloris
Ingenium est, miserisque venit solertia rebus.

canit Ouidius. Vt nauclerum bonum non facit secundus, ac fauens ventus, ità nec egregium Senatorem vita nullis agitata casibus speculum est regentibus varius fortunæ æstus; quod quæ vitanda quævè amplectenda proponit.

LEX XXXIV.

INFIRMA, ET INCOSTANTIA SENATORVM INGENIA AD REGIMEN VELVT INEPTA REPROBANDA.



Ritum est illud ex ore Tullij promulgatum, nihil magis Senatorem decere, quam in omni re gerenda, consilioq; capiendo, Constantiam, mentisque firmitatem seruare. Consilij gradum figere debet, qui moderatur Imperium, ne Consilij imbecillitate nutet Resp. & subditorum status Non est bonum (inquit Sallustius) pro inconstanti moderatorum libidine populos fluctuantes huc illucq; agitari, inde namq; oritur boni publici naufragium. Vile est Consilium, abiectum regimen, vbi robur fortitudinis deest. Discant Senatores cōstantiam à Catone Romano, qui voluit potius publicè contemni, atque in carcerem trudi, quam sententiam mutare cum de maximo Reip. incommodò ageretur. Par exemplum est in Metello Censore, qui cum animaduerteret, quò tenderent Saturnini Tribunis plebis funesti conatus, quantoque malo Reip. nisi his occurreretur, erupturi essent, in exilium quam in legem eius ire maluit, & ne à sententia sua pelleretur, Patria, in qua summum dignitatis gradum obtinebat, carere sustinuit. Fælicia, & probanda illorum Senatorum ingenia, quibus illa Euripidis adaptantur,

Haud enim securim si manibus tenens
Aliquis ceruici esset incursurus mea
Conticerem, iure si contradicere possem.

Malum facinus admittunt, qui ex inconstantia mentis Reip. incommodo in ea leuiter propendent, quæ sibi auram conciliant. Eos tantum Senatores adprobandos (inquit Epicterus) qui constanter consulere, & constanter agere solent. Crimen est Senatorij numeris mobili fortunæ ingenio litare, aut proptio potiùs commodo, quam Reip. Ad Senatores loquitur Seneca cum ait, quosdam in præceps agit extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex sibi constantis animi sententia suadet, dissuadetq; sed adulandi certamen est, quo quisque blandissime fallit. Non debent Senatores

tores de illorum numero esse (ait orator Romanus) qui quod sentiunt etiamsi optimum sit, aliquo metu non audent dicere, Idque malum plorat, & execratur etiam Sophocles cum ait

Linguam cui suspendit inclusam metus
Vt nunc, ita olim visus est semper pessimus,

LEX XXXV.

SENATORVM INGENIVM NVLLO NEGOTIORVM PONDERE LASSANDVM.



Ælix & beata illa Respub. cuius moderatores nullo fatigantur labore, nullovè negotiorum pondere premuntur. Horret supremum regimen abiectum animum leui succumbentem labori, auuersatur ingenium molle, quod ad nihil assurgat difficile, Vigilando, agendo, benè consulendo prospere omnia cedunt, loquitur Sallustius ad Senatores, quos adhortatur summa diligentia assidere Clauo. Promptos, animo alacres, vigilantia, & consilio indefessos, negotijs pares, præcipit Tacitus, Senatores eligi. Hi sunt illi viri strenui, quibus ait Xenophon, labores obsonia esse

Haud oportet noctem integram dormire consiliarium virum,
Cui populi sunt commissi, & tot curæ sunt

ait Homerus Nullum sanè specimen industriæ, nullum prudentiæ fructum edere potest, qui animo inuicto curas, & Reip. sollicitudines refugit sustinere, Nullum Reip. bonum ex torpore, & ignauia progignitur, licet sæpe ex his coniugium fiat. Malè res se habet in illa Rep. (inquit Sidonius) in qua exulat Senatoris negotium, vt dominetur otium cum mente lassata curis. Vir velox in opere suo coram regibus stabit (ait Salomon.) Benè fuisset Romano Imperio, si Seianus Senatorum princeps fuisset tantummodo laborum patiens, industria & vigilantia excellens; at malum ortum (inquit Tacitus) ex eiusdem superbia, luxu, & adulatione. Etiam Catilina facit Sallustius inediæ, vigiliæ & algoris patientem, at in reliquis, quæ Senatorium munus exornant, deficientem. Epaminondas in publica ciuium lætitia rogatus, cur mænia obiret, & nunquam quiesceret, respondit se sollicitum esse, vt ciuium lætitia posset esse secura. Illustrem hunc virum spectare debent, & etiam Homeri cum Agamemnonem, qui publicas exerceat curas

Cæteri quidem apud naues Principes omnium Achiuorum
Dormiebant per noctes molli domiti somno;
Verum non Atridem Agamemnonem pastorem populorum
Somnus tenebat dulcis, multa animo voluentem.

Nihil tam ponderosum Senatoribus accedere debet, quod animi & ingenij

magni

magnitudine illis non fiat leue. Conqueritur Tullius Senator Romanus in Philippicis, quod vocatus ad Senatum æger mulctam pateretur, at etiam se se corrigit, cum subdit, forsan ea res agebatur, vt etiam ægrotos deferri oporteret. Neque vita, neque salus Senatori ęstimanda est, cum de æstimabiliori Reipub. bono agitur in Senatu.

LEX XXXVI.

MAGNI FACIENDA SENATORUM INGENIA ANNORUM MATURITATE FIRMATA.

NOn ex præstantia formæ, non ex quodam viuido adolescentiæ flore, non ex acri mentis acumine æstimanda sunt Senatorum ingenia, sed ex annorum maturitie rerum experimentis cōquisita. Nihil sunt cæteræ dotes in consilio, si desit experimentum, sine quo laborant consilia. Facilius est eiusmodi corporis & ingenij dignitatibus militiæ assidere clauo, quam ciuilis gubernationis. Turnus egregius bellator, adolescens ritè in Ducem eligitur, quod dignitate formæ, & amorem in amicis conciliat, & metum incutit hostibus,

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice suprà est.

Hieronem (inquit Polybius) eligant Syracusani in Ducem, verè adolescentem, sed ità vniuersis naturæ atque ingenij dotibus ornatum, vt nihil ipsi regium præter regnum deesse videretur. Hæc cum raró iungantur in Reip moderatore, vltrà experimentum petunt, annorumque maturitatem.

Rerum multarum vsus, qui solus hominem (inquit Isocrates) potest ad solidam sapientiam instruere, sola annorum multitudine comparatur. Multa experiendo fiunt (ait Tacitus) quæ segnibus ardua videntur. Et licet non ætate, sed ingenio sapientiam adipiscamur, vt docet Plautus, id tamen in Senatoribus quærendum est, quod volebat Menander nimirum

Cani sint iudices ætatis, aut Prudentiæ.

Iuuenes experimento & canitie destituti, sunt, inquit Xenophon, velut nouelli Citharædi, qui multas citharas perdunt ex inscitia, & Remp. sæpè euertunt. Veriloquium est illud Tullij Senatoris Romani non esse in excellenti, & eximia virtute expectandum progressum ætatis, ibique perfectam inueniri ætatem, vbi perfecta est virtus, at raró perfecta & eximia virtus absque experientia rerum inuenitur. Id Sacrum fatetur oraculum cum ait: In antiquis est Sapientia, & in multo tempore prudentia. Omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola Sapientia decrescunt cętera. Speciosum canitiei iudicium est, speciosa veteranis Sapientia, intellectus gloriosus.

LEX

LEX XXXVII.

SENATORVM PRVDENTIA EX TACITVRNITATE DIGNOSCENDA.


Rimum præcipuumque quod ad felicem requiritur consiliorum exitum est. Polybio affirmante, opportunum Senatorum silentium. Hoc vnum in rebus grauioribus probat eorumdem prudentiam. Id est quod ait Tacitus tam nescire quædam quam scire Senatores oporter. Ideò etiam Romana Senatuscōsulta vocabantur tacita. Lex illa ad Senatores lata est: In Senatu gesta, dicta, iudicata æterno silentio teguntο. Papyrij prætextati pueri eo summoperè commendata est prudentia, quod Senatus arcanum matri acriter roganti reticuisset, inde ad Senatorium munus euectus est; indeque vulgatum illud silentij præconium

Eximia est virtus præstare silentia rebus,
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Pompeius vir non solum armis sed Senatoria fama inclytus cum Legationis officio fungeretur apud Gentium Regem, ex sola taciturnitate prudentissimi nomen accepit. Rhetores ipsi, quibus incumbit loquendi onus, prudentes iudicantur, si sciant quandoque tacere. Tale fuit iudicium Archidami apud Plutarchum Rhetorem laudantis, quod in conuiuio tacuisset. Plerique (ait D. Ambrosius) vtuntur vino vt equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendò, vt patriæ statum, salutem ciuium, Reipub prodant consilia. M. Crassus Dacorum Legatos eo retinet postridiè responsurus, vt ebrietatis ope, quæ in conuiuio parabatur, eorum consilia detegeret. Prudentissimus ideò Zeno Atheniensis, qui ad cęnam à quibusdam Legatis inuitatus, non tantum vini abstinuit vsu, verum etiam ipso tempore cœnæ conticuit, ex quo regi referrent, se Athenis vidisse senem, qui etiam inter pocula nosset tacere, etenim

Optimus est homini lingua thesaurus, & ingens
Gratia, quæ parcis mensurat singula verbis.

Tempestiuum silentium res sapientissima est in Senatore, & qui pro temporis, rerum & locorum opportunitatibus silere nescit, malè supremis adscribitur consilijs.



LEX XXXVIII.

SENATORVM CONSILIA EX ANIMI MODERATIONE LIBRANDA.



Emmeæ ſunt illæ Salluſtij voces, Senatores, qui de rebus conſultant publicis, ab odio, amicitia, ira atque miſericordia vacuos eſſe debere. Ex hoc vno librandum Senatoris conſilium, ſi conſulat ſolo intellectu abſque voluntatis affectu. Haud facile conſulentis animus prouidet verum, vbi obeſt veritatis velum, quod eſt quædam affectionis propenſio. Animi motus in Conſilijs continere aut excelſi eſt opus ingenij, aut perfecta ſapientia. Animi affectiones reprobat Ariſtoteles velut caligines mentem excæcantes, rerumque perturbantes aſpectum. Stat omne conſilium modeſtia, pudore, Iuſtitia, ſine quibus nulla ciuilis ſocietas conſeruatur. Non eſt prudentiæ nomine accipiendus animus Catilinarius in ferendis conſilijs ſemper ſubdolus, varius, cuiuſque rei ſimulator & diſſimulator. Summa felicitas erit gentium, inquit Seneca, in quibus non poteſt conſilio potentior eſſe niſi melior. Improbo animo ſemper adiuncta eſt quædam conſilij leuitas, qua facili negotio, leuiq; ventorum incurſu concutitur Reſp. Ad rem animi affectibus perturbati prudentiſſimè loquitur Prudentius cum ait

—— Sciſſura domeſtica turbat
Rem populi, titubatque foris, quod diſſidet intus,
Ergo cauete viri ne ſit ſententia diſcors
Senſibus in veſtris.

Antiochus Sophiſta interrogatus cur in magno diſcrimine laborante Repub. eiuſdem munia non capeſſeret, opemque ſaltem afferret conſilio, reſpondit, à ferendis arceri conſilijs notitia ſui, ſuorumq; affectuum metu.

Ad id Romana Reſpub. templum è regione Curiæ Ioui poſitorio conſtruxit, in quo priuſquam venirent in Senatum Patres conſcripti iram, odium, amorem, cæteros ponerent priuatos affectus. Eiuſmodi (inquit Lipſius) conſultores peſſimi ſunt, qui violenta conſiliorum pernicie ciuitates, regna, & Reſpub. ad euerſionem ſæpiſſime trahunt. Nil firmius ad tuendam, ſeruandamque Rempub. aiebat Fabius Maximus optimo Senatorum Conſilio, mentis prudentia, atque animi moderatione adhibito, ſine qua conſilium


—— Frangit Deus omne ſuperbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.



LEX

LEX XXXIX.

EX CONSILII CELERITATE NON DIIVDICANDA SENATORIS PRVDENTIA.



On velox aut celer mentis volatus commendat Senatoris prudentiam, cui semper leuitas fuit inimica. Mentis examen consilij celeritatem non admittit, idque parentem habet prudentiam. Rarò bene & celeriter actum est, resque nulla (inquit Apuleius) festinata simul & examinata ritè est. Non enim properanti clara certaque omnia sunt. Scelera sunt (ait Tacitus) quæ valescunt impetu, & bona consilia mora. Compositiùs quam festinatius agendum, erat Corbulonis præceptum, eo indictum, quod cęcam, & improuidam festinationem sequitur error, erroris infelicitatem pęnitentia. Prudenter ideò Thebanorum Legatis respondit Agesilaus, an non scitis, cum seria res agitur in mora multum esse consilij.

Tota Reip. felicitas in consilio moderatorum est, tota prudentia in consiliorum cunctatione. Senator (inquit Herodotus) ea ratione fit optimus, si in deliberando cunctetur, & timeat; hocque consilio Syracusanos instruebat Hermocrates cum Atheniensibus pugnam inituros.

Da spatium, tenuemque moram, mala cuncta ministrat
Impetus.

Ad rem clamat Statius.

Ast Senecæ in rebus grauioribus gerendis consilium amplectendum est, cum ait, magnam quidem Consilij partem in tempore esse; sed consilia sæpè rebus aptanda esse, quæ feruntur, immo voluuntur; atque ideo consilium sub die nosci debet. Sophocles ipse docet temporis opportunitatem optimam esse operis magistram. Quod plerumque negant, aut vetant temporis angustiæ, Consilij celeritate assequendum est; nullusque cunctationi (subdit Tacitus) potest esse locus in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum.

Momentum haud exiguum confert
Rebus agendis opportunitas,
Consilia omnia superat.

subscribit Sophocles. Portius Latro Catilinam ita compellat apud Sallustiū. Num in gerendis negotijs ignoras sequendas esse rerum, & temporum opportunitates. Numquam fuit commendatum inutili cunctatione tempora consultando consumere, quia potius malum boni medium cunctatio dicta est iuxta illud Senecæ in Thyeste

Serum est cauendi tempus in medijs malis.

LEX XL.

NIHIL IN SENATV PRÆPROPERÈ DELIBERANDVM.

SEnatoriæ prudentiæ negotiationem venationi quam simillimam facit Themistius Sapientissimus vir in oratione 3. vt enim venator prædam primùm longa oberratione, & diuagarione quærit, inuentam configere cogitat, confixa vesci, eamque in vsum, ac commodum suæ domus vsurpare; Ita Senator prudens cunctante consilio vestiget priùs quodnam sit Reipublicæ bonum, vias quibus ad eius cubilia perueniat lustret exactè & timetur, præterita recogitet memoria duce, præsentia libret, aliorum sensa perquirat, se ipsum ad benè conijciendum acuat, temporum & locorum qualitates penset attentè, antequam, quæ Senatui opportuna fuerint, aut suggerat, aut deliberet. Potior Iudicij, & consilij pars (inquit Seneca) in tempore est & sub diem. Nil magni discriminis consilijs tàm inimicum (ait Liuius) quam celeritas. Sallustius in coniuratione Catilinæ eo tantum Cethegi errorem notat, quod summum Reipublicę bonum in celeritate poneret Cethegus. Notum illud Ennij ex Virgilio

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Deus ipse consilij tarditatem commendat (ait Xenophon) qui ab ęstu per Autumnum ducit nos in hyemem, per Ver à frigore in ęstatem. Quod citò fit, citò perit, symbolum est Constantini Imperatoris. Prouerbium est, canis festinans cęcos catulos parit.

Agatarcho Pictori pingendi celeritatem iactanti, & Zeuxi tarditatem objicienti, respondit Zeuxis, diù pingo, sed pingo æternitati. Sunt verba Senatori cogitanda in ferendo consilio, nam Cato monet Senatores omnes, vt cogitent, non quod præsens est, quod est in æternitate mansurum, vbi Reipublicæ bonum obiectum est. Sat citò si sat benè, erat dictum Catoni frequēs

..... Differ, habent paruæ, commoda magna, moræ

aiebat Ouidius. Eo spectant illa etiam oracula sacra, qua sapientibus viris præcipitur consilij matuitas. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.

Apud Græcos partes primæ in ferendo consilio delatæ sunt Nestori, quod nihil ingenij celeritate, sed matura euentuum cogitatione & experimento deliberaret.

—— aut virtus nomen inane est,
Aut decus & pretium rectè feret experiens vir

canit Horatius. In Senatu igitur omnia maturè prouidenda, omnia sapienter procuranda, omnia sine celeritate deliberanda. Consilium capere in arena & ex tempore potiùs gladiatorum est, quam Senatorum, & perquam raro celeres felices (inquit Lipsius in politicis) nisi forsan in scelere.

LEX XLI.

SENATVI NON SEMPER CVNCTARI BONVM.


Abet suam in Senatu consilij tarditas, habet & celeritas laudem. Quandoque consilia mora capienda sunt, quandoque sine mora rapienda, nec semper deliberatio præceps (vt inquit Lucianus) comitem habet pœnitentiam. Non est opus cunctatione (ait Tacitus) vbi perniciosior est quies, quam temeritas. Paruæ moræ malignum aliquando commodum est, nonnunquam maximum in celeritate bonum

Tolle moras, semper nocuit differre paratis

monet Lucanus. Velox est rerum omnium mutatio, proinde sæpè expedita prudentia est opus, nihilque nimis enucleandum. Sit tamen celeritas ipsa in Senatu matura, cui nihil imprudenter agendum. Promptè (inquit Socrates) sed diligenter tractanda est Respublica. Ipsa plerumque rerum agendarum tempora & negotia, si non moram & cunctationem, prudentiam petunt celeritati sociatam. Equi robur cerui celeritati iungendum est, vt fecit Alciatus in Emblemmate cum illa Alexandri sententia. Nihil procrastinandum.

Non benè distuleris videas quæ posse negari.

ad rem Martialis.

Iulius Cæsar monebat Senatum Romanum de ijs minimè consultandum esse, ad quæ perficienda maximam vim haberet celeritas. Hinc in Pontico triũpho trium illorum verborum titulum gloriosè prætulit: Veni, vidi, vici. Sæpè qui in occasionis momento cunctatur paululum, de amissa conqueritur frustra opportunitate

—— propera nec te venturas differ in horas,
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Non debet tamen Senatus vt citò deliberet, res ex inopinatis euentibus metiri, nam euentus (inquit Liuius) omnium stultorum magister est. Temporum corruptelæ, & rectorum Reipublicæ ignauiæ adscribendum est, quod consilia prout malè vel prosperè cedunt, ità vel probentur, vel reprehendantur. Senatus Carthaginensis cruci suffigebat eos duces, qui belli fortunam ex inopinatis euentibus susciperent. Lex quoque apud Diodorum recensetur Ægyptia, quæ vult medicos securi percutiendos, qui ab euentibus non ab arte medendi caperent præcepta

Exitus acta probat. Careat successibus opto
Quisquis ab euentu facta probanda putat.

Non debent euentu res iudicari, sed perfectione, quæ non minus in industriæ celeritate, quam in diligentiæ tarditate dispicitur. Fuit Augusti Cæsaris symbolum, Festina lentè, fortassis in nummis suis expressum etiam à Vespasiano per Anchoram & Delphinum, vbi Anchora quæ naues remoratur, tardita-

tem designat, celeritatem verò Delphinus, qui natando celerrimus est.

Non desit celeritati integræ mentis examen; ibi trahendæ sunt moræ vbi hoc potest deficere; & ibi tantum melior est in rebus gerendis protracta prouidentia, vbi potest esse actorum pœnitentia. Senatus Romanus dum de suppetijs Saguntho ferendis diù deliberat, vrbs capitur.

LEX XLII.

LIBERE' FERENDA A SENATORIBVS SENTENTIA.



AD Senatores loquebatur Isocrates, cum in oratione ad Nicoclē aiebat, viris Sapientibus potestas sit liberè ferendi sententiam, vt si quibus de rebus dubium est, prestò sint, qui illas benè examinent dicendi libertate. Idem prorsus est libertatem consiliorum impediri in Senatu, ac Reipub. felicitatem periclitari. Dicendi timor nunquam fidele consilium suppeditat, pauidorumque sententię semper sunt in inceito, vt ait Tacitus. Animus Senatorum (inquit Sallustius) non minus in consulendo debet esse liber, quam in deliberando. Ideò ab Horario dictus est

Solus sapiens liber.

Theopompus Spartanorum Rex sciscitanti quæ potissimùm ratio seruandæ Reip. esset, respondit, iustam in sapientioribus dicendi libertatem. Catonem in Senatu Cæsari obstrepentem summoperè commendat Petreius Senator, cum ait ad Cęsarem, malo in Carcere cum Catone, quam hic tecum esse. Laudat Plinius Traianum quod ciuium constantiam rectos, vividosq; animos liberè loquentium non contundat, aut deprimat. Honorio illud quoque acclamatum est à Claudiano tamquam vniuersorum patri

Non odium terrore moues, nec frena resoluit
Gratia, diligimus pariter, pariterque timemus.

Vera & amica in Senatoribus libertas, teste Plutarcho, peccatis imminet, salutem afferens ac medicinam, non secus atq; mel, quod vlcerosa mordet, alioqui iucundum & vtile. Nisi diuersæ & liberæ ferantur sententiæ (aiebat Artabanus ad Xerxem) non potest quis eligere meliorem. Non ad voluntatem audientium institutum est Senatorum Consilium, sed ad Reip. vtilitatem. Propterea orator Græcus Isocrates Senatores suadet, vt publicam spectantes vtilitatem, eos attentiùs audiant, qui ore liberiori proloquuntur. Ob id scripto olim in Areopago ferebantur Senatorum sententiæ, quo esset liberiores, Idque etiam à Mecenate suasum est Augusto Cæsari, cum de rebus grauioribus Senatores in consilium aduocaret.



LEX

LEX XLIII.

NEC PROPRIÆ NIMIS, NEC ALIENÆ SENATOR ADHÆREAT SENTENTIÆ.



Xcordis est, atque incocti iudicij sine rationis discrimine, aut semper in propriam, aut semper in alienam non tantum ire, quam ferri sententiam. Errore mens quæque decipitur, nec eò vnumquodque collimat consilium, vnde resilire sit nefas. Suadet Orator Græcus, neque aliorum consilia otiosè audienda esse, nec pro libito à nobis ipsis offendenda. Segnem & bardum vocat Suetonius Galbam Imperatorem, quod trium arbitrio ita regeretur, vt vix sibi ipsi constaret, Onosander in Strategico ità firmatum exoptat Reip. moderatorem, vt neque sibi ipsi incredulus vsquequaque diffidat, nec tantum sibi peruicaciter arroget, ut à nemine meliora promi posse existimet. Sapientissimi falluntur (inquit Isocrates) & sæpè contemptus homuncio optimum dat consilium. Ideò Plinius dixit in Epistolis, In numero quoddam magnum esse collatum consilium, cum vni iudicij parum, alteri plurimum sæpè datum sit.

——— Magna nolentem quoque
Consilia produnt.

ait Seneca in Thyeste, quo coniectetur non semper nostra magna consilia esse iudicanda, aut aliena, si spontè prodantur. Is præcariò imperat (aiebat Alexander Seuerus) qui aut nihil, aut nimium ex suo consilio delibetat. Nemo hominum est, qui non fallatur aliquando affectu detentus. Ideò nec sibi, nec alteri immodicè fidendum. Leo Imperator optimum filio reliquit monitum. Quid facto opus sit cum multis delibera, quid agere volueris, cum paucis communica, itaut nec sibi te ipsum nimium cedas, nec alijs. Plura animo per noctem pius volebat Æneas.

At pius Æneas per noctem plurima voluens,

at nihil sine procerum consilio deliberabat, Agamenonem non otiosè inter aliorum consilia dormitantem nec facit Homerus, cum ait

Verum non Atridem Agamemnonem pastorem populorum
Somnus tenebat dulcis, multa animo voluentem.

vtrunque extremum declinandum Senatoribus est, vt benè consulant patriæ.



LEX XLIV.

NVLLVM SIT APVD SENATORES ADVLANTIVM OBSEQVIVM.



Ngens malum illi imminet Reip. (ait Plutarchus) in qua præualet apud moderatores Adulantium obſequium. Non oblectant dumtaxat audientes mellitæ adulatorum voces, ſed etiam ſibi conſtantem mentem infringunt.

——— nihil eſt, quod credere de ſe
Non poſſit, cum laudatur, Dis æqua poteſtas

teſtatur Iuuenalis. Malè cęteris dominatur, qui aſſentatione deuincitur. Libertas perit, vbi vincula blandè fallentia mentem & animum perſtringunt ad necem. Claudendæ ſunt malis vocibus aures integræ (ait Seneca) quarum aſſenſu honeſta æquè & inhoneſta laudari valdè criminoſum eſt. Ne ſit promptum in adulationes Senatorum ingenium, monet Tacitus. Beata illa Imperantium mens (loquitur D.Hieronymus) quæ nec adulatur, nec adulantibus credit. Adulatione potiſſimum occidiſſe Romanorum Imperium, teſtatus eſt ſæpè Lampridius; eadem tabe arrodente imminuta Macedonum regna, deuaſtatæ Perſarum ditiones. Exitium afferunt & venenum aſſentatoria verborum lenocinia iuxta illud Ouidij.

Impia ſub dulci melle venena latent.

Neutiquam capti ſunt Romani Patres Ateij adulatione, cum accuſato Lucio Ennio, quod argenteam Tiberij ſtatuam deſtruxiſſet, ut ſuppellectilem inde effingeret, nolente Tiberio accuſationem admittere, dixit non debere eripi patribus vim ſtatuendi; neque tantum maleficium impunè habendum. Vno eodemque lenocinio & Tiberium capere putauit & Senatum, ſed neutrum eſt aſſecutus. Terentianos eiuſmodi Guatones à Rep. ſua facit extorres Plato, ne dum quiſque adulator dicit apud Terentium.

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt
Nec ſunt, hos conſector, hiſce ego non paro me vt irredeant,
Sed his vltrò arrideo

ſic ipſa Reſp. interimitur. Adulationis turpitudo à Senatoribus agnoſcenda eſt, vt eam ſummoperè deteſtentur. Ipſi qui præ cęteris libertate potiuntur iure muneris ad altiora vectitantis, non debent adulantium laqueis irretiri, vt monſtroſi criminis prędа fiant.

LEX XLV.

OB CONSVLTA MALE RESPONDENTIA NON FRANGENDVS SENATORVM ANIMVS.



SI quando aliorsum vertantur consulta, quæ diu, prudentique Senatorum examine præcogitata sunt, æquo animo sustinendum est.

Quos iubet, dat Deus exitus rebus, rerumque consilijs, fitque sæpissimè vt Diuini moderatoris afflatu

Consilia vt habeant optima exitum malum.

quemadmodum ait Neoptolemus apud Sophoclem. Quiescendum in omnibus illi est, qui omnia (vt ait Epictetus) optima mente gerit, optimoque Consilio, & quod persæpe nobis videtur malum esse, nobis ipsis & Deo authori melius est. Imprudenter agunt Senatores, qui à vobis benè conceptis incogitato rerum euentu recedunt. Prudentiæ solertis est (inquit Synesius) etiam incommodis commode vti. Optimum est pati quod emendare non possis, & Deum quo authore eueniunt cuncta, sine murmure comitari. Dura est, ait Demosthenes eorum conditio, quæ in dandis consilijs, atq; expectandis euentibus, nil nisi fausta meditantur.

——— Laudatur
Maiestas non fracta malis

canit Lucanus. Dionysius ille tyrannide celebri, maximas fortunę acerbitates expertus nunquam mutauit animum aut frontem, sæpè repetens, nihil sine Diuino agi Numine. Nunquam à bene cæptis recessit Fabius, licet plerumque eius consilia exprobraret Minutius ex euentibus consilij aduersantibus

Non semper non tonis incubat
Nec fata eadem

cum Sophocle debet Senator ratiocinari. Nonnullorum consiliis adeò propitij sunt superi, vt omnia vel dormientibus iubeant fæliciter euenire, vel (vt ait Sallustius) etiam non bene consulta trahuntur in virtutem. Aliorum consilia sunt, quibus quasi Herculis Sydere natis in contrarium omnia cedant. Sic fortes & inuictos solet Deus animos experiri, quemadmodum ex igne expertus est Mutium, ex paupertate Fabritio, ex exilio Rutilium, ex tormentis Regulum, ex veneno Socratem, & ex morte Catonem

Sedet interea Conditor altus
Rerumque, Regens flecti habenas
Rex & Dominus, fons & origo
Lex & Sapiens Arbiter æqui

sic plaudit rerum Moderatori Boetius

LEX

LEX XLVI.

EX SENATORVM PROBITATE FÆLICES REIP. EVENTVS EXPECTANDI.



Vo sunt, quæ Resp. in finem optimum perducunt (ait Xenophon) moderatorum Prudentia & Probitas. A sapientioribus Reip. optimum est (subdit Cassiodorus) disciplinam cęterorum inchoare, vt nedum reliquos pudeat errare, quam bene sperare. Augustus, cuius Imperij felicitas omni æuo decantabitur, optimum quemque quem Senatorijs muneribus admoueret, perquirebat (Plinio restante.) Atque ad Rempublicam administrandum innocens solum & strenuus in consortium ab ipso receptabatur. Probi regentium mores improba arcent consilia, faustos prouocant rerum euentus. Nil benè malitia cogitatum, nil benè actum est. Serpunt moderatorum vitia, velut venena, totumque Imperii orbem inficiunt, quo infecto non nisi expectandus interitus.

Regni priuatio ex improbitate regentis Sauli à Samuele prænunciata est. Macedonum potentiam & gloriam ex consulentium prauitate pessum ituram vaticinata est Sybilla. Impij regnatoris Domitiani interitum præcessere portenta mille, quibus ipsemet affirmaret futurum aliquid, de quo aliquid per totum terrarum orbem loquerentur. Paucos ante menses quam occideretur, Cornix in capitolio loquuta est, benè omnia cedent; quòd ostentum hoc oraculo postmodum vulgatum est

Nuper Carpeio quæ sedit culmine, Cornix
Est bene non potuit dicere, dixit, erit.

Inde Reip. fælicitas pendet (ait Tullius) vnde Romani imperij amplitudinem contraxere, nimirum ex primæua morum probitate; cuius interemptione tota fęlicitas est interempta. Non magnis murorum structuris, non numerosa militum caterua continentur Resp. sed gubernatorum pietate & Iustitia. Est Isocratis sententia in Areopagitico. Vbi non vertuntur gubernatoris mores ad malum declinantes, neque vertuntur temporum vices & fortunæ: eloquium est felicissimi regnatoris politici apud Plutarchum.



LEX XLVII.

NON EXERCENDA A SENATORIBVS VITIIS CONTAMINATA POTESTAS.



Vgendum sanè est illud Reipub. malum, quo refractis pudoris, atque innocentiæ claustris ita viuitur, vt spretis melioribus valeant potestate deterrimi. Id plorabat olim in Rep. sua Romanus orator, cum dicebat Senatores alloquens; Iam pudori, probitati, virtuti, rectis studijs, bonis artibus nihil est loci. Eamdem tulit sententiam Euripides de regni moderatoribus sui temporis, cum cecinit

Nunc certè pudor in mortalibus extinctus est
Terrarum improbitas occupat Imperium.

Vsurpatur in malum vt plurimum à Dynastis & Proceribus illa potestas, quæ soli Reip. bono esset dicanda. Vitiorum labe sordescit splendor ille ciuilis, qui nulla criminis nota deberet coinquinari. Non sunt affectandæ dignitates ad turpitudinem Imperij, sed ad splendorem, publicamque vtilitatem. Fuit lex à Tacito Senatoribus indicta Nerone edictante nihil in Senatib. vestris venale sit, aut ambitioni peruium. Non sunt virtutis præmia (ait Sallustius) ambitione, aut alia improbitatis via possidenda. Subuersio Reip. (inquit Demosthenes) ibi semper accidit, vbi vitijs laboratum est. Flauius Vopiscus declinantis Imperij Romani omen ciuibus adscribit nequitia & animi prauitate suas exercentes potestates; Idem verò Imperium pristino nitori restitutum ait cum iustitiæ legibus gesti sunt magistratus.

Hærendum ita cuique Senatori in fastigio potestatis suæ, vt nequeat cadendo discendere. Pondus est improbitas vitæ quæ etiam nolentem in præceps trahit. Iustitia, mansuetudine atque humanitate Senatorib. præparanda sunt (inquit Seneca) præsidia vitæ, quib. in omni euentu stare queant. Omne caducum est præter virtutem, quæ nulla ex parte potest pendere. Summo habuit in honore Adrianus Imperator illud Senatorum par, qui ad coercendum cuiusdam Liberti tumorem in medio ipsorum ambulantis, noluerunt dignitate aut potestate vti, ne animi elationem cum potestate ostentarent, ad quā rem optimè Mantuanus vates

——— *Minimum virtutibus vti*
Hoc Sampsonis opus.

LEX XLVIII.

EFFRÆNIS POTESTATIS VSVS A SENATORIBVS VITANDVS.

QVod in Aulicos nimium se extollentes à Tacito iactatum est, potest etiam in Senatores iactari, qui omni licentia Senatoriam exercent pote-

poteſtatem. Breuia momenta extollunt hominem, ruſumque deprimunt, & qui beati fuere, modo miſeri ſunt. Qui extra rationis præſcriptum poteſtati fidunt vt alios cuidam exitioſæ tyrannidi ſubijciant, hi citiſſimè & malè vſurpatæ potentiæ vires amittunt, & iugum ſubeunt inopinatum. Id eſt quod memorat Tragicus dum ait,

——— Prudentiæ diffidentia
Nil melius aut vtilius eſt mortalibus

nimirum, quia prudens eſt, qui ſuæ poteſtati ità diffidit, vt nunquam eam ſine moderatione audeat exercere. Sapiens ille reputatur, qui fortiùs propriam moderatur potentiam, quam patitur alienam; In vtroque decus eſt virtutis, & animi obtemperantis rationi.

Diſce dominantis Imperia rectè pati

de vtraque poteſtate loquebatur Menander. In effrænem dominandi licentiam caſus omnes veterum Senatorum adigendi ſunt tum apud Romanos, tum apud Athenienſes & Thebanos. Plautianus ab Imperatore Seuero ad ſummam euectus Imperij potentiam, eam malè adhibens, tandem in Capitolio morte mulctatur. In amiſſa poteſtate Eutropij Conſularis viri pulchra eſt fortunæ ludentis imago. Omnibus cogitur ſeruire, qui cunctis imperabat extrinſecus comparata, & malè adhibita imperij dignitate: vinctis miſerior, ſeruis miſerabilior, mendicis & fame tabeſcentibus indigentior factus eſt, qui putabat nihil ſibi defecturum, cum omnia teneret.

Res debet eſſe viro cordato aliena iura dominij & poteſtatis prætergreſſo Honeſtatis limine exercere. Themiſtoclem in ſua Rep. potentiſſimum virum nemo ob imperandi licentiam eſt inſecutus, ex quo aiebat ipſe, nihil adhuc laude dignum præſtitiſſe, quod nullus ſibi inuideret. Vacare nota in ſummo dignitatis faſtigio, maximum decus eſt, atque in officij celſitudine animo non propendere aut declinare, eſt gloriæ meta. Librandæ ſunt cuique caducæ vires, præſertim potentioribus, & dignitates, officia & honores

Tempora dum variant, Animus ſit ſemper honeſtus.

LEX XLIX.

POTESTATIS EXTREMA A SENATORIBVS CAVENDA.



Xperimento ſatis compertum eſt periculis immorari, qui vel ſupremum honoris apicem affectant, vel ima quærunt animo nimis abiecto. Beata illa medietas, quæ difficili negotio comparatur, à Senatoribus tenenda eſt in Rep. Non diù conſiſtit in faſtigio, & culminis lubrico, qui peruenit ad culmen. Similis eſt prærupta repenti, cuius eſt ſemper metuere, ſæpè titubare, ſæpiſſime corruere iuxta illud Laberij

Sum-

Summum ad gradum cum claritatis veneris
Consistes ægre & quum descendes, decides.

Segetem nimia sternit vbertas, rami onere nimio franguntur, Ad maturitatem non peruenit nimia vbertas (loquitur Seneca) Animis euenit idem, quos immoderata rumpit felicitas. In ruinam vertitur nimia celsitudo. Nihil quærendum, nihil habendum, quod cū magno emolumento insidiantis eripi possit. Capesce tuta (inquit Tacitus) & salutaria, omissis præcipitibus

Quidquid excelsum est, cadet

est oraculum Senecæ Tragici, qui etiam subdit

Quidquid excessit modum
Pendet instabili loco.

Parua moles, sarcina exigua tutior est magna & tumente. Senecæ dignitates, opes immensæ ipsi exitiū peperere. Testis est Tacitus, qui dicit Senecam opibus & potentia fuisse principes supergressum. Modica bona, ait Pittacus Sapiens Græcus, diuturna sunt, immodica citò labentia. Non est Reip. inquit Curius apud Senecam, ciui, vel Senatui opus, cui plus opus sit, quam vni ciui.

Fortuna magna non caret formidine,
Nec splendor eminens vacat periculo,
Et quidquid altum est, haud tutum diu manet
Ut quod ruat vel inuidia, vel tempore.

Modicis rebus igitur, modicisque honoribus ac dignitatibus tutius æuum est ac longius, cum semper sint formidanda sublimia iuxta illud Ouidij

Tu quoque Formida nimium sublimia semper
Propositique memor contrahe vela tui.

LEX L.

NIHIL SENATORIBVS AGENDVM EX PRIVATÆ VINDICTÆ CVPIDITATE.



NVlla Senatorem decet priuata hostis vindicta. Publicam agit causam Senator, nihilque nisi in publicum bonum ipsi peragendum. Epaminondas cum ad vindictam excitaretur, respondit, Ciui nefas esse Patriæ irasci. In patriam dicitur exardere, qui ardore vindictæ ciuibus non parcit. Celeberrimæ vir nequitiæ Sylla Romæ hostis & interemptor dictus est, quod nullus ipsi iucundior lusus aut iocus esset, quam cruor & cædes, in vindictam exundantes. Nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia (inquit Seneca) ira & vindicta deiecit, eadem plures fecit solitudines habitatione desertas,

Mala perpetrare cogit ira plurima

canit Menander; nam melior subdit Euripides, venia est quam vindicta,

illa mitis ingenij est, hæc ferini, Vlysses sciscitanti, num ex inimici Aiacis calamitate voluptatem caperet in vindictam, respondit, sibi triste & ferinum id spectaculum videri; quam animi moderationem admirans Minerua apud Sophoclem, his laudat Vlyssem, si hoc animo semper fueris, superis Carus eris, & vitam fæliciter exiges tuam. Dion Syracusanus magno animo indignum duxit vindictæ studium, cum in exilium actus à ciuibus, & tandem in patriam summo cum honore reuocatus minimè vltum iuit iniurias à perduellibus sibi illatas, imò Heraclidi hosti ignoscendum existimauit. Verum quidem est testatum Sophoclis, quod

Generosa pectora mordent,
Lacerant iniquè obiecta
Crimina.

At eiusmodi morsus (inquit Seneca) nullum sapienti, aut forti vulnus infligunt. A nullo contemni potest, qui tanta magnitudine præstat, vt sibi ipsi præsit, atque dominetur

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia.

Magni animi est offensiones supernè despicere (inquit Seneca) neque pro patria quis grandia meditatur, qui exercet abiecta.

LEX LI.

DISCORS SENATORVM SENTENTIA EX SOLA SAPIENTIÆ OSTENTATIONE DAMNANDA.



Orta inter Senatores ad sapientius ostentandum consilium dissidia, venena bonum regimen inficientia solebat Africanus Scipio appellare. Exitium parat in Reip. bono sententia discors, cui vnanimes essent deuouendi Senatorum affectus. Anima Reip. moderatores sunt, quæ vbi in se ipsa diuiditur, nec corpori benè coniungitur, neque tori ex partium secretione componitur. Fratres vocabat Themistocles Athenienfis Reip. Gubernatores, quo intelligerent plusquam fraterno inuicem excolendos amore, qui Regimini præficiuntur. Vnũ est omnium Senatorum bonum, Reip. salus, ideò vna dilectio, à qua per dissidia ex ingenij ostentatione erumpentia recedere prorsus nefas. Reuiuiscunt in Senatorum dissidijs ea Polynicis & Æteoclis Fratrum Thebanorum probra, quos ex animis iugiter dissentientibus in vita, nec mortuos & vita fundos vnus rogus excepit

Ecce iterum Fratres. Primos vt contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & nouus aduena busto
Pellitur; exundant diuerso vertice flammæ.

Notum est nedum Romanis, sed cæteris plagis decantatum Cæsaris, &
Magni

Magni Pompei dissidium, quod vtrique & Romano imperio attulit exitium. Nullæ sunt peiores insidiæ, quam eæ quæ latent in simulatis consulentium simultatibus. Ex euentis liquescit satis quantū iuuet inter Senatores animorū nexus. Ritè peracta sunt omnia, si in vnam & meliorem omnes cōsulentes abeant sententiam. Aptandum hic illud Democriti, quo nihil verius, contentionem omnem inter Gubernatores Reip. imprudentem esse; dum enim, vel in propriam intenta est ostentationem, vel in æmulatoris deiectionem, publicum nec videt commodum, nec curat. Socrates quoque id sæpiùs apud Xenophontem testatum reliquit, cum diceret, pluris esse in Rep. ponderis duo consilia animo haud dissentiente prolata, quam mille, quæ vnus non protulerit animorum consensus.

LEX LII.

INANIS GLORIÆ STIMVLO NON PERTRACTANDA A SENATORIBVS RESPVBLICA.



Vetus est Platonis decretum in sua Repub. neminem ad publica gerenda negotia Sapienter accedere, qui continentia, modestia, cæterisque virtutibus planè sit destitutus; At nulla virtus est (subdit idem) vbi inanis gloriæ aucupium est. Valdè discors est & distans vtriusque meta, & qui vnam contingit, recedit ab altera. Nihil graue moliri potest, quem leuis agitat aura, nihilque publici capessit boni, qui priuatum & inanem captat honorem

Publicus hic ardescit amor, cum moribus æquis
Inclinat populo regale modestia culmen

iure Senatoribus aptandum, quod ad Reges, & Imperantes dictum est à Claudiano. Alcibiades Atheniensis ea inuritur nota, quod omnia ad nutum fortunæ gereret, sibi potiùs quam Reip. fauentis, quodque benè regeret, ad inanem dirigeret gloriam. Radix virtutis veram progerminat gloriam; cætera quæ ostentantur sine virtute potiùs ignominiæ semina dicenda, quam honoris. Sapiens (inquit Philo Iudæus,) non fruitur laude per blanditias adulterata, sed stabilita per veritatem. Colendi adhuc Thebani illi, Romani, atque Athenienses Senatores, qui omne peragebant nullum affectantes honorem, sed solam Reip. vtilitatem. Verus Senator, & patriæ pater qui nihil ad sui ostentationem refert, sed omnia ad augendam Reip. magnitudinem

———— Qui fauoris gloriam veri petit
Animo magis, quam voce laudari volet

ait Seneca in Thyeste.

Non sunt quidem internæ animi dotes abiurandæ, nec repudianda illa voluptas, quæ virtutem sequitur, ceù corpus vmbra; at externa honoris ambitio sanè flocci pendenda, si ambitus vagetur extra virtutem

Honore gaudet affici se quilibet

aiebat Menander, at non vacuo solius ambitionis reflatu. Tantum gloriæ desiderabis (est monitum Plutarchi ad Senatorem) quantum satis est ad conciliandam sibi in rebus gerendis authoritatem, quæ inde nascitur, quod vir optimus habearis.

LEX LIII.

INTEMPERANTIÆ LVXVS A SENATORIBVS ABDICANDVS.



Raua quorumdam fuit consuetudo apud veteres, vel in conuiuijs, vel statim post conuiuia de rebus Reip. grauioribus deliberare. Mens quæ per intemperantiam, & ebrietatem suo destituitur lumine, nequit videnda prouidere, aut agenda disponere. Non abdomini indulgendum lautiùs, sed curanda Resp. cautiùs (aiebat ille.) Nihil turpiùs quam Senatores, qui totius Reipub. moderantur imperium, in victu esse immoderatos, cibo ac potu dissolui. Nimis fœda regentibus inexplebilis epularum libido. Senatoriæ dignitati, quæ ciuitatis regula est, debet sobrietas assidere, vt populorum luxuria restringatur, & consiliorum prudentia propagetur. Hanc pulchre docuit Phocion Reip. administratoribus conuenire prandente apud ipsum extero Oratore, qui cum tenuem mensæ apparatum miraretur, & diceret, miror ô Phocion te Remp. administrare, & hoc modo prandere; respondit Phocion, Ita prandeo, quia Remp. administro. Tullij præceptum est, Remp. non attingunt, qui se epulis & voluptatum lenocinijs dedunt. Ægyptij vt docerent regnum esse sobrietate muniendum, Taurum quadrupedum omnium continentissimum Regis fecere Hieroglyphicum. Misera iudicatur illa Resp. cuius Principes manè comedunt, beata verò, cuius Principes in tempore vescuntur ad reficiendas vires, non ad luxuriam alendam Carthaginenses idcircò toto Imperij tempore vinum Magistratui interdicebant id testante Alexandro.

Fuit illa apud Ouidium Pythagoræ dehortatio

Heù quantum scelus est in viscere viscera condi
Congestoque auidum pinguescere corpore corpus

At subdit ad rem Iuuenalis, & fortasse præsertim de Reip. gubernatoribus

——— quid diceret ergo
Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras.

Maius sanè à quibusdam epulis impenditur studium, cura maior, quam publi-

publicis gerendis negotijs. Proh dolor, aiebat sæpè Curius Dentatus pereunt Respubl. ne pereant epulæ; Quæ dicta à factis non fuere aliena, cum à Samnitum Legatis adiretur, nam tunc ab ijsdem inuentus est sibi rapas obsonium parans.

LEX LIV.

SENSVVM JLLECEBRÆ VELVT PRVDENTIÆ OBEX A SENATORIBVS CAVENDÆ.


BLanda quædam & speciosa animi labes voluptatis illecebra dicta est, & quo magis appetitum in fruēdi suauitatem prolectat, eo nocentius hominem deturpat, & mentem excęcat. Impetante sensu rationem seruire necesse est, eoque grauius est iugum impetij, quo ablata ab ipsa ratione ratiocinij facultate, violentius mergitur in tenebris vi quadam iugiter erectam ceruicem proclinante. Graues Domina (inquit Cicero) sunt cogitationum libidines, quædam cogūt & impetant, quæ ad omne facinus impellunt. Animo per libidines corrupto (ait Tacitus) nihil honestum cernitur inesse; quin subdit Terentius vbi animus se cupiditate deuinxit mala, necesse est consilia consequi consimilia.

Jlla est omnium malorum origo
Est Orcus, illa ferrea est necessitas
Furensque rabies

De hoc malo bonæ mentis perturbatore canit Sophocles. Vidit Claudius Cæsar & expertus est inopinata totius orbis infortunia, quod mulierum amoribus nimis deditus, cuncta peragebat obcæcatæ mentis errore. Nihil interest (ait Aristoteles) ad rem vtrum fęminæ, an qui gubernant, gubernentur à fæminis. Sat est Senatoribus ad summum colla connubij capistro subiecisse. Probrum est Senatorij muneris alienam affectare mulierem

———quisquis bonus & Prudens
Suam ipsius amat, & curat

inquit Homerus. Deficiunt menti lumina, dum libidini aut luxuriæ suppeditantur alimenta. Themistocles postquam amoris illecebra captus est, mente fuit adeò alienata, vt à mulieribus nudus in forum passus sit se produci, posteà verò transfuga & Perduellis factus, mortem sibi ipse consciuit. De Marco Antonio amore Cleopatræ exardente hæc profert Plutarchus in Senatorum documentum. Eius animus vt in corpore Amicæ viueret, in ipso moriebatur; & quamquam dimidium Imperij administrandum haberent, & infinita negotia, nullis tamen vacare poterat, nec Legatos audire, nec hostium conatus animaduertere, nec res ad bellum necessarias præparare, nec suis periculis prospicere, nec amicorum & sociorum amicitiam fouere.

Domina mentem eius ita captiuam detinebat, vt ne per horam quidem liberam ad munia publica referre posset. Inde Claudianus in Eutropium

——— Omne futurum
Despicitur, suadentque breuem præsentia fructum
Et ruit in vetitum damni secura libido.

LEX LV.

QVIDAM MORVM CENSORES INTER SENATORES CONSTITVENDI.



Nualescunt facile in quacumque Rep. mali mores, & corruptæ viuendi consuetudines, si desint malorum operű censores, qui velut medici curandis morbis operam præbeant & studiű. Senatorum munus est aut integram suæ Reip. valetudinem seruare, aut male affectam & vitiatam restituere atq; redintegrare. Quidquid obstat Imperio (ait Curtius) vt recidatur gubernator cauere debet. Res nouæ (subdit Sallustius) sceleri b. aquiruntur. Ideo scelera in Rep. corrigenda. Etiã Aristoteles docuit in Reb. pub. mutationes fieri, in quibus sunt homines malè viuentes. Perennis & beata Ciuiű vita bonis moribus stabilitur (inquit Tullius.) Vtinam antiqua illa reuiuisceret morű censura, cuius virtute non minus sine vitio, quam sine ignominia viuebant Senatores, cæteriq; ciues. Vtinã nunc temporis non liceret cű Satirico in purpuram excandescere.

Ad scelus atque nefas quodcumque est purpura ducit.

Mala Ciuium vita, purpuratorum præsertim (inquit Cassiodorus) omnium malorum Seges est in Rep. Si ipsis viuendi licẽtia permittatur, totus inficitur abiectorum cætus, supremæ exemplo corruptelæ. Romani & Athenienses nec purpuram sine censura reliquere; Nec est censenda ætas præsens vetustiore correctior, de qua profectò dici potest, quod de sua cecinit Horatius

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox datura
Progeniem vitiosiorem,

Sistunt in sua sede Remp. ciues benè morati, motumque Censores, etenim corruptis, ac deprauatis ciuium animis necesse est pessum eat tota Resp. in miseriarum discrimen infeliciter perducta. Rectè Pythagoras dicebat, primum luxuriam Ciuitates ingredi, deinde saturitatem, postea contumeliam, postremò exitium. Asiaticis delicijs Romam aduectis Imperium concussum est, ab exteris tandem subuersum, funditusque deletum. Loquuntur Romani per Lucium Florum, Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergameni Regis hæreditas. Illæ opes atque diuitiæ affixere sæculi mores, mersamque vitijs suis, quasi sentina, Rempub. pessum dedere.

LEX

LEX LVI.

SENATORIBVS QVÆDAM ANIMI REMISSIONES PERMITTENDÆ.

ATteritur tandem, ac flaceſſit humana mens aſſiduis diſtenta curis; Deficit non intermiſſa rerum tractatione, quæ pondus afferunt. Hæc duo alternanda ſunt Senatoribus, otia, & Reip. negotia

—— vires inſtigat, alitque
Tempeſtiua quies; maior poſt otia virtus.

Naſcitur (inquit Seneca) ex laborum aſſiduitate, animorum languor & hebetatio quædam, quæ publicis gerendis curis Senatores impares facit. Non optimum dumtaxat, ſed neceſſarium eſt moleſtis rebus laxamenta interponere. Remiſſus aliquando animus, at nunquam ſolutus prudentiora excitat conſilia, quibus ſecurius paratur bonum Reipub. Tullius Senator Romanus cæteris Senatoribus legem præſcribebat, cùm diceret, ludendum & iocandum, cum grauibus ſerijſque rebus ſatisfecerimus.

Alia ex alia cura fatigat
Vexatque animos noua tempeſtas

aiebat Seneca in Agamemnone. Scipio, & Lælius remittendi animi gratia conchulas & vmbilicos lectitabant in littoribus, idque ſe Craſſus ex Q. Scæuola qui gener Lælij fuit, audiuiſſe ſæpè numero prædicauit. Scæuola ipſe à forenſi labore feſſus, pilæ ludo ſe aliquando inſtaurabat. Anaxagoras Sapiétum decus voluit grauioribus rebus occupatos viros honeſtis luſionibus eſſe oblectandos, vt animus vegetior fieret ad noua ſubeunda negotia. Solones, Catones, Ageſilaos (ſcribit Seneca) ad id data opera animum leuantes curis; ità tamen, vt nihil ſeueritati hilaritate, nihil grauitati ſimplicitate, nihil maieſtati humanitate detraheretur.

Non eſt agenda Senatoribus ad animum laxandum Sardanapali vita, vel Sybaritarum ſegnities exercenda. Enorme ſcelus eſt Remp. adminiſtrantibus tempus, vel in aleam conferre, vel in gynæceis muliercularum deſides iacere; Hi non tam animum remittunt, quam ſoluunt, vel potiùs perdunt. Auguſtus Cæſar vir ſummæ alioqui prudentiæ hoc apud Romanos ſcommate notabatur, quod aleæ plus æquo indulgeret, atque interea periret Imperium

Poſtquam bis claſſe victus naues perdidit
Aliquando, vt vincat, ludit aſſiduè aleam.

Apud Perſas, Lacedæmones, atque Athenienſes regentibus Remp. animi remiſſio conceſſa eſt, quæ honeſtatis limites non prætergrederetur.



LEX

LEX LVII.

ETIAM IN OPTIMO REIP. STATV NIHIL FIRMVM A SENATORIBVS SPERANDVM.



OBnoxium est casui & mutationi quidquid ortus sui habuit initiũ. Inest (inquit Tacitus) rebus cunctis quidam velut orbis, vt quemadmodum temporũ vices, ità morum vertantur. Vergũtur ad interitum quæcumq; nata sunt, licet optima, excepto supremo Numine, quod genitum absque natiuitatis initio, nullum contendit in finem. Hæc Senatoribus cogitanda menteque voluenda etiam in optimo Reip. statu. Melius prudentia, & consilium ea custodit, quæ eripienda metuit, quam quæ secura opinatur. Certis temporum interuallis nedum submouentur ædes marmoreæ, æneæ Turres, sed etiam conteruntur, disperduntur. Naturales sunt, docente Platone, Rerumpub. Conuersiones, certoque temporis ambitu occidunt, & intereunt. Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt (inquit Seneca) inter peritura viuimus; adeo vt quidquid longa series multis laboribus; multa Deum indulgentia struxit, id vnus dies spargat ac dissipet

—— Sicut variæ nascentibus
Contingunt pueris animæ, sic vrbibus affert
Hora, diesque suum, cum primum mænia surgunt
Aut fatum, aut genium.

Fixis limitibus solæ diuinæ res peraguntur (ait Arnobius) quodque semel decretum est esse, nulla potest nouitate mutari; cætera perpetuo voluuntur decursu. Deletum est tandem Assyriorum, & Persarum Imperium; Atheniensium opes euersæ sunt; excidit Macedonum potentia; Si Græcia Romanorum armis non corruisset, tandem vel aliorum viribus, vel ipso imperio, & ætate senescente occidisset.

—— sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere pondera gentes.
Concedere has.

Sola igitur Imperij firmitas ab Alto expectanda est, atque Senatoribus satagendum enixè, vt in quacumque fortuna Diuina ope per malè facta non destituatur Resp. Vrbi Romanæ excidij fatum tunc aduentauit, cum cæpit malè agere, ac malè imperare.

Stare diù nescit, quod non fulcitur ab alto
Et discors in se regnum durabile non est.



LEX

LEX LVIII.

NE SIT NIMIS ELATVS IN GERENDA REP. SENATORVM ANIMVS.


Nihil læthalius Reip. contingere potest regentium superbia atque animi elatiône. Nihil tam sanctum quod non contemnat, nihil tam iustum, quod non violet tumida mens inflata regimine Superbus gubernator (inquit Plato) primùm à Deo deseritur, desertus omnia interturbat, nec multò post pœnas soluens superbiæ, sibi ipsi & Reip. perniciem accersit.

Dominare tumidus, Spiritus alios gere
Sequitur superbos vltor à tergo Deus

dixit Seneca in Hercule furente. Fulmen eminentia quæuis, & celsissima deijcit, tectis parcit & à bustis in imo positis. Lumen rationis & prudentiæ, quod Senatoribus optimum est, extinguit arrogantia, hocq; deleto in rectoribus, nil superest præter præcipitem Reip. ruinam. Euersa est Roma nimio Syllæ, & Marij; Cæsaris & Pompei fastu & præter Senatorium morem arrogantia. Iulius ipse Cæsar vnus Romani rector Imperij exitium passus est ex animi superbientis insolentia, qua non modo (vt inquit Dio) honores nimios recepit, continuum consulatum, perpetuam Dictaturam, præfecturam morum, prænomen Imperatoris, cognomen Patris Patriæ, statuam inter Reges, suggestum Orchestra, sedem auream in Curia, sed ampliora etiam humano fastigio sibi decerni passus est, nimirum templa, aras, & simulachra iuxta Deos.

Non cohęrent publicum bonum, & priuatus animi tumor in administranda Rep. Plura tentat elata mens, quæ casum minantur Rep. basis, quæ Senatorio opere construitur, tutior est, in imo collocata, quam ad fastigia tectorum euecta. Superbos Senatores tria necessariò, inquit Valer. Maximus sequuntur mala, error in consilijs, infelicitas in euentibus, superorum vindicta in criminibus; Hos videtur monere Tragædus in Tyeste cum ait

Vos quibus Rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ
Ponite inflatos tumidosque vultus
Quidquid à vobis minor expauescit
Maior hoc vobis Dominus minatur
Omne regnum sub grauiori regno est.



LEX

LEX LIX.

SENATORIBVS QVANDOQVE IN DISSIMVLATIONEM COMPONENDVM INGENIVM.



QVi publicas personas agunt, & in ciuilibus, arcanisque reipublicę negotijs versantur, sæpè pro temporum, ac rerum opportunitate dissimulare tenentur, vt prudentiæ fauente fortuna felices obtingant consiliorum exitus. Spectare semper idem debent, nimirum commune reipublicæ bonũ, at non idem sẽper dicere, cum plerumque prosit versatilem habere vultum, & sermonem. Id est Senatorem scire se tempori adaptare, hominũq; genio: Id prouidi & sapientis hominis est, qui nõ vno semper gradu, & si vna via procedit. Parendũ esse tẽporib. rebusq; variè obtingentib. pręcipiunt Sapiẽtiores omnes, atq; in mobili Reipub. fortuna, ingeniũ mobile vtilius esse quã sibi semper cõstans.

—— melior qui semper & omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum

Eiusmodi virum adprobat cum Iuuenali etiam Tullius, & Thomas Morus, qui ait, peritiorem longè esse Reip. quæ nauis est, gubernatorem, si commoda potius velificatione, quam cum periculo velis remisque ad portum contendat. Cautius est & sagacius illud ingenium, quod obliquo nonnumquam ductu conatur & adnititur, vt res gerendas tractet benè, atque peroptatam assequatur metam.

—— Istud est sapere
Qui vbicunque opus sit, animum possis flectere

fatetur Terentius in Hecyra.

Hæc intelligat Senator saluo semper virtutis iure, quod violare improba simulatione semper nefas. Simulationis integumenta ad prudentiam, non ad fraudem, ad bonum publicum, non ad priuatorum perniciem adhibenda sunt. Duabus sellis sedere commodum est, si fiat absque offensione & virtutis periculo. Facit & Sapiens interdum (ait Tullius) quæ non probat, vt ad maiora transitum inueniat; nunquam tamen bonos relinquit mores, sed eos variè varijs temporibus aptat. Tumidæ procellæ arte subducere vela salubre est, & plerumque gloriosum.

Eo temporis præsertim in dissimulationem componendum est Senatoris ingenium, cum ærumnis quæ non omnibus patent, afflictatur Resp. tunc res aduersas adumbrata lætitia abscondere maximè conuenit. Collabuntur subditorum animi, cum fractam regentium mentem animaduertunt, à quorum interrito vultu spem & hilaritatem exhauriunt etiam inter infausta. Monet Seneca scribens ad Polybium Duces exercitus omnes, vt hilaritatem simulent de industria. Alexander nunquam lætior, quam cum in magnis periculis esset pugnandum, magisque de aduersa fortuna formidaret.

LEX

LEX LX.

NVLLVM IN SENATV FERENDVM IVDICIVM A VERITATE ALIENVM.


Vi Sanctum dixere Senatum eumdem veritatis nomine immò Numine consecrarunt. Nil execrabilius in Senatu quam iudicium ferre à veritate alienum. Apud Aegyptios gemma quadam insculpta eorum collo suspensa pendebat veritas, qui cæteris præsiderent, nullusq; admittebatur Iudex qui veritatem non tam in lapide sculptam, quam animo menteq; insitam circumferret. Satis nota est Euripidis sententia ab Horatio vulgata

——— malè verum examinat omnis
Corruptus Judex

Tenedia securis debet esse Senatorum insigne, vt semper iudicium cum veritate propalet; ea in Insula Tenedo (vt author est Suidas,) vel inuita extorquebatur veritas. Ea maximè causa adlecti sunt Senatores, vt

Dicant ius læsis, tollant iniustaque facta

Id agi nequi, ni cordi simul & ori adsit veritas, nisi veritas oret in Senatu, sedeat, iudicet. Id vnum à Senatu Romano poscebat Traianus Imperator, vt Areopago Atheniensi ipsa præpolleret sanctitate. Cato Sapientissimus omnium in Senatu Romano, suadendi libertatem, & in dicendo veritatem vocabat fidem Reipublicæ amicam, fulcrum Senatus, & status politici firmamẽtum. Candor si absit à Senatu, liuor irruet, & caligo, quæ properantem indicat, vel accersit tempestatem. Veritas & candor homines propinquos faciunt Dijs (aiebat Pythagoras) & veritate sub Deorum tutela quisque collocatur. Contrà verò miserrimus est ille Magistratus, apud quem vera reticentur. Quin inquit Ouuenus, eius est

Desperanda salus, qui verum audire recusat
Inque suum præceps labitur exitium.

Nihil præsidij in illa Rep. (ait Plinius in panegir) in qua curiã videmus elinguem, in qua dicere quid velis periculosum, quid nolis, miserum esset. Omnia veritati posthabenda in Senatu, ipsa quoq; cognatio & amicitia. Inde illustris adhuc obuagatur Aristidis, & Themistoclis fama, splendidiora Atheniensis Senatus lumina. Nil Senatori amandum, nil metuendum, vbi de veritate contenditur; Senatori ea lex indicta

Tu quod iura petunt facias pietatis amore
Nec metuas quemquam, quisquis obesse velit.



LEX LXI.

SENATVS ARCANA ACCVRATO TEGENDA SILENTIO.



Vtissimum est, & optimum rerum administrandarum vinculum silentium, à quo etiam, siue à silendo consilium omne dictum est. Parum esset in Senatu rectè deliberasse, nisi silentio obsignarentur deliberationis arcana, hæc sunt illa rerum deposita, quæ diligentius tuenda sunt, quam pecuniarium, & ab illo, cui tacere graue est in Senatu, res magnæ cum ipsa dignitate senatoria amouendæ sunt. Nesciat Senatum, qui nescit tacere, erat lex Aegyptia, quæ etiam iubebat illi linguam abscindi, qui Reipublicæ arcana reuelasset. Ea quæ Comicus Græcus Anaxander protulit vniuersè, Senatoribus maxime adaptanda sunt

Commissa cui sunt verba ceu depositum
Si retegit, est iniquus, aut garrulus
Si spe lucri est iniquus, hac sine garrulus
Censendus autem vterque pariter improbus.

Eo extollit maximè Valerius Maximus Romanum Senatum, quod arcana consilia patrum conscriptorum multis sæculis nemo Senatorum enuntiauerit. Nulla meliora Senatus consilia, quam quæ ignorat ipse Senator, vt retegat; Clam nescire quædam quam scire oportet, ad rem Tacitus. Celeberrimus Senator Cato, qui siue ad publicum, siue ad priuatum commodum nullum vnquam emisit verbum, quod emissum doluerit. Pauci sunt Demosthenes, quibus cum oris fætor obijcitur respondeat, eius ora fætent, in quibus multa computrescunt secreta.

Ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet

est monitum ad Senatores. Quos Homerus in Græcorum Republica egregios proponit viros, eosdem facit, & silentij tenaces, quo ad ferenda consilia indicat aptiores. Fidum est, & altum Reipublicæ pectus Senatus, silentij salubritate munitum, & vellatum, cuius limen intrantes debent linguam soluere vbi fuerit opus, exeuntes verò eamdem multiplici fręno religare, ne Senatores (inquit Phocion) velut Anseres garrulitatis laborent infamia, qui quoties ex Cicilia demigrantes, & Taurum Montem Aquilis differtum prætemolantes, guttur obturant, hausta arena, ore lapidem gestant, atque ità silentes noctu transmittunt; at vbi montis medium superauerunt, deijciunt lapidem. Nunquam lapis silentij ab ore Senatoris excutiendus etiam Senatu abdicato. Illa inquit Ouidius Senatorum.

Eximia est virtus præstare silentia rebus
At contrà grauis est culpa tacenda loqui.

LEX

LEX LXII.

DICENDI LIBERTAS IN SENATU ADMITTENDA.



D est Senatoris officium in ferenda sententia, vt dum Reipublicę causa monetur addicendum, oris æquè & mentis libertate vtatur. Deest Senatui vetum, si liberum desit Senatoribus in dicendo arbitrium. Quod Senatui honestum & vtile est, reticere, Senatus est lædere maiestatem, senatoris deturpare dignitatem. Liberè & verè dicendum est, (inquit Plinius) vbi solum verum audiendum est. Laudatur à Valerio Maximo Aulus Cæsellius, cuius in dicenda libertas eò peruenerat, vt nullius gratia aut authoritate taceret. Theodoti linguam commendat Ammianus, quam omnia despicientem, nullus claudebat periculi metus. Malum est (ait iterum Plinius) Curiam elinguem videre, in qua dicere quod velles periculosum, quod nolles, miserum. Exemplum est Senatori cuicunq; Q. Sceuola Romanus, qui rogatus sententiam ferre pro Mario hoste iudicando, liberè respondit Scyllæ, Nullus efficiet terror vt Marium à quo vrbs & Italia seruata est, hostem iudicem. Tullij præceptum est, in consessu Senatus dicas liberè, sed sine concionis apparatu; vitanda ingenij pompa, & ostentationis suspicio. Horatius quoque præcipuum quærens Senatoris characterem, inquit

Quisnam igitur liber? Sapiens sibique imperiosus
Quem neque pauperus, neque mors, neque vincula terrent,

Ita tamen liber sit in dicendo Senator, vt quid dicatur, perpendat, non quis dicat. Non imitetur Anseres, quorum vno clangente, & glocitante, illicò clangat & glocitet alter. Non discordia, non ira, aut æmulatione excitanda est in Senatu dicendi libertas, neque opinionis pertuicacia. Hæc omnia optimis inimica consilijs; pugnæ sunt potius, rixæ, atque æmulantium certamina, quam consilia

Haud tuta in ira consilia capi queunt

aiebat Menander. Sicut contra dicit Claudianus

——— Dijs proximus ille est
Quem ratio non ira mouet.

Alphonsus Aragoniæ Rex dicebat, si se nasci Romanorum temporibus cōtigisset, constructum fuisse è regione Curiæ templum Ioui positorio, in quo priusquam in Senatum venirent patres conscripti, iram, odium, amorem, priuatos omnes affectus deponerent. Nihil concordi Collegio firmius est ad tuendam, propagandamque Rempublicam (aiebat Fab. Maximus) Idcircò in templo Concordiæ Senatus olim Romæ frequentius habebatur. Existimabant Romani non oportere eos priuatis odijs dissidere, qui publicè summa essent iuncti potestate

——— scissura domestica turbat

Rem populi, titubatque foris, quod dissidetintus
Ergo cauete viri ne sit sententia discors
Sensibus in vestris

videtur Senatores alloqui Prudentius.

LEX LXIII.

DISSIDIA INTER CIVES A SENATV CITO' TOLLENDA.

NOn leuior cura quæ Senatui commissa dicitur,ea est, ne ciues in ciuitate dissideant, discordias alant. Ordinum & Reip. venenum ciuium discordantia est (ait Liuius,) hæcque vastitatem, solitudinem, orbitatem regnis affert,Rebusq;publicis,Contra nullæ sunt vires, quæ vnanimem ac concordem ciuium cætum queant infirmare; aut prosternere. Id satis ostendit Agrippa legatus ad Plebem dissidentem à Patribus fabulam proferens de membris corporis à ventre dissidentibus Indicauit Sertorius equis duobus in concionem adductis, quorum alter imbecillis iam & senes, alter magnus, ac validus. Docuit Scilurus fasciculis, quos per vnionem infractos octoginta tribuit filijs, quorum erat Pater.

Idem monitum tulit Hermocrates ad ciuitates dissidentes, qua tandem beatitatem in vnione ciuium assequerentur. Vulgatissimum illud Concordia Paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Harmonicum ipsius cæli concentum,atque imperturbabilem superorum consessum discordia interturbat

——— *Discordia Demens*
Intrauit cælos superosque ad bella coegit.

Nihil exitiosius aut lethalius Reipublicæ, quam ciuium dissentientium numerus. Is numeros omnes bene instituti regiminis obliterat,atque ad infausta deducit infortunia. Rebus fractis ac labentibus, si accedat Discordia (inquit Tacitus) extremum malorum accedit. Id seminis genus iaciebat Tiberius inter ciues ad exercendam Tyrannidem; idque erat ipsi lætius, quam si bellum per acies confecisset

——— ———*En quo discordia ciues*
Perduxit miseros. En queis consevimus agros,

de ciuium Romanorum dissidijs conqueritur Virgilius, quæ Reipublicæ euersiones peperere.


Ea tamen discrimina, quorum parens inter ciues gloriosa dicitur æmulatio Senatus odia subire non debent, cum sint virtutis calcaria. Emulatrices gloriæ flammas fouebat Senatus Atheniensis inter Miltiadem & Themistoclem, vt ardentiùs vterq; mutuo illo incensus ardore in augmentum Reipublicæ conflagraret. Quamdiu Vitellius habuit æmulos à vitijs se abstinuit

nuit & ad magna æstuante animo contendit; Metellus satagebat in Hispania Pompei gloriam superare ad amplius Romanæ Reipub. decus.

Lata tamen æmulatoribus ea lex in Republica à Tacito, vt publicas vtilitates priuatis præferant dissensionibus. Aristides, & Themistocles capitali dissidebant odio, cum tamen ambo mitterentur vna legati, & vrbis portam attigissent, dixisse fertur Aristides. Hic Themistocles priuatę nobis seponendæ simultates. Apud Romanos M. Æmilius Lepidus, & Fuluius Flaccus primùm dissidentes, vbi simul Censores creati sunt, vterque in ipsa censura animo & voluntate coniuncti, rem publicam benè tractarunt. Fabius Maximus qui Scipionem non amabat, eius tamen actiones, vt patriæ vtiles commendauit. Posthabenda sunt priuata dissidia publicæ vtilitati etiam ad æmulandum vrgente virtute.

LEX LXIV.

CIVIUM LITES A SENATU DIRIMENDÆ.



Enatorum est, qui Reipublicæ curant incolumitatem ciuium lites, quæ protrahuntur in æuum, citò dirimere, ne publici boni lassatum robur pereat priuatorum discrimine. Ciuium lites, quæ membra distrahunt Reip. facilè totum corpus eneruant, ac perimunt. Proclamant hoc omnium tempora sæculorum, quibus litium multitudine parta est regnorum, prouinciarum, ac rerum publicarum ruina. Qui litem aufert à ciuitate (aiebat Henricus tertius Imperator) execrationem in benedictionem mutat. Beata vita ciuibus datur, inquit Martialis, quibus lis numquam. Nicoclem Cypri Regem monebat Isocrates, vt eas ferret leges, quæ vel nullius litis haberent seminarium, vel controuersias exortas dirimerent statim.

Ibi iugiter pullulant Reip. mala, vbi sunt in litibus diuerticula, dilationes, prouocationes, quæ miseros ciues in ærumnarum anfractus conijciunt. Inde optabat Cato Romanum forum muricibus, seù ferramentis accuminatis sterni vt eo ire, vel ibi stare ciues litigantes non possent. Virum litigiosum mundi abusum appellat Tholosanus, qui dat ori suspirium, oculo planctum, linguæ querelam, menti afflictionem, domui & suæ Reipublicæ exterminium. Penè citiùs ætatis est finis, immo ciuitatis & Reipublicæ quam litis, & plurimi sunt, qui facta bonorum omnium iactura hæreditarias tantum lites nepotibus relinquunt, nec illi finem vident. Non pauci inchoatam deserere coguntur litem, quod bonis omnibus exuti, eam prosequi nequeunt vlteriùs, & ferè semper vincunt illi, qui fraudolentiores sunt, quasi ibi plus iuris esset, vbi plus fraudis & astutiæ, ex quo vt plurimum vinci præstat, quam litigare iuxta Martialis consilium ad Gargilianum

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit vna tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser & demens viginti litigat annos
Quisquam, cum vinci Gargiliane licet.

Quare Senatui incumbit onus, vt constituta inter litigantes iuris æquitate, citò litium tollantur ambages, ne ciuium oppressione ac pauperie, tota Respublica ruat in exitium. Benè litem (dixit ille ad rem) monstrum est vorax, quod cum priuatis publica quoque decurrat bona. Charybdis est, in qua amplissima Ciuium patrimonia ab orbentur certo illarum rerum naufragio, quibus sæpè auxilium latum est Reipubl. periclitanti. Tritum est apud Italos

Litiget, ædificet, qui vult citò pauper haberi.

Traianus Imperator eò Romanæ Reip. restaurator dictus, quod omnes lites abolere conatus est. Contrà eiusdem euersor nominatus est Caligula, qui litibus oblectabatur.

LEX LXV.

SEDITIONVM CAVSÆ A SENATV CONVELLENDÆ.



Dem est Senatui Publicam Reip. manu tenere quietem ac seditionis radices euellere, obortasque tumultuum causas subito comprimere. Publica perturbantur iura, commune dissoluitur bonum, cum ciues vel populi à Senatu, à Principibus, à magistratibus seorsim eunt, à quo seditio nomen accepit Turbinem, & maris tempestatem appellat Pindarus, Ciuium seditionem, qua sæpè Rebus publicis naufragium paratur & interitus, Populi sæuitiam dicit Virgilius seditionem esse

Ac velut Magnò in populo, cum sæpè coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus.

siue Ciuium seditio sit, siue populorum, subito à Republica eliminanda est; Quod si Romæ actum esset cum Grachis, Druso, & Mario, non ità facile Romanæ libertatis perijssent iura, vt testantur Liuius, & Florus. Transijt Romana respub. in Cæsarum Monarchiam, cum Senatus passus est Cæsarem, qui nolebat superiorem ferre, & Pompeium, qui parem pati in Rep. recusabat. Inde concitatum illud ciuile bellum, quo Roma vt loquitur Lucanus

In sua victrici conuersa est viscera dextra.

Ridendum planè est illud politicorum dogma asserentiū seditionem rem valdè proficuā esse, atq; ad seruandam remp. maximè idoneā. Non est tutior, aut cautior Reip. administratio in diuersas factiones distractis ciuibus. Non prudentiùs se gerunt Magistratus inter erumpentes dissidiorum motos, & lon-

& longe facilius sine hoste, quam hoste cognito defenditur Ciuitas. Miserum est, Principem, Senatum, Magistratum cum ciuibus, velut cum hostibus viuere. Exarescit statim florentissimæ Reip. pulchritudo, cum in ea ciuium seditio floret. Prævalida corpora, quæ sæpè ab externis causis tuta videntur, suis ipsa viribus onerantur, nisi exturbata, præpotentum discordia curentur. Medela ocyssime paranda est, omnisq; tumor assurgens celeri pœna vindicandus

—— Sero medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras

seditio Reip. contagium est, cuius initijs nisi remedium adhibeatur, paulatim serpit in totius Reip. exitium

—— quod fuerat primo sanabile vulnus
Dilatum longæ damna tulisse moræ

subdit Ouidius de amoris remedio.

L E X L X V I.

CONIVRATORES ET PRODITORES NON LEVI PÆNA A SENATV AFFICIENDI.


Rauissimum est in Rep. malum Coniuratio aut proditio, quod tantum incommodi affert, quantum commodi bona fides. Intra mœnia atq; in ipso vrbis sinu hostes parit, qui breui tempore id euertunt omne, quod plurimis annis peperere aut Senatorum industriæ, aut ducum labores copulati virtuti.

—— Quod mille Ducum peperere labores

canit Claudianus de proditione

—— Angusto tempore vertit.

Graui igitur supplicio, nullaq; interposita mora Coniuratores & Proditores puniendi sunt in Rep. In tanto scelere, qui dissimulat, se & patriam vniuersam perdit. Neminem eximit à graui pœna Iustitiæ rigor, in quo tanta reperitur culpa. Nulla delicti dissimulatione, nullo fauore dignus est habēdus, qui patriæ amorem excludens etiam ciuis exuit nomē, vt illud proditoris indueret. Ea res est, in qua Senatus Clementia non meliores, sed nequiores facit.

—— immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Hippocrates ipse vetat desperatis mortis adhibere medicinam, & quemadmodum supputato satius est vti, quam leniri, ità eiusmodi improbis hominibus, melius est mori, quam viuere.

Pectora magnis obsessa malis
Non sunt ictu ferienda leui

ait scitè Seneca in Hippolito. Iunius Brutus, vt est apud Liuium, filijs in

patriam conspirantibus, populo etiam intercedente, ignoscere noluit, sed prius flagris cæsos, securi percuti in foro curauit.

Sunt coniuratorum & proditorum tortuosa ingenia quæ semel infida, fidem nunquam induere possunt, sed illam facilè vendunt, faciliùs cum fortuna mutant. Horum animus qui à Patria & à Rep. diuisus est, etiam corpora tormentis distracta exposcit, quale fuit supplicium Metio Suffetio Albanorum Dictatori irrogatum à Tullio Hostilio apud Liuium.

LEX LXVII.

EA A SENATORIBVS CAVENDA, QVÆ IN SVBDITIS ODIVM EXCITANT REGIMINIS.



Mperio, Imperantibus, Rebusque pub. res maximè exitiosa est subditorum odium, quod expressuris inuectis vel malè regentium gestis excitatur in regimen; hoc ideò summoperè à Senatoribus cauendum. Intelligant hi illud Plinij ad Traianum, multorum odijs nullas opes, nullas vires, nullum consilium posse resistere; nullamq; imperij vim tantam esse, quæ premente subditorum odio ac metu possit esse diuturna. Vulgatum est illud Senecæ ad imperantes,

Dolor, ira, mæror, miseriæ, luctus dabunt

nimitum Reip. dabunt luctus subditorum tortores, qui solent odia concitare. Securitas securitate mutua paciscenda est (ait idem Seneca) de ira præcepta tradens. Odere priùs Domitiani Cæsaris Imperium Romanæ gentes, mox Imperatores ipsum, qui deniq; terribilis cunctis & inuisus oppressus est. Malè regnantium exitus docet (ait Plinius) ne à Dijs quidem amari, nisi quos homines ament.

Qui sceptra duro sæuus imperio regit
Timet timentes, metus in auctorem redit

planè ad rem Tragicus Seneca. Ideò ab Agasicle illud traditum est regentibus præceptum, quo ità regnarent, vt stipatoribus ac satellitibus minimè indigerent. Imperandum est subditis à Senatoribus, ac patres si filijs imperarent; optimum namq; & firmissimum est imperium, aiebat Largius Dictator apud Dionysium Halicarnasæum, quod subditos beneficijs magis, quam supplicijs in officio contineat. Ad hæc hortabatur assiduè maritum prudens illa Augusti Cæsaris Liuia. Hæc principibus cunctis lex illa suadet

—— —— inhibete dextras
Laudis est purum tenuisse ferrum

Vnum est inexpugnabile Reip. munimentum subditorum amor; frustrà terrore se Senatores succingunt, nisi charitate sepiantur; odio irritantur odia, sicut Seneca dixit, armis irritantur arma.

Ad

Ad Senatores promulganda sunt Isocratis edicta ad Nicoclem Regem, nimirum, tutissimam Reip. custodiam non turribus, propugnaculis, mœnibus, satellitibus, aut armis contineri, sed amicorum præsidijs, ciuium beneuolentia, & propria virtute.

LEX LXVIII.

IMPEDIENDVS A SENATORIBVS OMNI CONATV PVBLICÆ MAIESTATIS CONTEMPTVS.

Lethale ac virulentum Reip. malum dicitur à Politicis publicæ Maiestatis despectio. Duæ potiores causæ (ait Aristoteles) ob quas fiunt Rerumpub. euersiones quamplurimæ, sunt imperantium odium & cõtemptus. Ab his dimanant insidiæ, coniurationes, proditiones, apertaque bella. Qui publicam maiestatẽ contemnunt omne audent, nihil intentatum relinquunt, quo maiestatem ipsam prosternant. Non ab humili altioris subsellij ruina paratur, sed ab animo despectore & elato. Eiusmodi contemptores sunt viri illi sublimes, ac magnis spiritibus præditi, quos dicebat Agrippa, fieri non posse, vt dominandi cupidine non ducantur, dominumque suum oderint. Exemplum est in Volusio Proculo & Senecione, apud quos numquam receptum est illud Senecæ fatum in Octauia

Decet timeri Cæsarem.

Coniuratio Catilinaria in Romanos primates orta est ex contemptu publicæ maiestatis sæpiùs impunito. Cæsar ipse Augustus ex immodica quorundam flagitiosorum hominum tolerantia toties mortis periculo subiectus est. Ea in contemptores Imperantium agenda sunt à Senatoribus, quæ in Hypatium, Pompeium, & Probum Anastasij Imperatoris nepotes peracta sunt, qui cum Iustinianum Imperatorem aspernarentur, eius Imperium sibi indigna ambitione exoptantes, ex Imperatoris decreto omnes capti sunt, atque trucidati. Publica verò Maiestas eo præsertim contemnitur à nonnullis, si nimis austerè imperet, si supplicum reijciat preces, si vota precantum non exaudiat, quemadmodum in Turni sæuissimi regnatoris proteruiam iactatum est

Nec nostræ potuere preces inflectere durum,
Nec Diuum portenta animum, quin arctiùs ignem
Spumabat ferus ore vomens, bellumque ciebat.

Dum nimia in imperando aut exercetur potestas, aut seruatur humilitas, aut frangitur, aut cadit Regnantis authoritas. Malum æquè est Principem habere sub quo nihil vlli liceat, Peius verò, sub quo omnia omnibus. Ex vtroque pi-

paritur publicæ maiestatis contemptus, vt visum est in Lælio Romano Consule ad dictaturam euecto.

LEX LXIX.

GRAVIORVM CRIMINVM DELATIONES NON FACILI NEGOTIO A SENATORIBVS EXCIPIENDÆ.


D tutè administrandam Remp. fatentur Politici omnes optimũ esse delatores habere. Grandis regentium cautio est (aiebat Anthemius Imperator) aduersantium animos cognouisse; hostemque sensisse, partim superasse est. Hæc quidem scitè dicta, at non sine modo exercenda. Non est temere fides Delatoribus adhibenda, qui vt plurimum non publico ducuntur bono, sed vel odio priuato, vindicta, aut vtilitate. Nemo innocens esse poterit (inquit Ammianus Marcellinus) si accusasse sat est, immatura credulitas mater erroris est. Nouerca Consilij Iustitiæ inimica. Ideò præcipit Seneca; Ne sint aures criminantib. faciles; hoc humanæ naturæ vitium suspectum est, notumque quod quæ inuiti audimus, libenter credimus, & antequam iudicemus, irascimur.

In Regnis ac Rebus pub. eo tantum delatores constituendi, præmijsque etiam decorandi, quo Regna ipsa, vel Resp. seruentur incolumes atque à proditionibus immunes. Eiusmodi criminum, quæ grauiora sunt, delationes duntaxat excipiendæ, idque non leuiter, aut facili negotio ab administrantibus Remp. Dictatum quidem est à Martiali

Principis est virtus maxima nosse suos

at non esset Principis virtus, aut Senatorum inculpata prudentia in suspiciones subditorum corruere, causa maturè ad trutinam non reuocata. Semper erit redarguendus Caius Cæsar, quod ex leuibus delationibus, inuidorumq; criminationibus optimos amicos suspectos habuerit. Probum est Regentium illud Senecæ fatum in Aedipo

——— *Dubia pro certis solent*

Timere Reges.

Beata fuit illa Resp. quam memorat Plutarchus, in qua criminantium delationes non excipiebantur, nisi Delatores ipsi sponderent se affuturos coram iudice, cum Iudex esset reos de crimine alloquuturus. Impium est accusatos torquere, pęnis aut supplicijs prægrauare non explorato delicto. Refert Tacitus Titum Patrem suum Imperatorem orantem, ne facile, criminantium facibus accenderetur. Monitum Mæcenatis scribit Dio ad Augustum Cæsarem, ne omnia quæ referuntur facilè credat sed diligentem adhibeat cautelam; fieri enim potest, vt Iudex festinando peccatum admittat irreparabile: Subdebat Mæcenas.

LEX

LEX LXX.

PÆNARVM INSTITVTA IN SOLAM REIP. INCOLVMITATEM A SENATORIBVS DIRIGENDA.



Meta regiminis optimi aberrant longè illi omnes, qui constitutas flagitiosis hominibus in Repub. animaduersiones aliò dirigunt quam ad eiusdem Reip incolumitatem. Non sunt instituta supplicia, vt perdantur homines, sed vt criminum castigatione resipiscant, meliusque in bene tuendam communem vtilitatem conspirent. Adhibendæ sunt Pęnæ vt tollantur mali, si nocentes esse velint, perficiantur boni, si aliquid per negligentiam admiserint; ait tamen Vegetius, nullam negligentiam veniam ab Imperantibus mereri, vbi de salute Reip. certatur. Pęnas quidem & supplicia debent Senatores errantibus infligere, at eo dogmate non ut propriam animi feritatem spectent, sed dumtaxat Reip. salutem. Inferre sontibus supplicia ex priuata vindicta, aut voluptate Senatoribus prorsus nefarium est. Audiant Claudianum in Manlij Consulatu

Qui fruitur pęna ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi, cum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis, ferturque nocendi
Prodigus ignarus causæ.

Præsertim puniendi sunt à Senatoribus, qui in magistratus, vel ipsam Remp. delinquunt, dummodo pateat delictum. Nulla in corpore poterit esse salus, si partes morbo laborantes corpori adhæreant. Maiestas Reipub. splendescit diu, si maleficorum caligine detergatur. Censores Romani neque aduocatos coram se oscitantes tolerabant. Morte plectebantur apud veteres, qui coronas detraherent Principum imaginibus, Nulli parcebatur delicto quod in læsionem publicæ maiestatis rediret.

Cæterum (vt monet Ammianus) quærendæ sunt potius à magistratibus ignoscendi causæ quam puniendi occasiones. Tutior est in Clementia Reip. salus, vbi crimen Clementiam & mititatem ferre potest. Si Senatoribus extra delicta maiestatis læsæ in iudicijs peccandum, melius iudicatur iniustè reum absoluere, quam iniustè perdere. Ad id Asyla delinquentibus constituta in Rebuspub. vt misericordiam inuenirent, Athenis à Theseo, Romæ à Romulo. Acrius tamen puniendi in delictis senescentes, quam recentes Criminum patratores. Iulius Cæsar Clementiùs se gessit erga Ptolomæum Aegypti Regem quod puer esset, quam erga Consiliarios eiusdem iam senes.

LEX

LEX LXXI.

VIGILANTIÆ PRÆSIDIO A SENATORIBUS MUNIENDA RESP.



Vlla Resp. Arx nulla, castrumvè satis munitum est nisi gubernantium excubet solertia. Leo cui animalium cęterorum sceptrum commissum est, aut parum dormit, aut si dormit, apertis consopitur oculis. Nullus Reip. administrator ità proprio debet confidere imperio, ac tantopere esse de sua Maiestate securus, vt necessarium non arbitretur vigilantem se fingere etiam dum somnum capit. Hoc maius est cuiuscumque dominatoris præsidium, quo non solum subditos in officio continet, sed etiam exteros arcet ab insidijs. Qui assident Reip. clauo, si vigilent, stipatoribus non egent, qui vel eorum somnum, vel Remp. muniant nocturnis excubijs

Non sic excubiæ, non circumstantia tela
Quàm tutatur Amor

intellige cum Claudiano amorem patriæ qui semper vigilat in eiusdem commoda. Ad Senatores amatores patriæ ea ab Homero missa sunt carmina, quibus suadentur neque somno indulgere, neque altum stertere, postquam ipsis Reip. regendæ cura commissa est

Non decet ignauum tota producere somnum
Nocte virum, sub consilio, sub nomine cuius
Tot populi degunt, cui rerum cura, fidesque
Credita summarum.

Metuuntur æquè ac magni penduntur Principes illi, quos celebrat fama cautos in regimine, solerterque prudentes. Magnus Alexander Macedo plus hostes terrebat brachio extrà lectum porrecto globum argenteum ad vigilias suspendente, quam animi robore, corporis viribus, nudato semper ense, in cædes & bella exardente. Quiescit & augetur imperium, vbi non imminuitur regentis affectus, vbi iugi motu prouidæ mentis agitatur acies. Amor patriæ potest quandoque inermis incedere, at numquam non loricatus obdormire, loricam contexente vigilantia. Virus est læthale exitium afferens regnis, & Rebuspub. præsidentium torpor, nec vllo curatur antidoto.

LEX LXXII.

IMPERII SUAVITATE FOVENDA A SENATORIBUS IN SUBDITIS OBEDIENTIA.

EO instruendi sunt omnes, ad quos spectat imperium, symbolo, quo apis è vertice regnantis egressa, atq; euolans in sublime edocuit, regentium sua-

ſuauitate meliùs Reip. commoda parari, quam ſæuitia, aut aſperitate. Idipſum veteres tradidere Philoſophi fingentes Orpheum lyra ſua feras traxiſſe, & Amphionis Cytharam lapides ſecutos, quibus Thebarum mænia conſtructa ſunt. Semper valuit ſuauis inſtitutio regiminis ad legum harmoniam, atque ad felicem obedientiam populos perducendos

Siluestres homines ſacer interpreſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus
Dictus ad hoc lenire Tygres, rapidoſque leones.
Dictus & Amphion Thebeæ conditor vrbis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet

Hac arte docet Horatius eſſe regendos populos, vt ad obediendum vltrò, atq; ad procuranda Reip. commoda alliciantur. Hac eadem vſæ florentiores Reſp. veteres, vt benè ſubditos erudirent in commune bonum. Ad id inſtituta populis publica gaudia, certamina Olympica, Pythia, Nemæa, & Iſthmia.

E quo perſimilis eſt populus, qui popyſmate delinitur, & manu blandiore edomari ſe ſinit, frænum poſtea libenter admittens, virgam, ferrumque patiens. Non ſemper ferro, ac flamma, ſi quæ ſunt, in populis curanda ſunt vulnera. Si pillulis quandoque opus ſit amaris, eas expedit auro obducere, & oculos guſtumque fallere ſuſcipientis. Germanicus vt Legiones Imperio reluctantes in officio contineret, atque ad pugnandum paratiores haberet, ſolebat blanda vultus ſerenitate circumire, facta ſingulorum extollere, vulnera intuens, alium ſpe, alium gloria, cunctos alloquio & cura ſibi & prælio firmabat.

Ita tamen Imperij lora tenenda ſunt, vt non contingat imperantes, cæteriſque dignate prælatos vna ſimul ob benignitatem diligi, & à ſubditis contemni. Authoritas Senatorum nedum ex ciuium, & populorum amore, ſed etiam ex admiratione gignenda eſt. Gratiſſimi ſunt Imperantes, qui cum metuendos ſe poſſint reddere, amabiles populis ſe ſe exhibent.

L E X L X X I I I.

IN CVSTODIAM REIP. NON FACILE ADHIBENDI A SENATV ALIENIGENÆ.


Vis tantum viribus, quoad fieri poteſt vti debet Reſp. vbi de ſe met agitur cuſtodienda, aut propugnanda. Sanctior eſt illa fides, ac tutior quæ patrio pugnat affectu, atque pro aris focisq; proprijs dimicat. Exteri, ſiue milites ſint, ſiue cuſtodes aut mercedi tantum incumbunt, aut propriæ dumtaxat augendæ rei, neglecto ciuium ac ciuitatis amore. Si pugnandum ijdem fortes ſunt, vbi facilis victoriæ ſpem vident aſful-

fulgere; ignaui verò & imbecilles, vbi arduum occurſat opus. Facilè euerſa eſt Carthago, quæ peregrino vtebatur milite, facile terrarum orbi iugum impoſuit Romana Reſp. quæ ciues tantum adhibebat in prælia. Vtiliùs conſtat armis erudire ſuos (inquit Vegetius) quam alienos mercede conducere. Militem cuſtodem patriæ legendum eſſe, non emendū, aiebat Galba Imperator

Perdurat non empta fides, nec pectora merces
Alligat.

canit Claudianus.

Philippus Macedo Alexandrum filium monebat, ne eos ſibi fidos putaret, quos ex genere exterorum pecunia ſibi corrupiſſet. Ea Reſp. (inquit Thucydides) facilè vincitur, quæ vires mercenarias tantum habet, non vernaculas. Thebanis libertas ablata eſt, cum poſt mortem Epaminondæ, in eiuſdem præfecturam exterum, & alienigenam ſuffecere. Qui pro nobis pugnaturi ſunt (aiebat Cyrus apud Xenophontem) ità amici eſſe debent, vt in rebus ſecundis Imperatori non ſint inuiſi, neque in aduerſis eum prodituri. In pugna contra Phocenſes ciues Coronenſes conſtantes ad finem vſque in acie perſtiterunt, Bæotij exteri poſt primum impetum fugam arripuerunt.

Nulla fides pietaſque viris qui caſtra ſequuntur
Venaleſque manus, ibi fas, vbi maxima merces

De alienigenis clamat Lucanus.

Neq; tamen exteri milites ſemper à Senatu ſpernendi, cum plerunque etiam eorum opem implorare cogat neceſſitas. Scipio in Hiſpania plus habere alieni roboris, quam proprij coactus eſt. Ageſilaus aduerſus Perſas quodam Athenienſium Argiuorum, & Corinthiorum vſus eſt patrocinio. At cauendum maximè, vt non plus roboris ab externo milite ſit quam à proprio, & ne exterorum caterua corpus conſtituat, ſed membrum.

L E X L X X I V.

VBI BELLVM INDICTVM EST, NON PERMITTANTVR HOSTES A SENATV INGREDI REIP. FINES.



SI bellum gerendum ſit, ſi hoſtis reformidandus, conſultiùs eſt irruentem impetum non expectare, ſed extra fines Reip. ſuſtinere, ſæpè etiam agredi, hoſtiſque regionem infeſto exercitu penetrare. Longè maior ſpes eſt, & animus inferentis, quam arcentis, & propulſantis periculum; nec quiſquam eſt, qui non alienos fines libentiùs populetur, quam ſuos vri videat, & exſcindi. Melius eſt belli incommoda in hoſtes transferre, quam in propria eadem fouere ditione. Scipio Africanus manente in Italia Hannibale, in Africam tranſmiſit exercitum, vt à domeſticis finibus hoſtile bellum transferret; Inde apud Liuium faſſus eſt Hannibal ſe tunc à

Romanis victum, cum Carthaginem reuersus, cessit Romanorum terris. Arguit Lucanus Ciues intrà Mænia bella molientes, cum longè satius esset ad Babylonem spoliandam bella transferre.

Quis furor ò Ciues, quæ tanta licentia ferri
Gentibus inuisis Latium præbere cruorem?
Cumque superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausonijs, vmbraque erraret Craßus inulta
Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Non facilè occinitur victoria aut triumphus ijs, qui patriorum bonorum direptiones spectant in proprio loco grassantes. Potiùs hæc iactura est, quam victoria. Cæsar Pompeium reprehendit quod intrà fines suos hostes expectauerit. Sibi & patriæ hostis euadit, qui vbi fieri potest, hostilem non auertit incursum. Magis terrorem incutit (inquit Thucydides) qui inuadere volenti prior occurrit, quam qui se repugnaturum significat. Qui priùs strinxerit ferrum, eius victoria est (subdit Liuius.) Desperare de victoria videtur, qui non aggredi cupit, sed se tantum tueri. Primus ad victoriam gradus est, hostem terrere, secundus aggredi. Qui vespas exscindere cupiunt, non è nidis suis prouolantes expectant, quas tunc sustinere vix possunt, sed ijs intrà nidos conclusis ignem admouent, & interitum. Agathocles Syracusanorum Rex tùm à se, & à Sicilia bellum auertit, cùm illud in Africam transtulit. Cato ipse ad Duces Romanos præceptum tulit, Miles si strenuus est, ex hostico alatur; si ignauus, indignus nomine Romano est.

LEX LXXV.

BELLORVM CAVSÆ NON FACILE A SENATV ADMITTENDÆ.



On temerè aut cæco quodam impetu bellorum causæ, quæ deferuntur Senatui, ab ipso Senatu suscipiendæ sunt, aut cogitandæ. Bellorum causas tardo prius consilio scrutari oportet, quam armis experiri. Senatorum animi, si fieri potest, prius in pacem ferendi sunt, quam in bella aut excitanda, aut exercenda. Ab armis abstinendum Senatui quovsque alio iure agi potest; nec vis armorum tuta est semper ad sua tuenda, aut repetenda. Symbolum illud Martiani Cæsaris Senatui inscriptum commendatur (Pax bello melior) Cuius pacis omen cum Septimio Seuero Imperatori placeret, aiebat crebrò, potiùs in pace laborandum, quam inter arma otiosè aut voluptuosè agendum. Herodotus refert Cræsum debello temerè suscepto apud Cyrum se excusantem ea ratione, qua Pax semper bello est præferenda.

Non propter vim aut militum numerum, quem sæpè potest ostentare Senatus, debet facilè in bella corruere. Notum est satis illud poetæ

G Non

Non vis aut numerus, tandem bona causa triumphat.

Sunt quidā qui facilè arma proponunt Senatui aut ad honores,aut ad diuitias conquirendas, Sunt alij quib. nocendi cupiditas,aut imperandi proposita est. Horū suasionib. difficilè adhærendum est. Non sunt arma ex leuib. causis induenda,neq; ab Aeduis,aut ab Arcadib. exempla sumenda,qui diù bella gessere propter Apri caput. Non cōmendantur Pyrri,& Scoti pugnantes propter canes ereptos,neque alijs propter mulierculas abductas. Meliùs est (aiebant Lucullus, & Scipio) vnum seruare ciuem, quam mille hostes occidere.

Nullum bellum, aiebat Tullius, ab optima ciuitate suscipi debet, nisi aut pro fide,aut pro subditorum salute.Bella quæ pro Aris & focis,pro patria,pro tuendis finibus ac libertate seruanda suscipiuntur,ea tantummodo iusta sunt, eaq; debet Senatus non refugere pro viribus.Inditū est à natura ius illud,quo

Non solum Taurus ferit vncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti læsa repugnat ouis.

Senatui Romano diù persuasum est à Fabio Maximo Prouincias & Regna potiùs pacis Instrumentis,quam armorum exercitationibus esse restauranda.

LEX LXXVI.

BELLA NON SVSCIPIENDA A SENATV SOLA AVGENDÆ DITIONIS CAVSA.



Xitium sæpè tulit Senatui atque Reipublicæ nimia augendæ ditionis cupido; & vbi facilè suadetur raptus alienorum, deperdita ingemuntur propria. Ab honestate & iustitia longè aberrat illud Tiridatis,priuatæ rei esse sua tantum retinere. Rei verò publicæ etiam de alienis certare. Nefas est Senatui iura belli in armis tantum reponere, malèque audit illud Senecæ in Hercule

Ius est in armis, opprimit leges timor.

Romanos arguit Ammianus Marcellinus, qui Cyprum insulam auidè potius inuasere, quam iustè; Nec laudantur Galli apud Liuium aientes, se in armis ius ferrè, & omnia fortium virorum esse. Lyricus quoque illam improbat potestatem, quæ

Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Aliena rapere & occupare ad protendendos fines imperij non ius est, aut æquum, sed nefas, & execrandum; non est bellum, sed latrocium. Aequè impium est fraude & Marte regnum augere, vbi ius absit dominii. Pulchrum est (inquit Plutarchus in Numa) Regnum sibi Iustitia comparasse, pulchrius Iustitiam Regno prætulisse

Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri

ait

ait vates; cui subdit Claudianus

——— plus est seruasse repertum
Quam quæsisse nouum.

Reipublicæ potentia tuta est, cum virib. modum imponit, nec aliena quærit aut rapit. Vulgare adagium est, Camelus desiderans cornua, amisit aures. Fabula est apud Poetas de Camelis, qui cum à Ioue per Oratorem postulassent cornua, ille stulta offensus postulatione etiam aures resecuit.

Agesilaus apud Plutarchum repetit sæpè, fines Reipublicæ benè constitutę non gladiis, sed iustitia benè terminari; eratque frequens dictum Hannibalis ad Scipionem, eam fuisse populis à Diis datam mentem, vt suis finib. contenti essent. Pompeius Parthorum Regi postulanti, vt Euphratem Romanæ ditionis terminum esse vellet, respondit, illud magis postulandum esse, vt Romanorum fides à Parthorum Regno iustitia discernat. Apud Persas regnante Cyro ostensum est satis in temporis momenta dumtaxat durabilem esse illam regnorum acquisitionem, quæ ab æquitate & Iustitia secreta est.

L E X L X X V I I.

BELLORVM DVCES A SENATV NON SINE CONSILIO ELIGENDI.



Vltum omninò refert, quis in bellorum, & exercituum Ducem eligatur à Senatu, cum in Ducis prudentia, consilio, & virtute salus Reip. posita sit. Quanti sit æstimandus Dux belli, Senatui Atheniensi patefecit Gobrias ductor exercitus, cum dixit, magis timendum esse Ceruorum exercitum, cui præsit Leo, quam Leonum, qui ducem habeat ceruum. Iulius Cęsar in Hispaniam proficiscens contra Petreum Senatum Romanum eo solatus est, quod res gerenda esset cum exercitu sine Duce.

Duce rerum militarium imperito nihil ineptius est inter bellorum anfractus. Vtilis est Reip. ille exercitus ductor, quem & aduersa fortuna exacuit, & secunda non destituit. Nec semper prosperæ nauigationi fidendum Duci, nec semper in aduersa formidandum, aut desperandum. In illo insperato tempestatum tumultu reprehenditur deprehensus Æneas, cum ait

Et me quem dudum non vlla iniecta mouebant
Tela, neque aduerso glomerati ex agmine Graij,
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum & pariter comitique onerique timentem.

Periit prorsùs militare studium, concidit Imperatoria Maiestas (ait Xenophon) si præficiatur bello, Dux meticulosus, Dux nimis audax, Dux euentuum desperans atque imperitus. Inepti Ducis Imperio subiici vix est, qui velit; Illum hostis despicit, ipsi nolunt obtemperare socii, sub eius signis milites

esse dedignantur. Iute Agrippa apud Dionem loquitur ad Senatum, si parui precij Ducibus Resp. committatur, citò clades, & exitium patietur. Romani vincere & vinci sueti Annibali collum non submisere vtraque tempestate per Duces peritos nauigare docti.

Diligentia & labor præter virtutem præfulgidum est Ducis bellorum ornamentum. Nunquam primus sectetur otium, sed ad laboris alacriter suscipiendos sit exemplum. Iulius Cæsar (Suetonio testante) laboris vltra fidem patiens erat, & in agmine equo nonnunquam, sæpius pedibus anteibat.

——— Tum promptius ibunt
Te socio, cum conspicuus gratusque geretur
Sub te teste labor.

Scribit Claudianus ad Honorium. Tacitus ipse de Tito Vespasiano scribit, fuisse plerumque in opere, in agmine gregatio militi permixtum, incorrupto semper Ducis honore.

LEX LXXVIII.

ALIENAE DITIONES NON SINE CAVSA A SENATV INVADENDAE.

INter causas, quæ euertendis sæpè Rebusp. imminent, illegitima Imperij adnumeratur extensio, monstrum est, quod suaui adblanditur specie dominij studium, quo putant Principes cum venia peccare, cum tamen inde vt plurimum Regnis exitium accersant. Domus altius elata, quam ferendo est fundamentum, & alia super alia contignatione onerata, quo magis in fastigium euehitur, in ruinam properatur. Corpora vasta membrorum mole, aut adhærente adipe turgida, & ad propriam inepta sunt tutelam, & ictibus telorum in vulnera patent, & aeris intemperiei sunt obnoxia. Reip. corpus vbi nimia mole excrescit, tantum à firmitate abest, quantum à fundamenti sui complexu recedit.

Sparta quamdiù intrà terminos à Lycurgo præscriptos se continebat, plusquam vlla ciuitas Græciæ, & viribus, & existimatione florebat; Verùm vbi Imperij protulit fines, subiectis Græciæ ciuitatibus, & Asiæ regnis, retrò labebatur. Quæ ante Agesilaum numquam viderat fumum, nondum hostium arma, postquam debellauerat Athenienses, Asiamque vastauerat, Ciues suos in fugam conuersos vidit à Thebanis. Romani domitis Carthaginensibus Numantinos viginti quatuor annorum spatio expauerunt, victis tot Regibus, subiugatis tot prouincijs cæsi sunt à Viriato in Hispania, à Sertorio exule in Lusitania, à Spartaco in Italia.

Non est Superorũ decreto ità Prouisum, vt quæ nostra sunt, tutò possideamus, dum aliena inuadimus sine ratione. Non est hic illud Senecæ aptandum

Quid-

Quidquid agimus mortale genus,
Quidquid patimur venit ab alto.

Ab alto non venit quod malum est, neque quod iniquum est, supremum agnoscit authorem. Cælitus tantum bona danrur, eaque quæ vitijs non faciunt homines irretitos. Versum est illud Tragicum Senecæ in Elegiachum distichum à Cyriaco Lentulo

Quidquid agunt homines, quidquid patiuntur, ab alto
Manat, hic est omnis fons & origo boni:

Nauigia alienorum raptibus grauescenria secum cum rapina naufragium ferunt, & quæ ab inferis suscitantur mala, ad infernas partes facile verguntur. Maioribus insidijs maior exponitur Imperij sedes, & quo immensior est Regio remotissimis finibus circumducta, eo impuniores patitur hostium, & populorum incursus. Carilina ad spem improbam trucidandi Senatus, vrbisque diripiendæ illectus est, cum Italia omni exercitu destitura in extremis terris gereret bellum. Ideo Augustus imperandi callentissimus Consilium Romanis coercendi intra terminos Imperij dederat apud Tacitum.

LEX LXXIX.

INITA FÆDERA SENATVI QVAM MAXIME SERVANDA.



Mpium est quorundam politicorum dogma, fas esse quandoque iuratam in fœderibus fidem violare. Periculosum, est (inquiunt) inter tot errorum procellas sola innocentia viuere sine fraude, quæ nomen obtineat Prudentiæ. Maiestas imperij sine perfidia non rerinetur diù; fraus & mendacium Imperanrium sæpè fit commodum subditorum (aiebat Plato.) De Parthis (scribit Iustinus) Fides dictis, promissisque nulla, nisi quarenus expedit. Decipere pro moribus temporum, prudentia est (ait Plinius)

——— nunc qui fœdera rumpit
Ditatur, qui seruat, eget

canit Claudianus. Dolos quotidiè meditabatur Vlysses, quos Græcorum Senatui suggereret ad augendum imperium. Seneca in Agamemnone

Non intrat vnquam Regum limen fides,

Idemque in Tyeste

Vbicunque tantum honesta dominanti licent,
Precariò regnatur.

Pericles Senatum docebat Athenienfem subdiros æquè, & exreros esse fraudibus, & dolis circumueniendos, dummodo publica subsit vtilitas..

Ast hæc sunt deterrimæ mentis deliramenta, errataque politicorum plusquam Palmaria, cum fides, seruatumque fædus sit imperiorum basis, & certissimum humanæ salutis pignus. Iustitiam omnem oppugnant, summam

propugnant iniquitatem, qui fidem delent, qui fœdera facilè rumpenda docent. Maiestati quæ dominatur (aiebat Agesilaus) non fraudis dominium conuenit, sed datæ fidei Patrocinium; Idcircò non iussit Alexandro Parmenio aliquid facere, quod esset alienum à fide. Augustus Cæsar cum publica præconis voce promisisset ei plura aureorum millia: qui sibi sisteret Crocotam latrocinijs insignem, ipsi Crocotæ pretium dedit, qui spontè venit, ne fidem violaret. Terrarum orbem dominati sunt Romani (inquit Valerius Maximus) quia nemini fregerunt fidem, inita fœdera cum nemine violarunt. Impotens est illa Respub. & viribus destituta, quæ nequit se tueri absque fœderis fractione. Id imbecillitatis argumentum obiecere Arabes Bizantinis, cum fœderis tabulas ex hasta suspensas ad eosdem detulerunt. Turpissimum Senatui fidem fallere est, nec est Senatus sanctus, qui fide exuit Sanctitatem.

LEX LXXX.

NON FACILE A SENATV CVM OMNI GENTE FÆDERA INEVNDA.

PLura sunt spectanda Senatui, atq; accuratè dispicienda antequã cum exteris gentibus, Principibus, Rebusq; publicis ineat fœdus. Prima fœderis ratio, Religio est, Iustitia, Pietas, Fides. Iuuare impios, atq; ab ijs opem expectare quoddam impietatis argumentum est. Potior impio propria semper fuit vtilitas, quam fides, atq; fœderis initi obseruantia. Vix, vbi summa cogit necessitas, vbi nullũ imminet Religioni periculum, vbi iusta belli censetur causa, vbi omnino sine fœdere cessat pax & commerciũ etiam cum impijs fœdera iniri posse conceditur. Fuit fœdus Abrahami cũ Abimelech non vt alicui noceret, sed vt pacem haberet. Fuit Iudæis fœdus cum Spartanis, non ad belli societatem, sed ad fouendam generis propagationem. Eadem fuere fœdera Israelitarum cum Aegyptijs, Iosue cum Gabaonitis, Machabæorum cum Romanis. Quandoque necessitati parendum, vt ius naturæ seruetur, vt Patriæ salus non pereat. Extra necessitatem semper probrosum est Senatui cum impijs inire fœdus.

Nec facilè ferenda sunt fœdera cum gentib. valdè remotis. Prouerbium est

Longinqui non sunt Amici

præstatq; magis Amicum habere vicinum, quam fratrem absentem. Aqua quę nimis distat, vicinum nunquam extinguet incendium. Expedit tamen quandoque potius ad honorem, & apud Principes æstimationem, quam ad vtilitatem etiam cum longè dissitis nationibus fœdus percutere.

Ast nulla ratione potest laudari fœdus, quod cum miseris & afflictis initur. Ijs qui assiduo rerum discrimine laborant, & periclitantur, non suppe-

tunt vires,quibus fœderati aliqua tempeſtate iuuentur. Qui hoc faciunt(inquit Lucanus)

——— quærunt

Cum qua gente cadant.

Non oportet in parietem caducum inclinare (aiebat Adrianus Imperator) & qui felices ſunt, ſoli à principibus colendi ſunt. Honeſtum tamen ſemper erit Senatui, aut Reip. abſque inito fœdere egentibus opem præſtare, atque in periculis verſantibus ſuccurrere.

LEX LXXXI.

DOMINII ÆSTVS ET DOMINANTIS AVTHORITAS A SENATV IN CIVIBVS COERCENDA.



EX ijs quæ intus Reſpub. perducunt ad interitum, ciueſque ad facinus inuadendæ libertatis, arcem occupat quaſi Tyrannus Dominij æſtus, atque inter cæteros eminendi ſtudium. Hoc ſpecie blandiens monſtrum, cum interiori ſcateat immanitate, cum venia peccare, atque vltrò laudem ſibi depoſcere audet. Arcus Triumphales, Imperatorium nomen, prætorianæ cohortes, cæteraque ſubſidia Dominationi opitulantia Cæſari facem ad ciuile incendium prætulere, eiuſque animum altè nimis ſuccinctum ad Tyrannidem erexere. Perpauci ſunt, qui ſi diademata regia intriuio inuenirent, ne ſubleuanda quidem putarent, Cæleſtis is eſt afflatus, quem vix vni impertiuntur Superi.

Vſque adeò res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros faſces, ſæuaſque ſecures
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.

canit Lucretius.

Sit honor Ciui à Senatu collatus velut lumen facis quod corriuet à flamma, nec ſplendeat ſine ipſa. Quaſi lumen de ſuo lumine Senatus accendat in ciue, vt loquitur Ennius; aut, vt inquit Tullius, iustantum dominij tribuet, quantum iure dominanti non noceat. Tyrannidis quoddam genus eſt, ſi quis in Rep. authoritate perpolleat, aut inter æquales nimio excellat honore. Vbi vnus nimis effertur deijciuntur plurimi, & vbi impares faciunt paludamenta cuidam ſemper oblata, offenduntur omnes. Etiam in Liuia matre noluit Tiberius admittere peculiaria honorũ ſigna, quæ Senatus ei parabat. Anxius inuidia (inquit Tacitus) & muliebre faſtigium in diminutionem ſui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni paſſus eſt. Idem tulit ægerrimè eaſdem pro Nerone, & Druſo preces publicas & ſupplicationes fieri, quæ pro ipſo fuerant factæ, tametſi filij eſſent, atque in Imperio ſucceſſores. Vaneſcit Principum honor (ſubdit Tacitus) ſi promiſcuis adulationibus vulgatur.

Perijt

Perijt Romana Resp. quia ciuium Romanorum ambitus neque coercitus est, neque repressus; Iidem ferè semper in prætutis, ac Consulatibus constituti, & fautorum sequelam, & Tyrannidem pepererunt. Iam vetustate collapsum est monitum illud ad Ciues Reip.

Virtute ambire oportet, non fautoribus,
Sat habet fautorum semper, rectè qui facit.

LEX LXXXII.

LEGATIONIS MVNVS A SENATV SOLVM PRÆSTANTIBVS VIRIS DEMANDANDVM.



Vm pendeat, vt plurimum à Legationibus Reipublicæ salus, prudens quoque Legatorum habenda est in Senatu delectio. Legati munus non in delecto solum, sed in diligente quoque summam diligentiam exposcit. Describitur Legatus à Paschalio is, qui publicum negotium, non militari manu, sed eloquio peragit & viribus ingenij. Oculos & aures principum Legatos vocant non minus historici, quam Poetæ

—— Vox Regum, lingua salutis
Fœderis orator, pacis via, terminus iræ,
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hostis

dicitur Legatus. Ideò Cyrus apud Xenophontem præcipit inter primos educandum, sanioribusque politiæ institutis informandum eum esse, quem præficere Legationis muneri oportet. Claudum pedibus facit, qui mittit verba per Nuncium imprudentem, & stultum (aiebat Salomon) Ingenium adeò præstans exquiritur in Legato, vt in rebus subitis non desit, in tardis celeres habeat motus, & in cæteris solerti agat iudicio.

Firmum quoque ità debet Legatus præseferre animi robur, vt pectus gerat aduersus vim omnem & euentum imperteritum; nam benè inquit Seneca ad rem in Hippolito

Docet negare, qui rogat timidè.

Popilius Romanus Legatus missus ad Antiochum, vt exercitum abduceret ex Aegypto, Regem dispiciens non cito deliberantem, confidenti ausu circulum virga sua circa Regem delineauit, coegitque antequam inde abscederet, deliberare an bellum vel pacem cum Romanis amaret.

Sint etiam Legati Xenocratis imitatores, qui Atheniensium Legatus apud Antipatrum nihil prius gustare voluit, quam Legationem exposuisset de redimendis captiuis Regique ad cœnam inuitanti hæc carmina recitauit

Qui cupiat Circe prudens, vel sanior vnquam
Sustineat bibere, atque cibum gustare priusquam

Soluan-

Soluantur socij, mihi vel reddantur ad vnum?

Nec desit Legatis Elegantia Morum, Nobilitas, & Maiestas. Negarunt Romani pacem ob hoc, quia parum dignitatis in legatione fuerat, vt habet Liuius, qui testatur sæpenumero Legatos indignos fuisse remissos. Augustus quoque (teste Suetonio) Legatis esse in Orchestra locum vetuit, cum quosdam etiam Libertini generis mitti deprehendisset.

LEX LXXXIII.

VECTIGALIA LEVIORI MODO A SENATV IMPONENDA.



Ectigalium tanta in Republica necessitas est, vt impossibile prorsus autument Politici sine ijs Rempublicam conseruari, Senatus Maiestatem & potentiam retineri. Neque enim (inquit Tacitus) quies gentium sine armis, neque arma sine stipendijs, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Augustus Cęsar (Suetonio teste) vt sumptus suppeterent ad tuendos & prosequẽdos milites emeritos, ærarium militare cum nouis vectigalibus constituit. Romani Senatores non immeritò reprehenderunt Neronem Imperatorem initio principatus sui, quod vectigalia negligeret; Dicebant Imperij dissolutionem esse, si fructus, quibus Resp. sustinetur, diminuerentur. Cuiusq; ciuitatis libertas (ait Thucydides) firmè retinetur, si adsit potentia, quæ hostibus, finitimisque populis resistere possit.

Senatus tamen, qui solus in Republica de ratione conficiendæ pecuniæ, deque vectigalibus imponendis est acturus, cognoscere debet subditorum opes & facultates, ne nimis vectigalium excedat aut grauescat onus. Detrahendus est ramus, non arbor radicitus euellenda, nec tantum inspiciendum, quid Senatus authoritas, quam quid subditi possint. Insana est illa principatus cupiditas, quæ solo luxu, ac lubito vectigalia metitur. Tondere oues, non deglubere, boni pastoris est, scribebat Tiberius Cæsar ad Æmilium Ægypti Prætorem. Detracta pelle exanimantur oues, aiebat Cyrus ad rem apud Xenophontem.

Mulgere, & hircos si velit, pater potest
Sed sanguis pro lacte saliens fluet.

ait Nazianzenus.

Phocilides vetat omnes vna pullos ex nido auferri, nulla aue cum matre relicta. Neque laudandus (ait Cicero ad Atticum) Princeps, qui pennas subditis ità incidit, vt nolit easdem renasci. Cadit illa Resp. (loquitur Plinius) cui ærarium est spoliarium ciuium, & cruentarum prædarum receptaculum. Aristoteles dicebat Alexandro, optimum esse Principis thesaurum subditorum opes, & subditos locupletes esse veluti puteos, qui, cum pleni sunt, facilè

cilè hauriuntur; esse velut radices, quæ leuiter exsectæ nouos semper emergunt in fructus.

Onera sunt importabilia vectigalia, ni modus à Senatu statuatur pro rerum copia & inopia. Qui molli potentiæ manu subditos tractat, lætos habet, & obsequentes; qui fortiter premit, ingratos, & rebelles. Caueat etiam Senatus, ne vectigalia sint noua & crebra, quæ ad opprimendos inducta subditos censentur; vt imponantur æqualitate seruata, nam onus, quod æquè pendet ab humeris ferentium leuius solet esse malum, vetatque ne inde in dispari dolore obrepat populorum liuor ad perturbandam Rempublicam

Ferre quam sortem patiuntur omnes
Nemo recusat.

aptè Seneca. Denique vt exigantur sine tumultu & cessante necessitate remittantur; ne id contingat quod accidit Senatui Romano, qui desertus est à populo Romano obsequium exuente & fidem, cum nunquam tributa remitti videret.

LEX LXXXIV.

CVRA SENATVS NE DESTITVATVR ÆRARIVM.



Potior Reipublicæ vis, tum ad gerenda bella, tum ad procuranda pacis ornamenta in ærario sita est. Nunquam benè à Senatu Reipublicæ consulitur, si illius patrimonium desit & subsidium. Non laudatur Lycurgus, qui Lacedæmonios ærarium habere noluit, quos meritò pauperes appellat Plutarchus vel ipsa patrimonij ope destitutos. Potiùs probro quam laudi vertitur Atheniensibus, quod tempore Themistoclis ærario caruerint. Expedit ærarium in quacunque Republica esse, cuius manutenendi & augendi ratio spectat ad Senatum.

Absint tamen à Senatu artes augendi ærarij indecoræ. Præstat Rempublicam inopem habere (aiebat Pertinax Imperator) quam ad diuitiarum cumulum per indecora vestigia peruenire. Liuius ipse testatur, omnem quæstum ad augendum ærarium patribus conscriptis indecorum visum esse. Probatissimum est illud ærarij genus, quod bellis non deficit temerè susceptis, quod non profunditur in Scurres, Lenones, Mimos, Scorta & eiusmodi plura publicarum virtutum dehonestamenta. Magnæ opes non multa capiendo, sed multa non perdendo quæruntur. Vbi nullus errogandi modus est, ibi perditio est; nec dedecet Senatum suæ Reipublicæ vires metiri; vt expensæ reditus non excedant.

Ea est tuta ærarij conseruatio (aiebat Antoninus Pius Imperator) qua ærario ipso parcè vtuntur principes, nihil inutiliter expendant, nihil perire per-

permittant. Nihil stolidius est, quam si Rempublicam arrodant ij, qui nihil in eam suo labore contulere. Eo Septimius Seuerus ærarium Romanum longè ditissimum reliquit.

Non permittat Senatus ærarij incrementa per Alchimiam parari. Ars est, quæ ampla fert damna, nullam expensarum restaurationem, In hanc iure iactantur rithmi.

Ars est sine arte
Cuius pars sine parte
Cuius mater otiari
Cuius votum denigrari
Cuius labor est inflare
Cuius finis desperare
Cuius pœna est perire
Cuius fructus mendicare
Cuius merces nusquam stare
Et in Cruce interire.

Optimum Senatui Alchimiæ genus est (inquit Hippias Atheniensis) non aurum ex fæno & herbis affectare, non rudiora pro argento liquare metalla, sed vti postulet egestas præfecturas quasdas, honores & dignitates vendere, atque in nummos commutare. Laudabile fecit Chartaginensibus Aristoteles etiam Magistratus venales habere, vbi de inopia Reipublicæ periclitantis ageretur. Etiam in Senatum Romanum quosdam lectos esse solo pecuniæ merito ad publicam ferendam opem testantur Spartianus, & Lampridius. Quod fieri contingit sine decore, sæpè cohonestat egestas, ait Tullius.

LEX LXXXV.

ANNONA NVNQVAM NEGLIGENDA SENATVI.



Vlla re magis infirmatur Reipublicæ robur, quam annonæ detractione ac defectu; nulla vi magis roboratur Respub. quam annona, qua bello & pace iuuatur. Non sit hæc vilior Senatus cura, à qua sæpè pendet Reipublicæ salus. Ciuibus & populis viuere necesse est, & vltimum humanorum supplicium est fames, qua mori miserrimum est.

Monet Plato in suis legibus, vt primæ ferantur leges in Senatu de copia & ratione subuehendæ, habendæve annonæ.

Exemplum præbet Senatus Romanus, cui summa & seuera annonæ cura semper fuit. Ità ex Africa & Egypto frumento ad alimenta ciuium & populorum delato, impetus omnes & seditiones, quæ facilè erumpunt ex annonæ defectu, sapientissimè cohibebantur. Nihil periculosius (ait Keckermanus) fame-

famelicô populo, quem non arma, non magistratus, non iura diuina aut humana, non pudor aliquis coërcere valet.

Nescit plebs ieiuna timere

canit Claudianus; sicut contrà eodem annuente

——— Summa fauoris

Annonæ momenta trahi.

Iulius Cæsar bellis licet inuolutus ac penè mersus Germanicis, ne populus fame laboraret, Romam reuersus est.

Ijs verò, qui Annonam flagellant, à Senatu non leues irrogandæ sunt pœnæ. Præcipitur à Valente & Valentiniano Imperatoribus Anthemio Præsidi, vt omnem in hac muneris functione exuat humanitatem. Ob id apud Priscos Sitones, fori curatores, & Cereales constituebantur. Iuuat quidem, vt fecit Aeacus accepto responso ab oraculo Delphico in montem conscendere, ibiq; sublatis in cælum manibus Numen exorare vt Græciæ famescenti succurrat; Ast non est hoc vnum Senatus onus. Id sanè, inquit Tacitus, primum caritatis remedium, quo Roma Claudio imperante liberata est, sed non est solum. Ad hoc datus est à Deo in Repub. Senatus, non vt tantum populos præsideat, sed etiam vt prouideat.

LEX LXXXVI.

LEGVM NOVITAS A SENATV NON FACILE' IN REMP. INDVCENDA.



D salutem Ciuium, ad Reipublicæ incolumitatem, ad beatitatem cunctis comparandam conduntur leges. Ad hoc suas quoque tulit leges summus legumlator Deus, semelque latas nescit abolere, mutare, aut innouare. Quod Iustum aut iniquum est, semper idem est, nec Iustitiæ aut impietati inditus circumuertitur ordo; Ideò nec nouandæ leges, aut facilè immutanda iura, quæ data sunt vt Iustum secernatur ab iniquo

Iura inuenta metu Iniusti fateare necesse est,
Tempora si, fastosque voles euoluere mundi
Nec Natura potest Iusto secernere iniquum
Diuidit vt bona diuersis, fugienda petendis

canit Horatius.

Maxima vis est legis vetustas in Republica, & grauissimum est senescentis consuetudinis imperium. Desuescere ijs, quæ longo roborata sunt vsu, ijsque assuescere, quæ viui incognita sunt, admodum difficilè est. Chara vetustatis species se ipsam facilè absque noua lege tuetur, nouitas vix vlla præmiorum spe, metuque pœnarum, aut Magistratuum officijs consistit, vix in extremis morbis

morbis noua quæ sunt extrema remedia tentanda sunt. Lucrenses Legumlatores non nisi immisso in laqueum collo nouas ferebant leges. Exitij periculum nouitas præsefert præcepti. Ipsa mutatio (inquit D. Augustinus) consuetudinis, quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat.

Licurgus iuramento adstrinxit Lacedæmonios, ne aliquid suis in legibus mutarent, donec rediret; Abijt animo non redeundi. Aristoteles docuit melius esse legum & magistratuum imperfectionem tolerare, quam mutando Reipublicæ statum euertere. Interrogatus Pausanias quam ob rem apud Spartanos nefas esset mutare legem, quia (inquit) leges supra homines sunt, non homines supra leges. Apud Aeginetas cautum erat, vt qui nouæ condendæ legis occasionem daret, inuisus fieret & execrabilis omnibus.

Legum nouitatem non facilè Senatus inducat in Rempublicam, inducat tamen, vbi fuerit opus, præsertim ad corrigendos mores, ne clamet Plautus in Trinummo

Nunc mores nihili faciunt, quod licet, nisi quod habet;
Ambitio iam more sancta est, libera est à legibus,
Petere honorem pro flagitio, more sit
Mores leges perduxerunt in potestatem suam.

Si mutandæ leges aut nouandæ (ait Liuius) id agendum, aut motum, aut temporum intuitu. Ob id Aristoteles leges comparat mensuris, Solon monetis, quæ vbique & omni tempore non sunt eædem. Semper bona legum mutatio, si fiat in melius, & finis mutationis obtineatur.

LEX LXXXVII.

MAGISTRATVS PLVRES NON FACILE A SENATV VNI COMMITTENDI.



Licet ea sit humani ingenij vis & natura, vt sæpè in diuersa conatus intendat suos, expeditior tamen longè est humanæ mentis vsus, si vna vni negotio peragendo se se deuoueat. Non eadem arte mens exerceetur & corpus. Cytharædus benè potest memoriæ simul, vocis sono, digitorum flexibus varijs inseruire, Alios dextra percurrit neruos, alios læua trahit, nec pes otiosus certam legem temporum seruat, hæc omnia vna potest. Agricola arua simul & vineta, aleas & arbusta colit; pratis, pecoribus, hortis, aluearibus curam accomodat; Ast hæc sunt vnius mentis vnicum opificium multiformi exercitatione discretum. Vnum officium, si non leue; vnus Magistratus si rei sit, non nominis tantum, totam occupat mentem, reliquis adimit locum.

Etiam naturæ conditio talis, vt non vni omnia, sed singulis distincta, det offi-

officia, Soli vt luceat, Igni, vt ardeat, Aquæ vt humectet & si alia præbet simul munera, accessoria sunt, principem haudquaquam locum tenentia. Qui ad plura simul festinat munera obeunda, aut nullum ritè peragit, aut citò cadit sub pondere. Tritum est illud

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Iustiniani lege vetabatur, ne quis auderet, vno eodemque tempore Aduocatione vti, & Consiliarij munere. De Metiocho quodam omnia in Republ. agere volenti circumferebatur (vt testis est Plutarchus) Athenis Metiochus exercitum ducit, Athenis Metiochus vias curat, Metiochus farinam tractat, Cunctis præest, Metiochus itaque plorabit, plorabunt Athenæ. Plurima sanè oriuntur incommoda publica vbi plura in eumdem conferuntur officia; Idque sæpè numero contingit, vt nimium vno magistratuum cumulo crescente protinus iura dominationis occupet in Repub. quod fuit Monitum Marci Rutilij Censorini, cum bis ad censoriam eueheretur dignitatem. Superbiunt Ciues honorum multiplicitate (ait Tacitus) & inde cætera quæ non obtinent, audent pertentare. Ob id in Senatu Romano fuit Asinij Galli sententia in singulos annos duodecim Candidatos esse nominandos. Ea ratione Laconicam reprehendit Aristoteles Remp. quod plures vni adijcerentur Magistratus, quo consilio superbia & animi ferocia excitaretur. Hi sunt præpotentes illi, qui maximè cauendi sunt in Repub. ne vnquam dicere possint

In manibus nostris Regnum est: ea quippe potestas
Ad nos more suo semper viduata recurrit.

LEX LXXXVIII.

EXTERI ET PEREGRINI A SENATV NON FACILE AD MAGISTRATVS ADVOCANDI.

NEque omnino exteros & peregrinos à magistratibus arcere, neq; facilè aduocandos, sanius est politicorum consilium. Ciuium domicilium quandoque rimari fas est, plerumq; etiam virtutē sine domicilio. Non minus rectè tractare Remp. possunt exteri, quam ciues & indigenæ. Vtrinque potest æquitas, fides, probitas corriuare. Queunt peccare exteri, sed etiam ciues, si negligentia præsint aut priuatis ducantur affectibus.

Consultiùs tamen est Ciuibus & indigenis Magistratus committi, quam exteris & alienigenis. Gente dispares (inquit Thucydides) nihil in communem Reip. salutem consulunt, sed vel suo quique commodo vacant, vel quod agendum pro communi salute est, absq; matura deliberatione decernunt. Romani veteres (vt testis est Liuius) ne quidem Socios in Senatum admit-

admittebant. Magnus Alexander cum Persas in consilium adhibuit, malè audire cæpit. Labantis Reip. signum est (ait Lipsius,) cum ad ipsam fulciendam accedunt peregrini; veniunt vt Vespillones proximum funus præsignantes. Cyrus moriturus monebat filium, vt non ex alienigenis, sed ex conterraneis & ciuibus sibi consiliarios adscisceret.

Fit sæpè vt exteri in Ciuium consortium admissi, rerumque publicarum participes Ciuitatis quietem turbent, dissidia foueant, seditiones excitent. Omnes homines eadem natura fecit, at non omnes ijsdem affectibus copulauit. Achæi Træzenios, Thurij Sibaritas, Samij Zancleos, Chalcidenses Amphipolitas eiecerunt. Occupant interdum Peregrini.

Et Sellam Regni, trabeamque insignia nostri.

Ratio itaque indigenarum, ac ciuium in mandandis honoribus & magistratibus habenda est; ast non omninò ab ijsdem arcendi exteri & peregrini. Romæ præcipuæ familiæ consulares è peregrinis ortæ sunt; neque exactis Regibus clausi sunt Magistratus peregrinæ virtuti. Numa Pompilius non modo non Patricius, sed ne Ciuis quidem Romanus ex agro Sabino authoribus Patribus Romæ regnauit. M. Perpenna Græcus natione Consul factus est. Traianus licet Hispanus factus est Romanorum Imperator; hæcque ea ratione facta sunt, quod Gentis virtus non Patria æstimanda est in Magistratibus ac dignitatibus conferendis.

LEX LXXXIX.

MAGISTRATVS PERPETVI NVSQVAM A SENATV CONSTITVENDI.



Senatus, Ciuitas, Regnũ, & Respub. absq; Magistratibus esse non possunt. Id fatentur apertè Plato, Aristoteles, & Tullius. De Magistratu ea sacri oraculi intelligenda sunt, vbi non est gubernator, populus corruit. Sola Magistratuum descriptione Rerumpub moderationes contineri vel ipse tradidit Lucretius non solum naturæ, sed etiam politiæ scrutator

Res itaque ad summam fæcem, turbasque redibat,
Imperium sibi cum ac summatum quisque petebat;
Inde Magistratum partim docuere creare,
Duraque constituere, vt vellent legibus vti.

Magistratus verò non esse perpetuos, id sanè expedit in quacumq; Republica, quod ab ipso Magistratus nomine clarè deductum est; Magistri enim ijdem non semper habentur in Scholis. Vbi multi sunt natura, & virtute pares, ibi multi debent magistratuũ esse participes, ne status trãquillitas æmulationis stimulis conuellatur. Diuturna imperia multos ad fastum, resq; nouas intentandas extollunt. Cæsarem Imperij consuetudine captum rapuisse Dominationem scribit Suetonius. Miltiades multis in Imperijs, magistratibusque

versatus non videbatur posse esse priuatus ex Æmilio Probo. Themistocles ex diuturno imperio maiores concepit animos, quam vt Democratiæ expediret. Rebus pub. prorsus exitiale est, si quidam eodem magistratu & Imperio semper emineant. Hermodurum Ephesij ciuitate sua expulerunt cum hoc elogio, nemo de nobis vnus semper excellat, sed si quis extiterit alio in loco, & apud alios sit.

Imperandi & parendi vicissitudo ciuium animos non corrumpit, ingenia reprimit fastuosa, neque nimia inebriari licentia sinit. Athenienses Magistratus suos annuos habebant. Senatus Romanus censuit Magistratus continuari rem esse contra Rempub. nam Magistratuum perpetuitate crescit auaritia, fouetur ambitio. Paucis æuiterno honorum orbe circumlatis illæ adaptantur Claudiani Laudes in Stiliconem effusæ.

Ac primùm scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis Auaritiam: cuius fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusque potentum
Excubat & precijs commercia poscit honorum,
Pulsa simul.

Vnus æuo memorandus Fabius Maximus, qui cum à se quinquies, à parentibus ac maioribus sæpè gestus consulatus etiam filio mandaretur, deprecatus est vt vacationem honoris huius Familiæ Fabiæ concederent, ne maximum Imperium in vna familia continuaretur.

LEX XC.

NVLLVS VENALIS MAGISTRATVS A SENATV INSTITVENDVS.



Abiecta nimis esset illius Senatus maiestas, quæ Magistratus soli virtuti decernendos, faceret venales, ac pretio subiectos. Magistratus ac dignitates venditare, idem prorsus est, ac meriti iura violare, virtutem ipsam auro pretiosiorem auro subijcere. Eo Aristoteles Senatum Carthaginensem sua vocat indignum maiestate, quod venalia effecerit officia. Infamia quædam Senatus est ab ijs pecuniam accipere, à quibus consilia libera atque incontaminata acceptus est. Officiorum nundinationes eo semper prohibuit Alexander Seuerus, quod aduerteret, necesse esse Iustitiam ementem, Iustitiam vendere. Non est Resp. Auaritiæ mancipanda, neque animo sordescentem maculandus est Senatus

Patricius Consul maculat, quos vendit honores

in Eutropium canit Claudianus.

Reipublicæ malè constitutæ, ac citò interituræ argumentum est, cum Magistratus venales fiunt, est hoc Platonis oraculum. Ex quo pecunia in honore esse cæpit (inquit Seneca) verus rerum concidit honor, ijque qui

pote-

poteſtatum mercatores facti ſunt, quærunt non quale ſit quicquid, ſed quanti. Quin ad ipſius Magiſtratus contemptum res hæc facit, quandoquidem pretium, quod habetur, hoc ipſo vileſcit, vt inquit Quintilianus.

Nero cum optimæ ſpei adhuc iuuenis eſſet promiſit Senatui, nil ſuis in penatibus venale ſe ſe permiſſurum. Id quondam decus erat Romani Senatus nullum vendere magiſtratum, ac delectu ex optimis habito gratuitò mãdatum. Inde ſanctiſſima dicta eſt lex Iulia ab Auguſto lata, qua largitiones vetabantur ad petendos magiſtratus, ijque qui pecunia dignitates obtinuiſſent, quinquennio vacarent.

Ærarium, quod ementium Magiſtratus largitate repletur, eorundem ambitione citiſſimè exhauritur; facilè nimis obtenti magiſtratus authoritate repetitur, quod ſola datum eſt ambientis animi coactione; nec fit ideo beata Reſp. ſicut illa, de cuius ciuibus Horatius.

Priuatus illis cenſus erat breuis
Commune magnum.

Beatam potiùs efficiunt Rempub. ciues illi, qui nulla congeſta ad captandos honores pecunia, ſpreto omni cenſus ſplendore ſola radiante virtute fugant abiecti ſtatus tenebras, ſolo merito magiſtratus, & dignitates capeſſentes. Proſtant exempla Epaminondæ in Thebanorum Rep. Ariſtidis in Athenienſi, Curij, Fabricij, & aliorum in Romana, de quibus iactatum

Pauper erat Curius, Reges cum vinceret armis:
Pauper Fabricius, Pyrrhi, cum ſperneret aurum.

L E X X C I.

NEMINI SVBITO A SENATV PRIMÆ DIGNITATES DECERNENDÆ.



Iſcat in hac re à Natura Senatus, quæ non illicò perfectum quicquã producit, ſed pedetentim ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur: Leges ipſæ ciuiles iubent, vt gradatim promerentibus deferantur honores. In re nautica non bene perampla regit nauigia, qui ante remos non duxerit, aut ſe exercuerit in celocibus, lembis, & cymbis. Romæ ſingularia fuere quorumdam exempla, qui ſine gradibus in primas proceſſere dignitates. Abortus is Flaminio contigit, Scipioni Africano, Metello, & Auguſto, quem tamen inſecuti ſunt Tribuni plebis Fuluius & Manlius declamantes apud Plutarchum, nullum eſſe nocentius Reip. malum, quã ciues ad ſummos honores ſtatim emergere. Senſim ac gradatim aſcenderunt apud Athenienſes Ariſtides & Phocion, Ageſilaus apud Spartanos, Cato apud Romanos, qui cęteris melius Remp. adminiſtrarunt, Peſtis Reip. à Tullio vocatur Inuidia, quam præcox aduerſus ciuem concitat dignitas. De hac re cecinit vates ille

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit
Tum suus ex merito quemque tuetur honos.

Ex eo Titus Quintius cœpit odio habere Philophæmenem Athęorum Ducem, Antonius Augustum, Traianum Adrianus, Pompeiũ Marcellinus. Perturbatur Resp. tota, cum quis assidet clauo repente, antequam prima didicerit eiusdem Reipub. administrandæ rudimenta. Clarorum virorum tormentum est in Rep. alicuius subita elatio, quæ etiam ipsi extra ordinem euecto sępè casum parat. Platanus arbor elata est Ciuis subita dignitate clarescens, ad quam cælo pluente confugiunt omnes, sereno verò eandem lapidibus petunt ac fustibus. Summus honor, summum onus, ad imperitum absque bonorum experimento sublatum, iactatum est. Coguntur eiusmodi Reip. infantes subito adulti dolentiùs conqueri quam illi apud Sophoclem Pastores, qui dicebant, seruimus armentis licet domini simus, eorumq; incommoda sustinemus. De Samijs dicebat Pericles eo laborantes morbo, similes esse infantibus, qui sine mora, dum pultem pro lacte capiunt à matribus & nutricibus, plorare interim non desinunt.

LEX XCII.

ENIXE AMBIENTIBVS PRIMÆ DIGNITATES A SENATV INHIBENDÆ.



QVi digniora, vt vulgo dicitur, per fas & nefas, affectant in Rep. subsellia, qui de primis capessendis honoribus nimium solliciti anxiè laborant, vt immoderatæ cupidinis metam assequãtur hi sanè à Senatu præ alijs ab ijsdem arcendi sunt. Adagium est omni posteritati à veteribus commendatum, Publico laborantem fumo solitum esse in alios expuere miserias. Histriones sunt, qui dum ad Theatrum vt cæteris præfulgeant, extrà Scenam merguntur in tenebris, atq; in miseram ruunt seruitute Ixiones sunt qui cum nebula pro Iunone concumbunt, atq; ità Centauros procreant; dum enim primas impensè venãtur sedes in Rep. facinora emittunt adulterina, quibus sæpè Reip. paratur excidium. Monstrosos semper ac centauricos habent impetus, qui imperandi cupiditate detinentur; semperq; iniusta agunt, vt imperent. Aliorum vitiorum nutrix, quæ potentum vestibulis excubat dicta est ambitio

Trudis Auaritiam, cuius fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusque potentum
Excubat.

At vbi regnum possident Vitia, omne exulat Reip. bonum. Nimis proiecti sunt horum ambientium mores, nec facile inueniuntur Lepidi, qui socordem leuitatem cognominis Triumuiri honesta morum temperie superet.

Nihil

Nihil vtilius Modeſtia Ciuium ad tuendas Reſp. Ideò grauiſſimè tulit Senatus Romanus, quod Iulius Cæſar Senatoribus ingredientibus Senatum non aſſurgeret; Idque habuit amiſſæ libertatis inditium ex ſola regnandi cupiditate,

Non tibi regnandi veniat tam dira cupido

latum eſt monitum à Virgilio ad Ciuem, qui velit optimus eſſe. Agunt quæ ſua ſunt eiuſmodi ambientes viri, non quæ Reip. cunctaque pertrahunt vota in obſequium ſui, non in commodum commune.

Rari ſunt Piſones, qui ambitum ſapienter moderentur, primaſque Reip. inſulas ſpernentes, Patriæ ſemper vindicent libertatem. Saluius Otho nimijs honoribus cumulatus, vrbe egreſſus, in caſtra raptus, copias omnes Gallæ extorſit & breui, vrbe ipſa potitus eſt; quam ob rem, ne crebrius id acciderer, cautum à Senatu eſt, vt ne quidem Senatori, non impetrata venia, vrbe abeſſe liceret.

LEX XCIII.

NIMIA ALICVIVS POTESTAS A SENATV POTIVS MINVENDA, QVAM AVGENDA.



D præcipuum in Rep. à Senatu curandum eſt, vt nemo poteſtate nimium excreſcente ſpem capiat occupandæ dominationis. Obtruditur in exemplum à Suetonio Cæſar, qui ſolus omnia & ad arbitrium adminiſtrare connitebatur. Etiam Brutus rectè increpat Ciceronem, quod nimijs efferendo honorib. adoleſcentem Octauium aduerſus Remp. armaſſet. Idem prorſus eſt quempiam nimia fretum regnandi potentia ad ſuprema honorum faſtigia iugiter admoueri, ac per ipſum ordinem Reip. euerti. Diademata ſperant, altiſſimos gerunt ſpiritus, qui culmina petunt, alioſque attollere poſſunt. Tiberius Germanico Conſulatum obtulit, cuius munia præſens obiret, quo eum à curſu victoriarum abſtraheret. Dictaturam apud Romanos vltrà ſex menſes nemo poterat retinere, teſte Pomponio, idque factum eſt, ne quis nimia creſceret poteſtate.

Capitur hominum vulgus, facilèque moueturexterna rerum ſeù honorum præcellentia, nec ſequitur inuitè Ciuem, quem deſpicit, ſiue merito, ſiue vſurpata dignitate præminere. Petit enixè Iuno à Ioue apud Poetam, vt exteriora dignitatis argumenta retineantur à Latinis, quibus præ cæteris colebatur; rogat ſupplex

Ne velit Indigenas nomen mutare Latinos
Heu Troas fieri iubeat, Teucroſque vocari
Ac vocem mutare viros, aut verbere veſtes,

Auguſtus ne odia ardentiùs concitaret, faſces & titulos Imperij ſæpè deponebat;

bat; Meminerat honorum enormitates esse serta quædam victimæ mactationi destinata. Contrà mactatur Cæsar, mactatur ipsa Resp. cum vnus in eadem Imperatoris suscipit nomen, cum ipso regias statuas in foro, suggestrum in Orchestra, sedem auream in curia, templa, aras, & simulachra inter Deos.

Nec Regna socium ferre, nec Tedæ queunt

ait Seneca. Societas pacem excipit in ciuibus potestatem, omnemque in vno dominatum exhorrescit. Solus esse vult, qui extra Societatem & pares affectat imperium. Frangendæ sunt eius vires, qui vel propter res gestas, vel propter collegarum negligentiam nimio excrescit robore in Rep.

LEX XCIV.

PRIVILEGIIS ET HONORIBVS PRÆ CÆTERIS A SENATV CVMVLANDA NOBILITAS.

EXcelsum & singulare omnis Reipubl. decus est Nobilitas, cuius dignitas non tantum à genere, quam virtute accersenda est. Is ordo præ cęteris à Senatu colendus indultis, fauoribus, ac priuilegijs cumulandus. Imagines olim, columnæ, statuæ, & reliqua insignia gentilitia Nobilibus decernebantur, vt animo excelsiore raperentur ad augendam factis Reip. gloriam. Ancus Martius (ait Liuius) Nobilis vna imagine Numæ. Obrepsisse ad honores (scribit Tullius de Pisone) commendatione fumosarum imaginum. Omnis benè constituta Resp. honorarias Nobilitati constituit præ cæteris dignitates. Aegyptij, Persæ, Macedones, & alij selectum hunc ordinem habuere, quem tamen semper exosum habuere Tyranni, quorum vetus est præceptum, obtruncandas esse eminentes spicas.

Facilè periclitatur & cadit illa Resp. cui deest Nobilium sustentaculum. Non tamdiù stetisset Macedonum Regnum, ni tot habuisset Nobiles, præpotentes, ac ferè Alexandros. Persicum Imperium concidit statim occiso Dario, atque extincta Regni Nobilitate. Macchiauellus ipse Nobilitatis osor & hostis fatetur occiso. Turcarum Imperatore neminem esse timendum, qui nemo superest Nobilis. Deiectus animus cum abiecto genere enutritur, & qui generis claritate destituitur, ad nihil præclarum potest assurgere

Fortes creantur fortibus & bonis
——— nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Eorum Nobilium priuilegia sint, quibus lex est imposita, vt præclaris Maiorum inhæreant vestigijs, perque arduam, prætuptamque virtutis semitam ad gloriam contendant. Non est satis ortum splendidum contraxisse, si vita

in glo-

in gloria deuoluatur in tenebras. Dehonestátur Nobiles, qui sinè virtute, aut merito honoribus cohonestantur.

Pulchriùs multò parari quàm creari
Nobilem

canit Ausonius ad Solonis sententiam. Nobilitas, quæ est Virtutis indicium, non debet esse nequitiæ pallium. Fuisset Themisthoclis probrum iure vulgatum à Tymodemo, si solo patriæ splendore ad honorum fastigia euectus esset.

——si ruina labat, perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus est in origine sola.

LEX XCV.

NOBILIVM ORDO PLEBEIO IN MAGISTRATIBVS PRÆFERENDVS.



Onores primi, qui Nobilitatis dicti sūt characteres indiuidui, in ordine potiùs Nobilium, quam Plebeiorum præstituendi sunt. Hauriunt Nobiles cum sanguine à natura egregios quosdam Spiritus, quibus iugiter ad honesta facinora impelluntur. Degener est vt plurimum Plebeiorum cætus, & nihil meditatur excelsum, quod bono Reip. consulat. Quæ sua sunt, quærit multitudo plebis omni honestatis lege exsoluta. Vulgus, quod abiectior est pars Reip. à rebus grandioribus facilè deterretur, & vbi ad altiora paratur ascensus, ibi præceps ruina constituitur.

Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosque colit atque odit

de vulgo fatur Seneca in Hippolito. Contrà verò Nobilium animus nobilitatis ingenitæ stimulis excitatus ea solet fastigia capessere, vbi dum virtus moratur gloria. Spectant Nobiles suorum Maiorum Imagines velut virtutis incitamenta, quibus paternas & auitas virtutes nouis semper cumulant meritis. Hi sunt, qui pro patriæ tranquillitate, ac decore facilè vitam & fortunas effundunt, & detento Nobilitatis fundamento, quod virtus est, ad nullum desciscunt scelus, aut Reip. maleficium. Non censetur Nobilis aut generosus ciuis ille apud Iuuenalem, qui solo Nobilitatis gaudet nomine seruilibus, ac plebeijs conspurcatus operibus

——Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere & præclaro nomine tantum
Insignis?

Sparta æquissimis populo legibus, administratione Ephororum, & Optimatum

tum diutiſſimè libertatem tutata eſt. Athenæ populi arbitrio quondam gubernatæ Iuſtitia in ſubtrahendis honorib. magnis vitiis violata, ſtatum ſuum & ſi Spartanis potentia, & opibus ſuperiores nequaquam diù ſeruarunt. De plebe malè apta regimini (inquit Tacitus) priuata cuique ſtimulatio, & vile decus publicum. Idque eſt, quod in hiſtoria belli ciuilis Vitelliani recenſetur, quemcumque ex populo in arduis negotijs ad ſua opificia,& negotiationes dilapſum, rem communem neglexiſſe.

In ordine Nobilium, qui plebeio nunquam poſt habendus eſt, ij etiam Nobiles collocandi ſunt, qui non generis modo vetuſtate, ſed virtute & rebus geſtis illuſtres ſunt. Auguſtus M. Agrippam nullarum hominem imaginum, ſed perſpectæ in re militari prudentiæ, fidei, fortitudinis extulit ſuper omnes, potentia & authoritate, tantum non ſibi adæquatum fecit.

LEX XCVI.

NOBILIBVS ET PLEBEIIS MERITORVM IVRA ÆQVE SERVANDA.



Remp. benè conſtitutam ſeruatis ſumma æquitate meritorum vicibus diutiſſimè contineri, docuit Solon Athenienſis. Sępè Nobiles non ſegregat à Plebeijs benè merendi ratio, hæcque ſuos in vtroque ordine poſcit honores, aduocat præmia æquo iure diſtribuenda. Vtrobique virtus ſibi eſt pulcherrima merces. Id æquum eſt (ait Plato in legibus ſuis) quo cernitur, vnicuique prodeſſe & proficere laborem ſuum: Reip. potentia tum augetur cum præmia, honoreſq; ſuos conſequuntur benè meriti omnes ſiuè infimæ ſint & abiectæ, ſiuè prænobilis geniturę. Nihil non aggrediuntur homines quicumque (inquit Liuius) ſi magnis conatibus magna præmia proponuntur; Magnis honoribus magni animi fiunt.

Ipſe decor recti facti, ſi præmia deſint
Non mouet, & gratis pœnitet eſſe probum.

canit Iuuenalis. Stimulus virtutis eſt honos, & præmium ipſi virtuti collatum, hæcque genus non reſpicit, ſed panditur ex opere. Intereunt Reſp. (ait Euripides) cum viri fortes & ſtrenui nihil deterioribus plus afferunt; & nihil iniquius eſt, quam vno eodemque loco haberi, præmijsque æqualibus ornari Nobilem ignauum, & plebeijum fortem. Licet ſplendidum ſit virtutis nomen, eò ſolo non eſt contentus vir abiecti generis, qui benè de Rep. eſt promeritus

—— Inuenies multis de millibus vnum
Virtutem pretium, qui putet eſſe ſui.

Non ſunt tamen honoribus & præmijs decoranda in Rep. merita quæcumq;, at pru-

at prudenti discrimine pendenda sunt. Non est aurea decernenda corona ei, qui festis Bacchi diebus cæteros, superet bibendo, vt olim factum est Athenis. Malè Xerses præmia proponebat illis, qui nouum voluptatis genus inuenissent. Non est lutum manibus, pedibus verò farina tractanda. Id agunt qui præmijs dignos negligunt, ornant, vel potiùs onerant indignos. In nullo est virtus contemnenda, & Philosophi ipsi qui gloriam virtutis contemnendam docent, nomen suum libellis & doctrinæ inscribunt, quo gloriam aucupentur.

LEX XCVII.

POPVLARIS ORDO A SENATV NON CONTEMNENDVS.



EO sanè maximè diradiat Reipub. splendor, ac Maiestas, cum ad gubernacula Nobiles sedent, clauumq; regiminis tenent. Magistratus quæ sunt dignitatis subsellia, viros genere claros, virtute conspicuos exposcunt. Spartani Athenienses & Corinthij Nobile colebant genus, quod etiam pro viribus ad honorum fastigia euehebant. Lex fuit Romulea, & Sacra Magistratus Optimates peragunto, plebei agros colunto. Non spectabant corporis robor vt Medi, non Pedum perniciem vt Lydi, non corporis molem vt Gordij

Asperius nihil est humili cum surgit in altum

Dictum est Xiphilini in Tiberio, Maximini Imperatoris exemplo confirmatum, qui è pastoritio munere digressus est ad regenda Imperij lora.

Hæc licet ità sint, non tamen in Rep. spernendus omninò popularis ordo, cuius Satellitij summa necessitas est. Solis Nobilibus non potest ciuitas benè constare, aut quæuis alia hominum societas. Romulus in noua condenda vrbe non minorem plebis quam Nobilitatis rationem suscepit, (ait Plutarchus.) Reprehensus est Dinochares Architectus ab Alexandro Macedone, quod in condenda vrbe Alexandria, quam in Atho altissimi montis specula collocari suadebat, rationem alimoniæ pro ordine populari non perpendisset.

Ab ordine populari quæcumque famulitia in ciuitate parantur, sine quibus Ciues vitam benè transigere non valerent. Apud populum Ciuium victus est, vestis, medicina, opificium. Plautus in Aulularia ex hoc coquos commendat, licet vile esset apud Spartanos eorum artificium.

Postquam obsonauit herus, & conduxit coquos
Tibicinasque hasce apud forum.

Suetonius collaudatum suo æuo dicit Augustum, quod singulari studio agricolas, & negoriatores complecteretur. Deus ipse qui in altis habitat, humilia respicit, suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem.

Nil

Nil meliùs de populo potest cogitare Senatus, quam ipsius inopiam & angustias subleuare; Nil meliùs conceditur quam labor, & negotium, quo otium exturbetur. Hoc erat Consilium Appij Claudij dicentis, melius plebi Romanæ negotium concedi quam otium. Demetrius, & ipse in conficiendis machinis bellicis excellens, eiusmodi opifices diligebat, iugiter exercebat in Asiæ tutelam. Nero Pictores amabat, Alij Principes dolatores, alij Agricolas & Tonsores habebant in pretio. Nulla stat ciuitas aut Resp. sine armis quæ tractant milites, sine sacris quorum cura Sacerdotibus mandatur, sine Iudicijs quæ pertinent ad Magistratus, sine alimentis quibus inseruiunt Agricolæ, denique sine instrumentis varijs, varijsque artibus quibus pollent opifices.

LEX XCVIII.

MERCATORVM CONVENTVS A SENATV NON INTERDICENDVS.



Ciuitas quæcumque quæ sine dandi & accipiendi communicatione deficeret, libera mercatorum commercia æquis ex legibus flagitat. Sunt mercatores in Reip. (inquit Tholosanus) velut pedes in corpore humano, qui reliquis membris necessaria transferunt. Vita dicitur & sanguis Reip. negotiatio, per quam neruus belli & pacis pecunia nunquam deest. Collabentes citò spectatemus florentissimas ciuitates, ni sustineret illas mercatura. Nèdum vixere diù, sed etiam celebres factæ sunt vrbes plures Emporijs & mercimonijs. Lycurgus & Romulus qui primi è ciuitatibus suis mercatores exclusere ab initio, eosdem postmodum in ciuium numerum recepere. Solon, vt eam ciuibus suis necessariam suaderet, ante omnes illam dicitur exercuisse non lucri cupiditate detentus, sed collustrandi terrarum orbis stimulo compulsus Hac de causa etiam Equites Romanos negotiatores describit Tullius in Verrem. Eo etiam Vlyssi Græcorum celeberrimo viro Mercatoris nomen inditum est

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes
Multa quoque, & ponto passus.

Deus ipse in Leuitico exigens in ciuitate stateram iustam, æqua pondera, sextarium non deficiens, Mercaturam & negotiationem probat, cui hæc inseruiunt. Cum in omni terra non abundent omnia, mercatores creati sunt, vt quæ præstò non habentur, ex alijs petantur nationibus, & regionibus. Mercatores (inquit Manilius) simul cum Deo creauit egestas

Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo
Seducta in varias certarunt pectora curas
Et quodcumque sagax tentando reperit vsus.

Ro-

Romæ Alexander Seuerus, vt ex omni accurrerent plaga mercatores, ijs maximas concessit immunitates, numerum & tributum auri lustralis dedit. Corinthi Senatus apud Xenophontem Mercatores habuit velut illustres viros, eosque priuilegijs cumulauit.

Illi dumtaxat Mercatores velut illiberales, ac sordidi sunt à Senatu interdicendi, quorum quæstus auaritia illiberalitate, aut vsura sordescunt. Ex his nullum sanè Reipub. commodum, sed omne probrum efficitur. Ideò Phœnices arguuntur, à Cicerone quod ex ijs Mercatores Græciam impleuerint auaritia, atque inexplebili cupiditate. Ij quoque mercatores à Senatu perstringendi qui merces inuehunt damnosas; nihilque opitulantes vitæ atque egestati, luxui tantum fauent, fuco, ludis, molitiei, voluptatibus; qui immensa pecunia quotannis prouincias spoliant, & regna, qui bonos mores vitijs peregrinis corrumpunt, qui denique sublato patrio ritu, semper externis nouisque studentes rebus, perditissimis populos implicant consuetudinibus.

LEX XCIX.

STVDIVM PACIS SIT SENATORVM STVDIVM.



OMnia pacem expetunt pro suo quæque captu. Primum Rebusp. fælicitatis genus est diuturna, constantique pace potiri. Sparta Græcis, Roma Latinis exemplo esse possunt, vbi qui sapientiùs egere, nihil pace speciosiùs, nihil vtiliùs cogitarunt. Pugnatorum fælicitas, quæ modica est, & absque vlla securitate facilè extinguitur, extinctis ante quam in incendium deuolutis bellorum molitoribus. Vt à bello deterreantur ad bella propensi hæc de bello prodit Lucanus

Nobilitas cum plebe perit, latèque vagatur
Ensis, & à nullo reuocatum est pectore ferrum
Stat cruor in templis, multaque rubentia cæde
Lubrica saxa madent, nulli sua profuit ætas.

At contra vbi pacis colitur institutum, omnia cedunt in Reip. commodum eiusq; fit numquam interitura fælicitas. Fælix & diuturnum Augusti factum est Imperium clauso Iani templo, pace terra marique conciliata. Pereant, melius est, illa duo infausta pronomina, meum, ac tuum, quam pereat vnicum pacis nomen

Si duo de nostris tollas pronomina rebus

ſtatum moribundi exoptant; ferinum, qui quas laniare oues nequeunt, extremo voto iugulant. Epaminondam optimum Thebanum Ducem, ac ciuem beato animo obijſſe ferunt, audita ſuorum victoria, & Clypei ſui incolumitate; Turni autem vita

——Cum gemitu fugit indignata ſum umbras

cum ſpectaret in alienas pertranſiſſe ditiones & propriam ſponſam & gloriam; cum videret in regnum receptum profugam, admiſſos in dominium Troianos, qui ſua domi tutari non poterant.

FINIS.



INDEX RERVM EX LEGIBVS PRVDENTIÆ SENATORIÆ.

In

Discordia.

Doctrina.

E

Ærarium.

Exemplum.

Experimentum.

F

Fama.

Fides.

Fœdus.

I

Ingenium.

Iustitia.

L

Labor.

Lex.

Libertas.

Libido.

Lis.

M
Magistratus.

Maiestas.

N
Natura.

No-

Nobilitas.

O

Ostentatio.

P

Patientia.

Paupertas.

Pax.

Pęna.

Pietas.

Potestas.

INDEX.

Re-

Religio.

Respublica.

Æra-

Sapientia.

Seditio.

Senatus.

Ab.

INDEX.

Senator.

Silentium.

Simulatio.

Su-

INDEX.

Superbia.

V

Vectigal.

Veritas.

Vindicta.

Virtus.

FINIS.